N°

π - 9884

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERUM

TOMUS TERTIUS,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM castigatus denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Belgicos &c. necnon ad editiones antiquiores & castigatiores,

OPERA ET STUDIO MONACHORUM Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri.

PARS PRIMA,

Complectens Exegetica in Vetus Testamentum.



PARISIIS,
Excudebat FRANCISCUS MUGUET Regis & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis typographus.

MDCLXXX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

In vita S. Fulg cap 3. ſtri diſcipulus, qui *ubi omnia quæ ſibi dura videbantur expertus, adjutorio gratiæ ſpiritalis voluntati ſuæ ſenſit ſuppetere facultatem; beati Auguſtini exponentis triceſimum ſextum Pſalmum diſputatione commonitus & compunctus, publicare ſuum ſtatuit votum*, quod de monaſtico inſtituto conceperat.

Has autem ſancti Doctoris in exponendis Scripturis dotes ita ſuſpexere non modò poſteri, verùm etiam ejus æquales; ut ad ipſum in obſcuris ac dubiis locis, tamquam ad cæleſte oraculum, miſſis epiſtolis confugerint Simplicianus Mediolanenſis, Paulinus Nolenſis, Evodius Uzalenſis antiſtites: immo ad eumdem Oroſius preſbyter, *ab ultima Hiſpania ſolo ſanctarum Scripturarum ardore inflammatus advenerit.* Hinc Auguſtinum Audax *Oraculum Legis* appellat, aſſeritque Voluſianus *Legi deeſſe, quidquid contigerit* ab eo *ignorari.* Sed illud in primis commendatione dignum, quòd non tantùm privati doctiſſimi quique homines, ſed & ipſa Concilia, ſcilicet *Numidiæ & Carthaginis*, ſanctiſſimo Doctori, tamquam canonico interpreti, ſacras Scripturas exponendi curam & provinciam commiſerint, ut quod jam divinâ providentiâ ipſi creditum fuerat, etiam ſuffragante ac poſtulante Eccleſiâ exſequeretur.

Aug. in epiſt. 169. Epiſt. inter Auguſt. 260. Epiſt. inter Aug. 115. Epiſt. 213.

Ad eam verò ſacrorum Librorum intelligentiam pervenerat Vir ſanctiſſimus in primis vitæ integritate ac puritate. Unde Paulinus ad ipſum: *Lucere non dubito ſanctæ animæ tuæ, quæ de interioris oculi puritate meruit illuminationem Spiritus-ſancti, per quem ſcrutari & inſpicere poſſit alta Dei.* Deinde quæ ipſius erat in ſacram Scripturam religio & reverentia, tantum ejus animo venerationis incuſſerat, ut perpetuò miraretur *profunditatem Eloquiorum* divinorum, & ipſi *horror eſſet intendere in eam.* Unde quemadmodum temerarius Scripturarum ſcrutator opprimitur à gloria: ſic è contrario ejus ſplendore ipſe religioſus admirator totus illuſtrabatur. His acceſſit fervens & indefeſſum Auguſtini in eaſdem Scripturas ſtudium, adeo ut *totus inardeſceret meditari in Lege* Dei, nolletque *in aliud horas diffluere, quas à* vitæ *neceſſitatibus liberas* inveniebat. Ideo cùm ad extremam vitæ periodum perveniſſet, ſucceſſorem ſibi ſubſtitui curavit, quò paſtoralibus curis expeditus, totus in eam meditationem intenderet animum: quaſi non aliam univerſæ Eccleſiæ magis utilem neceſſariamque operam navare poſſet.

Epiſt. inter Aug. 121.

Confeſſ. lib. 11. c. 14.

Confeſſ. lib. 11. c. 2.

Sed huic intelligentiæ cumulum impoſuiſſe videntur ejus caritas & modeſtia. Modeſtiâ quippe modò imperitiam atque inſcitiam ſuam profitetur, modò expoſitiones ſuas timidè pro conjecturis proponit: tum alios ad meliores inveniendas hortatur; & ſi quid ipſe profecerit, non ſuæ ipſius induſtriæ, ſed aliorum meritis & orationibus adſcribit. Denique caritas efficit, ut in varias ſeſe formas componat, & ad res minutiſſimas demittat, qualis eſt numerorum expoſitio, ut ſæculi ſui genio ac ſtudiis ſeſe accommodet. Quæ res tantum abeſt ut minorem de ejus commentariis opinionem generare, quin ex adverſo majorem eis gratiam conciliare debeat, quo magis accedit ad illam ſapientiæ divinæ formam, quæ rudium & imperitorum hominum cauſsâ quodammodo puerascere non erubuit. Non ergo audiendi ſunt quidam minùs religioſi cenſores, qui in ſacris Libris nonniſi grammaticalia ferè elementa penſitantes, in ſanctiſſimo Doctore carpere auſi ſunt humilem interpretandi modum, qui ad regulas artis divinæ totus compoſitus eſt, non ad humanæ illius, quam iſti tam ſtudioſè conſectantur, humanæ eloquentiæ pompam.

Neque quemquam offendere debent allegoriæ, quibus aliquando Vir ſanctus uſus eſt in explanando præcipuè veteri Teſtamento. Hac enim religione in ejuſmodi rebus agere ſolebat, ut illum ceteris expoſitorem præferret, qui *omnia quæ dicta ſunt, ſecundùm litteram acciperet*, dummodo *poſſet evitare blaſphemias*, id eſt indignum Deo ſenſum. Sin minùs, ad allegoricum ſenſum confugiendum eſſe docebat exemplo Apoſtolorum, qui eo ſenſu non ſemel uſi ſunt. Et certè quoniam Scriptura vetus rationem habet hiſtoriæ, prophetiæ atque legis; pro triplici iſta ratione triplex ſenſus à ſacris interpretibus meritò uſurpatus eſt, litteralis qui hiſtoriæ, allegoricus qui prophetiæ, moralis qui legi reſpondet. Itaque etſi ſenſus ille myſticus ad finienda & ſtabilienda Eccleſiæ dogmata ſolus non ſufficiat, niſi in ſacris Litteris contineatur: utiliſſimus tamen eſt, ubi promovendæ Legis perfectioni inſervit, ſcilicet caritati; & ubi ducit ad Chriſtum, qui finis eſt Legis ac caritatis. Duplicem hunc ſcopum, ceu duplicem regulam, ſibi proponit Auguſtinus in commentariis ſuis: unde fit ut nihil ſpirare videantur, niſi Chriſtum; nihil inſpirare, niſi caritatem. Accedit quòd prudenter admodum hunc ſenſum inducit, eumque plurimùm elicit ex litterali; nec ad eum faciliùs confugit etiam in illis libris, quos edidit adverſùs Manichæos (præterquam in primo ſuo ſuper Geneſim opere) tametſi opportuna ejus ſcopo hæc ratio videretur ad explicanda quædam veterum Patrum facta, quibus hæretici illi abutebantur. Sicubi verò Doctor ſapientiſſimus unicum profert allegoricum ſenſum; id facit

De Geneſ cont. Manich. lib. 2. c. 2.

vel quia litteralem ſibi obſcurum ignotumve confitetur: vel quia litteralis ipſe per ſeſe ita dilucidus eſt, ut explicatione non egeat: vel denique quòd aliis in locis eum expoſuerit. Hoc enim pertinet ad prudentiam catholici Doctoris, ut non quavis occaſione litteralem, ne vileſcat, inculcet: ſed aliquando præferat myſticum ac ſpiritalem, ubi auditorum ſtudia & affectus id poſtulare videbuntur; immo etiam ipſa res, cùm ſenſus allegoricus litteralis gerit vicem.

Hîc fortaſſe occurrendum eſſet cenſuræ quorumdam hominum levis auctoritatis, qui verbis inverecundis Auguſtino exprobrare auſi ſunt imperitiam linguarum, ex quarum ignoratione lapſus ſit aliquando, ut mollius reddamus cujuſdam Neoterici dictum; quod atroci & impudenti vocabulo expreſſit. Sed ejuſmodi convicia in auctorem ipſum recidunt, conſtatque apud æquos rerum æſtimatores, Auguſtinum ad intelligentiam novi Teſtamenti ſubſidio Græcæ linguæ, ad quam omnes Latinæ editiones conditæ ſunt, ſatis inſtructum fuiſſe, ut probant variæ Lectiones ex Græcis fontibus deductæ, quas Vir ſanctus in locis dubiis aut mendoſis adhibuit. Fatetur quidem in Confeſſionibus ſuis Vir modeſtiſſimus ſe, cùm puerulus Latinas litteras adamaret, Græcas odiſſe: ſed *jam epiſcopus, jam ſenex*, ait Eraſmus, *ad puero ſibi faſtiditas Græcas litteras reverſus eſt.* Qua in re egregium dedit ſpecimen ſuæ in ſacras Scripturas ſedulitatis & reverentiæ, qui jam ſenex tot negotiis diſtractus, ad elementa Græca deſcendere non gravatus eſt, ut ad ſacrarum litterarum intelligendum textum eſſet inſtructior.

Confeſſ. lib. 1. c. 14.

Quod adtinet ad vetus Teſtamentum, in eo exponendo Vir ſanctus præ oculis habuit verſionem LXX. Interpretum, quæ ſola tunc in auctoritate erat jam inde ab Apoſtolorum temporibus: ſed eam ita ſecutus eſt, ut in nullum inductus ſit grave erratum: tametſi uberiores fortaſſe & locupletiores fuiſſent ipſius commentarii, ſi in Hebraicas litteras penetraſſet. Porrò Græcus contextus LXX. ab eo receptus ille ipſe eſt, quem recenſuit Nobilius; cujus pleræque variantes ex Auguſtino lectiones oriuntur ex editionum vitiis, quæ ſubſidio veterum librorum in hac editione ſuſtulimus. Eam autem interpretationem credimus illam eſſe, quam ipſe *Vſitatam* appellat, Hieronymus *Veterem* & *Vulgatam*, eamdem fortaſſe quam ceteris præfert Auguſtinus, nempe Italam, ab ipſo laudatam in lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 15. tamquam verborum tenaciorem cum perſpicuitate ſententiæ: ſi tamen Italica hæc aliud complectebatur quàm novum Teſtamentum; quod ex Auguſtini verbis non penitus exploratum eſt. Ceterùm in libris Locutionum & Quæſtionum in Heptateuchum, quos compoſuit jam ſenex, verſionem ex Hebræis fontibus proximè derivatam conſulere ſolet, vulgari noſtræ convenientem, forſan quæ auctore Hieronymo prodierat, quam verſione LXX. tandem accuratiorem agnoſcit in lib. 4. de Doctrina Chriſtiana, ſcripto per id tempus, quo retractandis opuſculis ſuis incumbebat. Paulò pòſt, id eſt ſub finem vitæ ſuæ, hanc verſionem adhibuit in condendo Speculo, quod ex Scripturæ centonibus ad uſum vulgi tum meditabatur: ſicque factum eſt, ut hæc in manus populi ab Auguſtino tradita, evaſerit vulgaris ac receptiſſima, verſione LXX. interim quamdam retinente auctoritatem etiam in Eccleſia Romana, ut ſancti Gregorii ad Leandrum Hiſpalenſem ſuper Jobi expoſitionem epiſtola conteſtatur.

Aug. l. 2. de conſenſ. Evang. c. 66. Hieronym. lib. de optimo genere interpret. & in Eccle. 1. 7. &c.

cap. 7.

Denique ſi noſtram in recenſendis iſtis Auguſtini libris operam commemorare juvat; ſummâ cùm ubique curâ & fide, tum maximè ubi in ſacro textu mutandum aliquid vel tantillum fuit, agendum eſſe duximus. Quapropter cùm in nonnullis Scripturæ teſtimoniis varietatem apud Auguſtinum noſtrum deprehendet lector, atque unam eamdemque ſententiam non conſtanter à nobis in integrum ubique, ſed certis quibuſdam in locis reſtitutam; id minimè tribuet negligentiæ aut temeritati, ſed religioni & ſinceræ fidei noſtræ. Nam ea in re ſecuti ſumus veterum codicum fidem, ſicubi quid vel caſtigandum erat, vel retinendum: ne ſi pro arbitrio unam eamdemque ſententiam, quam aliquando corrigendam eſſe docebant melioris notæ codices, in aliis locis diverſam abſque ſuffragio codicum ſimiliter emendaremus, excideret non levis, qui ex variis Auguſtini ſcriptis percipitur fructus, nempe ut ex variantibus ejus lectionibus argumenta deducantur tum ad reſtituendam Bibliorum quæ modò in Eccleſia leguntur integritatem, tum ad eorum auctoritatem ſtabiliendam.

CONTENTA IN TERTIO TOMO,

IN I. PARTE,

De Doctrina Christiana libri IV. pag. 1
De Genesi ad litteram imperfectus liber. 93
De Genesi ad litteram libri XII. 117
Locutionum libri VII. 325
Quæstionum in Heptateuchum libri VII. 379
Annotationum in Iob liber I. 625
Speculum. 681

IN II. PARTE,

De consensu Evangelistarum libri IV. pag. 1
De Sermone Domini in monte libri II. 165
Quæstionum Evangeliorum libri II. 237
Quæstionum septemdecim in Evangelium secundùm Matthæum liber I. 277
In Iohannis Evangelium Tractatus CXXIV. 289
In Epistolam Iohannis ad Parthos Tractatus X. 825
Expositio quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos, liber I. 903
Epistolæ ad Romanos inchoata Expositio, liber I. 929
Expositio Epistolæ ad Galatas, liber I. 941

IN APPENDICE,

De Mirabilibus sacræ Scripturæ libri III. pag. 1
De Benedictionibus Jacob Patriarchæ. 31
Quæstiones Veteris & Novi Testamenti. 41
Quæstiones Veteris & Novi Testamenti post-vulgatæ. 143
In B. Iohannis Apocalypsim Expositio. 159

ERRATA

In Textu.

Pag. 106 *linea* 19. papuli, *lege* pabuli.
176. *l.* 65. dispicitur, *leg.* despicitur.
201. *l.* 39. mulierem, *leg.* mulierem.
348. *l.* 6. vespâ, ranâ, locustâ, *leg.* vespa, rana, locusta.
349. *l.* 52. singlari, *leg.* singulari.
376. *l.* 15. ex Hebræo Septuaginta, *pondo. leg.* ex Hebræo, *septuaginta pondo.*
384. *l.* 28. qua, *leg.* quia.
392. *l.* 17. teneus, *leg.* tenens.
422. liber secndus, *leg.* secundus.
492. *l.* 47. invisitata, *leg.* inusitata.
794. *l.* 31. amaturam, *leg.* armaturam.

In Notis.

Pag. 251. *Not. a.* Negarionem, *leg.* Negationem.
703. *Not. a.* veniebat aliud hîc proximè allatum testimonium, *leg.* veniebant alia hîc subjecta testimonia, nisi quòd LXX. istud efferunt.

In Margine.

Pag. 319. visonis, alia, *dele.*
703. *juxta* 28. *lineam scribe*, Prov. 24. 20.

Præterea consule Syllabum in voluminis fine pag. 819.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre à nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, grand Conseil, Baillifs, Seneschaux, Prevosts ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Justiciers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre cher & bien amé le Superieur general de la Congregation de saint Maur, Ordre de saint Benoist, nous a fait tres-humblement remonstrer que saint Augustin estant consideré depuis plus de douze siecles entre les Peres de l'Eglise comme le soleil entre les planetes, & sa doctrine suivie tant par les Conciles, que par ceux qui ont depuis écrit, soit pour combattre les heresies, restablir la discipline ecclesiastique, ou pour conserver la pureté des mœurs, plusieurs grands personnages ont porté leurs soins pour purger les œuvres de ce saint Docteur des fautes que la negligence de ceux qui les ont transcrites ou imprimées, y ont fait glisser, & entre tous, les Religieux Benedictins ont esté les plus attachez à en faire exactement les corrections, parce qu'il n'y a point de monastere de leur ordre où il ne se trouve des ouvrages de ce Saint, si ce n'est en ceux qui ont esté entierement pillez & ruinez. Ce qui a servy de motif..... aux Superieurs & Religieux de ladite Congregation de saint Maur pour entreprendre une nouvelle edition des œuvres de saint Augustin..... De sorte que ladite correction estant beaucoup avancée, lesdits Religieux se sont enfin resolus de la continuer pour le bien de l'Eglise & l'honneur de la France. Mais craignant que d'autres n'entreprennent de reimprimer lesdites œuvres de saint Augustin sur les anciennes copies, comme ils en son menacez, ce qui rendroit aprés de grands frais leurs peines inutiles : dautant qu'encore que l'edition pretenduë faite sur lesdits manuscrits doive estre la plus ample & la plus parfaite qui aye paru jusques à present; neanmoins on pourroit rechercher celle qui se debiteroit à meilleur compte ; ledit Superieur nous auroit tres-humblement supplié luy vouloir accorder nos lettres de privilege à ce necessaires. A CES CAUSES, le desirant favorablement traiter, Nous luy avons permis & permettons par ces presentes de faire imprimer par tout nostre Royaume, pays, terres, & seigneuries de nostre obeïssance, en telle marge, tels caracteres & forme de volumes qu'il jugera à propos, lesdites œuvres de saint Augustin, par tels Imprimeurs ou Libraires qu'il aura choisis, & ce durant le temps & espace de cinquante ans, à compter du jour qu'elles seront achevées d'imprimer pour la premiere fois en vertu des presentes ; faisant tres-expresses inhibitions & defenses à toutes personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, autres que celles qu'il aura choisies, de faire imprimer, vendre & debiter en aucun endroit de ce Royaume lesdites œuvres, sous quelque pretexte que ce soit, d'en apporter ou garder aucun exemplaire de ceux qui pourroient avoir esté contrefaits aux pays estrangers, & mesme de reimprimer lesdites œuvres sur les anciennes copies, nonobstant le reglement du 27. Février 1665. à ce contraire, auquel nous avons derogé pour ce regard ; Et ce à peine de dix mil livres d'amende payable sans deport par chacun des contrevenans, applicable un tiers à l'Hostel Dieu de nostre bonne ville de Paris, un tiers audit exposant, & un tiers au denonciateur, confiscation des exemplaires, de tous despens, dommages & interests, mesmes aux peines portées par l'Arrest du Parlement du 26. Fevrier 1671. donné sur les conclusions de nostre Procureur General, & publié en la chambre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs ; à condition aussi qu'il en sera mis deux exemplaires en nostre Bibliotheque publique avant qu'en exposer aucuns en vente, à peine de nullité des presentes, du contenu desquelles Nous vous mandons que vous fassiez jouyr pleinement & paisiblement ledit Superieur General exposant, & tous ceux qui auront droit de luy, sans permettre qu'il leur soit fait aucun trouble ny empeschement. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin desdites œuvres copie ou extrait des presentes, elles soient tenuës pour bien & deuëment signifiées, & que foy soit ajoutée aux copies d'icelles collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'original. Mandons au premier Huissier ou Sergent sur ce requis de faire pour l'execution des presentes tous actes necessaires, sans demander aucune autre permission. Car tel est nostre plaisir. Nonobstant oppositions ou appellations quelconques, & sans prejudice d'icelles ; dont, si aucunes interviennent, Nous nous reservons la connoissance & à nostre Conseil, l'interdisant à toutes nos Cours & Juges, nonobstant aussi clameur de Haro, chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. Donné à saint Germain en Laye le vingt-deuxiéme jour de Fevrier l'an de grace mil six cens soixante-douze, & de nostre regne le vingt-neuviéme. *Signé* Par le Roy en son Conseil, BERAUD. Et scellé du grand seau de cire jaune.

Et ledit Superieur General de la Congregation de saint Maur de l'ordre de saint Benoist a cedé & transporté au sieur François Muguet Marchand Libraire Imprimeur ordinaire du Roy & de M. l'Archevesque de Paris le present Privilege, pour en jouir, ou faire jouir pendant le temps porté par iceluy, suivant les conditions & accord faits avec luy ce sixiéme de Mars mil six cens soixante dix-sept.

Signé F. VINCENT MARIOLLE.

Registré sur le livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le treize Mars mil six cens soixante dix-sept, suivant l'Arrest du Parlement des 8. Avril 1653. & celuy du Conseil Privé du Roy du 27. Février 1665.

Extrait des Registres du Conseil d'Estat.

SUR la requeste presentée au Roy estant en son Conseil par François Muguet son Libraire & Imprimeur ordinaire, contenant que par Lettres patentes données à saint Germain le vingt-deuxiéme jour de Fevrier mil six cens soixante-douze, sur ce qu'il auroit esté exposé à sa Majesté que les Religieux Benedictins de la Congregation de saint Maur auroient pris un tres-grand soin de corriger les Ouvrages de saint Augustin sur plus de douze cens anciens Manuscrits, & qu'ils desireroient en donner au public une nouvelle Edition bien correcte, s'il plaisoit à sa Majesté de leur accorder ses Lettres de Privilege à ce necessaires, Elle auroit permis au Pere General de ladite Congregation de faire imprimer lesdites Oeuvres de saint Augustin par tels Imprimeurs & Libraires qu'il luy plairoit choisir, avec défenses à tous autres de les reimprimer sur les anciennes copies, nonobstant le Reglement du vingt-septiéme Fevrier mil six cens soixante-cinq à ce contraire, auquel sa Majesté a dérogé pour ce regard. Et depuis ledit General ayant cedé ledit Privilege audit Muguet pour en joüir suivant sa forme & teneur pendant le temps porté par iceluy, comme l'entreprise est d'une grande dépense, sa Majesté par ses Lettres patentes données au Camp devant Cambray le vingt-deuxiéme jour de Mars mil six cens soixante-dix-sept, y ayant égard, & pour luy donner le moyen de fournir plus facilement à cette dépense, l'auroit gratifié de la continuation des Privileges à luy cy-devant accordez ou cedez pour l'impression de plusieurs Livres mentionnez dans lesdites Lettres patentes dudit jour vingt deuxiéme Mars mil six cens soixante-dix-sept, pour en joüir par ledit Muguet, ses hoirs, & ayans cause, pendant le temps & espace de cinquante années, à compter du jour que chacun desdits Privileges qui luy ont esté accordez ou cedez seront expirez, avec défenses à tous autres de les reimprimer sur les anciennes copies, nonobstant ledit Reglement du vingt-septiéme jour de Fevrier mil six cens soixante-cinq, auquel sa Majesté a pareillement dérogé pour ce regard. Au prejudice desquelles Lettres, Privileges & dérogatoires dudit Reglement, les Imprimeurs de Lyon ont fait assigner ledit Muguet au Conseil de sa Majesté pour voir casser lesdits Privileges comme contraires audit Reglement, voulant par là le frustrer des graces que sa Majesté luy a faites en consideration des bons Livres qui sont partis de son Imprimerie & de la particuliere application qu'il donne aux choses qui sont de sa profession & pour luy donner, comme dit est, le moyen de fournir plus facilement à la grande dépense qu'il luy convient de faire pour l'impression desdits Ouvrages de saint Augustin. A CES CAUSES, requeroit qu'il pleut à sa Majesté faire défenses ausdits Imprimeurs de Lyon & à tous autres de le troubler dans la joüissance des graces qu'il a pleu à sa Majesté de luy faire, & en consequence leur prohiber la reimpression sur les anciennes copies desdits Ouvrages de S. Augustin ; & des autres mentionnez audit Privilege de continuation, sur telle peine qu'il plairoit à sa Majesté ordonner. Veu ladite Requeste signée du Suppliant, & tout consideré. LE ROY ESTANT EN SON CONSEIL, a ordonné & ordonne que lesdites Lettres patentes des vingt-deuxiéme Fevrier mil six cens soixante-douze, & vingt-deuxiéme Mars mil six cens soixante-dix-sept sortiront leur plein & entier effet. Fait sa Majesté défenses ausdits Imprimeurs de Lyon & à tous autres d'y troubler ledit Muguet, à peine de dix mille livres d'amende, & de tous dépens, dommages & interests. Et sera le present Arrest executé nonobstant oppositions ou appellations quelconques, dont si aucunes interviennent, sa Majesté s'est reservé la connoissance & à son Conseil, & icelle défenduë à toutes ses Cours & Juges. Fait au Conseil d'Estat du Roy, sa Majesté y estant, tenu à Versailles le vingt-uniéme jour du mois de Novembre mil six cens soixante-dix-huit. Signé, COLBERT. *Et scellé.* Collationné.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le douziéme Decembre mil six cens soixante-dix-huit. Signé, COUTEROT, Syndic.

ADMONITIO

IN LIBROS DE DOCTRINA CHRISTIANA.

EXEGETICIS opusculis, quæ Tomus hic tertius complectitur, præfigendos curavimus libros de Doctrina Christiana, *quorum videlicet argumentum eò pertinet, ut ad sacrarum Scripturarum intelligentiam & tractationem necessariis quibusdam documentis & præceptis imbuamur. Opus pro rei dignitate studiosè elaboratum, nec profectò indignum, cui locus in Bibliorum limine cum Hieronymianis præfationibus concedatur. Id susceptum non ita pridem episcopatu, sicuti ex Retractationum serie intelligimus, id est, sub Christi annum trecentesimum-nonagesimum-septimum inchoaverat Augustinus, & cùm ad eam dumtaxat libri tertii partem, cui numerica nota 36. nunc præfigitur, perduxisset, impedire non potuit quo minùs continuò prodiret in publicum: quando quidem in libris contra Faustum, circiter annum quadringentesimum conscriptis, locum ex eo quemdam de Ægyptiis per Hebræos Dei jussu exspoliatis commemorat in hæc verba:*

Lib. 22. cont. Faust. c. 91. Quid præfiguraverit, jam in quibusdam libris, quos de Doctrina Christiana prænotavi, quantum mihi tunc occurrit, me recolo posuisse. *Postmodum verò recognoscens opuscula sua, cùm imperfectum illud comperisset, priùs absolvere voluit, quàm ad alia retractanda gradum faceret: tuncque non modò librum tertium complevit, sed etiam quartum adjecit, anno à sua in Mauritaniam Cæsareensem profectione circiter octavo, id est Christi 426. aut 427. quemadmodum hic ad ejusdem 4. libri caput 24. observamus.*

Librorum autem argumenta hæc sunt. In primo quidem libro facta operis partitione, suscipitur tractatio de rebus: quibus explicatis, docetur Legis & omnium divinarum Scripturarum plenitudinem ac finem esse dilectionem rei qua fruendum est, & rei quæ nobiscum ea re frui potest, id est Dei & proximi.

In 2. libro de signis verbisque Scripturæ sacræ disputatur. Quoniam verò hujus sensus plerumque aut præsignorum ignorantia, aut præ eorum ambiguitate non percipitur; ideo prolato in primis divinorum librorum canone, declarare pergit Augustinus, quarumnam potissimùm linguarum peritia, quænamve disciplinæ ac scientiæ conferant ad illam signorum ignorantiam removendam. Vbi data occasione de repudiandis superstitiosis artibus agit. Quemadmodum etiam animo comparatus is esse debeat, qui operam studio Scripturarum navaturus sit, declarat sub initium & ad finem libri.

In 3. libro transit S. Doctor ad consideratione ambiguitatis, quæ cùm in propriis, tum in translatis signis occurrere potest: discutit sedulò quibus ex fontibus oriatur istæc ambiguitas, quave ratione possit auferri. Hinc tradit regulas, quibus dignoscatur an locutio figurata sit; & si quidem figurata, quo pacto debeat explicari. Tum ipsius Tichonii septem Regulas singulatim expendit.

Hactenus de investigando Scripturæ sensu. Iam autem in 4. libro tractat de disserendo, ibique partes & officia Christiani Oratoris persequitur; cui sacrarum litterarum auctores & doctores ecclesiasticos imitandos proponit, ex eorum scriptis sanæ eloquentiæ exempla in vario dicendi genere subjiciens. Postremò ipsum Ecclesiasten hortatur, ut in primis orationi det operam; & quod verbis docet alios, id omnino vitâ & moribus exhibeat.

Hocipsum opus olim Angilbertus Corbeiæ Abbas in usum Ludovici Francorum Regis, fratris Carolomani, describi curavit, uti contestantur versus in Corbeiensis codicis fronte præfixi, in quibus hi præter alios leguntur:

Hunc Abbas humilis jussit fabricare libellum
Angilbertus enim vilis & exiguus:
Quem daret ille pio cælesti numine fulto
Hlodoïco Regi, qui est pius atque humilis.

LIBRI II. RETRACT. CAPUT IV.

LIBROS *De Doctrina Christiana*, cùm imperfectos comperissem, perficere malui, quàm eis sic relictis ad alia retractanda transire. Complevi ergo tertium, qui scriptus fuerat usque ad eum locum * ubi commemoratum est ex Evangelio testimonium de muliere, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum. Addidi etiam novissimum librum, & quatuor libris opus illud implevi: quorum primi tres adjuvant ut Scripturæ intelligantur, quartus autem quomodo quæ intelligimus proferenda sint.

* *cap. 25. Luc. 13. 21.*

cap. 8. 2. In secundo sanè libro de auctore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quòd etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Jesus Sirach scripserit, non ita constare, sicut à me dictum est, postea didici, & omnino probabiliùs comperi non esse hunc ejus libri auctorem. Ubi autem dixi, *Hic* XLIV. *libris Testamenti veteris terminatur auctoritas*, ex consuetudine qua jam loquitur Ecclesia, vetus Testamentum appellavi: Apostolus autem non videtur appellare vetus Testamentum, nisi quod datum est in monte Sina. Et in eo quod dixi, *de temporum historia sanctum Ambrosium solvisse quæstionem*, tamquam coætanei fuerint Plato & Jeremias, me fefellit memoria. Nam quid ille de hac re episcopus dixerit, in libro ejus legitur, quem de sacramentis sive de philosophia scripsit. Hoc opus sic incipit: *Sunt præcepta quædam.*

Gal. 4. 24.

cap. 28.



SANCTI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE DOCTRINA CHRISTIANA

LIBRI QUATUOR.*

* Inchoati circiter Christi annum 397. absoluti sub an. 426.

PROLOGVS.

Doctrinam de Scriptura tractanda haud superfluò tradi.

SUNT præcepta quædam tractandarum Scripturarum, quæ studiosis earum video non incommodè posse tradi; ut non solùm legendo alios qui divinarum litterarum operta aperuerunt, sed & aliis ipsi aperiendo proficiant. Hæc tradere institui volentibus & valentibus discere, si Deus ac Dominus noster ea, quæ de hac re cogitanti solet suggerere, etiam scribenti mihi non deneget. Quod antequam exordiar, videtur mihi respondendum esse his qui hæc reprehensuri sunt, aut reprehensuri essent, si eos non antè placaremus. Quòd si nonnulli etiam post ista reprehenderint, saltem alios non movebunt, nec ab utili studio ad imperitiæ pigritiam revocabunt, quos movere possent, nisi præmunitos præparatosque invenirent.

2. Quidam enim reprehensuri sunt hoc opus nostrum, cùm ea quæ præcepturi sumus non intellexerint. Quidam verò cùm intellectis uti voluerint, conatique fuerint Scripturas divinas secundùm hæc præcepta tractare, neque valuerint aperire atque explicare quod cupiunt, inaniter me laborasse arbitrabuntur; & quia ipsi non adjuvabuntur hoc opere, nullum adjuvari posse censebunt. Tertium genus est reprehensorum, qui divinas Scripturas vel re vera bene tractant, vel bene tractare sibi videntur: qui quoniam nullis hujusmodi observationibus lectis, quales nunc tradere institui, facultatem exponendorum sanctorum librorum se assecutos vel vident, vel putant, nemini esse ista præcepta necessaria, sed potiùs totum quod de illarum litterarum obscuritatibus laudabiliter aperitur, divino munere fieri posse clamitabunt.

3. Quibus omnibus breviter respondens, Illis qui hæc quæ scribimus non intelligunt, hoc dico, me ita non esse reprehendendum, quia hæc non intelligunt; tamquam si lunam veterem vel novam sidusve aliquod minimè clarum vellent videre, quod ego intento digito demonstrarem, illis autem nec ad ipsum digitum meum videndum sufficiens esset acies oculorum; non propterea mihi succensere deberent. Illi verò qui etiam istis præceptis cognitis atque perceptis, ea quæ in divinis Scripturis obscura sunt intueri nequiverint, arbitrentur se digitum quidem meum videre posse, sidera verò quibus demonstrandis intenditur, videre non posse. Et illi ergo, & isti me reprehendere desinant, & lumen oculorum divinitus sibi præberi deprecentur. Non enim si possum membrum meum ad ali-

quid demonstrandum movere, possum etiam oculos accendere, quibus vel ipsa demonstratio mea vel etiam illud quod volo demonstrare cernatur.

4. Jam verò eorum qui divino munere exsultant, & sine talibus præceptis, qualia nunc tradere institui, se sanctos libros intelligere atque tractare gloriantur, & propterea superflua voluisse me scribere existimant, sic est lenienda commotio, ut quamvis magno Dei dono jure lætentur, recordentur se tamen per homines didicisse vel litteras; nec propterea sibi ab Antonio sancto & perfecto viro Ægyptio monacho insultari debere, qui sine ulla scientia litterarum Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur; aut ab illo servo [a] Barbaro Christiano, de quo à gravissimis fideque dignissimis viris nuper accepimus, qui litteras quoque ipsas nullo docente homine, in plenam notitiam orando ut sibi revelarentur, accepit, triduanis precibus impetrans ut etiam codicem oblatum, stupentibus qui aderant, legendo percurreret.

5. [b] Aut si hæc quisque falsa esse arbitratur, non ago pugnaciter. Certè enim quoniam cum Christianis nobis res est, qui se Scripturas sanctas sine duce homine gaudent nosse, & si ita est, vero & non mediocri gaudent bono; concedant necesse est unumquemque nostrûm & ab ineunte pueritia consuetudine audiendi linguam suam didicisse, & aliam aliquam vel græcam vel hebræam vel quamlibet ceterarum, aut similiter audiendo, aut per hominem præceptorem accepisse. Jam ergo si placet, moneamus omnes fratres, ne parvulos suos ista doceant, quia momento uno temporis adveniente Spiritu-sancto, repleti Apostoli omnium gentium linguis locuti sunt; aut cui talia non provenerint, non se arbitretur esse Christianum, aut Spiritum-sanctum accepisse se dubitet. Immo verò & quod per hominem discendum est, sine superbia discat; & per quem docetur alius, sine superbia & sine invidia tradat quod accepit: neque tentemus eum cui credidimus, ne talibus Inimici versutiis & perversitate decepti, ad ipsum quoque audiendum Evangelium atque discendum nolimus ire in ecclesias, aut codicem legere, aut legentem prædicantemque hominem audire, & exspectemus rapi usque in tertium cælum, sive in corpore, sive extra corpus, sicut dicit Apostolus, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, aut ibi videre Dominum Jesum Christum, & ab illo potiùs quàm ab hominibus audire Evangelium. *2. Cor. 12. 2.*

6. Caveamus tales tentationes superbissimas & periculosissimas, magisque cogitemus & ipsum apostolum Paulum, licèt divina & cælesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesiæ: & centurionem Cornelium quamvis exauditas orationes ejus, eleemosynasque respectas ei Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solùm sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret. Et poterant utique omnia per Angelum fieri, sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus Deus verbum suum ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset, quod dictum est, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos,* si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod discendum hominibus tradi vellet, de cælo atque per Angelos personaret? Deinde ipsa caritas, quæ sibi invicem homines nodo unitatis adstringit, non haberet aditum refundendorum & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent. *Act. 8. 31.* *1. Cor. 3. 17.*

7. Et certè spadonem illum qui Isaiam prophetam legens non intelligebat, neque ad Angelum Apostolus misit, nec ei per Angelum id quod non intelligebat expositum, aut divinitus in mente sine hominis ministerio revelatum est; sed potiùs suggestione divina missus est ad eum, seditque cum eo Philippus, qui noverat Isaiam prophetam, eique humanis verbis & linguâ quod in Scriptura illa tectum erat, aperuit. Nonne cum Moyse Deus loquebatur, & tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi à socero suo, alienigena scilicet homine, & maximè providus & minimè superbus accepit? Noverat enim ille vir ex quacumque anima verum consilium processisse, non ei, sed illi qui est veritas, incommutabili Deo tribuendum esse. *Exodi 18. 29.*

8. Postremò quisquis se nullis præceptis instructum divino munere quæcumque in Scripturis obscura sunt intelligere gloriatur, bene quidem credit, & verum est non esse illam suam facultatem quasi à seipso exsistentem, sed divinitus traditam: ita enim Dei gloriam quærit & non suam. Sed cùm legit, & nullo sibi hominum exponente intelligit, cur ipse aliis affectat exponere, ac non potiùs eos remittit Deo, ut ipsi quoque non per hominem, sed illo intus docente intelligant? Sed videlicet timet ne audiat à Domino, *Serve nequam, dares pecuniam meam nummularis.* Sicut ergo hi ea quæ intelligunt, produnt ceteris vel loquendo vel scribendo; ita ego quoque si non solùm ea quæ [c] intelligant, sed etiam intelligendo ea quæ observent prodidero, culpari ab eis profecto non debeo: quamquam nemo debet aliquid sic habere quasi suum proprium, nisi fortè mendacium. Nam omne verum ab illo est, qui ait, *Ego sum veritas.* Quid enim habemus quod non accepimus? Quòd si accepimus, quid gloriamur quasi non acceperimus? *Matth. 25. 27.* *Johan. 14. 6.* *1. Cor. 4. 7.*

9. Qui legit audientibus litteras, utique quas agnoscit enuntiat; qui autem ipsas litteras tradit, hoc agit ut alij quoque legere noverint; uterque tamen id insinuat quod accepit. Sic etiam qui ea quæ in Scripturis intelligit, exponit audientibus, tamquam litteras quas agnoscit pronuntiat lectoris officio: qui autem præcipit quomodo intelligendum sit, similis est tradenti litteras, hoc est præcipienti quomodo sit legendum, ut quomodo ille qui legere novit, alio lectore non indiget, cùm codicem invenerit, à quo audiat quid ibi scriptum sit; sic iste qui præcepta quæ conamur tradere acceperit, cùm in libris aliquid obscuritatis invenerit, quasdam regulas veluti litteras tenens intellectorem alium non requirat, per quem sibi quod apertum est retegatur; sed quibusdam vestigiis indagatis ad occultum sensum sine ullo errore ipse perveniat, aut cerrè in absurditatem pravæ sententiæ non incidat. Quapropter quamquam & in ipso opere satis apparere possit, huic officioso labori nostro

[a] MSS. è Vaticanis duo, *Barbarico Macario*, quod servi illius nomen in aliis codicibus & apud Cassiodorum Senatorem, qui id miraculi profert in præfatione ad Institution. libros, frustra quæsivimus.

[b] Sic MSS. Editi verò, *At si hæc* &c.

[c] MSS. viginti tres, *intelligo*.

non rectè aliquem contradicere, tamen si hujusmodi procœmio quibuslibet obsistentibus convenienter videtur esse responsum, hujus viæ quàm in hoc libro ingredi volumus, tale nobis occurrit exordium.

LIBER PRIMUS.

Principio fit partitio totius operis, quò Scripturarum studiosus cùm ad earum investigandum sensum, tum ad edisserendum instituatur. Mox observata eorum de quibus doctrina tradenda est distinctione in res & signa, suscipitur in hocce priore libro tractatio de rebus. Res porrò alias esse quibus frui, alias quibus nonnisi uti nobis liceat: & quidem Deo soli fruitione inhærendum esse, eóque nos ipsius incarnatione Verbi & rebus ab ipso temporaliter gestis, atque traditis Ecclesiæ clavibus promoveri: inter eas verò res quæ in usum veniunt, nonnullas esse quibus dilectio jure impenditur, sed in Deum relata. Quibus explicatis docetur totius Scripturæ sacræ plenitudinem & finem esse geminam caritatem, Dei propter seipsum ac proximi propter Deum.

CAPUT I. Inventione & enuntiatione nititur Scripturæ tractatio; quæ cum Dei auxilio suscipienda.

1. DUÆ sunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum, modus inveniendi quæ intelligenda sunt, & modus proferendi quæ intellecta sunt. De inveniendo priùs, de proferendo postea disseremus. Magnum [a] opus & arduum, & si ad sustinendum difficile, vereor ne ad suscipiendum temerarium. Ita sanè si de nobisipsis præsumeremus: nunc verò cùm in illo sit spes peragendi hujus operis, à quo nobis in cogitatione multa de hac re jam tradita tenemus, non est metuendum ne dare desinat cetera, cùm ea quæ data sunt cœperimus impendere. OMNIS ENIM RES quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur quomodo habenda est. Ille autem ait, *Qui habet, dabitur ei.* Dabit ergo habentibus, id est cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit. Illi quinque & illi septem erant panes, antequam inciperent dari esurientibus; quod ubi fieri cœpit, cophinos & sportas satiatis tot hominum millibus impleverunt. Sicut ergo ille panis dum frangeretur accrevit, sic ea quæ ad hoc opus aggrediendum jam dominus præbuit, cùm dispensari cœperint, eo ipso suggerente multiplicabuntur, ut in ipso hoc nostro ministerio, non solùm nullam patiamur inopiam, sed de mirabili etiam abundantia gaudeamus. *Matt. 13. 12.* *Matt. 14. 17.* *Matt. 15. 34.*

CAPUT II. Quid res, quid signa.

2. OMNIS doctrina vel rerum est vel signorum, sed res per signa discuntur. Propriè autem nunc res appellavi, quæ non ad significandum aliquid adhibentur, sicuti est lignum, lapis, pecus, atque hujusmodi cetera. Sed non illud lignum, quod in aquas amaras Moysen misisse legimus, ut amaritudine carerent; neque ille lapis, quem Jacob sibi ad caput posuerat; neque illud pecus, quod pro filio immolavit Abraham. Hæ namque ita res sunt ut aliarum etiam signa sint rerum. Sunt autem alia signa, quorum omnis usus in significando est, sicuti sunt verba. Nemo enim utitur verbis nisi aliquid significandi gratiâ. Ex quo intelligitur quid appellem signa, res eas videlicet quæ ad significandum aliquid adhibentur. Quamobrem omne signum etiam res aliqua est; quod enim nulla res est, omnino nihil est: non autem omnis res etiam signum est. Et ideo in hac divisione rerum atque signorum, cùm de rebus loquemur, ita loquemur ut etiam si earum aliquæ adhiberi ad significandum possint, non impediant partitionem, qua priùs de rebus, postea de signis disseremus; memoriterque teneamus id nunc in rebus considerandum esse quod sunt, non quod aliud etiam præter seipsas significant. *Exod. 15. 25.* *Genes. 28. 11.* *Genes. 22. 13.*

CAPUT III. Rerum divisio. *1. Sent. dist. 1. cap. Id ergo.*

3. RES ergo aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum, aliæ quæ fruuntur & utuntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quasi adminiculamur, ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhærere possimus. Nos verò qui fruimur & utimur, inter utrasque constituti, si eis quibus utendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus quibus fruendum est obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti.

CAPUT IV. Frui & uti, quid sit.

4. FRUI enim est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus, abusus potiùs vel abusio nominandus est. Quomodo ergo si essemus peregrini, qui beatè vivere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione utique miseri & miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset ut ad patriam, qua fruendum erat, pervenire valeremus; quòd si amœnitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, & conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus citò viam finire, & perversa suavitate implicati alienaremur à patria, cujus suavitas faceret beatos: sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est hoc mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, hoc est ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna & spiritalia capiamus.

CAPUT V. Deus Trinitas, res qua fruendum.

5. RES igitur quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus-sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus eâ; si tamen res & non rerum omnium causa sit, si tamen & caussa. Non enim facilè nomen quod tantæ excellentiæ conveniat potest inveniri, nisi quod meliùs ita dicitur Trinitas hæc, unus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ita Pater & Filius & Spiritus-sanctus, & singulus quisque horum Deus, & simul omnes unus Deus; & singulus quisque horum plena substantia, & simul omnes una substantia. Pater nec Filius est nec Spiritus-sanctus, Filius nec Pater est nec Spiritus- *Rom. 11. 36.*

[a] Am. Er & MSS. ovinque, *omnes*.

sanctus, Spiritus-sanctus nec Pater est nec Filius; sed Pater tantùm Pater, & Filius tantùm Filius, & Spiritus-sanctus tantùm Spiritus-sanctus. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas, eadem potestas. In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu-sancto unitatis æqualitatisque concordia: & tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum-sanctum.

CAPUT VI. Deus ineffabilis, quomodo.

6. DIXIMUSNE aliquid & sonuimus aliquid dignum Deo? Immo verò nihil me aliud quàm dicere voluisse sentio: si autem dixi, non hoc est quod dicere volui. Hoc unde scio, nisi quia Deus ineffabilis est; quod autem à me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset? Ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc cùm dicitur, aliquid dicitur. Et fit nescio quæ pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborum silentio cavenda potiùs quàm voce pacanda est. Et tamen Deus, cùm de illo nihil dignè dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est & quod dicitur Deus. Non enim re vera in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur: sed tamen omnes latinæ linguæ [a] scios, cùm aures eorum sonus iste tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalemque naturam.

CAPUT VII. Deum omnes intelligunt id quo nihil melius.

7. NAM cùm ille unus cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios & suspicantur & vocant & colunt deos sive in cælo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius illa cogitatio conetur adtingere. Sanè quoniam diversis moventur bonis, partim eis quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent; illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cælum, aut quod in cælo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum, Deum deorum esse arbitrantur: aut si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel eâ formâ, quæ optima videtur, inani suspicione constituunt, aut humani corporis figuram cogitant, [b] si eam ceteris anteponunt. Quòd si unum Deum deorum esse non putant, & potiùs multos aut innumerabiles æqualis ordinis deos; etiam eos tamen prout cuique aliquid corporis videtur excellere, ita figuratos animo tenent. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus & corporalibus, intelligibilibus etiam & spiritalibus omnibus mutabilibus præferunt. Omnes tamen certatim pro excellentia Dei dimicant; nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt.

CAPUT VIII. Deus cùm sit sapientia incommutabilis rebus omnibus anteponendus.

8. ET quoniam omnes qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda & indigna existimare de Deo, qui vitam ipsam cogitant, & quæcumque illis forma occurrerit corporis, eam vitâ vivere vel non vivere statuunt, & viventem non viventi anteponunt; eamque ipsam viventem corporis formam, quantalibet luce præfulgeat, quantalibet magnitudine præmineat, quantalibet pulcritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam qua vegetatur intelligunt, eamque illi moli quæ ab illa vegetatur & animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, & si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, præponunt ei sentientem, qualis est pecorum; & huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam cùm adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem conguntur præponere, illam scilicet vitam quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potiùs ipsa Sapientia. Sapiens enim mens, id est adepta Sapientiam, antequam adipisceretur non erat sapiens: at verò ipsa Sapientia, nec fuit umquam insipiens, nec esse umquam potest. Quam si non viderent, nullo modo plenâ fiduciâ vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitæ anteponerent. Ipsam [c] quippe regulam veritatis, qua illam clamant esse meliorem, incommutabilem vident; nec uspiam nisi supra suam naturam vident, quandoquidem se videntur mutabiles.

CAPUT IX. Sapientiâ immutabilem mutabili præferendam esse omnes norunt.

9. NEMO est enim tam [d] impudenter insulsus qui dicat, Unde scis incommutabiliter sapientem vitam mutabili esse præferendam? Idipsum enim quod interrogat, unde sciam, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter præsto est. Et hoc qui non videt, ita est quasi cæcus in sole, cui nihil prodest ipsis locis oculorum ejus tam claræ ac præsentis lucis fulgor infusus. Qui autem videt & refugit, consuetudine umbrarum carnalium invalidam mentis aciem gerit. Pravorum igitur morum quasi contrariis flatibus ab ipsa patria repercutiuntur homines, posteriora atque inferiora sectantes quàm illud quod esse melius atque præstantius confitentur.

CAPUT X. Ad videndum Deum purgandus animus.

10. QUAPROPTER cùm illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter vivit, & in ea Trinitas Deus, auctor & conditor universitatis, rebus quas condidit consulat, purgandus est animus, ut & perspicere illam lucem valeat, & inhærere [e] perspectæ. Quam purgationem quasi ambulationem quamdam, & quasi navigationem ad patriam esse arbitremur. Non enim ad eum qui ubique præsens est, locis movemur, sed bono studio bonisque moribus.

CAPUT XI. Purgandi animi exemplum Sapientia incarnata.

11. QUOD non possemus, nisi ipsa Sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, & vivendi nobis præberet exemplum, non aliter quàm in homine, quoniam & nos homines sumus. Sed quia nos cùm ad illam venimus, sapienter facimus; ipsa cùm ad nos venit, ab hominibus superbis quasi stultè fecisse putata est. Et quoniam nos cùm ad illam venimus, convalescimus; ipsa cùm ad nos venit, quasi infirma existimata est. Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Cùm ergo ipsa sit patria, viam se quoque nobis fecit ad patriam. * Et cùm sano & puro interiori oculo ubique sit præsens, eorum qui oculum illum infirmum immundumque habent, oculis etiam carneis apparere dignata est. Quia enim in Sapientia Dei non poterat mundus per Sapientiam cognoscere Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

1. Cor. 1. 25. * CAPUT XII. 1. Cor. 1. 21.

12. Non igitur per locorum spatia veniendo, Quomodo

[a] Apud Am. Er. & MSS. septemdecim, *socios*.
[b] Editi, *sic eam*. At MSS. propè omnes, *si eam*.
[c] Ita in MSS. plerisque, ubi in editis habetur, *Ipsam quoque*.
[d] In excusis, *tam imprudenter*. In MSS. tredecim, *tam impudenter*.
[e] Editi, *inhærere perfectæ*. Elegantiùs MSS. *perspectæ*.

Sapientia Dei ad nos venit.

sed in carne mortali mortalibus apparendo, venisse ad nos dicitur. Illuc ergo venit ubi erat, quia in hoc mundo erat, & mundus per eam factus est. Sed quoniam cupiditate fruendi pro ipso Creatore creatura, homines configurati huic mundo, & mundi nomine congruentissimè vocati, non eam cognoverunt, propterea dixit Evangelista, *Et mundus eum non cognovit*. Itaque in Sapientia Dei non poterat mundus per Sapientiam cognoscere Deum. Cur ergo venit cùm hìc esset, nisi quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes? * Quomodo venit, nisi quòd Verbum caro factum est, & habitavit in nobis? Sicuti cùm loquimur, ut id quod animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus verbum quod corde gestamus, & locutio vocatur; nec tamen in eumdem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra, formam vocis qua se insinuet auribus, sine aliqua labe [a] suæ mutationis adsumit: ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum est, ut habitaret in nobis.

Joham. 1. 10. * CAPUT XIII. a

CAPUT XIV. Hominem quomodo sanarit Dei Sapientia.

13. SICUT autem curatio via est ad sanitatem, sic ista curatio peccatores sanandos reficiendosque suscepit. Et quemadmodum medici cùm alligant vulnera, non incompositè, sed aptè id faciunt, ut vinculi utilitatem quædam pulcritudo etiam consequatur: sic medicina Sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam contrariis curans, & de quibusdam similibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel si quid aliud hujusmodi; adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturamque ipsam non eamdem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: sic Sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientiâ decepti sumus, Dei stultitiâ liberamur. Quemadmodum autem illa Sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnentibus Deum; sic ista quæ vocatur stultitia, Sapientia est vincentibus diabolum. Nos immortalitate malè usi sumus, ut moreremur; Christus mortalitate bene usus est, ut viveremus. Corrupto animo feminæ ingressus est morbus; integro corpore feminæ processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quòd etiam exemplo virtutum ejus vitia nostra curantur. Jam verò similia quasi ligamenta membris & vulneribus nostris adhibita, illa sunt, quòd per feminam deceptos per feminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit. Multa quoque alia diligentiùs considerantibus quos instituti operis peragendi necessitas non rapit, vel à contrariis, vel à similibus medicinæ Christianæ apparet instructio.

CAPUT XV. Resurrectione & adscensione Christi fulcitur fidei.

14. JAM verò credita Domini à mortuis resurrectio, & in cælum adscensio, magna spe fulcit fidem nostram. Multùm enim ostendit quàm voluntariè pro nobis animam posuerit, qui eam sic habuit in potestate resumere. Quantâ ergo se fiduciâ spes credentium consolatur, considerans quantus quanta pro nondum credentibus passus sit? Cùm verò judex vivorum atque mortuorum exspectatur è cælo, magnum timorem incutit negligentibus, ut se ad diligentiam convertant, eumque magis bene agendo desiderent, quàm malè agendo formident. Quibus autem verbis dici, aut qua cogitatione capi potest præmium, quod ille in fine daturus est, quando ad consolationem hujus itineris de Spiritu suo tantum dedit, quo in adversis vitæ hujus fiduciam caritatemque tantam ejus, quem nondum videmus, habeamus, & [b] dona unicuique propria ad instructionem Ecclesiæ suæ, ut id quod ostendit esse faciendum, non solùm sine murmure, sed etiam cum [c] delectatione faciamus?

des, excitatur judicio. b c

CAPUT XVI. Ecclesia Christi corpus & conjunx medicinalibus molestiis ab ipso purgatur. Eph. 1. 23. Rom. 12. 4.

15. EST enim Ecclesia corpus ejus, sicut apostolica doctrina commendat, quæ etiam conjunx ejus dicitur. Corpus ergo suum multis membris diversa officia gerentibus, nodo unitatis & caritatis tamquam sanitatis adstringit. Exercet autem hoc tempore & purgat medicinalibus quibusdam molestiis, ut erutam de hoc sæculo, in æternum sibi copulet conjugem Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi.

CAPUT XVII. Christus donando peccata viam aperuit ad patriam.

16. PORRO quoniam in via sumus, nec via ista locorum est, sed affectuum, quam [d] interludebat, quasi septa quædam spinosa, præteritorum malitia peccatorum, quid liberalius & misericordius facere potuit, qui seipsum nobis, [e] quà redieremus, substernere voluit, nisi ut omnia donaret peccata conversis, & graviter fixa interdicta reditus nostri pro nobis crucifixus evelleret?

d e

CAPUT XVIII. Claves tradiræ Ecclesiæ. Matth. 16. 19.

17. HAS igitur claves dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terra, soluta essent in cælo; quæ ligaret in terra, ligata essent & in cælo: scilicet ut quisquis in Ecclesia ejus dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur; quisquis autem crederet, seque ab his correctus averteret, in ejusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur. Quisquis enim non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius quàm malum esse remaneat, ubi de fructu suæ conversionis infidus est.

CAPUT XIX. Corporis & animi mors atque resurrectio.

18. JAM verò sicut animi quædam mors est, vitæ prioris morumque relictio, quæ fit pænitendo; sic etiam corporis mors est animationis pristinæ resolutio: & quomodo animus post pænitentiam, qua priores mores perditos interemit, reformatur in melius; sic etiam corpus post istam mortem, quam vinculo peccati omnes debemus, credendum & sperandum est resurrectionis tempore in melius commutari, ut non caro & sanguis regnum Dei possideant, quod fieri non potest; sed corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, nullamque faciens molestiam, quia nullam patietur indigentiam, à beata perfectaque anima cum summa quiete vegetetur.

CAPUT XX. Qui non ad vitam sed ad supplicia renascantur. f * CAPUT XXI.

19. CUJUS autem animus non moritur huic sæculo, neque incipit configurari veritati, in graviorem mortem morte corporis trahitur; neque ad [f] commutationem cælestis habitudinis, sed ad luenda supplicia revivisceret. * Hoc itaque fides habet, atque ita se rem habere credendum est, neque ani-

[a] Am. & Er. *sine aliqua labe, sine mutatione*.
[b] Lov. *donat*. Substituimus, *dona*, ex Am. Er. & MSS. plerisque melioris notæ.
[c] MSS. quinque, *cum dilectione*.
[d] Editi, *interludebant ..... malitia*. pro quo MSS. magno consensu, *interludebat ..... malitia*.
[e] Editi, *quo redivemus*. At MSS. septemdecim, *quà*: præter quinque alios, qui habent, *viam quà*.
[f] Tres è Vat. MSS. *ad communicationem*. Alius Vat. *ad communionem*. huic Erasmus consentit; sed libri ceteri ferunt, *ad commutationem*. Moxque in MSS. propè omnibus legebamus, *cælestis habitudinis*. pro quo apud Am. *habitationis*; apud Er. & Lov. *beatitudinis*.

mum, neque corpus humanum omnimodum interitum pati; sed impios resurgere ad pœnas inæstimabiles, pios autem ad vitam æternam.

CAPUT XXII. Solo Deo fruendum.

20. IN his igitur omnibus rebus illæ tantùm sunt quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus; ceteris autem utendum est, ut ad illarum perfructionem pervenire possimus. Nos itaque qui fruimur & utimur aliis rebus, res aliquæ sumus. Magna enim quædam res est homo, factus ad imaginem & similitudinem Dei, non inquantum mortali corpore includitur, sed inquantum bestias rationalis animæ honore præceliit. Itaque magna quæstio est, utrùm frui se homines debeant, an uti, an utrumque. Præceptum est enim nobis ut diligamus invicem: sed quæritur utrùm propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud. Si enim propter se, fruimur eo: si propter aliud, utimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata; cujus etiamsi nondum res, tamen spes ejus nos hoc tempore consolatur. Maledictus autem qui spem suam ponit in homine.

1. Sent. dist. 1 cap. Cùm autem.

Jerem. 17. 5.

21. Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquidò advertas, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. TUNCEST quippe OPTIMUS HOMO, cùm totâ vitâ suâ [a] pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi: si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cùm totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quàm cùm inde vel ad seipsum relaxatur. Si ergo teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum: Deum verò ex toto corde & ex tota anima & ex tota mente*, ut omnes cogitationes tuas & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cùm autem ait, *toto corde, totâ animâ, tota mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, totâ animâ, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tamquam seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.

a

Levit. 19. 18. Matth. 22. 37. Deut. 6. 5.

CAPUT XXIII. Homini præcepto non opus est, ut se & suum corpus diligat.

22. NON autem omnia quibus utendum est, diligenda sunt, sed ea sola quæ aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est homo vel Angelus; aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, sicuti est corpus. Nam utique Martyres non dilexerunt scelus persequentium se, quò tamen usi sunt ad promerendum Deum. Cùm ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est; de secundo & quarto nulla præcepta danda erant. Quantum-libet enim homo excidat à veritate, remanet illi dilectio sui & dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatore id agit, ut ipse sibi regnet & corpori suo: & ideo non potest nisi & se & corpus suum diligere.

3. Sent. dist. 28. cap. Hic potest.

23. Magnum autem aliquid adeptum se putat, si etiam sociis, id est aliis hominibus dominari potuerit. Inest enim vitioso animo id magis appetere, & sibi tamquam debitum vindicare, quod uni propriè debetur Deo. Talis autem sui dilectio melius odium vocatur. Iniquum est enim, quia vult sibi servire quod infra se est, cùm ipse servire superiori nolit; rectissimèque dictum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*: & ideo fit infirmus animus, & de mortali corpore cruciatur. Necesse est enim ut illud diligat, & ejus corruptione prægravetur. Immortalitas enim & incorruptio corporis de sanitate animi exsistit; sanitas autem animi est firmissimè inhærere potiori, hoc est incommutabili Deo. Cùm verò etiam eis qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.

Prava sui dilectio.

Psal. 10. 5.

CAPUT XXIV. Nemo carnem suam odit, nequidem illi qui in eam insurgunt.

24. NEMO ergo se odit. Et hinc quidem nulla cum aliqua secta quæstio fuit. Sed neque corpus suum quisquam odit: verum est enim quod ait Apostolus, *Nemo umquam carnem suam odio habuit.* Et quod nonnulli dicunt, malle se omnino esse sine corpore, omnino falluntur: non enim corpus suum, sed corruptiones ejus & pondus oderunt. Non itaque nullum corpus, sed incorruptum & celerrimum corpus volunt habere: sed putant nullum corpus esse si tale fuerit, quia tale aliquid esse animam putant. Quòd autem continentiâ quadam & laboribus quasi persequi videntur corpora sua, qui hoc rectè faciunt, non id agunt ut non habeant corpus, sed ut habeant subjugatum & paratum ad opera necessaria. Libidines enim malè utentes corpore, id est consuetudines & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus, per ipsius corporis laboriosam quamdam militiam exstinguere affectant. Nam non se interimunt, sed curam suæ valetudinis gerunt.

Ephes. 5. 29.

25. Qui autem perversè id agunt, quasi naturaliter inimico suo corpori bellum ingerunt. In quo fallit eos quod legunt, *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. hæc enim sibi invicem adversantur.* Dictum est enim hoc propter indomitam carnalem consuetudinem, adversùs quam spiritus concupiscit, non ut interimat corpus, sed ut [b] concupiscentiâ ejus, id est consuetudine malâ edomita, faciat spiritui subjugatum, quod naturalis ordo desiderat. Quia enim hoc erit post resurrectionem, ut corpus omnimodo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis moribus resistat spiritui. Quod donec fiat, caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem: non per odium resistente spiritu, sed per principatum; quia magis quod diligit vult subditum esse meliori: nec per odium resistente carne, sed per consuetudinis vinculum, quod à parentum etiam propagine inveteratum naturæ lege inolevit. Id ergo agit spiritus in domanda carne, ut solvat malæ consuetudinis quasi pacta perversa, & fiat pax consuetudinis bonæ. Tamen nec isti qui falsa

Gal. 5. 17.

b

a Am. & Er. *cùm tota vita sua peragitur.*

b Editi hactenus, *sed ut concupiscentiam ejus, id est consuetudinem malè domitam faciat spiritui subjugatam.* Cui lectioni præstat longè ea, quam ex MSS. restituimus.

opinione depravati corpora sua detestantur, parati essent unum oculum vel sine sensu doloris amittere, etiamsi in altero tantus cernendi sensus remaneret, quantus erat in duobus, nisi aliqua res quæ præponenda esset, urgeret. Isto atque hujusmodi documento satis ostenditur eis, qui sine pertinacia verum requirunt, quàm certa sententia sit Apostoli, ubi ait, *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit.* Addidit etiam, *sed nutrit & fovet eam, sicut Christus Ecclesiam.*

CAPUT XXV. Etsi aliquid ampliùs diligitur quàm corpus, non tamen corpus odio habetur.

26. MODUS ergo diligendi præcipiendus est homini, id est quomodo se diligat ut prosit sibi. Quin autem se diligat & prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Præcipiendum etiam quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinatè prudenterque consulat. Nam quod diligat etiam corpus suum, idque salvum habere atque integrum velit, æquè manifestum est. Aliquid itaque amplius diligere aliquis potest quàm salutem atque integritatem corporis sui. Nam multi & dolores & amissiones nonnullorum membrorum voluntarias suscepisse inveniuntur, sed ut alia, quæ ampliùs diligebant, consequerentur. Non ergo propterea quisquam dicendus est non diligere salutem atque incolumitatem corporis sui, quia plus aliquid diligit. Nam & avarus quamvis pecuniam diligat, tamen emit sibi panem: quod cùm facit, dat pecuniam quàm multùm diligit & augere desiderat; sed quia pluris æstimat salutem corporis sui, quæ illo pane fulcitur. Supervacaneum est diutiùs de re manifestissima disputare, quod tamen plerumque nos facere cogit error impiorum.

CAPUT XXVI. Præceptum de Deo & proximo, immo & de seipso diligendo datum est.

27. ERGO quoniam præcepto non opus est, ut se quisque & corpus suum diligat, id est quoniam id quod sumus, & id quod infra nos est, ad nos tamen pertinet, inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam promulgata est, (nam & bestiæ se atque corpora sua diligunt) restabat ut & de illo quod supra nos est, & de illo quod juxta nos est, præcepta sumeremus. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tamquam teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ.* Finis itaque præcepti est dilectio, & ea gemina, id est Dei & proximi. Quòd si te totum intelligas, id est animum & corpus tuum, & proximum totum, id est animum & corpus ejus, (homo enim ex animo constat & corpore) nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Cùm enim præcurrat dilectio Dei, ejusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita ut cetera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur: sed cùm dictum est, *Diliges proximum tuum tamquam teipsum*, simul & tui abs te dilectio non prætermissa est.

Matth. 22. 37.

CAPUT XXVII. Ordo dilectionis.

28. ILLE autem justè & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est: ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut ampliùs diligat quod minùs est diligendum, aut æquè diligat quod vel minùs vel ampliùs diligendum est, aut minùs vel ampliùs quod æquè diligendum est. Omnis peccator inquantum peccator est, non est diligendus; & omnis homo inquantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus verò propter seipsum. Et si Deus omni homine ampliùs diligendus est, ampliùs quisque debet Deum diligere quàm seipsum. Item ampliùs alius homo diligendus est quàm corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus; quia corpus per animam vivit qua fruimur Deo.

CAPUT XXVIII. Cui succurrendum, quando succurrere omnibus, vel duobus non possis.

29. OMNES autem æquè diligendi sunt: sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentiâ, vel erga te aliqua necessitudine superaret; nihil justiùs faceres quàm ut sorte legeres, cui dandum esset quod dari utrique non posset: sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatiùs adhærere potuerit.

3. Sent. dist. 29. cap. Unde etiam.

CAPUT XXIX. Optandum & agendum ut omnes Deum diligant.

30. OMNIUM autem qui nobiscum frui possunt Deo, partim eos diligimus quos ipsi adjuvamus, partim eos à quibus adjuvamur, partim quorum & indigemus adjutorio, & indigentiæ subvenimus; partim quibus nec ipsi conferimus aliquid commodi, nec ab eis ut nobis conferatur adtendimus. Velle tamen debemus, ut omnes nobiscum diligant Deum, & totum quod vel eos adjuvamus vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum est. Si enim in theatris nequitiæ qui aliquem diligit histrionem, & tamquam magno vel etiam summo bono ejus arte perfruitur, omnes diligit qui eum diligunt secum, non propter illos, sed propter eum quem pariter diligunt; & quanto est in ejus amore ferventior, tanto agit quibus potest modis, ut à pluribus diligatur, & tanto pluribus eum cupit ostendere; & quem frigidiorem videt, excitat eum quantùm potest laudibus illius; si autem contravenientem invenerit, odit in illo vehementer odium dilecti sui, & quibus modis valet, instat ut auferat: quid nos in societate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui, beatè vivere est; & à quo habent omnes qui eum diligunt, & quod sunt, & quod eum diligunt; de quo nihil metuimus, ne cuiquam possit cognitus displicere; & qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui diligunt, æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt? Hinc efficitur, ut inimicos etiam nostros diligamus: non enim eos timemus, quia nobis quod diligimus auferre non possunt; sed miseramur potiùs, quia tanto magis nos oderunt, quanto ab illo quem diligimus separati sunt. Ad quem si conversi fuerint, & illum tamquam beatificum bonum, & nos tamquam socios tanti boni necesse est ut diligant.

CAPUT XXX. Proximi nostri, omnes homines, & ipsi Angeli.

31. ORITUR autem hoc loco de Angelis nonnulla quæstio. Illo enim fruentes, etiam ipsi beati sunt, quo & nos frui desideramus: & quanto in hac vita fruimur vel per speculum vel in ænigmate, tanto nostram peregrinationem & tolerabiliùs sustinemus, & ardentiùs finire cupimus. Sed utrùm ad illa duo præcepta etiam dilectio pertineat Angelorum, non irrationabiliter quæri potest. Nam quòd nullum hominum exceperit qui præcepit ut proximum diligamus, & ipse in Evangelio Dominus ostendit, & Paulus Apostolus. Namque ille cui duo ipsa præcepta protulerat, atque in eis pendere totam Legem Prophetasque dixerat,

3. Sent. dist. 28. cap. Oritur.

Luce 10. 29. cùm interrogaret eum dicens, *Et quis est meus proximus?* hominem quemdam proposuit descendentem ab Jerusalem in Jericho, incidisse in latrones, & ab eis graviter vulneratum, saucium & semivivum esse derelictum: cui proximum esse non docuit, nisi qui erga illum recreandum atque curandum misericors exstitit, ita ut hoc qui interrogaverat, interrogatus ipse fateretur. Cui Dominus ait, *Vade, & tu fac similiter*; ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo est jam consequens, ut etiam ille à quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat? quando usque ad inimicos etiam porrectum est eodem Domino dicente, *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos.* Matth. 5. 44.

32. Ita quoque Paulus Apostolus docet, cùm dicit, *Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur.* Rom. 13. 9. Quisquis ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogitur fateri quod absurdissimum & sceleratissimum est, fuisse visum Apostolo, non esse peccatum si quis aut non Christiani, aut inimici adulteraverit uxorem, aut eum occiderit, aut ejus rem concupierit: quod si dementis est dicere, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum.

33. Jam verò si vel cui præbendum est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ, rectè proximus dicitur; manifestum est hoc præcepto quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, à quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est. Ex quo & ipse Deus & Dominus noster proximum se nostrum dici voluit. Nam & seipsum significat Dominus Jesus-Christus opitulatum esse semivivo jacenti in via afflicto & relicto à latronibus. Et Propheta in oratione ait, *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam.* Sed quoniam excellentior ac supra nostram naturam est divina substantia, præceptum quo diligamus Deum, à proximi dilectione distinctum est. [a] Ille enim nobis præbet misericordiam propter suam bonitatem, nos autem nobis invicem propter illius: id est ille nostri misereatur ut se perfruamur, nos verò invicem nostri misereamur ut illo perfruamur.

Angeli quoque diligendi ut proximi nobis. Luc. 10. 33. Psal. 34. 14.

CAPUT XXXI. Deus nobis non fruitur, sed utitur.

34. Quapropter adhuc ambiguum esse videtur, cùm dicimus ea re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam, & ea re nobis fruendum esse tantùm, qua efficimur beati, ceteris verò utendum. Diligit enim nos Deus, & multùm nobis dilectionem ejus erga nos divina Scriptura commendat: quomodo ergo diligit? ut nobis utatur, an ut fruatur? Sed si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Omne enim bonum nostrum vel ipse, vel ab ipso est: cui autem obscurum vel dubium est, non egere lucem rerum harum nitore quas ipsa illustraverit? Dicit etiam apertissimè Propheta, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Psal. 15. 2. Non ergo fruitur nobis, sed utitur. Nam si neque fruitur neque utitur, non invenio quemadmodum diligat. 1. Sent. dist. 1. cap. Sed cùm.

CAPUT XXXII. Deus homine quomodo utatur.

35. Sed neque sic utitur ut nos: nam nos res quibus utimur ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur; Deus verò ad suam bonitatem usum nostrum refert. Quia enim bonus est, sumus; & inquantum sumus, boni sumus. Porrò autem quia etiam justus est, non impunè sumus mali: & inquantum mali sumus, intantum etiam minùs sumus. Ille enim summè ac primitus est, qui omnino incommutabilis est, & qui plenissimè dicere potuit, *Ego sum qui sum.* & *Dices eis, Qui est, misit me ad vos.* Exodi 3. 14. Ut cetera quæ sunt, & nisi ab illo esse non possint, & in tantum bona sint, inquantum acceperunt ut sint. Ille igitur usus qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad nostram utilitatem refertur, ad ejus autem tantummodo bonitatem. Cujus autem nos miseremur, & cui consulimus, ad ejus quidem utilitatem id facimus, eamque intuemur; sed nescio quomodo etiam nostra [b] fit consequens, cùm eam misericordiam quam impendimus egenti, sine mercede non relinquit Deus. Hæc autem merces summa est ut ipso perfruamur, & omnes qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso perfruamur.

CAPUT XXXIII. Quomodo homine frui conveniat.

36. Nam si in nobis id facimus, remanemus in via, & spem beatitudinis nostræ in homine vel in Angelo collocamus. Quod & homo superbus & angelus superbus arrogant sibi, atque in se aliorum spem gaudent constitui. Sanctus autem homo & sanctus Angelus etiam fessos nos atque in se adquiescere & remanere cupientes, reficiunt potiùs, aut eo sumtu quem propter nos, aut illo etiam quem propter se acceperunt, acceperunt tamen: atque ita refectos in illum ire compellunt, quo fruentes pariter beati sumus. Nam & Apostolus clamat, *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* & *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 1. 13. 1. Cor. 3. 7. Et Angelus hominem se adorantem monet, ut potiùs illum adoret, sub quo ei Domino etiam ipse conservus est. Apoc. 19. 10.

37. Cùm autem homine in Deo frueris, Deo potiùs quàm homine frueris. Illo enim frueris, quo efficeris beatus; & ad eum te pervenisse lætaberis, in quo spem ponis ut venias. Inde ad Philemonem Paulus, *Ita frater*, inquit, *ego te fruar in Domino.* Philem. v. 20. Quòd si non addidisset, *in Domino*, & *te fruar* tantùm dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ. Quamquam etiam vicinissimè dicitur frui, cum [c] delectatione uti. Cùm enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat: per quam si transieris, eamque ad illud ubi permanendum est, retuleris, uteris ea, & abusivè, non propriè diceris frui. Si verò inhæseris atque permanseris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc verè & propriè frui dicendus es. quod non faciendum est nisi in illa Trinitate, id est summo & incommutabili bono. 1. 1. Sent. dist. 1. cap. Cùm autem.

CAPUT XXXIV. Prima ad Deum via, Christus.

38. Vide quemadmodum cùm ipsa Veritas, & Verbum per quod facta sunt omnia, caro factum esset, ut habitaret in nobis, tamen ait Apostolus,

[a] Addunt hic MSS. Vaticani duo, *Nos verò quia naturâ æquales sumus, & remotâ jactantiâ nihil aliud omnes quàm homines sumus, præceptum quo diligamus proximum à nostra dilectione distinctum non est.*

[b] Editi, *fit.* At MSS. *fit.*

[c] Veteres codices, *cum dilectione uti.*

2. Cor. 5. 16. *Et si noveramus Christum secundùm carnem, sed jam non novimus.* Ille quippe qui non solùm perveniendum possessionem, sed etiam viam præbere se voluit venientibus ad [a] principium viarum, voluit carnem adsumere. Prover. 8. 22. Unde est etiam illud, *Dominus creavit me in principio viarum suarum*; ut inde inciperent, qui vellent venire. Apostolus igitur quamvis adhuc ambularet in via, & ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Deum, tamen ea quæ retrò sunt obliviscens, & in ea quæ antè sunt extentus, jam principium viarum transierat, hoc est eo non indigebat, à quo tamen adgrediendum & exordiendum iter est omnibus, qui ad veritatem pervenire, & in vita æterna permanere desiderant. Philipp. 3. 13. Joban. 14. 6. Sic enim ait; *Ego sum via & veritas & vita*; hoc est, per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. Cùm enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur; quia per æqualem ille cui est æqualis agnoscitur; vinciente & tamquam adglutinante nos Spiritu-sancto, quo in summo atque incommutabili bono permanere possimus: Ex quo intelligitur [b] quàm nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, inquantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire; ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro salute nostra susceptis & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potiùs curramus alacriter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque [c] pervehi mereamur.

CAPUT XXXV. Scripturæ plenitudo finisque, amor Dei & proximi. Rom. 13. 10.

39. Omnium igitur quæ dicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, ut intelligatur Legis & omnium divinarum Scripturarum plenitudo & finis esse dilectio rei qua fruendum est, & rei quæ nobiscum ea re frui potest; quia ut se quisque diligat, præcepto non opus est. Hoc ergo ut possemus atque possemus, facta est tota pro salute nostra per divinam providentiam dispensatio temporalis, qua debemus uti, non quasi mansoria quadam dilectione atque delectatione, sed transitoria potiùs, tamquam viæ, tamquam vehiculorum vel aliorum quorumlibet instrumentorum, aut si quid congruentius dici potest; ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur diligamus.

CAPUT XXXVI. Interpretatio Scripturæ hæc vitiosa, nō est mendax nec perniciosè fallax, si modò utilis sit ædificandæ caritati.

40. Quisquis igitur Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam caritatem Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam duxerit, ut huic ædificandæ caritati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur. Inest quippe in mentiente voluntas falsa dicendi: & ideo multos invenimus, qui mentiri velint; qui autem falli, neminem. Cùm igitur hoc sciens homo faciat, illud nesciens patiatur; satis in una eademque re apparet illum qui fallitur, eo qui mentitur esse meliorem: quandoquidem pati melius est iniquitatem, quàm facere: omnis autem qui mentitur, iniquitatem facit; & si cuiquam videtur utile aliquando esse mendacium, potest videri utilem aliquando esse iniquitatem. Nemo enim mentiens, in eo quod mentitur, servat fidem: nam hoc utique vult, ut cui mentitur fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat: omnis autem fidei violator, iniquus est. Aut igitur iniquitas aliquando utilis est, quod fieri non potest; aut mendacium semper inutile est.

Corrigendus tamen interpres qui sic fallitur 1. Tim. 1. 5.

41. Sed quisquis in Scripturis aliud sentit quàm ille qui scripsit, illis non mentientibus fallitur: sed tamen, ut dicere cœperam, si eâ sententiâ fallitur, qua ædificet caritatem, quæ finis præcepti est, ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eò tamen per agrum pergat, quò etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen & quàm sit utilius viam non deserere, demonstrandum est, ne consuetudine deviandi etiam in transversum aut perversum ire cogatur. * Asserendo enim temere quod ille non sensit, quem legit, plerumque incurrit in alia, quæ illi sententiæ contexere nequeat: quæ si vera & certa esse consentit, illud non possit verum esse quod senserat; fitque in eo, nescio quomodo, ut amando sententiam suam, Scripturæ incipiat offensior esse quàm sibi. Quod malum si serpere siverit, evertetur ex eo. Per fidem enim ambulamus, non per speciem; titubabit autem fides, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas: porrò fide titubante, caritas etiam ipsa languescit. Nam si à fide quisque ceciderit, à caritate etiam necesse est cadat: non enim potest diligere quod esse non credit: porrò si & credit & diligit, bene agendo & præceptis morum bonorum obtemperando efficit, ut etiam speret se ad id quod diligit esse venturum. Itaque tria hæc sunt, quibus & scientia omnis & prophetia militat, fides, spes, caritas. * Caput XXXVII. 2. Cor. 5. 7.

CAPUT XXXVIII. Caritas perpetuò manet.

42. Sed fidei succedit [d] species, quam videbimus; & spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus: caritas autem etiam istis decedentibus augebitur potiùs. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cùm videre cœperimus? & si sperando diligimus quò nondum pervenimus, quanto magis cùm pervenerimus? Inter temporalia quippe atque æterna hoc interest, quòd temporale aliquid plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cùm advenerit; non enim satiat animam, cui vera est & certa sedes æternitas: æternum autem ardentiùs diligitur adeptum, quam desideratum: nulli enim desideranti conceditur plus de illo existimare quàm se habet, ut ei vilescat cùm minus invenerit; sed quantum quisque veniens existimare potuerit, plus perveniens inventurus est.

CAPUT XXXIX. Scripturis non indiget homo fide, spe & caritate instructus. 1. Cor. 13. 8.

43. Homo itaque fide, spe & caritate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. Unde in illis arbitror jam impletum esse quod dictum est, *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt sive scientia evacuabitur.* Quibus tamen quasi machinis tanta fidei & spei & caritatis in eis surrexit instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte non quærant: perfectum sanè, quantum in hac vita potest; nam in comparatione futuræ vitæ nullius justi & sancti est vita ista perfecta. Ideo *manent*, inquit, *fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas*: quia & cùm quisque ad æterna pervenerit, duobus istis decedentibus caritas auctior & certior permanebit. 1. Cor. 13. 13.

CAPUT XL. Qualem le-

[a] Am. Er. & MS. Theodericensis, *ad se principium viarum.*

[b] Editi, *quia.* At MSS. melioris notæ, *quàm nulla res.*

[c] In vulgatis, *pervenire*; cujus loco in MSS. *pervehi.*

[d] Sic MSS. tredecim. Editi verò, *succedit spes*; pravè, uti intelligitur ex sequentibus verbis, *quam videbimus.*

ctorem Scriptura postulet.

& conscientia bona & fide non ficta, omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedat. Cùm enim diceret, *caritas*, addidit, *de corde puro*; ut nihil aliud quàm id quod diligendum est, diligatur. *Conscientiam* verò *bonam* conjunxit propter spem: ille enim se ad id quod credit & diligit perventurum esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus inest. Tertiò, *& fide*, inquit, *non ficta*. Si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc & non diligimus quod non est diligendum, & rectè vivendo id speramus, ut nullo modo spes nostra fallatur. Propterea de rebus continentibus fidem, quantum pro tempore satis esse arbitratus sum, dicere volui, quia in aliis voluminibus, sive per alios sive per nos multa jam dicta sunt. Modus itaque sit iste libri hujus. Cetera de signis, quantum Dominus dederit, disseremus.

1. Tim. 1. 5.

LIBER SECUNDUS.

Jam de signis verbisque Scripturæ sacræ sermonem instituit Augustinus, ostenditque hujus germanum sensum plerumque ideo non percipi, quia signa illa aut ignota sunt, aut ambigua. Quapropter prolato in primis divinorum librorum canone, declarare pergit quarum potissimùm linguarum peritia, quænamve disciplinæ ac scientiæ conferant ad illam signorum ignorantiam removendam. Ubi data occasione de repudiandis superstitiosis artibus & doctrinis strictim, sed profundè disputat. Quemadmodum etiam animo comparatus is esse debeat, qui operam studio Scripturarum navaturus sit, declarat sub initium & ad finem libri.

Caput I. Signum quid & quotuplex.

1. QUONIAM de rebus cùm scriberem, præmisi commonens ne quis in eis adtenderet nisi quod sunt, non etiam si quid aliud præter se significant; vicissim de signis differens hoc dico, ne quis in eis adtendat quod sunt, sed potiùs quod signa sunt, id est, quod significant. Signum est enim res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire: sicut vestigio viso, transisse animal cujus vestigium est, cogitamus; & fumo viso, ignem subesse cognoscimus; & voce animantis audita, affectionem animi ejus advertimus; & tuba sonante, milites vel progredi se, vel regredi, & si quid aliud pugna postulat, oportere noverunt.

2. Signorum igitur alia sunt naturalia, alia data. Naturalia sunt, quæ sine voluntate atque ullo appetitu significandi, præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicuti est fumus significans ignem. Non enim volens significare id facit, sed rerum expertarum animadversione & notatione cognoscitur ignem subesse, etiam si fumus solus appareat. Sed & vestigium transeuntis animantis ad hoc genus pertinet: & vultus irati seu tristis affectionem animi significat, etiam nulla ejus voluntate qui aut iratus aut tristis est; aut si quis alius motus animi vultu indice proditur, etiam nobis non id agentibus ut prodatur. Sed de hoc toto genere nunc differere non est propositum. Quoniam tamen incidit in partitionem nostram, præteriri omnino non potuit, atque id hactenus notatum esse sufficerit.

Caput II. De quo signorum genere hîc tractandum.

3. DATA verò signa sunt, quæ sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantùm possunt, motus animi sui, vel sensa, aut intellecta quælibet. Nec ulla caussa est nobis significandi, id est signi dandi, nisi ad depromendum & trajiciendum in alterius animum id quod animo gerit is qui signum dat. Horum igitur signorum genus, quantùm ad homines adtinet, considerare atque tractare statuimus; quia & signa divinitus data, quæ in Scripturis sanctis continentur, per homines nobis indicata sunt, qui ea conscripserunt. Habent etiam bestiæ quædam inter se signa, quibus produnt appetitum animi sui. Nam & gallus gallinaceus reperto cibo, dat signum vocis gallinæ ut accurrat; & columbus gemitu columbam vocat, vel ab ea vicissim vocatur; & multa hujusmodi animadverti solent. Quæ utrùm sicut vultus aut dolentis clamor sine significandi voluntate sequantur motum animi, an verè ad significandum dentur, alia quæstio est, & ad rem quæ agitur non pertinet: quam partem ab hoc opere tamquam non necessariam removemus.

Caput III. Inter signa principatum obtinent verba.

4. SIGNORUM igitur quibus inter se homines sua sensa communicant, quædam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad aurium, paucissima ad ceteros sensus. Nam cùm innuimus, non damus signum nisi oculis ejus, quem volumus per hoc signum voluntatis nostræ participem facere. Et quidam[a] motu manuum pleraque significant: & histriones omnium membrorum motibus dant signa quædam scientibus, & cùm oculis eorum quasi fabulantur: & vexilla draconesque militares per oculos insinuant voluntatem ducum. & sunt hæc omnia quasi quædam verba visibilia. Ad aures autem quæ pertinent, ut dixi, plura sunt, in verbis maximè. Nam & tuba & tibia & cithara dant plerunque, non solùm suavem, sed etiam significantem sonum. Sed hæc omnia signa verbis comparata paucissima sunt. Verba enim prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit. Nam & odore unguenti Dominus, quo perfusi sunt pedes ejus, signum aliquod dedit: & sacramento corporis & sanguinis sui[b] prægustato, significavit quod voluit: & cùm mulier tangendo fimbriam vestimenti ejus, salva facta est, nonnihil significat. Sed innumerabilis multitudo signorum, quibus suas cogitationes homines exserunt, in verbis constituta est. Nam illa signa omnia quorum genera breviter adtigi, potui verbis enuntiare; verba verò illis signis nullo modo possem.

Joban. 12. 3. & 7.
Matth. 26. 28. &c.
Matth. 9. 21.

[b] Editi plureſque MSS. *Et quidam motus*. Meliùs MSS. alij, *per motus*; vel, *motu*.
[a] Sic Editi, quibus suffragantur MSS. perpauci; cùm plurimi habeant, *pergustato*; & alij quinque optimæ notæ, *per gustatum*; in quam lectionem incidit altera, quæ trium MSS. est, *per gustum*. quippe in antiquis codicibus passim reperire est *gustatum*, loco *gustum*.

Caput IV. Unde litteræ.

5. SED quia verberato aëre statim transeunt, nec diutiùs manent quàm sonant, instituta sunt per litteras signa verborum. Ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quædam sua. Ista igitur signa non potuerunt communia esse omnibus gentibus, peccato quodam dissensionis humanæ, cùm ad se quisque principatum rapit. Cujus superbiæ signum est erecta illa turris in cælum, ubi homines impii non solùm animos, sed etiam voces dissonas habere meruerunt.

Gen. 11. 7.

Caput V. Diversitas linguarum.

6. Ex quo factum est, ut etiam Scriptura divina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur, ab una lingua profecta,[a] qua opportunè potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longè latéque diffusa innotesceret gentibus ad salutem: quam legentes nihil aliud appetunt quàm cogitationes voluntatemque illorum, à quibus conscripta est, invenire, & per illas voluntatem Dei, secundùm quam tales homines locutos credimus.

Caput VI. Obscuritas Scripturæ in tropis & figuris quoàsum utilis.

7. SED multis & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur non inveniunt, ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio[b] revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt. Quid enim est quæso, quòd si quisquam dicat sanctos esse homines atque perfectos, quorum vitâ & moribus Christi Ecclesia de quibuslibet superstitionibus præcidit eos qui ad se veniunt, & imitatione bonorum sibimet quodammodo incorporat: qui boni fideles & [c] veri Dei servi deponentes onera sæculi ad sanctum baptismi lavacrum venerunt, atque inde adscendentes conceptione Sancti-spiritus fructum dant geminæ caritatis, id est Dei & proximi: quid est ergo quòd si hæc quisque dicat, minùs delectat audientem, quàm si ad eumdem sensum locum illum exponat de Canticis canticorum, ubi dictum est Ecclesiæ, cùm tamquam pulcra quædam femina laudaretur, *Dentes tui sicut grex detonsarum, adscendens de lavacro, quæ omnes geminos creant, & non est sterilis in eis?* Num aliud homo discit, quàm cùm illud planissimis verbis, sine similitudinis hujus adminiculo audiret? Et tamen nescio quomodo suaviùs intueor sanctos, cùm eos quasi dentes Ecclesiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus emollitâ duritiâ quasi demorsos mansosque transferre. Oves etiam jocundissimè agnosco detonsas, oneribus sæcularibus tamquam velleribus positis, & adscendentes de lavacro, id est de baptismate, creare omnes geminos, id est duo præcepta dilectionis, & nullam esse ab isto sancto fructu sterilem video.

Cant. 4. 2.

8. Sed quare suaviùs videam, quàm si nulla de divinis libris talis similitudo promeretur, cùm res eadem sit eademque cognitio, difficile est dicere, & alia quæstio est. Nunc tamen nemo ambigit, & per similitudines libentiùs quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multo gratiùs inveniri. Qui enim prorsus non inveniunt quod quærunt, fame laborant: qui autem non quærunt, quia in promtu habent, fastidio sæpe marcescunt: in utroque autem languor cavendus est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus-sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.

Caput VII. Gradus ad sapientiam juxta Isaiæ 11. 2. Primus, Timor.

9. ANTE omnia igitur opus est Dei Timore converti ad cognoscendam ejus voluntatem, quid nobis appetendum fugiendumque præcipiat. Timor autem iste, cogitationem de nostra mortalitate & de futura morte necesse est incutiat, & quasi clavatis carnibus omnes superbiæ motus ligno crucis affigat. Deinde mitescere opus est Pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit, sive non intellectæ, quasi nos meliùs sapere meliùsque[d] præcipere possimus; sed cogitare potiùs & credere id esse melius & verius quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quàm id quod nos per nosmetipsos sapere possumus.

Secundus, Pietas.

d

10. Post istos duos gradus timoris atque pietatis ad tertium venitur Scientiæ gradum, de quo nunc agere institui. Nam in eo se exercet omnis divinarum Scripturarum studiosus, nihil in eis aliud inventurus quàm diligendum esse Deum propter Deum, & proximum propter Deum: & illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere; proximum verò tamquam seipsum, id est ut tota proximi, sicut etiam nostri, dilectio referatur in Deum. De quibus duobus præceptis, cùm de rebus ageremus, libro superiore tractavimus. Necesse est ergo, ut primò se quisque in Scripturis inveniat amore hujus sæculi, hoc est temporalium rerum implicatum, longè sejunctum esse à tanto amore Dei & tanto amore proximi, quantum Scriptura ipsa præscribit. Tum verò ille timor quo cogitat de judicio Dei, & illa pietas qua non potest nisi credere & cedere auctoritati sanctorum librorum, cogit eum seipsum lugere. Nam ista scientia bonæ spei hominem non se jactantem, sed lamentantem facit: quo affectu impetrat sedulis precibus consolationem divini adjutorii, ne desperatione frangatur, & esse incipit in quarto gradu, hoc est Fortitudinis, quo esuritur & sititur justitia. Hoc enim affectu ab omni mortifera jocunditate rerum transeuntium sese extrahit, & inde se avertens convertit ad dilectionem æternorum, incommutabilem scilicet unitatem eamdemque Trinitatem.

Tertius, Scientia.
Matth. 22. 37. &c.
Quartus, Fortitudo.

11. Quam ubi adspexerit, quantum potest, in longinqua radiantem, suique adspectus infirmitate sustinere se illam lucem non posse persenserit, in quinto gradu, hoc est in Consilio misericordiæ purgat animam tumultuantem quodammodo atque obstrepentem sibi de appetitu inferiorum conceptis sordibus. Hîc verò se in dilectione proximi gnaviter exercet, in eaque perficitur, & spe jam plenus atque integer viribus, cùm pervenerit usque ad inimici dilectionem, adscendit in sextum gradum, ubi jam ipsum oculum purgat, quo videri Deus potest, quantum potest ab iis, qui huic sæculo moriuntur quantum possunt. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic sæculo; in quantum autem huic vivunt, non vident. Et ideo quamvis jam certior, & non solùm tolerabilior, sed etiam jocundior species lucis illius incipiat apparere; in ænig-

Quintus, Consilium.
Sextus, Purgatio cordis.

[a] Bad. Am. Er. & aliquot MSS. *qua*.
[b] Lov. nonnulliqué MSS. *renovandum*. Alii cum Am. & Er. *revocandum*.
[c] In duobus MSS. *veri servi Dei*. In aliis tribus, *verè Dei servi*.
[d] Am. & quatuor MSS. *percipere*.

mate adhuc tamen & per speculum videri dicitur, quia magis per fidem quàm per speciem ambulatur, cùm in hac vita peregrinamur, quamvis conversationem habeamus in cælis. In hoc autem gradu ita purgat oculum cordis, ut veritati ne ipsum quidem præferat aut conferat proximum; ergo nec seipsum, quia nec illum quem diligit sicut seipsum. Erit ergo iste sanctus tam simplici corde atque mundato, ut neque hominibus placendi studio detorqueatur à vero, nec respectu devitandorum quorumlibet incommodorum suorum, quæ adversantur huic vitæ. Talis filius adscendit ad Sapientiam, quæ ultima & septima est, qua pacatus tranquillusque perfruitur. Initium enim sapientiæ timor Domini. Ab illo enim usque ad ipsam per hos gradus tenditur, & venitur.

1. Cor. 13. 12. — 2. Cor. 5. 7. — Philip. 3. 20.

Septimus gradus seu finis Sapientia. *Psal. 110. 10. Eccli. 1. 16.*

CAPUT VIII. Libri canonici.

12. SED nos ad tertium illum gradum considerationem referamus, de quo disserere quod Dominus suggesserit, atque tractare instituimus. Erit igitur divinarum Scripturarum sollertissimus indagator, qui primò totas legerit, notasque habuerit, & si nondum intellectu, jam tamen lectione, dumtaxat eas quæ appellantur Canonicæ. Nam ceteras securiùs leget fide veritatis instructus, ne præoccupent imbecillem animum, & periculosis mendaciis atque phantasmatîs eludentes præjudicent aliquid contra sanam intelligentiam. In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sint, quæ Apostolicas Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt: in eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamquam hoc facilè invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

Dist 19 c. In canonicis.

13. Totus autem canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: Quinque Moyseos, id est Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio; & uno libro Jesu Nave, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum [a] principium videtur pertinere; deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adjunctis simulque pergentibus. Hæc est historia, quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum: sunt aliæ tamquam ex diverso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job, & Tobias, & Ester, & Judith, & Machabæorum libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam: deinde Prophetæ, in quibus David unus liber Psalmorum; & Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur: nam Jesus Sirach [b] eos conscripsisse * constantissimè perhibetur, qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellantur, duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam numquam sejuncti sunt, pro uno habentur: quorum Prophetarum nomina sunt hæc, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: deinde quatuor Prophetæ sunt majorum voluminum, Isaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris; * Testamenti veteris terminatur auctoritas: Novi autem, quatuor libris Evangelii, secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Johannem: quatuordecim Epistolis Pauli apostoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri duabus; tribus Johannis; unâ Judæ, & unâ Jacobi; Actibus Apostolorum libro uno, & Apocalypsi Johannis libro uno.

Confer. Hippon. Concil. an. 393. can. 38. & Carthag. 3. an. 397. can. 47. a

* *2. Retr. cap. 4. n. 2.* b — * *2. Retract. ibid.*

CAPUT IX. Qua ratione vacandum studio Scripturæ.

14. IN his omnibus libris timentes Deum & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei. Cujus operis & laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, & si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa quæ in eis apertè posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, sollertiùs diligentiùsque investiganda sunt. quæ tantò quisque plura invenit, quantò est [c] intelligentiæ capacior. In iis enim quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet atque caritatem, de quibus libro superiore tractavimus. Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda & discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant. In qua re memoria valet plurimum: quæ si defuerit, non potest his præceptis dari.

CAPUT X. Scripturam contingit non intelligi ob ignota signa vel ambigua.

15. DUABUS autem caussis non intelliguntur quæ scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur. Sunt autem signa vel propria, vel translata. Propria dicuntur, cùm his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta; sicut dicimus bovem, cùm intelligimus pecus, quod omnes nobiscum Latinæ linguæ homines hoc nomine vocant. Translata sunt, cùm & ipsæ res quas propriis verbis significamus, ad aliud aliquid significandum usurpantur, sicut dicimus bovem, & per has duas syllabas intelligimus pecus, quod isto nomine appellari solet: sed rursus per illud pecus intelligimus Evangelistam, quem significavit Scriptura, interpretante Apostolo, dicens, *Bovem triturantem non infrenabis*. *1. Cor. 9. 10.*

CAPUT XI. Ut ignorantia signorum tollatur, necessaria est linguarum cognitio, ac præsertim græcæ & hebrææ.

16. CONTRA ignota signa propria, magnum remedium est linguarum cognitio. Et Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebræa scilicet & græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem adtulerit latinorum interpretum infinita varietas. Quamquam & hebræa verba non interpretata sæpe inveniamus in libris, sicut *Amen*, & *Halleluia*, & *Racha*, & *Hosanna*, & si qua sunt alia; quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas, sicut est *Amen*, & *Halleluia*; partim verò in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus. Sunt enim quædam verba certarum linguarum, quæ in usum alterius linguæ per interpretationem transire non possint. Et hoc maximè interjectionibus accidit, quæ verba motum animi significant potiùs, quàm sententiæ [a] conceptæ ullam particulam; nam & hæc duo talia esse perhibentur: dicunt enim *Racha* indignantis esse vocem, *Hosanna* lætantis. Sed non propter hæc pauca, quæ notare atque interrogare facillimum est, sed propter diversitates, ut dictum est, interpretum, illarum linguarum est cognitio necessaria. Qui enim Scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex græcus, & aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.

CAPUT XII. Diversitas interpretationum utilis.

17. QUÆ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quàm impedivit, si modò legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpe manifestavit inspectio, sicut illud Isaiæ prophetæ unus interpres ait, *Et domesticos seminis tui ne despexeris*: alius autem ait, *Et carnem tuam ne despexeris*. uterque sibimet invicem adtestatus est. Namque alter ex altero exponitur, quia & caro posset accipi propriè, ut corpus suum quisque ne despiceret, se putaret admonitum; & domestici seminis translatè, Christiani possent intelligi, ex eodem verbi semine nobiscum spiritaliter nati: nunc autem collato interpretum sensu, probabilior occurrit sententia propriè de consanguineis non despiciendis esse præceptum, quoniam domesticos seminis cùm ad carnem retuleris, consanguinei potissimùm occurrunt: unde esse arbitror illud Apostoli quod ait, *Si quo modo ad æmulationem adducere potuero carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis*; id est ut æmulando eos, qui crediderant, & ipsi crederent. Carnem enim suam dixit Judæos, propter consanguinitatem. Item illud ejusdem Isaiæ prophetæ, *Nisi credideritis, non intelligetis*; alius interpretatus est, *Nisi credideritis, non permanebitis*: quis horum [b] verba secutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est. Sed tamen ex utroque magnum aliquid insinuatur scienter legentibus. Difficile est enim ita diversos à se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant. Ergo quoniam intellectus in specie sempiterna est, fides verò in rerum temporalium quibusdam cunabulis quasi lacte alit parvulos, nunc autem per fidem ambulamus, non per speciem, nisi autem per fidem ambulaverimus, ad speciem pervenire non poterimus quæ non transit, sed permanet per intellectum purgatum nobis cohærentibus veritati; propterea ille ait, *Nisi credideritis, non permanebitis*; ille vero, *Nisi credideritis, non intelligetis*.

Isaia 58. 7. — Rom. 11. 14. — Isaia 7. 9. b *— 2. Cor. 5. 7.*

Ex verborum ambiguitate ut accidit error interpretum.

18. Et ex ambiguo linguæ præcedentis plerumque interpres fallitur, cui non bene nota sententia est, & eam significationem transfert, quæ à sensu scriptoris penitus aliena est. sicut quidam codices habent, *Acuti pedes eorum ad effundendum sanguinem*: ὀξὺς enim & acutum apud Græcos & velocem significat. Ille ergo vidit sententiam, qui transtulit, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; ille autem alius ancipiti signo in aliam partem raptus erravit. Et talia quidem non obscura, sed falsa sunt, quorum alia conditio est: non enim intelligendos, sed emendandos tales codices potiùs præcipiendum est. Hinc est etiam illud, quoniam μόσχος græcè vitulus dicitur, μοσχεύματα quidam non intellexerunt esse *plantationes*, & *vitulamina* interpretati sunt: qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum; & tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis: namque *adulterinæ plantationes non dabunt radices altas*, convenientiùs dicitur quàm vitulamina, quæ pedibus in terra gradiuntur, & non hærent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cetera contexta custodiunt.

Psal. 13. 3. — Sap. 4. 3.

CAPUT XIII. Interpretationis vitium unde emendari possit.

19. SED quoniam & quæ sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate atque judicio conantur eloqui, non apparet, nisi in ea lingua inspiciatur quam interpretantur; & plerumque à sensu auctoris devius aberrat interpres, si non sit doctissimus; aut linguarum illarum, ex quibus in latinam Scriptura pervenit, petenda cognitio est, aut habendæ interpretationes eorum, qui se verbis nimis obstrinxerunt; non quia sufficiunt, sed ut ex eis [c] veritas vel error detegatur aliorum, qui non magis verba quàm sententias interpretando sequi maluerunt. Nam non solùm verba singula, sed etiam locutiones sæpe transferuntur, quæ omnino in latinæ linguæ usum, si quis consuetudinem veterum, qui latinè locuti sunt, tenere voluerit, transire non possunt. Quæ aliquando intellectui nihil adimunt, sed offendunt tamen eos, qui plus delectantur rebus, cùm etiam in earum signis sua quædam servatur integritas. Nam solœcismus qui dicitur, nihil aliud est quàm cùm verba non ea lege sibi coaptantur, qua coaptaverunt qui priores nobis non sine auctoritate aliqua locuti sunt. Utrùm enim inter homines, an inter hominibus dicatur, ad rerum non pertinet cognitorem. Item barbarismus quid aliud est, nisi verbum non eis litteris vel sono enuntiatum, quo ab eis qui latinè ante nos locuti sunt, enuntiari solet? Utrùm enim ignoscere producta an correptâ tertiâ syllabâ dicatur, non multum curat qui peccatis suis Deum ut ignoscat petit, quolibet modo illud verbum sonare potuerit. Quid est ergo integritas locutionis, nisi [d] alienæ consuetudinis conservatio loquentium veterum auctoritate firmatæ.

20. Sed tamen eo magis inde offenduntur homines, quo infirmiores sunt; & eo sunt infirmiores, quo doctiores videri volunt, non rerum scientiâ qua ædificamur, sed signorum qua non inflari omnino difficile est, cùm & ipsa rerum scientia sæpe cervicem erigat, nisi dominico reprimatur jugo. Quid enim obest intellectori, quòd ita scrip-

[a] Editi, *principia*. At MSS. *principium*.

[b] Quod adtinet ad *Sapientiæ* librum, non esse ejus auctorem Jesum filium Sirach didicit postea Augustinus, uti in 2. Retract. 4. admonet. Salomonis nomine laudat auctor, quisquis est, operis de Symbolo ad Catechumenos lib. 2. c. 2. immo & Cyprianus in lib de Mortalitate, Basilius in lib. 5. contra Eunomium, & passim Ambrosius. At Augustinus non hîc tantùm, sed etiam in Speculo pag. 733. Salomoni tributum existimat, *propter quamdam eloquii similitudinem. Nam Salomonis non esse*, inquit, *nihil dubitant quique doctiores*: additque, illius quisnam sit auctor non apparere. Hieronymus librum eumdem, cui jam olim titulus erat, *Sapientia Salomonis*, ψευδεπίγραφον appellat, & dicit Philoni Judæo adscriptum à veteribus, atque ipsius stilum Græcam eloquentiam redolere. Sunt jam nonnulli qui velint sententias quidem ex Salomone, ex Philone autem earum collectionem, phrasimque Græcam prodiisse.

[c] Editi, *intelligentiâ*. MSS. aliquot, *intelligentiæ*.

[a] MSS. tres, *contexta*.

[b] Sic tres MSS. Alij cum editis, *vera*.

[c] Editi, *libertas vel error dirigatur*. Reposuimus ex undecim MSS. fide, *veritas*. moxque ex conjectura, *detegatur*: cui conjecturæ unicus favet Floriacensis codex in quo legere est, *deligatur*.

[d] Sic MSS. plerique. At editi, *nisi latinæ consuetudinis*.

Num.13.20. tum est, *Quæ est terra, in qua isti insidunt super eam, si bona est an nequam; & quæ sunt civitates, in quibus ipsi inhabitant in ipsis?* Quam locutionem magis alienæ linguæ esse arbitror, quàm sensum aliquem altiorem. Illud etiam quod jam auferre non
Psal.131.18. possumus de ore cantantium populorum, *Super ipsum autem floriet sanctificatio mea*, nihil profectò sententiæ detrahit: auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non *floriet*, sed *florebit* diceretur. nec quidquam impedit correctionem nisi consuetudo cantantium. Ista ergo facilè etiam contemni possunt, si quis ea cavere noluerit, quæ sano intellectui nihil detrahunt. At verò illud quod ait
1.Cor. 1.25. Apostolus, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*: si quis in eo græcam locutionem servare voluisset, ut diceret, Quod stultum est Dei, sapientius est hominum; & quod infirmum est Dei, fortius est hominum; iret quidem vigilantis lectoris intentio in sententiæ veritatem, sed tamen aliquis tardior aut non intelligeret, aut etiam perversè intelligeret. Non enim tantùm vitiosa locutio est in latina lingua talis, verùm & in ambiguitatem cadit, ut quasi hominum stultum vel hominum infirmum sapientius vel fortius videatur esse quàm Dei. Quamquam & illud „*sapientius est hominibus*, non caret ambiguo, etiamsi solœcismo caret. Utrùm enim his hominibus ab eo quod est *huic homini*, an his hominibus ab eo quod est *ab hoc homine* dictum sit, non apparet nisi illuminatione sententiæ. Meliùs itaque dicitur, sapientius est quàm homines, & fortius est quàm homines.

CAPUT XIV. Ignoti verbi & ignotæ locutionis unde eruenda cognitio.

21. De ambiguis autem signis pòst loquemur, nunc de incognitis agimus, quorum duæ formæ sunt, quantum ad verba pertinet. Namque aut ignotum verbum facit hærere lectorem, aut ignota locutio. Quæ si ex alienis linguis veniunt, aut quærenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut eædem linguæ, si & otium est & ingenium, ediscendæ, aut plurium interpretum consulenda collatio est. Si autem ipsius linguæ nostræ aliqua verba locutionesque ignoramus, legendi consuetudine audiendique innotescunt. Nulla sanè sunt magis mandanda memoriæ quàm illa verborum locutionumque genera, quæ ignoramus, ut cùm vel peritior occurrerit, de quo quæri possint, vel talis lectio quæ vel ex præcedentibus vel consequentibus vel utrisque ostendat, quam vim habeat, quidve significet quod ignoramus, facilè adjuvante memoriâ possimus advertere & discere. Quamquam tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut qui in Scripturis sanctis quodammodo nutriti educatique sunt, magis alias locutiones mirentur, easque minùs latinas putent, quàm illas quas in Scripturis didicerunt, neque in latinæ linguæ auctoribus reperiuntur. Plurimùm hîc quoque juvat interpretum numerositas collatis codicibus inspecta atque discussa; tantùm absit falsitas: nam codicibus emendandis primitus debet invigilare sollertia eorum, qui Scripturas divinas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant, ex uno dumtaxat interpretationis genere venientes.

CAPUT XV.

22. In ipsis autem interpretationibus Itala ceteris præferatur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. Et Latinis quibuslibet emendandis, Græci adhibeantur, in quibus Septuaginta interpretum, quod ad vetus Testamentum adtinet, excellit auctoritas: qui jam per omnes peritiores Ecclesias tantâ præsentiâ sancti Spiritus interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui si, ut fertur, multique non indigni fide [a] prædicant, singuli cellis etiam singulis separati cùm interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in ceteris, quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? Si autem contulerunt ut una omnium communi tractatu judicioque vox fieret, nec sic quidem quemquam unum hominem qualibet peritiâ ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum adspirare oportet aut decet. Quamobrem etiamsi aliquid aliter in hebræis exemplaribus invenitur quàm isti posuerunt, cedendum esse arbitror divinæ dispensationi, quæ per eos facta est, ut libri quos gens Judæa ceteris populis, vel religione vel invidiâ prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus ministra regis Ptolomæi potestate tanto antè proderentur. Itaque fieri potest, ut sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere gentibus ille qui eos agebat, & qui unum os omnibus fecerat, Spiritus-sanctus judicavit. Sed tamen ut superiùs dixi, horum quoque interpretum qui verbis tenaciùs inhæserunt, collatio non est inutilis ad explanandam sæpe sententiam. Latini ergo, ut dicere cœperam, codices veteris Testamenti, si necesse fuerit, Græcorum auctoritate emendandi sunt, & eorum potissimùm qui cùm Septuaginta essent, ore uno interpretati esse perhibentur. Libros autem novi Testamenti, si quid in latinis varietatibus titubat, græcis cedere oportere non dubium est, & maximè qui apud Ecclesias doctiores & diligentiores reperiuntur.

Commendatur Itala versio latina, & græca LXX. interpretum.

De cioit. Dei, lib.18. cap. 43.

a

CAPUT XVI. Ut translata signa intelligantur juvat tum linguarum notitia, tum rerum.

23. In translatis verò signis, si qua fortè ignota cogunt hærere lectorem, partim linguarum notitiâ, partim rerum, investiganda sunt. Aliquid enim ad similitudinem valet, & procul dubio secretum quiddam insinuat Siloa piscina, ubi faciem lavare jussus est, cui oculos Dominus luto de sputo facto inunxerat: quod tamen nomen linguæ incognitæ, nisi Evangelista interpretatus esset, tam magnus intellectus lateret. Sic etiam multa, quæ ab auctoribus eorumdem librorum interpretata non sunt, nomina hebræa, non est dubitandum habere non parvam vim atque adjutorium ad solvenda ænigmata Scripturarum, si quis ea possit interpretari: quod nonnulli ejusdem linguæ periti viri, non sanè parvum beneficium posteris contulerunt, qui separata de Scripturis eadem omnia verba interpretati sunt, & quid sit Adam, quid Eva, quid Abraham, quid Moyses, sive etiam locorum nomina, quid sit Jerusalem, vel Sion, vel Jerico, vel Sina, vel Libanus, vel Jordanis, vel quæcumque alia in illa lingua nobis sunt incognita nomina. quibus apertis & interpretatis multæ in Scripturis figuratæ locutiones manifestantur.

Johan. 9. 7.

24. Rerum autem ignorantia facit obscuras fi-

[a] Inter eos Irenæus lib. 3. c. 25. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 4. Hilarius in Psal. 2. &c. sed ante hos Justinus martyr, qui in oratione ad Gentes, cellularum in quibus LXX. Interpretes Ptolemæi jussu Scripturis vertendis seorsim vacaverunt, vestigia quædam Alexandriæ se conspexisse profitetur. Verumtamen Hieronymus in præfatione in Pentateuchum nescire se ait, *quis primus auctor septuagintæ cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint: quippe cùm Aristeus Ptolemæi ὑπαγορευτὴς, & multo post tempore Josephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse.*

guratas locutiones, cùm ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicujus gratiâ ponuntur. Nam & de serpente quod notum est, totum corpus eum pro capite objicere ferientibus, quantum illustrat sen-
Matth.10. 16. sum illum, quo Dominus jubet astutos nos esse sicut serpentes, ut scilicet pro capite nostro, quod est Christus, corpus potiùs persequentibus offeramus,
a ne fides Christiana tamquam [a] necetur in nobis, si parcentes corpori negemus Deum? vel illud quod per cavernæ angustias coartatus, depositâ veteri tunicâ vires novas accipere dicitur, quantum con-
Ephes. 4.24. cinit ad imitandam ipsam serpentis astutiam, exuen-
Coloss. 2. 8. dumque ipsum veterem hominem, sicut Apostolus dicit, ut induamur novo; & exuendum per an-
Matth.7.13 gustias, dicente Domino, *Intrate per angustam portam?* Ut ergo notitia naturæ serpentis illustrat multas similitudines, quas de hoc animante dare Scriptura consuevit, sic ignorantia nonnullorum animalium, quæ non minùs per similitudines commemo-
b rat, impedit plurimùm [b] intellectorem. Sic lapidum, sic herbarum, vel quæcumque tenentur radicibus. Nam & carbunculi notitia, quòd lucet in tenebris, multa illuminat etiam obscura librorum, ubicumque propter similitudinem ponitur: & ignorantia berilli vel adamantis claudit plerumque intelligentiæ fores. Nec aliam ob caussam facile est intelligere pacem perpetuam significari oleæ ra-
Genes. 8.11. musculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, nisi quia novimus & olei lenem contactum non facilè alieno humore corrumpi, & arborem ipsam frondere perenniter. Multi autem propter ignorantiam hyssopi, dum nesciunt quam vim habeat, vel ad purgandum pulmonem, vel ut dicitur, ad saxa radicibus penetranda, cùm sit herba brevis atque humilis, omnino invenire non possunt, quare sit
Psal. 50.9. dictum, *Asperges me hyssopo, & mundabor.*

25. Numerorum etiam imperitia multa facit non intelligi, translatè ac mysticè posita in Scripturis. Ingenium quippe, ut ita dixerim, ingenuum
Exodi 24. 18. non potest non moveri quid sibi velit, quod & Moy-
3. Reg.19.8. ses, & Elias, & ipse Dominus quadraginta diebus
Matth. 4.2. jejunaverunt. Cujus actionis figuratus quidam nodus nisi hujus numeri cognitione & consideratione non solvitur. Habet enim denarium quater, tamquam cognitionem omnium rerum intextam temporibus. Quaternario namque numero & diurna & annua curricula peraguntur: diurna matutinis, meridianis, vespertinis, nocturnisque horarum spatiis: annua vernis, æstivis, autumnalibus hyemalibus-que mensibus. A temporum autem delectatione dum in temporibus vivimus, propter æternitatem in qua vivere volumus, abstinendum, & jejunandum est: quamvis temporum cursibus ipsa nobis insinuetur doctrina contemnendorum temporum & appetendorum æternorum. Porrò autem denarius numerus Creatoris atque creaturæ significat scientiam: nam trinitas Creatoris est, septenarius autem numerus creaturam indicat, propter vitam & corpus. Nam in illa tria sunt, unde etiam toto corde,
Matth. 22. 37. tota anima, tota mente diligendus est Deus: in corpore autem quatuor manifestissima apparent, quibus constat, elementa. In hoc ergo denario dum temporaliter nobis insinuatur, id est quater ducitur, castè & continenter, à temporum delectatione vi-

[a] Editi addunt hîc, *caput.* quæ vox abest ab omnibus MSS.
[b] In vulgatis, *lectorem.* At in MSS. *intellectorem.*

vere, hoc est quadraginta diebus jejunare monemur. Hoc Lex, cujus persona est in Moyse, hoc Prophetia, cujus personam gerit Elias, hoc ipse Dominus monet, qui tamquam testimonium habens ex Lege & Prophetis, medius inter illos in monte Matth.17.3. tribus discipulis videntibus atque stupentibus claruit. Deinde ita quæritur, quomodo quinquagenarius de quadragenario numero exsistat, qui non mediocriter in nostra religione sacratus est propter Pentecosten, & quomodo ter ductus propter tria Act. 2. tempora, ante Legem, sub Lege, sub gratia, vel propter nomen patris & Filij & Spiritus-sancti, adjuncta eminentiùs ipsa Trinitate, ad purgatissimæ Ecclesiæ mysterium referatur, perveniatque ad Johan. 21. centum quinquaginta tres pisces, quos retia post 11. resurrectionem Domini in dexteram partem missa ceperunt. Ita multis aliis atque aliis numerorum formis quædam similitudinum in sanctis libris secreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clausa sunt.

26. Non pauca etiam claudit atque obtegit nonnullarum rerum musicarum ignorantia. Nam & de psalterij & citharæ differentia, quidam non inconcinnè aliquas rerum figuras aperuit; & decem chordarum psalterium non importunè inter doctos Psal. 32. 2. quæritur, utrùm habeat aliquam musicæ legem, Psal 91. 3. quæ ad tantum nervorum numerum cogat; an verò si non habet, eo ipso magis sacratè accipiendus sit ipse numerus, vel propter decalogum Legis, de quo item numero si quæratur, nonnisi ad Creatorem creaturamque referendus est; vel propter superiùs expositum ipsum denarium. Et ille numerus ædificationis templi, qui commemoratur in Evangelio, quadraginta scilicet & sex annorum, nescio quid musicum sonat, & relatus ad fabricam dominici corporis, propter quam templi mentio facta est, cogit nonnullos hæreticos confiteri Filium Dei non falso, sed vero & humano corpore indutum: & numerum quippe & musicam plerisque locis in sanctis Scripturis honorabiliter posita invenimus. Johan.2.20.

CAPUT XVII. Origo fabulæ Musarum novem.

27. Non enim audiendi sunt errores gentilium superstitionum, qui novem Musas Jovis & [c] Memoriæ filias esse finxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio utrùm apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim civitatem nescio quam, non enim nomen recolo, locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum poneret, ut quisquis artificum pulcriora formasset, ab illo potissimùm electa emeret. Itaque contigisse ut opera sua quóque illi artifices æquè pulcra explicarent, & placuisse civitati omnes novem, atque omnes esse emtas, ut in Apollinis templo dedicarentur; quibus postea dicit Hesiodum poëtam imposuisse vocabula. Non ergo Jupiter novem Musas genuit, sed tres fabri ternas creaverunt. Tres autem non propterea illa civitas locaverat, quia in somnis eas viderat, aut tot se cujusquam illorum oculis demonstraverant; sed quia facile erat animadvertere omnem sonum, quæ materies cantilenarum est, triformem esse naturâ. Aut enim voce editur, sicuti eorum est qui faucibus sine organo canunt; aut flatu, sicut tubarum & tibiarum; aut pulsu, sicut in citharis & tympanis, & quibuslibet aliis quæ percutiendo canora sunt.

c

28. Sed sive ita se habeat quod Varro retulit,

[c] MSS. duo è Vaticanis, *Minervæ.* Alij omnes codices, *Memoriæ.* Sic verò etiam in lib. 2. de Ordine c. 14. n. 41.

CAPUT XVIII. Profani si quid bene dixerunt, non aspernandum.

sive non ita; nos tamen non propter superstitionem A profanorum debemus musicam fugere, si quid inde utile ad intelligendas sanctas Scripturas rapere potuerimus; nec ad illorum theatricas nugas converti, si aliquid de citharis & de organis, quod ad spiritalia capienda valeat, disputemus. Neque enim & litteras discere non debuimus, quia earum [a] repertorem dicunt esse Mercurium; aut quia justitiæ virtutique templa dedicarunt, & quæ corde gestanda sunt in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis justitia virtusque fugienda est: immò verò quisquis bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit, veritatem, quam [b] confitens & agnoscens, etiam in litteris sacris, superstitiosa figmenta repudiet; doleatque homines atque caveat, qui cognoscentes

Rom. 1. 21. Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imagi- C nis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.

CAPUT XIX. Doctrinarum genera duo reperta apud Ethnicos.

29. SED ut totum istum locum, nam est maximè necessarius, diligentiùs explicemus, duo sunt genera doctrinarum, quæ in gentilibus etiam moribus exercentur. Unum earum rerum quas instituerunt homines, alterum earum quas animadverterunt jam peractas aut divinitus institutas. Illud quod est secundùm institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim non est.

CAPUT XX. Scientiæ quas homines instituerunt aliquæ superstitionum plenæ.

30. SUPERSTITIOSUM est, quidquid in- D stitutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola, pertinens vel ad colendam sicut Deum creaturam partemve ullam creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potiùs quàm docere assolent poëtæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, haruspicum & augurum libri. Ad hoc genus perti- E nent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis quos characteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis, atque illigandis, vel etiam [c] aptandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas: quæ mitiore nomine physica vocant, ut quasi non superstitione implicare, sed naturâ prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo au- F rium singularum, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cùm tibi dicitur singultienti, ut dextera manu sinistrum pollicem teneas.

31. His adjunguntur millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit: atque illud quòd lapidem calcant, tamquam diremtorem amicitiæ, minùs molestum est, quàm quòd innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercur- G rit. Sed bellum est quòd aliquando pueri vindicantur à canibus: nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem qui medius intervenerit, ferire audeant, non impunè; namque à vano remedio citò ille interdum percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa, limen calcare cùm ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit; cùm vestis à soricibus roditur, plus [d] tremere suspicione futuri mali, quàm præsens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum est Catonis, qui cùm esset consultus à quodam, qui sibi à soricibus erosas caligas diceret, respondit non esse illud monstrum, sed verè B monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur.

Catonis dictum lepidum.

CAPUT XXI. Superstitio mathematicorum.

32. NEQUE illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgò mathematici vocantur. Nam & ipsi quamvis veram stellarum positionem, cùm quisque nascitur, consectentur, & aliquando etiam pervestigent; tamen quòd inde conantur vel actiones nostras vel actionum eventa prædicere, nimis errant, C & vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem. Nam quisque liber ad hujusmodi mathematicum cùm ingressus fuerit, dat pecuniam ut servus inde exeat aut Martis, aut Veneris, vel potiùs omnium siderum, quibus illi qui primi errav erunt, erroremque posteris propinaverunt, vel bestiarum propter similitudinem, vel hominum ad ipsos homines honorandos imposuerunt vocabula. Non enim mirandum est, cùm etiam propioribus recentioribusque temporibus, sidus quod appella- D mus Luciferum, honori & nomini Cæsaris Romani dicare conati sunt. Et fortasse factum esset atque isset in vetustatem, nisi avia ejus Venus præoccupasset hoc nominis prædium; neque jure ullo ad heredes trajiceret, quod numquam viva possederat aut possidendum petiverat. Nam ubi vacabat locus, neque alicujus priorum mortuorum honore tenebatur, factum est quod in rebus talibus fieri solet. Pro Quintili enim & Sextili mensibus, Julium atque Augustum vocamus, de honoribus hominum E Julij Cæsaris & Augusti Cæsaris nuncupatos, ut facilè qui voluerit intelligat etiam illa sidera priùs sine his nominibus cælo vagata esse: mortuis autem illis quorum honorare memoriam vel coacti sunt homines regia potestate, vel placuit humana vanitate, nomina eorum imponentes sideribus, eos ipsos sibi mortuos in cælum levare videbantur. Sed quodlibet vocentur ab hominibus, sunt tamen sidera, quæ Deus instituit & ordinavit ut voluit; & est certus motus illorum, quo tempora distinguuntur F atque variantur. Quem motum notare cùm quisque nascitur quo modo se habeat, facile est, per eorum inventas conscriptasque regulas, quos sancta Scriptura condemnat, dicens, *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo ejus dominum non faciliùs invenerunt?* Sap. 13. 9.

Sic Virgilius, Eclog. 9. Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

CAPUT XXII. Observatio siderum ad cognoscendam vitæ seriem vana.

33. SED ex ea notatione velle nascentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error & magna dementia est. Et apud eos quidem qui talia dediscenda didicerunt, sine ulla dubitatione refellitur hæc superstitio. Constellationes enim quas vocant, notatio est siderum, quomodo se habebant cùm ille nasceretur, de quo isti miseri à miseriori- G bus consuluntur. Fieri autem potest, ut aliqui gemini tam sequaciter fundantur ex utero, ut intervallum

a MSS. prope omnes, *earum Deum dicunt.*
b MSS. plusquam viginti, *conferens.* consentit editio Am.
c Codices editi & MSS. *saltandis quodammodo*, excepto uno Remigiano, cujus auctoritate restituimus, *aptandis.*
d Sic MSS. melioris notæ. At editi, *timere suspicionem.*

vallum temporis inter eos nullum possit apprehen- A di, & constellationum numeris adnotari. Unde necesse est nonnullos geminos easdem habere constellationes, cùm paria rerum, vel quas agunt vel quas patiuntur, eventa non habeant, sed plerumque ita disparia, ut alius felicissimus, alius infelicissi-

Gen. 25. 25. mus vivat: sicut Esaü & Jacob geminos accepimus natos, ita ut Jacob, qui posterior nascebatur, manu plantam præcedentis fratris tenens inveniretur. Horum certè dies atque hora nascentium aliter notari non posset, nisi ut amborum constellatio esset B una: quantum autem interfit inter amborum mores, facta, labores atque successus, Scriptura testis est, jam ore omnium gentium [a] pervagata.

34. Neque enim ad rem pertinet, quod dicunt ipsum momentum minimum atque angustissimum temporis, quod geminorum partum disterminat, multum valere in rerum natura atque cælestium corporum rapidissima velocitate. Etsi enim concedam u plurimum valeat, tamen in constellationibus à mathematico inveniri non potest, quibus inspectis se fata dicere profitetur. Quod ergo in con- C stellationibus non invenit, quas necesse est unas inspiciat sive de Jacob, sive de ejus fratre consulatur, quid ei prodest si [b] distat in cælo quod temere securus infamat, & non distat in tabula quam frustra sollicitus intuetur? Quare istæ quoque opiniones quibusdam rerum signis humana præsumtione institutis, ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta & conventa referendæ sunt.

CAPUT XXIII. Cur repudianda genethliacorum scientia.

35. HINC enim fit, ut occulto quodam judi- D cio divino cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus angelis, quibus ista mundi pars infima secundùm pulcherrimum ordinem rerum divinæ providentiæ lege subjecta est. Quibus illusionibus & deceptionibus evenit, ut istis superstitiosis & perniciosis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quàm dicuntur; multaque observantibus secundùm observa- E tiones suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus

26. quæst. 2. c. Illud. laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter divina Scriptura non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, ut propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à pro-

Deut. 13. 2. fessoribus eorum, sed etiam *si dixerint vobis*, inquit, *& ita evenerit, ne credatis eis.* Non enim quia ima-

1. Reg. 28. 17. Eccli. 46. 23. go Samuelis mortui Saüli regi vera prænuntiavit, propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsen- F tata est, minùs exsecranda sunt: aut quia in Actibus Apostolorum [c] ventriloqua femina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, idcirco Paulus apostolus pepercit illi spiritui, ac non potiùs feminam illius dæmonij correptione atque exclusione mundavit.

36. Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, peni- G tus sunt repudianda & fugienda Christiano: *non quòd idolum sit aliquid*, ait Apostolus, *sed quia quæ immolant, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos socios dæmoniorum fieri.* Quod autem de idolis, & de immolationibus, quæ honori eorum exhibentur, dixit Apostolus, hoc de omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam ejusque partes tamquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque observationum curam pertinent; quæ non sunt divinitus ad dilectionem Dei & proximi tamquam publicè constituta, sed per privatas appetitiones rerum temporalium corda dissipant miserorum. In omnibus ergo istis doctrinis societas dæmonum formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo nisi reditum nostrum claudere atque obserare conantur. Sicut autem de stellis, quas condidit & ordinavit Deus, humanæ & deceptoriæ conjecturæ ab hominibus institutæ sunt: sic etiam de quibusque nascentibus vel quoquo modo divinæ providentiæ administratione exsistentibus rebus multi multa humanis suspicionibus, quasi regulariter [d] conjectata, litteris mandaverunt, si fortè insolitè acciderint, tamquam si mula pariat, aut fulmine aliquid percutiatur. 1. Cor. 10. 19.

CAPUT XXIV. Societas & pactum cum dæmonibus in superstitioso rerum usu.

37. QUÆ omnia tantum valent, quantum præsumtione animorum quasi communi quadam linguâ cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen plena sunt omnia pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis. Non enim quia D valebant, animadversa sunt; sed animadvertendo atque [e] signando factum est ut valerent. Et ideo diversis diversè proveniunt secundùm cogitationes & præsumtiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones & consensiones ejus vident. Sicut enim, verbi gratiâ, una figura litteræ *X* quæ decussatim notatur, aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet, non naturâ, sed placito & consensione significandi; & ideo qui utramque linguam E novit, si homini Græco velit aliquid significare scribendo, non in ea significatione ponit hanc litteram, in qua eam ponit cùm homini scribit Latino: & *beta* uno eodemque sono, apud Græcos litteræ, apud Latinos oleris nomen est: & cùm dico, *lege*, in his duabus syllabis, aliud Græcus, aliud Latinus intelligit: sicut ergo hæ omnes significationes pro suæ cujusque societatis consensione animos movent, & quia diversa consensio est, diversè movent; nec ideo consenserunt in eas homines, quia jam valebant ad significationem, sed ideo valent, quia consenserunt in eas: sic etiam illa signa, quibus perniciosa dæmonum societas comparatur, pro cujusque observationibus valent. Quod manifestissimè ostendit ritus augurum; qui & antequam observent, & posteaquàm observata signa tenuerint, id agunt ne videant volatus, aut audiant voces aviur..; quia nulla ista signa sunt, nisi consensus observantis accedat.

CAPUT XXV. In institu-

38. QUIBUS amputatis atque eradicatis ab G animo Christiano, deinceps videndæ sunt institu-

a MSS. tres, *pervulgata.*
b In excusis hactenus, *si discat in cælo ..... & non discat in tabula.* Sed incuncctanter ex MSS. reponendum utroque loco, *distat.* quandoquidem id confuratur, quod Mathematici garriunt, momentum vel minimum quo geminorum partus disterminatur, in tanta cælestium corporum velocitate valere plurimum.
c MSS. tres, *ventiloqua.* Verùs alij, *ventriloqua*, Græcis ἐγγαστρίμυθος, uti Pythonissa mulier 1. Reg. 28. 7. vocatur apud LXX Interpretes, qui hanc vocem passim adhibent; eamque Basilius in Isai. 8. 19. interpretatur ad hæccce verba, ζητήσατε ἐγγαστριμύθους, *hoc est*, ait, *qui in Pythone futura prædicunt, per ventrem obsessi, ipso spiritu loquente, qui & de terra loquuntur, inania quadam effutientes.* Adnotaverat hæc Etatmus ad oram libri, fuisse suo etiam tempore apud Italos divinatorum genus, qui sic dicti sunt, quòd ore non edentes sonum, per ventrem loqui visi sunt.
d Editi, *conjectæ litteris.* At MSS. *conjectata.*
e MSS. quinque, *atque servando.*

tis humanis non superstitiosis quædam superflua, quædam commoda & necessaria.

tiones hominum non superstitiosæ, id est non cum dæmonibus, sed cùm ipsis hominibus institutæ. Namque omnia quæ ideo valent inter homines, quia placuit inter eos ut valeant, instituta hominum sunt: quorum partim superflua luxuriosaque instituta sunt, partim commoda & necessaria. Illa enim signa quæ saltando faciunt histriones, si naturâ non instituto & consensione hominum valerent, non primis temporibus saltante Pantomimo præco pronuntiaret populis Carthaginis quid saltator vellet intelligi. Quod adhuc multi meminerunt senes, quorum relatu hæc solemus audire. Quod ideo credendum est, quia nunc quoque si quis theatrum talium nugarum imperitus intraverit, nisi ei dicatur ab altero quid illi motus significent, frustra totus intentus est. Appetunt tamen omnes quamdam similitudinem in significando, ut ipsa signa, inquantum possunt, rebus quæ significantur similia sint. Sed quia multis modis simile aliquid alicui potest esse, non constant talia signa inter homines, nisi consensus accedat.

Πανόμιμος qui quoslibet gestus moresque exprimebat.

39. In picturis verò & statuis, ceterisque hujusmodi simulatis operibus, maximè peritorum artificum, nemo errat cùm similia viderit, ut agnoscat quibus sint rebus similia. Et hoc totum genus inter superflua hominum instituta numerandum est, nisi cùm interest quid eorum, qua de caussâ, & ubi, & quando, & cujus auctoritate fiat. Millia denique fictarum fabularum & falsitatum, quarum mendaciis homines delectantur, humana instituta sunt. Et nulla magis hominum propria, quæ à se ipsis habent, existimanda sunt, quàm quæque falsa atque mendacia. Commoda verò & necessaria hominum cum hominibus instituta sunt, quæcumque in habitu & cultu corporis ad sexus vel honores discernendos differentia placuit; & innumerabilia genera significationum sine quibus humana societas, aut non omnino, aut minùs commodè geritur; quæque in ponderibus atque mensuris, & nummorum impressionibus vel æstimationibus, sua cuique civitati & populo sunt propria, & cetera hujusmodi, quæ nisi hominum instituta essent, non per diversos populos varia essent, nec in ipsis singulis populis pro arbitrio suorum principum mutarentur.

40. Sed hæc tota pars humanorum institutorum, quæ ad usum vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano, immo etiam quantum satis est, intuenda, memoriâque retinenda. * Adumbrata enim quædam & naturalibus utcumque similia hominum instituta sunt. Quorum ea, quæ ad societatem, ut dictum est, dæmonum pertinent, penitus repudianda sunt & detestanda: ea verò quæ homines cum hominibus habent, assumenda, inquantum non sunt luxuriosa atque superflua, & maximè litterarum figuræ, sine quibus legere non possumus, linguarumque varietas quantum satis est, de qua superiùs disputavimus. Ex eo genere sunt etiam notæ, quas qui didicerunt propriè jam Notarij appellantur. Utilia sunt ista, nec discuntur illicitè, nec superstitione implicant, nec luxu enervant, si tantum occupent, ut majoribus rebus, ad quas adipiscendas servire debent, non sint impedimento.

* Caput XXVI. Quæ hominum instituta fugienda, & quæ amplectenda sint.

Notarij.

41. Jam verò illa quæ non instituendo, sed aut transacta temporibus, aut divinitus instituta, investigando homines prodiderunt, ubicumque discantur, non sunt hominum instituta existimanda. Quorum alia sunt ad sensum corporis, alia verò ad rationem animi pertinentia. Sed illa quæ sensu corporis adtinguntur, vel narrata credimus, vel demonstrata sentimus, vel experta conjicimus.

Caput XXVII. Scientiarũ quas homines non instituerunt, aliquæ juvant ad intelligentiã Scripturarum.

42. Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur Historia, plurimùm nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiam si præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam & per Olympiadas, & per Consulum nomina multa sæpè quæruntur à nobis, & ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coëgit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum templum esse dictum est à Judæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorum quidem ferè triginta baptizatum esse retinemus auctoritate evangelica: sed postea quot annos in hac vita egerit, quamquam textu ipso actionum ejus animadverti possit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Evangelio, liquidiùs certiúsque colligitur. Tunc enim videbitur non frustra esse dictum, quòd quadraginta sex annis templum ædificatum sit, ut cùm referri iste numerus ad ætatem Domini non potuerit, ad secretiorem instructionem humani corporis referatur, quo indui propter nos non dedignatus est unicus Dei Filius, per quem facta sunt omnia.

Caput XXVIII. Historia quatenus juvet.

Luc. 3. 23.

43. De utilitate autem historiæ, ut omittam Græcos, quantam noster Ambrosius quæstionem solvit calumniantibus Platonis lectoribus & dilectoribus, qui dicere ausi sunt, omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longè ante humanum adventum Domini Platonem fuisse, negari non potest. Nonne memoratus Episcopus consideratâ historiâ gentium, cùm reperisset Platonem Jeremiæ * temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi propheta ille tunc erat, probabilius esse ostendit, quòd Plato potiùs nostris litteris per Jeremiam fuerit imbutus, ut illa posset docere vel scribere quæ jure laudantur? Ante litteras enim gentis Hebræorum, in qua unius Dei cultus emicuit, ex qua secundùm carnem venit Dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, à cujus posteris Platonem Theologiam didicisse isti asserunt. Ita consideratis temporibus fit multo credibilius, istos potiùs de litteris nostris habuisse, quæcumque bona & vera dixerunt, quàm de Platonis Dominum Jesum Christum, quod dementissimum est credere.

* 2. Retract. c. 4. n. 2.

44. Narratione autem historica, cùm præterita etiam hominum instituta narrantur, non inter humana instituta ipsa historia numeranda est; quia jam quæ transierunt, nec infecta fieri possunt, in ordine temporum habenda sunt, quorum est conditor & administrator Deus. Aliud est enim facta narrare, aliud docere facienda. Historia facta narrat fideliter atque utiliter; libri autem haruspicum, & quæque similes litteræ, facienda vel observanda intendunt docere, monitoris audaciâ, non [a] indicis fide.

[a] Editi, *judicii*. Pater legendum cum melioris notæ MSS. *indicis*.

45. Est etiam narratio demonstrationi similis, qua non præterita, sed præsentia indicantur ignaris. In quo genere sunt quæcumque de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, herbarum, lapidum, aliorumve corporum scripta sunt. De quo genere superiùs egimus, eamque cognitionem valere ad ænigmata Scripturarum solvenda docuimus: non ut pro quibusdam signis adhibeantur, tamquam ad remedia vel machinamenta superstitionis alicujus; nam & illud genus jam distinctum ab hoc licito & libero separavimus. Aliud est enim dicere, Tritam istam herbam si biberis, venter non dolebit; & aliud est dicere, Istam herbam collo si suspenderis, venter non dolebit. Ibi enim probatur contemperatio salubris, hîc significatio superstitiosa damnatur. Quamquam ubi præcantationes, & invocationes, & characteres non sunt, plerumque dubium est utrùm res quæ alligatur, aut quoquo modo adjungitur sanando corpori, vi naturæ valeat, quod liberè adhibendum est; an significativa quadam obligatione proveniat, quod tanto prudentiùs oportet cavere Christianum, quanto efficaciùs prodesse videbitur. Sed ubi latet quâ caussâ quid valeat, quo animo quisque utatur interest, dumtaxat in sanandis vel temperandis corporibus, sive in medicina, sive in agricultura.

Caput XXIX. Ad Scripturarum intelligentiã

quatenus conducat animalium, herbarum &c. præsertimque siderum cognitio.

46. Siderum autem cognoscendorum non narratio, sed demonstratio est, quorum perpauca Scriptura commemorat. Sicut autem plurimis notus est lunæ cursus, qui etiam ad passionem Domini anniversariè celebrandam sollemniter adhibetur: sic paucissimis ceterorum quoque siderum vel ortus, vel occasus, vel alia quælibet momenta sine ullo sunt errore notissima. Quæ per seipsam cognitio, quamquam superstitione non alliget, non multùm tamen ac propè nihil adjuvat tractationem divinarum Scripturarum, & infructuosâ intentione plus impedit: & quia familiaris est perniciosissimo errori fatua fata cantantium, commodiùs honestiúsque contemnitur. Habet autem præter demonstrationem præsentium, etiam præteritorum narrationi simile aliquid, quòd à præsenti positione, motuque siderum, & in præterita eorum vestigia regulariter licet recurrere. Habet etiam futurorum regulares conjecturas, non suspiciosas & ominosas, sed ratas & certas: non ut ex eis aliquid trahere in nostra [a] facta & eventa tentemus, qualia genethliacorum deliramenta sunt, sed quantùm ad ipsa pertinet sidera. Nam sicut is qui computat lunam, cùm hodie inspexerit quota sit, & ante quotlibet annos quota fuerit, & post quotlibet annos quota futura sit potest dicere; sic de uno quoque siderum, qui ea peritè computant, respondere consueverunt. De qua tota cognitione, quantum ad usum ejus adtinet, quid mihi videretur aperui.

Caput XXX. Quid eõdem conferant artes mechanicæ.

47. Artium etiam ceterarum, quibus aliquid fabricatur, vel quod remaneat post operationem artificis ab illo effectum, sicut domus, & scamnum, & vas aliquod, atque alia hujuscemodi; vel quæ ministerium quoddam exhibent operanti Deo, sicut medicina, & agricultura, & gubernatio; vel quarum omnis effectus est actio, sicut saltationum & cursionum & luctaminum: harum ergo cunctarum artium de præteritis experimenta faciunt etiam futura conjici: nam nullus earum artifex membra movet in operando, nisi præteritorum memoriam cum futurorum exspectatione contexat. Harum autem cognitio tenuiter in ipsa humana vita cursimque usurpanda est, non ad operandum, nisi fortè officium aliquod cogat, de quo nunc non agimus; sed ad judicandum, ne omnino nesciamus quid Scriptura velit insinuare, cùm de his artibus aliquas figuratas locutiones inserit.

[a] Bad. Am. Er. & MSS. sex, *in nostra fata*.

48. Restant ea quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, ubi disciplina regnat disputationis & numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet: tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, ut non solùm tardos, sed ingeniosos etiam minùs diligenter adtentos decipiant. Proposuit enim quidam, dicens ei cum quo loquebatur. Quod ego sum, tu non es. At ille consensit: verum enim erat ex parte, vel eo ipso quòd iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit, Ego autem homo sum. Hoc quoque cùm ab illo accepisset, conclusit dicens; Tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est, *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*. Quamquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantiùs quàm gravitatem decet, verborum ornamenta consectans, sophisticus dicitur.

Caput XXXI. Quid juvet Dialectica.

Sophismata.

Hoc syllogismo quidam adortus Diogénem, ipse facta à Diogene conversione captus deridebatur. Eccli. 37. 23.

49. Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur: quæ tamen ad hoc inferuntur à bono & docto homine, ut in iis erubescens ille, cujus errorem consequuntur, eumdem relinquat errorem: quia si in eodem manere voluerit, necesse est etiam illa quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus, cùm diceret, *Neque Christus resurrexit*: & illa alia, *Inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*: & deinceps alia quæ omnino falsa sunt, quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annuntiabant, nec fides eorum qui hoc crediderant: sed ista falsa verissimè connectebantur illi sententiæ, qua dicebatur, non esse resurrectionem mortuorum. Istis autem falsis repudiatis, quoniam vera erant si mortui non resurgunt, consequens erit resurrectio mortuorum. Cùm ergo sint veræ connexiones, non solùm verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt. Sententiarum autem veritas in sanctis libris ecclesiasticis investiganda est.

1. Cor. 15. 14.

50. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus & notata, ut eam possint vel discere vel docere: nam est in rerum ratione perpetua & divinitus instituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit; & locorum situs aut naturas animalium vel stirpium vel lapidum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas; & ille qui demonstrat sidera eorumque motus, non à se vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat: sic etiam qui dicit, Cùm falsum est quod consequitur, necesse est ut falsum sit quod præcedit; verissimè dicit, neque ipse facit ut ita sit, sed tantùm ita esse demonstrat. Ex hac regula illud est, quod de apostolo Paulo commemoravimus: præcedit enim non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem destruere volebat Apostolus. Porrò illam sententiam præcedentem, qua dice-

Caput XXXII. Veritas cõnexionum non ab hominibus instituta est, sed tantùm observata.

bant non esse resurrectionem mortuorum, necessariò sequitur, *neque Christus resurrexit*: hoc autem quod sequitur, falsum est, Christus enim resurrexit: falsum est ergo & quod præcedit: præcedit autem, non esse resurrectionem mortuorum: est igitur resurrectio mortuorum. Quod totum breviter ita dicitur: Si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit: Christus autem resurrexit: est igitur resurrectio mortuorum. Hoc ergo, ut consequenti ablato auferatur etiam necessariò quod præcedit, non instituerunt homines, sed ostenderunt. Et hæc regula pertinet ad veritatem connexionum, non ad veritatem sententiarum.

CAPUT XXXIII. In falsis sententiis conclusiones veræ esse possũt, & in veris falsæ.

51. SED in hoc loco de resurrectione cùm ageretur, & regula connexionis vera est, & ipsa in conclusione sententia. In falsis autem sententiis, connexionis veritas est isto modo: Faciamus aliquem concessisse, si animal est cochlea, vocem habet; hoc concesso, cùm probatum fuerit vocem cochleam non habere, quoniam consequenti ablato illud quod præcedit aufertur, concluditur non esse animal cochleam. Quæ sententia falsa est, sed ex concesso falso vera est conclusionis connexio. Veritas ita que sententiæ per seipsam valet: veritas autem connexionis ex ejus, cum quo agitur, opinione vel concessione consistit. Ideo autem, ut suprà diximus, infertur vera connexione quod falsum est, ut eum, cujus errorem corrigere volumus, pænitеat concessisse præcedentia, quorum consequentia videt esse respuenda. Jam hinc intelligere facile est, sicut in falsis sententiis veras, sic in veris sententiis falsas conclusiones esse posse. Fac enim aliquem proposuisse, Si justus est ille, bonus est, & esse concessum: deinde assumsisse, Non est autem justus: quo item concesso, intulisse conclusionem, Non est igitur bonus. Quæ tamenetsi vera sint omnia, non est tamen vera regula conclusionis. Non enim sicut ablato consequenti aufertur necessariò quod præcedit, ita etiam ablato præcedenti aufertur necessariò quod consequitur. Quia verum est, cùm dicimus, Si orator est, homo est: ex qua propositione si adsumamus, Non est autem orator; non erit consequens cùm intuleris, Non est igitur homo.

CAPUT XXXIV. Aliud est nosse leges conclusionum, aliud veritatem sententiarum.

52. QUAPROPTER aliud est nosse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem. In illis discitur quid sit consequens, quid non consequens, quid repugnans. Consequens est, Si orator est, homo est. Inconsequens, Si homo est, orator est. Repugnans, Si homo est, quadrupes est. Hîc ergo de ipsa connexione judicatur. In veritate autem sententiarum ipsæ per se sententiæ, non earum connexio consideranda est; sed veris certisque sententiis, cùm incertæ vera connexione junguntur, etiam ipsæ certæ fiant necesse est. Quidam autem sic se jactant, cùm veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum ipsa sit veritas. Et rursus, quidam plerumque retinentes veram sententiam, malè se contemnunt, quia leges conclusionis ignorant; cùm melior sit qui novit esse resurrectionem mortuorum, quàm ille qui novit consequens esse, ut si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexerit.

CAPUT XXXV. Scientia definiendi & dividendi non est falsa etiãsi falsis adhibeatur.

53. ITEM scientia definiendi, dividendi, atque partiendi, quamquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in rerum ratione comperta. Non enim quia & fabulis suis eam poëtæ, & opinionibus erroris sui vel falsi philosophi, vel etiam hæretici, hoc est falsi Christiani adhibere consueverunt, propterea falsum est neque in definiendo neque in dividendo aut partiendo aliquid complectendum esse, quod ad rem ipsam non pertinet, aut aliquid quod pertinet prætereundum. Hoc verum est, etiamsi ea quæ definiuntur aut distribuuntur, vera non sint. Nam & ipsum falsum definitur, cùm dicimus falsum esse significationem rei non ita se habentis ut significatur, sive alio aliquo modo. quæ definitio vera est, quamvis falsum verum esse non possit. Possumus etiam dividere, dicentes, duo esse genera falsi; unum eorum quæ omnino esse non possunt; alterum eorum quæ non sunt, quamvis esse possint. Nam qui dicit, septem & tria undecim esse, id dicit quod omnino esse non potest: qui autem dicit Kalendis, verbi gratiâ, Januariis pluisse, tamenetsi factum non sit, id tamen dicit quod fieri potuerit. Definitio igitur & divisio falsorum potest esse verissima, quamvis falsa ipsa utique vera non sint. Falsum quid.

CAPUT XXXVI. Eloquentiæ præcepta vera sunt, quãvis eis interdum falsa persuadeantur.

54. SUNT etiam quædam præcepta uberioris disputationis, quæ jam eloquentia nominatur, quæ nihilominus vera sunt, quamvis eis possint etiam falsa persuaderi: sed quia & vera [a] possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed eâ male utentium perversitas. Nam neque hoc ab hominibus institutum est, ut [b] caritatis expressio conciliet auditorem, aut ut facilè quod intendit, insinuet brevis & aperta narratio, & varietas ejus sine fastidio teneat intentos; & ceteræ hujusmodi observationes, quæ sive in falsis sive in veris caussis, veræ sunt tamen, inquantum vel sciri vel credi aliquid faciunt, aut ad expetendum fugiendumve animos movent, & inventæ potiùs quòd ita se habeant, quàm ut ita se haberent institutæ.

CAPUT XXXVII. Quæ utilitas Rhetoricæ & Dialecticæ.

55. SED hæc [c] pars cùm discitur, magis ut proferamus ea quæ intellecta sunt, quàm ut intelligamus, adhibenda est. Illa verò conclusionum & definitionum & distributionum, plurimum intellectorem adjuvat: tantùm absit error, quo videntur homines sibi ipsam beatæ vitæ veritatem didicisse, cùm ista didicerint. Quamquam plerumque accidat, ut faciliùs homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quàm talium præceptorum nodosissimas & spinosissimas disciplinas. Tamquam si quispiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non esse levandum posteriorem pedem, nisi cùm posueris priorem, deinde minutatim quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat movere, describat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari potest, sed faciliùs homines hæc faciendo ambulant, quàm animadvertunt cùm faciunt, aut intelligunt cùm audiunt. Qui autem ambulare non possunt, multo minùs ea curant, quæ nec experiendo possunt adtendere. Ita plerumque citiùs ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quàm præcepta ejus capit: tardus autem non eam videt, sed multo minus quod de illa præcipitur: magisque in his omnibus ipsa spectacula veritatis sæpe delectant, quàm ex eis in disputando aut judicando adjuvamur, nisi fortè quòd exercitatiora reddunt ingenia, si etiam maligniora aut inflatiora non reddant, hoc est ut aut decipere veri simili sermone atque interrogationibus ament,

[a] Editi, *vera esse possunt*. MSS. *vera possunt*, suppl. persuaderi.
[b] Editi, *veritatis expressio*. At MSS. octodecim, *caritatis*.
[c] Unicus MS. *hæc ars*. Mox editiones Bad. Am. Er. & novem MSS. *cùm discitur*. alij decem codices, *cùm dicitur*. At Lov. *cùm disputatur*.

aut aliquid magnum, quo se bonis atque innocentibus anteponant, se assecutos putent, qui ista didicerunt.

CAPUT XXXVIII. Numerorum scientia non ex hominum instituto, sed ex rerum natura est, ab hominibus adinventa.

56. JAM verò numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est, quòd non sit ab hominibus instituta, sed potiùs indagata atque inventa. Non enim sicut primam syllabam *Italiæ*, quam brevem pronuntiaverunt veteres, voluit Virgilius & longa facta est, ita quisquam potest efficere cùm voluerit, ut ter terna aut non sint novem, aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullum dupla, quia intelligibiles numeri semissem non habent. Sive ergo in seipsis considerentur, sive ad figurarum aut ad sonorum aliarumve motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque ullo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas.

57. Quæ tamen omnia quisquis ità dilexerit, ut jactare se inter imperitos velit, & non potiùs quærere unde sint vera, quæ tantummodo vera esse persenserit; & unde quædam non solùm vera sed etiam incommutabilia, quæ incommutabilia esse comprehenderit; ac sic à specie corporum usque ad humanam mentem perveniens, cùm & ipsam mutabilem invenerit, quòd nunc docta, nunc indocta sit, constituta tamen inter incommutabilem supra se veritatem, & mutabilia infra se cetera, ad unius Dei laudem atque dilectionem cuncta convertere, à quo cuncta esse cognoscit; doctus videri potest, esse autem sapiens nullo modo.

CAPUT XXXIX. Quibus ex supra notatis disciplinis, quove animo danda opera.

58. QUAMOBREM videtur mihi studiosis & ingeniosis adolescentibus, & timentibus Deum, beatamque vitam quærentibus, salubriter præcipi, ut nullas doctrinas quæ præter Ecclesiam Christi exercentur, tamquam ad beatam vitam capessendam securè sequi audeant, sed eas sobriè diligenterque dijudicent: & si quas invenerint ab hominibus institutas varias propter diversam voluntatem instituentium, & ignotas propter suspiciones errantium, maximè si habent etiam cum dæmonibus initam societatem per quarumdam significationum quasi quædam pacta atque conventa, repudient penitus & detestentur; alienent etiam studium à superfluis & luxuriosis hominum institutis. Illa verò instituta hominum, quæ ad societatem [a] conviventium valent, pro ipsa hujus vitæ necessitate non negligant. In ceteris autem doctrinis, quæ apud gentes inveniuntur, præter historiam rerum, vel præteriti temporis vel præsentis, ad sensus corporis pertinentium, quibus etiam utilium artium corporalium experimenta & conjecturæ annumerantur, & præter rationem disputationis & numeri, nihil utile esse arbitror. In quibus omnibus tenendum est, NE QUID NIMIS: & maximè in iis quæ ad corporis sensus pertinentia, volvuntur temporibus, & continentur locis.

Leges humanæ.

Terent. in Andr. Act. 1. Scen. 1.

59. Sicut autem quidam de verbis omnibus & nominibus hebræis, & syris, & ægyptiis, vel si qua alia lingua in Scripturis sanctis inveniri potest, quæ in eis sine interpretatione sunt posita, fecerunt, ut ea separatim interpretarentur; & quod Eusebius fecit de temporum historia propter divinorum librorum quæstiones, quæ usum ejus flagitant: quod ergo hi fecerunt de his rebus, ut non sit necesse Christiano in multis propter pauca laborare; sic video posse fieri; si quem eorum qui possunt, benignam sanè operam fraternæ utilitati delectet impendere, ut quoscumque terrarum locos, quæve animalia vel herbas atque arbores, sive lapides vel metalla incognita, speciesque quaslibet Scriptura commemorat, ea generatim digerens, sola exposita litteris mandet. Potest etiam de numeris fieri, ut eorum tantummodo numerorum exposita ratio conscribatur, quos divina Scriptura meminit. Quorum aliqua aut omnia fortè jam facta sunt, sicut multa quæ à bonis doctisque Christianis elaborata atque conscripta [b] non arbitrabamur, invenimus; sed sive propter turbas negligentium, sive propter invidorum occultationes latent. Quod utrùm de ratione disputandi fieri possit, ignoro: & videtur mihi non posse, quia per totum textum Scripturarum colligata est nervorum vice; & ideo magis ad ambigua solvenda & explicanda, de quibus pòst loquemur, legentes adjuvat, quàm ad incognita signa de quibus nunc agimus cognoscenda.

CAPUT XL. Ab ethnicis si quid recтè dictũ, in nostrum usum est convertendum. *Exodi 3. 22. & 12. 35. Dist. 37. c. Legimus.*

60. PHILOSOPHI autem qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptij non solum idola habebant & onera gravia, quæ populus Israël detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potiùs tamquam ad usum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur: sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrùm duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque devitare; sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tamquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, & quo perversè atque injuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelij. Vestem quoque illorum, id est hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, quia in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda Christianum.

61. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne adspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus & martyr beatissimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moïses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerit omni sapientiâ Ægyptiorum. Quibus omnibus viris superstitiosa gentium consuetudo, & maximè illis temporibus, cùm Christi recutiens jugum Christianos persequebatur, disciplinas quas utiles habebat, numquam commodaret, si eas in usum colendi

Act. 7. 22.

[a] Er. & Lov. *convenientium*. pro quo Bad. Am. & MSS. *conviventium*.
[b] Sic novemdecim MSS. At vulgati habent, *atque conscripta arbitramur, non invenimus*.

unius Dei, quo vanus idolorum cultus exscindeA retur, conversum iri suspicaretur: sed dederunt aurum & argentum & vestem suam eeuunti populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodum illa quæ dabant, in Christi obsequium cederent. Illud enim in Exodo factum, sine dubio figuratum est, ut hoc præsignaret. quod sine præjudicio alterius, aut paris aut melioris intelligentiæ dixerim.

CAPUT XLI. Studium Scripturæ sacræ, qualem animũ requirat.

62. SED hoc modo instructus divinarum Scripturarum studiosus, cùm ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud apostolicum cogitare non B cesset, *Scientia inflat, caritas ædificat.* Ita enim sentiet, quamvis de Ægypto dives exeat, tamen nisi Pascha egerit, salvum se esse non posse. Pascha autem nostrum immolatus est Christus, nihilque magis immolatio Christi nos docet, quàm illud quod ipse clamat, tamquam ad eos, quos in Ægypto sub Pharaone videt laborare: *Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, &* C *humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum lene est, & sarcina mea levis est.* quibus, nisi mitibus & humilibus corde, quos non inflat scientia, sed caritas ædificat? Meminerint ergo eorum, qui Pascha illo tempore per umbrarum imaginaria celebrabant, cùm signari postes sanguine agni juberentur, hyssopo fuisse signatos. Herba hæc mitis & humilis est, & nihil fortius & penetrabilius ejus radicibus; ut in caritate radicati & fundati possimus comprehendere cum omnibus sanctis, D quæ sit latitudo & longitudo & altitudo & profundum, id est crucem Domini, cujus latitudo dicitur in transverso ligno, quo extenduntur manus; longitudo à terra usque ad ipsam latitudinem, quo à manibus & infrà totum corpus affigitur; altitudo à latitudine sursum usque ad summum, cui adhæret caput; profundum verò quod terræ infixum absconditur. Quo signo crucis, omnis actio Christiana describitur, bene operari in Christo, & ei perseveranter inhærere, sperare cælestia, sacramenta non [a] profanare. Per hanc actionem purgati valebimus cognoscere etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, qua æqualis est Patri, per quem facta sunt omnia, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. Est etiam in hyssopo vis purgatoria, ne inflante scientia de divitiis ab Ægypto ablatis, superbè aliquid pulmo tumidus anhelet: *Adsperges me,* inquit, *hyssopo & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Auditui meo dabis exsultationem & lætitiam.* Deinde consequenter annectit, ut ostendat purgationem à superbia significari hyssopo, & *exsultabunt ossa humiliata.*

Matth. 11. 28.

Exodi 12. 22. Hyssopi proprietates. Ephes. 3. 17.

Psal. 50. 9.

CAPUT XLII. Sacræ Scripturæ cum profana comparatio.

63. QUANTUM autem minor est auri, argenti vestisque copia, quam de Ægypto secum ille populus abstulit, in comparatione divitiarum, quas postea Jerosolymæ consecutus est, quæ maximè in Salomone rege ostenduntur, tanta fit cuncta scientia, quæ quidem est utilis, collecta de libris gentium, si divinarum Scripturarum scientiæ comparetur. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et cùm ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine & mirabili humilitate discuntur. Hac igitur instructione præditum cùm signa incognita lectorem non impedierint, mitem & humilem corde, subjugatum leniter Christo, & oneratum sarcina levi, fundatum & radicatum & ædificatum in caritate, quem scientia inflare non possit, accedat ad ambigua signa in Scripturis consideranda & discutienda, de quibus jam tertio volumine dicere aggrediar, quod Dominus donare dignabitur.

3. Reg. 10. 23.

[a] Legendum videtur, *propalare.* quò stet analogia ad superiora isthæc verba, *Profundum verò quod terræ infixum absconditur.* Sic in Epist. 55. c. 14. n. 25. ubi Dominicæ crucis partes, eumdemque Apostoli Ephes. 3. locum ad Christianos mores itidem transfert Augustinus, *Profundum,* ait, *quod terræ infixum est, secretum sacramenti præfigurat.*

LIBER TERTIUS.

Postquam egit in superiore libro de removenda signorum ignorantia, transit nunc S. Doctor ad considerationem ambiguitatis, quæ cùm in propriis, tum in translatis signis occurrit. In propriis quidem ex interpunctione vocum, ex earum pronuntiatione, ex ancipiti significatu: quod genus ambiguitatis ex contextu sermonis, & collatione interpretum, aut ejus linguæ unde Scriptura translata est inspectione resolvi ostendit. In translatis verò signis ambiguitas contingit, cùm ipsa dictio non ad litteræ sensum ponitur in Scripturis: qua de re operosiùs disputat, traditque regulas quibus dignoscatur an locutio figurata sit, & si quidem figurata, quo pacto debeat explicari. Ad extremum ipsius Tichonij septem regulas singulatim expendit.

CAPUT I. Summa superiorum librorum, & scopus sequentis.

1. HOMO timens Deum, voluntatem E lers emendationis diligentia procuravit; veniat ita ejus in Scripturis sanctis diligenter inquirit. Et ne amet certamina pietate mansuetus; præmunitus etiam scientiâ linguarum, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat; præmunitus etiam cognitione quarumdam rerum necessariarum, ne vim naturamve earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret; adjuvante etiam codicum veritate, quam sol- instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda. Ut autem signis ambiguis non decipiatur, quantum per nos instrui potest, [a] fieri autem potest, ut istas vias quas ostendere volumus, tamquam pueriles vel magnitudine ingenij, vel majoris illuminationis claritate derideat; sed tamen, ut cœperam dicere, quantum per nos instrui potest, qui eo loco animi est, ut per nos instrui valeat, sciat

[a] MSS. Remigianus, Theodericensis & Cisterciensis hîc addunt, *juvante Domino, hæc demonstrare totus noster conatus est.* Floriacensis verò unicum interponit verbum, *explicabo.* utrumque ineptum glossema.

ambiguitatem Scripturæ aut in verbis propriis esse, A aut in translatis: quæ genera in secundo libro demonstravimus.

CAPUT II. Ambiguitas ex verborum distinctione quo modo tollenda.

2. SED cùm verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primò videndum est, ne malè distinxerimus, aut pronuntiaverimus. Cùm ergo adhibita intentio incertum esse perviderit, quomodo distinguendum aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ auctoritate percepit, de qua satis egimus, cùm de rebus in primo libro lo- B queremur. Quòd si ambæ vel etiam omnes, si plures fuerint partes, ambiguitatem secundùm fidem sonuerint, textus ipse sermonis à præcedentibus & consequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, restat consulendus, ut videamus cuinam sententiæ, de pluribus quæ se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi contexi patiatur.

3. Jam nunc exempla considera. Illa hæretica

Johan. 1. 1.

distinctio, *In principio erat Verbum,* & *Verbum* C *erat apud Deum,* & *Deus erat,* ut alius sensus sit, *Verbum hoc erat in principio apud Deum,* non vult Verbum Deum confiteri. Sed hoc regulâ fidei refellendum est, qua nobis de Trinitatis æqualitate præscribitur, ut dicamus, *Et Deus erat Verbum.* deinde subjungamus, *Hoc erat in principio apud Deum.*

4. Illa verò distinctionis ambiguitas neutrâ parte resistit fidei, & ideo textu ipso sermonis dijudi-

Philipp. 1. 23.

canda est, ubi ait Apostolus, *Et quid eligam igno-* D *ro: compellor autem ex duobus; concupiscentiam habens dissolvi, & esse cum Christo; multo enim magis optimum: manere in carne necessarium propter vos.* Incertum enim est, utrùm *ex duobus concupiscentiam habens,* an *compellor autem ex duobus,* ut illud adjungatur, *concupiscentiam habens dissolvi, & esse cum Christo.* Sed quoniam ita sequitur, *multo enim magis optimum,* apparet eum ejus optimi dicere se habere concupiscentiam, ut cùm ex duobus compellatur, alterius tamen habeat concupis- E centiam, alterius necessitatem; concupiscentiam scilicet esse cum Christo, necessitatem manere in carne. Quæ ambiguitas uno consequenti verbo dijudicatur, quod positum est, *enim:* quam particulam qui abstulerunt interpretes, illâ potiùs sententiâ ducti sunt, ut non solùm compelli ex duobus, sed etiam duorum habere concupiscentiam videretur. Sic ergo distinguendum est: *Et quid eligam ignoro: compellor autem ex duobus;* quam distinctionem sequitur, *concupiscentiam habens dissolvi, & esse cum Christo.* Et tamquam quæreretur, quare hujus rei potiùs habeat concupiscentiam; *multo enim magis optimum,* inquit. Cur ergo è duobus compellitur? Quia est manendi necessitas, quam ita subjecit, *manere in carne necessarium propter vos.*

5. Ubi autem neque præscripto fidei, neque ipsius sermonis textu ambiguitas explicari potest, nihil obest secundùm quamlibet earum, quæ ostenduntur, sententiam distinguere. Veluti est illa ad G

2. Cor. 7. 1.

Corinthios, *Has ergo promissiones habentes carissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Nemini nocuimus.* Dubium est quippe utrùm *mundemus nos ab omni coinquinatione carnis*

1. Cor. 7. 34.

& spiritus, secundùm illam sententiam, *ut sit sancta & corpore & spiritu;* an *mundemus nos ab omni coinquinatione carnis,* ut alius sit sensus, *Et spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei capite nos.* Tales igitur distinctionum ambiguitates, in potestate legentis sunt.

CAPUT III. Qua ratione expediatur ambiguitas ex pronuntiatione.

6. QUÆCUMQUE autem de ambiguis distinctionibus diximus, eadem observanda sunt & in ambiguis pronuntiationibus. Nam & ipsæ nisi lectoris nimiâ vitientur incuriâ, aut regulis fidei corriguntur, aut præcedentis vel consequentis contextione sermonis; aut si neutrum horum adhibetur ad correctionem, nihilo minùs dubiæ remanebunt, ut quolibet modo lector pronuntiaverit, non sit in culpa. Nisi enim fides revocet, qua credimus Deum non accusaturum adversùs electos suos & Christum non condemnaturum electos suos, potest illud sic pronuntiari: *Quis accusabit adversùs electos Dei?* ut Rom. 8. 33. hanc interrogationem quasi responsio subsequatur, *Deus qui justificat.* Et iterum interrogetur, *Quis est qui condemnat?* & respondeatur, *Christus Jesus qui mortuus est.* Quod credere quia dementissimum est, ita pronuntiabitur, ut præcedat percontatio, sequatur interrogatio. Inter percontationem autem Percontatio & interrogatio quo differant. & interrogationem hoc veteres interesse dixerunt, quòd ad percontationem multa responderi possunt; ad interrogationem verò, aut Non, aut Etiam. Pronuntiabitur ergo ita, ut post percontationem qua dicimus, *Quis accusabit adversùs electos Dei?* illud quod sequitur sono interrogantis enuntietur, *Deus qui justificat?* ut tacitè respondeatur Non: Et item percontemur, *Quis est qui condemnat?* rursus- D que interrogemus, *Christus Jesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis?* ut ubique tacitè respondeatur Non. At verò illo in loco ubi ait, *Quid ergo di-* Rom. 9. 30. *cemus? quia gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam,* nisi post percontationem qua dictum est, *Quid ergo dicemus?* responsio subjiciatur, *Quia gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam,* textus consequens non cohærebit. Qualibet autem voce pronuntietur illud quod Nathanaël dixit, *A Nazareth potest aliquid boni esse,* Johan. 1. 46. sive affirmantis, ut illud solum ad interrogationem pertineat quod ait, *A Nazareth?* sive totum cum dubitatione interrogantis, non video quomodo discernatur: uterque autem sensus fidem non impedit.

7. Est etiam ambiguitas in sono dubio syllabarum, & hæc utique ad pronuntiationem pertinens. Nam quod scriptum est, *Non est absconditum à te os* Psal. 138. 15. *meum, quod fecisti in abscondito,* non elucet legenti F utrùm correptâ litterâ *os* pronuntiet, an productâ. Si enim corripiat, ab eo quod sunt ossa; si autem producat, ab eo quod sunt ora, intelligitur numerus singularis. Sed talia linguæ præcedentis inspectione dijudicantur: nam in Græco non ὀστᾶ, sed ὀστέον positum est. Unde plerumque loquendi consuetudo vulgaris utilior est significandis rebus, quàm integritas litterata. Mallem quippe cum barbarismo dici, Non est absconditum à te ossum meum, quàm ut ideo esset minùs apertum, quia magis latinum est. Sed aliquando dubius syllabæ sonus etiam vicino verbo ad eamdem sententiam pertinente dijudicatur: sicut est illud Apostoli, *Quæ prædico vo-* Galat. 5. 21. *bis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Si tantummodo dixisset, *Quæ prædico vobis,* neque subjunxisset, *sicut prædixi,* nonnisi ad codicem præcedentis linguæ recurrendum esset, ut cognosceremus utrùm in eo quod

dixit, *prædicò*, producenda an corripienda esset media syllaba: nunc autem manifestum est producendam esse; non enim ait, sicut prædicavi, sed *sicut prædixi*.

CAPUT IV. Ambiguitas dictionis qua ratione expediatur.

8. NON solùm autem istæ, sed etiam illæ ambiguitates, quæ non ad distinctionem vel ad pronuntiationem pertinent, similiter considerandæ sunt: qualis illa est ad Thessalonicenses, *Propterea consolati sumus fratres in vobis*. Dubium est enim utrùm ô fratres, an hos fratres: neutrum autem horum est contra fidem, sed græca lingua hos casus pares non habet, & ideo illâ inspectâ renuntiatur vocativus, id est ô fratres. Quòd si voluisset interpres dicere, propterea consolationem habuimus fratres in vobis, minùs servitum esset verbis, sed minùs de sententia dubitaretur; aut certè si adderetur, nostri, nemo ferè ambigeret vocativum esse casum, cùm audiret, *Propterea consolati sumus fratres* nostri *in vobis*. Sed jam hoc periculosiùs permittitur. Ita factum est in illa ad Corinthios, cùm ait Apostolus, *Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu*. Ait enim quidam interpres, *Quotidie morior, per vestram* juro *gloriam*, quia in Græco vox jurantis manifesta est sine ambiguo sono. Rarissimè igitur & difficillimè inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quantùm ad libros divinarum Scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa sermonis qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ solvat inspectio.

1. Thes. 3. 7.

1. Cor. 15. 31.

CAPUT V. Scripturæ figuratas locutiones ad litteram accipere servitus miserabilis.

9. SED verborum translatorum ambiguitates, de quibus deinceps loquendum est, non mediocrem curam industriamque desiderant. Nam in principio cavendum est, ne figuratam locutionem ad litteram accipias. Et ad hoc enim pertinet, quod ait Apostolus, *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. Cùm enim figuratè dictum sic accipitur, tamquam propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Neque ulla mors animæ congruentiùs appellatur, quàm cùm id etiam quod in ea bestiis antecellit, hoc est intelligentia carni subjicitur sequendo litteram. Qui enim sequitur litteram, translata verba sicut propria tenet, neque illud quod proprio verbo significatur, refert ad aliam significationem: sed si sabbatum audierit, verbi gratiâ, non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur; & cùm audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud, quod fieri de victimis pecorum terrenisque fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse.

2. Cor. 3. 6.

CAPUT VI. Judæorum servitus sub signis utilibus.

10. QUÆ tamen servitus in Judæo populo longè à ceterarum gentium [a] more distabat: quandoquidem rebus temporalibus ita subjugati erant, ut unus eis in omnibus commendaretur Deus. Et quamquam signa rerum spiritalium pro ipsis rebus observarent, nescientes quò referrentur, id tamen insitum habebant, quòd tali servitute uni omnium, quem non videbant, placerent Deo. Quam custodiam tamquam sub pædagogo parvulorum fuisse scribit Apostolus. Et ideo qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, contemnentem ista Dominum, cùm jam tempus revelationis eorum venisset, ferre non potuerunt; atque inde calumnias, quod sabbato curaret, moliti sunt principes eorum; populusque signis illis tamquam rebus adstrictus, non credebat Deum esse, vel à Deo venisse, qui ea sicut à Judæis observabantur, nollet adtendere. Sed qui crediderunt, ex quibus facta est prima ecclesia Jerosolymitana, satis ostenderunt quanta utilitas fuerit eo modo sub pædagogo custodiri, ut signa quæ temporaliter imposita erant servientibus, ad unius Dei cultum, qui fecit cælum & terram, opinionem observantium religarent. Namque illi quia proximi spiritalibus fuerunt, (in ipsis enim temporalibus & carnalibus [b] votis atque signis, quamvis quomodo spiritaliter essent intelligenda, nescirent, unum tamen didicerant venerari æternum Deum,) tam capaces exstiterunt Spiritus-sancti, ut omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum, ante Apostolorum pedes ponerent, seque totos dedicarent Deo tamquam templum novum, cujus terrenæ imagini, hoc est templo veteri serviebant.

Gal. 3. 24.

Matth. 12. 2.

Luca 6. 7.

Act. 4. 34.

11. Non enim hoc ullas ecclesias gentium fecisse scriptum est, quia non tam propè inventi erant, qui simulacra manufacta deos habebant: * & si quando aliqui eorum illa tamquam signa interpretari conabantur, ad creaturam colendam venerandamque referebant. Quid enim mihi prodest simulacrum, verbi gratiâ, Neptuni non ipsum habendum Deum, sed eo significari universum mare, vel etiam omnes aquas ceteras, quæ fontibus proruunt, sicut à quodam Poëta illorum describitur, si bene recolo, ita dicente.

* CAPUT VII. Servitus Gentium sub signis inutilibus.

Tu Neptune pater, cui tempora cana crepanti
Cincta salo resonant, magnus cui perpetemento
Profluit Oceanus, & flumina crinibus errant.

Hæc siliqua intra dulce tectorium sonantes lapillos quatit: non est autem hominum, sed porcorum cibus. Novit quid dicam, qui Evangelium novit. Quid ergo mihi prodest quòd Neptuni simulacrum ad illam significationem refertur, nisi fortè ut neutrum colam. Tam enim mihi statua quælibet, quàm mare universum, non est Deus. Fateor tamen altiùs demersos esse, qui opera hominum deos putant, quàm qui opera Dei: sed nobis unus diligendus & colendus Deus præcipitur, qui fecit hæc omnia, quorum illi simulacra venerantur, vel tamquam deos, vel tamquam signa & imagines deorum. Si ergo signum utiliter institutum pro ipsa re sequi, cui significandæ institutum est, carnalis est servitus, quanto magis inutilium rerum signa instituta pro rebus accipere? Quæ si retuleris ad ea ipsa, quæ his significantur, eisque colendis animum obligaveris, nihilo minùs servili carnalique onere atque velamine non carebis.

Luca 15. 16.

Deut. 6. 4.

CAPUT VIII. Aliter Judæi à signorum servitute liberati, aliter Gentiles.

12. QUAMOBREM Christiana libertas eos, quos invenit sub signis utilibus, tamquam propè inventos, interpretatis signis quibus subditi erant, elevatos ad eas res quarum illa signa sunt, liberavit. ex his factæ sunt Ecclesiæ sanctorum Israëlitarum. Quos autem invenit sub signis inutilibus, non solùm servilem operationem sub talibus signis, sed etiam ipsa signa frustrâvit removitque omnia: ut à corruptione multitudinis simulatorum deorum, quam sæpe ac propriè Scriptura fornicationem vocat, ad unius Dei cultum gentes converterentur; nec sub ipsis jam signis utilibus serviturae, sed exercitaturæ potiùs animum in eorum intelligentia spiritali.

CAPUT IX.

13. SUB signo enim servit qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet: qui verò aut operatur, aut veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potiùs quò talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis & liber est, etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet signa illa revelari, quorum jugo edomandi sunt. Tales autem spiritales erant Patriarchæ ac Prophetæ, omnesque in populo Israël per quos nobis Spiritus-sanctus ipsa Scripturarum & auxilia & solatia ministravit. Hoc verò tempore posteaquam resurrectione Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus; sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima ipse Dominus & apostolica tradidit disciplina: sicuti est baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Quæ unusquisque cùm percipit, quò referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potiùs libertate veneretur. Ut autem litteram sequi, & signa pro rebus quæ iis significantur accipere, servilis infirmitatis est; ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est. Qui autem non intelligit quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur servitute. Melius est autem vel premi incognitis, sed utilibus signis, quàm inutiliter ea interpretando, à jugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere.

Quis signorum servitute premitur, quis non.

Baptismus. Eucharistia.

CAPUT X. Unde dignoscatur an figurata sit locutio.

14. HUIC autem observationi, qua cavemus figuratam locutionem, id est translatam quasi propriam sequi, adjungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuratam velimus accipere. Demonstrandus est igitur priùs modus inveniendæ locutionis, propriane an figurata sit. Et iste omnino modus est, ut QUIDQUID in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum & proximum pertinet. Spes autem sua cuique est in conscientia propria, quemadmodum se sentit ad dilectionem Dei & proximi, cognitionemque proficere. De quibus omnibus primo libro dictum est.

Regula generalis.

15. Sed quoniam proclive est humanum genus non ex momentis ipsius libidinis, sed potiùs suæ consuetudinis æstimare peccata, fit plerumque ut quisque hominum ea tantùm culpanda arbitretur, quæ suæ regionis & temporis homines vituperare atque damnare consueverunt; & ea tantùm probanda atque laudanda, quæ consuetudo eorum cum quibus vivit, admittit: eòque contingit, ut si quid Scriptura vel præceperit, quod abhorret à consuetudine audientium, vel quod non abhorret culpaverit, si animum eorum jam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent. Non autem præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem: & eo modo informat mores hominum. Item si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur. Non autem asserit nisi catholicam fidem, rebus præteritis & futuris & præsentibus. Præteritorum narratio est, futurorum prænuntiatio, præsentium demonstratio. Sed omnia hæc ad eamdem caritatem nutriendam atque corroborandam, & cupiditatem vincendam atque exstinguendam valent.

16. Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se & proximo & quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, Flagitium vocatur. Quod autem agit ut alteri nocèat, Facinus dicitur. Et hæc sunt duo genera omnium peccatorum: sed flagitia priora sunt. Quæ cùm exinaniverint animum, & ad quamdam egestatem perduxerint, in facinora prosilitur, quò removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quærantur. Item quod agit caritas, quò sibi prosit, utilitas est: quod autem agit, ut prosit proximo, beneficentia nominatur. Et hîc præcedit utilitas; quia nemo potest ex eo quod non habet, prodesse alteri. QUANTO autem magis regnum cupiditatis destruitur, tanto caritatis augetur.

Caritas.

Cupiditas.

1. Sent. dist. 17. c. Quod autem.

Flagitium. Facinus.

Utilitas.

Beneficentia.

CAPUT XI. Regula de iis quæ sævitiam redolent, referuntur-que nihilominus ex persona Dei vel sanctorum.

17. QUIDQUID ergo asperum & quasi sævum factu dictuque in sanctis Scripturis legitur ex persona Dei vel sanctorum ejus, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quod si perspicuè sonat, non est ad aliud referendum quasi figuratè dictum sit. Sicuti est illud Apostoli, *Thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicij Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua: iis quidem qui secundùm sustinentiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vitam æternam; iis autem qui ex contentione sunt, & diffidunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci*. Sed hoc ad eos, cum quibus evertitur ipsa cupiditas, qui eam vincere noluerunt. Cùm autem in homine cui dominabatur, regna cupiditatis subvertuntur, illa est aperta locutio: *Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum* [a] *passionibus & concupiscentiis*. Nisi quia & hîc quædam verba translata tractantur, sicuti est, *ira Dei*, &, *crucifixerunt*: sed non tam multa sunt, vel ita posita, ut obtegant sensum, & allegoriam vel ænigma faciant, quam propriè figuratam locutionem voco. Quod autem Jeremiæ dicitur, *Ecce constitui te hodie super gentes & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes*, non dubium quin figurata locutio tota sit, ad eum finem referenda, quem diximus.

Rom. 2. 5.

Gal. 5. 24. a

Jer. 1. 10.

CAPUT XII. Regula de dictis & factis quasi flagitiosis imperitorum judicio, quæ Deo vel sanctis viris tribuuntur.

18. QUÆ AUTEM QUASI FLAGITIOSA imperitis videntur, sive tantùm dicta, sive etiam facta sunt, vel ex Dei persona, vel ex hominum quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt: quorum ad caritatis pastum enucleanda secreta sunt. Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictiùs utitur, quàm sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut temperans aut superstitiosus est: quisquis verò sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus NON USUS RERUM, sed libido utentis in culpa est. Neque ullo modo quisquam sobrius crediderit, Domini pedes ita unguento pretioso à muliere perfusos, ut luxuriosorum & nequam hominum solent, quorum talia convivia detestamur. Odor enim bonus, fama bona est, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia

Johan. 12. 3.

[a] Vetus codex Corbeiensis, *morte*.

[b] Am. *vocis*. pro quo Erasmus haud feliciter substituit, *votibus*. Sic etiam Lov. At Bad. & MSS. magno consensu ferunt, *votis*, id est oblationibus.

[a] Editi, *vitiis*. pro quo MSS. *passionibus*. hanc vocem reddit passim Augustinus pro græca, παθήματα.

Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. Ita quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina vel prophetica persona magnæ cujusdam rei signum est. Alia est quippe in perditis moribus, alia in Oseæ prophetæ vaticinatione conjunctio meretricis: nec si flagitiosè in conviviis temulentorum & lascivorum nudantur corpora, propterea in balneis nudum esse, flagitium est.

Oseæ 1. 2.

Facta judicantur ex circumstantiis.

19. Quid igitur locis & temporibus personisque conveniat, diligenter adtendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio [a] cupediæ vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum ardescat. Et sanus quisque maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticulâ more Esaü nepotis Abraham, aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujuscemodi rebus, non ex earum rerum natura quibus utimur, sed ex caussa utendi & modo appetendi vel probandum est vel improbandum quod facimus.

a

Luca 24. 43. Gen. 25. 34.

20. Regno terreno veteres justi cæleste regnum imaginabantur, & prænuntiabant. [b] Sufficiendæ prolis caussa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo; & ideo unam feminam maritos habere plurimos honestum non erat: non enim mulier eo est fecundior, sed meretricia potiùs turpitudo est, vel quæstum vel liberos vulgo quærere. In hujuscemodi moribus quidquid illorum temporum sancti non libidinosè faciebant, quamvis ea facerent quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat Scriptura. Et quidquid ibi tale narratur, non solùm historicè ac propriè, sed etiam figuratè ac propheticè acceptum, interpretandum est usque in finem illum caritatis, sive Dei, sive proximi, sive utriusque. Sicut enim talares & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cùm tunicati sunt, non eas habere flagitium est; sic animadvertendum est, in cetero quoque usu rerum abesse oportere libidinem, quæ non solùm ipsa eorum, inter quos vivit, consuetudine nequiter abutitur; sed etiam sæpe fines ejus egressa, fœditatem suam, quæ inter claustra morum sollemnium latitabat, flagitiosissimâ eruptione manifestat.

b

Gen. 16. 3. & 25. 1. 2. Reg. 5. 13.

Caput XIII.

21. Quidquid autem congruit consuetudini eorum, cum quibus vita ista degenda vel necessitate imponitur, vel officio suscipitur, à bonis & magnis hominibus ad utilitatem & beneficentiam referendum est, vel propriè, sicut & nos debemus, vel etiam figuratè, sicut Prophetis licet.

Caput XIV. Error opinantium nullam esse justitiam per seipsam.

22. In quæ facta legenda cùm incurrunt indocti alterius consuetudinis, nisi auctoritate reprimantur, flagitia putant; nec possunt animadvertere totam conversationem suam, vel in conjugiis, vel in conviviis, vel in vestitu, ceteroque humano victu atque cultu, aliis gentibus & aliis temporibus flagitiosam videri. Qua varietate innumerabilium consuetudinum commoti quidam dormitantes, ut ita dicam, qui neque alto somno stultitiæ sopiebantur, nec in sapientiæ lucem poterant evigilare, putaverunt nullam esse justitiam per seipsam, sed unicuique genti consuetudinem suam justam videri: quæ cùm sit diversa omnibus gentibus, debeat autem incommutabilis manere justitia, fieri manifestum, nullam usquam esse justitiam. Non intellexerunt, ne multa commemorem, *Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris*, nullo modo posse ulla eorum gentili diversitate variari. Quæ sententia cùm refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur; cùm ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum: non ergo debet corrumpere habitaculum Dei, seipsum scilicet. Et nemo vult sibi à quoquam noceri: nec ipse igitur cuiquam nocuerit.

Tobiæ 4. 16. Matth. 7. 12.

23. Sic eversa tyrannide cupiditatis, caritas regnat justissimis legibus dilectionis Dei propter Deum, sui & proximi propter Deum. Servabitur ergo in locutionibus figuratis regula hujusmodi, ut tam diu versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum caritatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio.

Caput XV. Regula in figuratis locutionibus servanda.

24. Si præceptiva locutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Facinus vel flagitium videtur jubere: figura est ergo, præcipiens passioni Dominicæ communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit. Ait Scriptura, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.* Hîc nullo dubitante beneficentiam præcipit: sed quod sequitur, *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus*; malevolentiæ facinus putes juberi: ne igitur dubitaveris figuratè dictum, & cùm possit dupliciter interpretari, uno modo ad nocendum, altero ad præstandum; ad beneficentiam te potiùs caritas revocet, ut intelligas carbones ignis esse urentes pænitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo ejus miseriæ subvenitur. Item cùm ait Dominus, *Qui amat animam suam, perdet eam*, non utilitatem vetare putandus est, qua debet quisque conservare animam suam; sed figuratè dictum, *perdat animam*, id est perimat atque amittat usum ejus, quem nunc habet, perversum scilicet atque præposterum, quo inclinatur temporalibus, ut æterna non quærat. Scriptum est, *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem.* Posterior pars hujus sententiæ videtur vetare beneficentiam; ait enim, *ne suscipias peccatorem*: intelligas ergo figuratè positum pro peccato *peccatorem*, ut peccatum ejus non suscipias.

Caput XVI. Regula de locutionibus præceptivis.

Joham. 6. 53.

Eucharistia.

Prov. 25. 21. Rom. 12. 20.

Johan. 12. 25.

Eccli. 12. 4.

25. Sæpe autem accidit, ut quisquis in meliori gradu spiritalis vitæ vel est, vel esse se putat, figuratè dicta esse arbitretur, quæ inferioribus gradibus præcipiuntur; ut verbi gratiâ, si cælibem amplexus est vitam, & se castravit propter regnum cælorum, quidquid de uxore diligenda & regenda sancti libri præcipiunt, non propriè sed translatè accipi oportere contendat: & si quis statuit servare innuptam virginem suam, tamquam figuratam locutionem conetur interpretari qua dictum est, *Trade filiam, & grande opus perfeceris.* Erit igitur etiam hoc in observationibus intelligendarum Scripturarum, ut sciamus alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum, ut non solùm ad universum statum valetudinis, sed etiam ad suam cujusque membri propriam infirmitatem medicina [a] pertineat. In suo quippe genere curandum est, quod ad melius genus non potest erigi.

Caput XVII. Alia omnibus communiter, alia singulis seorsim præcipi.

Eccli. 7. 27.

a Editi, *vitio cupiditatis*, vel, *cupidinis*. At MSS. *vitio cupedia*, id est vitioso ciborum lautiorum suaviorumque appetitu.

b MSS. aliquot, *Suscipienda*. Alij cum editis, *Sufficienda*; quod Virgilianum est, Georg. 3. *Aliam ex alia generando suffice prolem.*

Caput XVIII. Quo tempore quid præceptum vel licitum sit, considerandum.

26. Item cavendum est, ne fortè quod in Scripturis veteribus pro illorum temporum conditione, etiamsi non figuratè, sed propriè intelligatur, non est flagitium neque facinus, ad ista etiam tempora quis putet in usum vitæ posse transferri. Quod nisi dominante cupiditate, & ipsarum quoque Scripturarum quibus evertenda est satellitium quærente, non faciet; nec intelligit miser ad hanc utilitatem illa sic esse posita, ut spei bonæ homines salubriter videant, & consuetudinem quam aspernantur posse habere usum bonum, & eam quam amplexantur esse posse damnabilem, si & ibi caritas utentium, & hîc cupiditas adtendatur.

27. Nam si multis uxoribus castè uti quisquam pro tempore potuit, potest alius unâ libidinosè. Magis enim probo multarum fecunditate utentem propter aliud, quàm unius carne fruentem propter ipsam. Ibi enim quæritur utilitas temporum opportunitatibus congrua, hîc satiatur cupiditas temporalibus voluptatibus implicata: inferiorisque gradus ad Deum sunt, quibus secundùm veniam concedit Apostolus carnalem cum singulis conjugibus consuetudinem propter intemperantiam eorum, quàm illi qui plures singuli cùm haberent, sicut sapiens in cibo & potu nonnisi salutem corporis, sic in concubitu nonnisi procreationem filiorum intuebantur. Itaque si eos in hac vita invenisset Domini adventus, cùm jam non mittendi, sed colligendi lapides tempus esset, statim seipsos castrarent propter regnum cælorum: non enim est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas. Noverant quippe illi homines etiam in ipsis conjugibus luxuriam esse abutendi intemperantiam: quod Tobiæ testatur oratio, quando est copulatus uxori. Ait enim, *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum; & benedictum nomen tuum in omnia sæcula sæculorum. Benedicant te cæli & omnis creatura tua. Tu fecisti Adam, & dedisti illi adjutorium Evam. Et nunc Domine tu scis, quoniam non luxuriæ caussâ accipio sororem meam, sed ipsa veritate, ut miserearis nostri Domine.*

1. Cor. 7. 2.

Eccle. 3. 5.

Tob. 8. 8.

Caput XIX. Mali alios de suo æstimant ingenio.

b

28. Sed qui effrenata libidine, vel per multa stupra diffluentes evagantur, vel in ipsa una conjuge, non solùm excedunt ad liberorum procreationem pertinentem modum, sed etiam [b] inhumanioris intemperantiæ sordes inverecundâ omnino licentiâ servilis cujusdam libertatis accumulant, non credunt fieri potuisse, ut temperanter multis feminis antiqui uterentur viri, nihil servantes in usu illo nisi congruum tempori propagandæ prolis officium: & quod ipsi laqueis libidinis obstricti, vel in una non faciunt, nullo modo in multis fieri posse arbitrantur.

29. Sed isti possunt dicere, nec honorari quidem atque laudari oportere viros bonos & sanctos, quia ipsi cùm honorantur atque laudantur, intumescunt superbiâ: tanto avidiores inanissimæ gloriæ, quanto eos frequentius atque latiùs lingua blandior ventilaverit; qua ita leves fiunt, ut eos rumoris aura, sive quæ prospera, sive quæ adversa existimatur, in quaslibet invehat voragines flagitiorum, aut in facinorum etiam saxa collidat. Videant ergo quàm sibi arduum sit atque difficile, nec laudis escâ illici, nec contumeliarum aculeis penetrari; & non ex se alios metiantur. * Credant potiùs Apostolos nostros nec cùm suspicerentur, ab hominibus inflatos fuisse; nec cùm despicerentur, elisos. Neutra quippe tentatio defuit illis viris. Nam & credentium celebrabantur præconio, & persequentium maledictis infamabantur. Sicut ergo isti pro tempore utebantur his omnibus, & non corrumpebantur: sic illi veteres, usum feminarum ad sui temporis convenientiam referentes, non patiebantur eam dominationem libidinis, cui serviunt qui ista non credunt.

* Caput XX. In quavis vivendi ratione boni sui sunt similes.

30. Et ideo isti sese nullo modo cohiberent ab inexpiabili odio filiorum, à quibus vel uxores vel concubinas suas adtentatas, aut adtrectatas esse cognoscerent, si eis fortè tale aliquid accidisset. * Rex autem David cùm hoc ab impio atque immani filio passus esset, non solùm ferocientem toleravit, sed etiam planxit exstinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo injuriæ suæ, sed peccata filij commovebant. Nam ideo si vinceretur, eum occidi prohibuerat, ut edomito servaretur pænitendi locus: & quia non potuit, non orbitatem doluit in ejus interitu, sed noverat in quas pœnas tam impiè adultera & parricidalis anima raperetur. Namque alio priùs filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus est.

* Caput XXI. David quisquam in adulterium lapsus, longè fuit à libidinosorũ intemperantia.

2. Reg. 18. 33.

31. Ex hoc maximè apparet, qua moderatione ac temperantiâ illi viri feminis utebantur, quod cùm in unam illicitè irruisset rex idem; æstu quodam ætatis & temporalium rerum prosperitatibus abreptus, cujus etiam maritum occidendum præceperat; accusatus est per Prophetam, qui cùm ad eum venisset convincendum de peccato, proposuit ei similitudinem de paupere, qui habebat ovem unam, cujus vicinus cùm haberet multas, ad adventum hospitis sui unicam potiùs vicini sui pauperis oviculam exhibuit epulandam. In quem commotus David occidi eum jussit, & quadruplicari ovem pauperi; ut se nesciens condemnaret, qui peccaverat sciens. Quod cùm ei manifestatum esset, & divinitus denuntiata vindicta, diluit pænitendo peccatum. Sed tamen in hac similitudine stuprum tantummodo designatum est de ove vicini pauperis; de marito autem mulieris interemto, hoc est de ipso paupere qui unam habebat ovem occiso, non est per similitudinem interrogatus David, ut in [c] solum adulterium diceret sententiam damnationis suæ. Ex quo intelligitur quantâ temperantiâ multas mulieres habuerit, quando de una in qua excessit modum, à seipso puniri coactus est. Sed in isto viro immoderatæ hujus libidinis non permansio, sed transitus fuit: propterea etiam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est. Non enim dixit eum regi suo, sed hospiti suo vicini pauperis ovem ad epulandum exhibuisse. At verò in ejus filio Salomone, non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit: de quo Scriptura non tacuit, culpans eum fuisse amatorem mulierum. Cujus tamen initia desiderio sapientiæ flagraverant; quam cùm amore spiritali adeptus esset, amore carnali amisit.

2. Reg. 12. 3.

1. Reg. 12. 1. 2. Paralip. 1. 10.

a MSS. duodecim, *perveniat.*

b MSS. octo, *immanioris.*

c Sic MSS. Editi verò, *in solo adulterio disceret.*

CAPUT XXII. Regula de Scripturæ locis, ubi laudantur facta quædam bonorum hodie moribus contraria.

32. ERGO quamquam omnia vel penè omnia quæ in veteris Testamenti libris gesta continentur, non solùm propriè, sed etiam figuratè accipienda sint; tamen etiam illa quæ propriè lector accepe- rit, si laudati sunt illi qui ea fecerunt, sed ea tamen abhorrent à consuetudine bonorum, qui post adventum Domini divina præcepta custodiunt; figuram ad intelligentiam referat, factum verò ipsum ad mores non transferat. Multa enim sunt, quæ illo tempore officiosè facta sunt, quæ modò nisi libidinosè fieri non possunt.

CAPUT XXIII. Regula de locis, ubi magnorum virorum peccata referuntur.

33. SI qua verò peccata magnorum virorum legerit, tametsi aliquam in eis figuram rerum futurarum animadvertere atque indagare potuerit; rei tamen gestæ proprietatem ad hunc usum adsumat, ut se nequaquam rectefactis suis jactare audeat, & præ sua justitia ceteros tamquam peccatores contemnat, cùm videat tantorum virorum & cavendas tempestates, & flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum scripta sunt, ut apostolica illa sententia ubique tremenda sit, qua ait, *Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat.* Nulla enim ferè pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quòd Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

1. Cor. 10. 12.

CAPUT XXIV. Ante omnia considerandum genus locutionis.

34. MAXIME itaque investigandum est utrùm propria sit, an figurata locutio, quam intelligere conamur. Nam comperto quòd figurata sit, adhibitis regulis rerum, quas in primo libro digessimus, facile est eam versare omnibus modis, donec perveniamus ad sententiam veritatis, præsertim cùm, usus accesserit pietatis exercitatione roboratus. Invenimus autem utrùm propria sit, an figurata locutio, illa intuentes quæ suprà dicta sunt. * Quod cùm apparuerit, verba quibus continetur, aut à similibus rebus ducta invenientur, aut ab aliqua vicinitate adtingentibus.

* CAPUT XXV.

Idem verbum non idem significat ubique.

35. Sed quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus. Nam & in vituperatione fermentum posuit Dominus, cùm diceret, *Cavete à fermento Pharisæorum*; & in laude cùm diceret, *Simile est regnum cælorum mulieri, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum.*

Mat. 16 11. Luce 13. 21.

* Reliquum hujus libri, totumque librum quartum adjecit Augustinus, quando hoc opus suo ordine recognovit ex 2. Retract. c. 4.

36. * Hujus igitur varietatis observatio duas habet formas. Sic enim aliud atque aliud res quæque significant, ut aut contraria, aut tantummodo diversa significent. Contraria scilicet, cùm aliàs in bono, aliàs in malo res eadem per similitudinem ponitur, sicut hoc est quod de fermento suprà diximus. Tale est etiam quòd leo significat Christum, ubi dicitur, *Vicit leo de tribu Iuda*; significat & diabolum, ubi scriptum est, *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Ita serpens in bono est, *Astuti ut serpentes*: in malo autem, *Serpens Evam seduxit in astutiâ suâ.* In bono panis, *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*: in malo, *Panes occultos libenter edite.* sic & alia plurima. Et hæc quidem quæ commemoravi, minimè dubiam significationem gerunt, quia exempli gratiâ commemorari nonnisi manifesta debuerunt. Sunt autem quæ incertum sit, in quam partem accipi debeant, sicut, *Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto.* Incertum est enim, utrùm iram Dei significet non usque ad novissimam pœnam, id est usque ad fæcem; an potiùs gratiam Scripturarum à Judæis ad Gentes transeuntem, quia *inclinavit ex hoc in hoc*, remanentibus apud Judæos observationibus, quas carnaliter sapiunt, quia *fæx ejus non est exinanita.* Cùm verò res eadem non in contraria, sed tantùm in diversa significatione ponitur, illud est in exemplum, quòd aqua & populum significat, sicut in Apocalypsi legimus; & Spiritum-sanctum, unde est illud, *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus*; & si quid aliud atque aliud, pro locis in quibus ponitur, aqua significare intelligitur.

Psal. 74. 9. Prov. 9. 17. Apoc. 17. 15. Ep. 19. 6. Johan. 7. 38.

37. Sic & aliæ res non singulæ, sed unaquæque earum, non solùm duo aliqua diversa, sed etiam nonnumquam multa significat, pro loco sententiæ, sicut posita reperitur. * Ubi autem apertiùs ponuntur, ibi discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris. Neque enim melius potest intelligi quod dictum est Deo, *Apprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium mihi*, quàm ex illo loco ubi legitur, *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Nec tamen ita ut jam ubicumque scutum pro aliquo munimento legerimus positum, non accipiamus nisi bonam voluntatem Dei. Dictum est enim & *scutum fidei*; *in quo possitis*, inquit, *omnes sagittas maligni ignitas exstinguere.* Nec rursum ideo debemus in armis hujuscemodi spiritalibus scuto tantummodo fidem tribuere, cùm alio loco etiam lorica dicta sit fidei: *induti*, inquit, *loricam fidei & caritatis.*

* CAPUT XXVI. Obscura ex locis apertioribus explicanda.

Psal. 34. 2. Psal. 5. 13. Ephes. 6. 16. 1. Thess. 5. 8.

38. QUANDO autem ex eisdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet quid senserit ille, qui scripsit; nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest; id tamen eo conante, qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam sanctus operatus est Spiritus; sive hoc assequatur, sive aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exsculpat, testimonium habens à quocumque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit; & certè Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori, sine dubitatione prævidit; immo ut occurreret, quia & ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius & uberius potuit divinitus provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minùs divina contestantia faciant approbari?

CAPUT XXVII. Eumdem locum variè intelligi nihil prohibet.

39. UBI autem talis sensus eruitur, cujus incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat ut ratione reddita manifestus appareat, etiam si ille cujus verba intelligere quærimus, eum fortè non sensit. Sed hæc consuetudo periculosa est: per Scripturas enim divinas multo tutiùs ambulatur, quas verbis translatis opacatas cùm scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam; aut si habet, ex eadem Scriptura ubicumque inventis atque adhibitis testibus terminetur.

CAPUT XXVIII. Locus incertus tutiùs per alios Scripturæ locos quàm per rationem manifestatur.

40. SCIANT autem litterati, modis omnibus locutionis, quos grammatici græco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse, & multipliciùs atque copiosiùs, quàm possunt existimare vel credere qui nesciunt eos, & in aliis ista didicerunt. Quos tamen tropos qui noverunt, agnoscunt in litteris sanctis, eorumque scientiâ ad eas intelligendas aliquantum adjuvantur. Sed hîc eos ignaris tradere non decet, ne artem grammaticam docere videamur. Extra sanè ut discantur admoneo, quamvis jam superiùs id admonuerim, id est in secundo libro, ubi de linguarum necessaria cognitione disserui. Nam litteræ, à quibus ipsa grammatica nomen accepit, γράμματα enim Græci litteras vocant, signa utique sunt sonorum ad articulatam vocem qua loquimur pertinentium. Istorum autem troporum non solùm exempla, sicut omnium, sed quorumdam etiam nomina in divinis libris leguntur, sicut allegoria, ænigma, parabola. Quamvis penè omnes ij tropi, qui liberali dicuntur arte cognosci, etiam in eorum reperiantur loquelis, qui nullos grammaticos audierunt, & eo quo vulgus utitur sermone contenti sunt. Quis enim non dicit, Sic floreas? qui tropus metaphora vocatur. Quis non dicit piscinam etiam quæ non habet pisces, nec facta est propter pisces, & tamen à piscibus nomen accepit? qui tropus catachresis dicitur.

CAPUT XXIX. Troporum cognitio necessaria.

41. Longum est isto modo ceteros persequi: nam usque ad illos pervenit vulgi locutio, qui propterea mirabiliores sunt, quia contra quàm dicitur significant, sicuti est quæ appellatur ironia vel antiphrasis. Sed ironia pronuntiatione indicat quid velit intelligi, uti cùm dicimus homini mala facienti, Res bonas facis: antiphrasis verò ut contraria significet, non voce pronuntiantis efficitur, sed aut verba habet sua, quorum origo è contrario est, sicut appellatur lucus, quòd minimè luceat; aut consuevit aliquid ita dici, quamvis dicatur etiam non è contrario, veluti cùm quærimus accipere quod ibi non est, & respondetur nobis, Abundat; aut adjunctis verbis facimus, ut à contrario intelligatur, quod loquimur, veluti si dicamus, Cave illum, quia bonus homo est. Et quis talia non dicit indoctus, nec omnino sciens qui sint, vel quid vocentur hi tropi? Quorum cognitio propterea Scripturarum ambiguitatibus dissolvendis est necessaria, quia cùm sensus, ad proprietatem verborum si accipiatur, absurdus est, quærendum est utique ne fortè illo vel illo tropo dictum sit, quod non intelligimus: & sic pleraque inventa sunt, quæ latebant.

CAPUT XXX. Regulæ Tichonij Donatistæ expendantur.

* Exstat in Biblioth. Patr. tom. 15. edit. Colon. an. 1622. & in Lugdun. an. 1677. tom. 6.

42. TICHONIUS quidam qui contra Donatistas invictissimè scripsit, cùm fuerit Donatista, & illic invenitur absurdissimi cordis, ubi eos non omni ex parte relinquere voluit, fecit librum * quem *Regularum* vocavit, quia in eo quasdam septem regulas exsecutus est, quibus quasi clavibus divinarum Scripturarum aperirentur occulta. Quarum primam ponit *de Domino & ejus corpore*, secundam *de Domini corpore bipartito*, tertiam *de promissis & Lege*, quartam *de specie & genere*, quintam *de temporibus*, sextam *de recapitulatione*, septimam *de diabolo & ejus corpore.* Quæ quidem consideratæ, sicut ab illo aperiuntur, non parum adjuvant ad penetranda, quæ tecta sunt divinorum eloquiorum: nec tamen omnia, quæ ita scripta sunt, ut non facilè intelligantur, possunt his regulis inveniri, sed aliis modis pluribus, quos hoc numero septenario usque adeo non est iste complexus, ut idem ipse multa exponat obscura, in quibus harum regularum adhibet nullam, quoniam nec opus est. Neque enim aliquid illic tale versatur aut quæritur, sicut in Apocalypsi Johannis quærit, quemadmodum intelligendi sint Angeli Ecclesiarum septem, quibus scribere jubetur, & ratiocinatur multipliciter, & ad hoc pervenit ut ipsos Angelos intelligamus Ecclesias. In qua copiosissima disputatione nihil istarum est regularum, & utique res illic obscurissima queritur; quod exempli gratiâ satis dictum sit: nam colligere omnia, nimis longum & nimis operosum est, quæ ita obscura sunt in Scripturis canonicis, ut nihil istarum septem ibi requirendum sit.

Apoc. 1. 20.

43. Iste autem cùm has velut regulas commendaret, tantum eis tribuit, quasi omnia quæ in Lege, id est in divinis libris obscurè posita invenerimus, his bene cognitis atque adhibitis intelligere valeamus. Ita quippe exorsus est eumdem librum ut diceret, Necessarium duxi ante omnia, quæ mihi videntur, libellum *regularum* scribere, & secretorum Legis veluti claves & luminaria fabricare. Sunt enim quædam regulæ mysticæ, quæ universæ Legis recessus obtinent, & veritatis thesauros aliquibus invisibiles visibiles faciunt. Quarum si ratio regularum sine invidia, ut communicamus, accepta fuerit, clausa quæque patefient, & obscura dilucidabuntur, ut quis prophetiæ immensam silvam perambulans, his regulis quodammodo lucis tramitibus deductus ab errore defendatur. Hic si dixisset, Sunt enim quædam regulæ mysticæ, quæ nonnullos Legis recessus obtinent, aut certè, quæ Legis magnos recessus obtinent; non autem quod ait, universæ Legis recessus: neque dixisset, clausa quæque patefient, sed, clausa multa patefient; verum dixisset, nec tam elaborato atque utili operi suo plusquam res ipsa postulat dando, in spem falsam lectorem ejus cognitoremque misisset. Quod ideo dicendum putavi, ut liber ipse & legatur à studiosis, quia plurimum adjuvat ad Scripturas intelligendas, & non de illo speretur tantum quantum non habet. Cautè sanè legendus est, non solùm propter quædam, in quibus ut homo erravit; sed maximè propter illa, quæ sicut Donatista hæreticus loquitur. Quid autem doceant vel admoneant istæ septem regulæ, breviter ostendam.

CAPUT XXXI. Regula prima Tichonij.

Galat. 3 16.

44. PRIMA *de Domino & ejus corpore* est, in qua scientes aliquando capitis & corporis, id est Christi & Ecclesiæ unam personam nobis intimari; (neque enim frustra dictum est fidelibus, *Ergo Abrahæ semen estis*, cùm sit unum semen Abrahæ, quod est Christus,) non hæsitemus quando à capite ad corpus, vel à corpore transitur ad caput, & tamen non receditur ab una eademque persona. Una enim persona loquitur dicens, *Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornavit me ornamento*; & tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, id est quid Christo, quid Ecclesiæ conveniat, utique intelligendum est.

Isaiæ 61. 10.

CAPUT XXXII. Regula secunda Tichonij.

45. SECUNDA est *de Domini corpore bipartito*, quod quidem non ita debuit appellari; non enim re vera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum: sed dicendum fuit, de Domini corpore vero atque permixto, aut, vero atque simulato, vel quid aliud: quia non solùm in æternum, verùm etiam nunc hypocritæ non cum illo esse dicendi sunt, quamvis in ejus esse videantur Ecclesia. Unde poterat ista regula & sic appellari, ut diceretur de permixta Ecclesia. Quæ regula lectorem vigilantem requirit, quando Scriptura cùm ad alios jam loquatur, tamquàm ad eos ipsos, ad quos loquebatur, videtur loqui; vel de ipsis, cùm de aliis jam loquatur; tamquàm unum sit utrorumque corpus, propter temporalem commixtionem & communionem Sacramentorum. Ad hoc pertinet in Can-

Cant. 1. 5.
ticis canticorum, *Fusca sum & speciosa ut tabernacula Cedar, ut pelles Salomonis.* Non enim ait, Fusca fui ut tabernacula Cedar, & speciosa sum ut pelles Salomonis; sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum & malorum.
Matth. 13. 47.
Tabernacula enim Cedar ad Ismaëlem pertinent, qui non erit heres cum filio liberæ.
Gen. 21. 10. Galat. 4. 30.
Itaque cùm de bona parte Deus dicat, *Ducam cæcos in viam, quam non noverunt, & semitas quas non noverunt calcabunt; & faciam illis tenebras in lucem, & prava in directum: hæc verba faciam, & non derelinquam eos.*
Isaïa 42. 16.
Mox de alia parte, quæ malè permixta est, dicit, *Ipsi autem conversi sunt retrò*, quamvis alij jam significentur his verbis. Sed quoniam nunc in uno sunt, tamquam de ipsis loquitur de quibus loquebatur: non tamen semper in uno erunt. Ipse est quippe ille servus commemoratus in Evangelio, cujus Dominus cùm venerit, dividet eum, & partem ejus cum hypocritis ponet.
Matth. 24. 51.

CAPUT XXXIII. Regula tertia Tichonij. * Liber de Spiritu & littera.

46. TERTIA regula est *de promissis & Lege*, quæ alio modo dici potest de spiritu & littera, sicut nos eam appellavimus, cùm de hac re * librum scriberemus. Potest etiam sic dici, de gratia & mandato. Hæc autem magis mihi videtur magna quæstio quàm regula, quæ solvendis quæstionibus adhibenda est. Hæc est quam non intelligentes Pelagiani, vel condiderunt suam hæresim, vel auxerunt. Laboravit in ea [a] dissolvenda Tichonius bene, sed non plenè. Disputans enim de fide & operibus, opera nobis dixit à Deo dari merito fidei; ipsam verò fidem sic esse à nobis, ut nobis non sit à Deo.
Ephes. 6. 23.
Nec adtendit Apostolum dicentem, *Pax fratribus & caritas cum fide à Deo patre & Domino Iesu Christo.* Sed non erat expertus hanc hæresim, quæ nostro tempore exorta, multum nos, ut gratiam Dei quæ per Dominum nostrum Jesum Christum est, adversùs eam defenderemus, exercuit: & secundùm id quod ait Apostolus, *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis*, multo vigilantiores, diligentioresque reddidit, ut adverteremus in Scripturis sanctis, quod istum Tichonium minùs adtentum, minúsque sine hoste sollicitum fugit, etiam ipsam scilicet fidem donum illius esse, qui ejus mensuram unicuique partitur.
1. Cor. 11. 19.
Ex qua sententia quibusdam dictum est, *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, verùm etiam ut pro eo patiamini.* Unde quis dubitet utrumque esse Dei donum, qui fideliter atque intelligenter audit utrumque donatum? Plura sunt & alia testimonia, quibus id ostenditur: sed hoc nunc non agimus, alibi autem atque alibi sæpissime ista egimus.
Philip. 1. 29.

CAPUT XXXIV. Regula quarta Tichonij.

47. QUARTA Tichonij regula est *de specie & genere.* Sic enim eam vocat, volens intelligi speciem partem, genus autem totum, cujus ea pars est, quam nuncupat speciem, sicut unaquæque civitas pars est utique universitatis gentium; hanc ille vocat speciem; genus autem omnes gentes. Neque hîc ea [b] discernendi subtilitas adhibenda est, quæ à dialecticis traditur, qui inter partem & speciem quid intersit acutissimè disputant. Eadem ratio est, si non de unaquaque civitate, sed de unaquaque provincia vel gente vel regno tale aliquid in divinis reperiatur eloquiis. Non solùm enim, verbi gratiâ, de Jerusalem, vel de aliqua gentium civitate, sive Tyro, sive Babylonia, sive alia qualibet dicitur aliquid in Scripturis sanctis, quod modum ejus excedat, & conveniat potiùs omnibus gentibus: verùm etiam de Judæa, de Ægypto, de Assyria, & quacumque alia gente, in qua sunt plurimæ civitates, non tamen totus orbis, sed pars ejus est, dicitur quod transeat ejus modum, & congruat potiùs universo, cujus hæc pars est; vel sicut iste appellat, generi, cujus hæc species est. Unde & in notitiam vulgi verba ista venerunt, ut etiam idiotæ intelligant quid specialiter, quid generaliter in quocumque præcepto imperiali sit constitutum. Fit hoc etiam de hominibus: sicut ea quæ de Salomone dicuntur, excedunt ejus modum, & potiùs ad Christum vel Ecclesiam, cujus ille pars est, relata clarescunt.

48. Nec species semper exceditur; sæpe enim talia dicuntur, quæ vel ei quoque, vel ei fortasse tantummodo apertissimè congruant: sed cùm à specie transitur ad genus, quasi adhuc de specie loquente Scriptura, ibi vigilare debet lectoris intentio, ne quærat in specie, quod in genere potest meliùs & certiùs invenire. Facile quippe est illud quod ait propheta Ezechiel, *Domus Israël habitavit in terra, & polluerunt illam in via sua & in idolis suis & peccatis suis; secundùm immunditiam menstruatæ facta est via eorum ante faciem meam. Et effudi iram meam super eos, & dispersi illos inter nationes, & ventilavi eos in regiones; secundùm vias eorum, & secundùm peccata eorum judicavi eos.*
Ezech. 36. 17.
Facile est, inquam, hoc intelligere de illa domo Israël, de qua dicit Apostolus, *Videte Israël secundùm carnem:* quia hæc omnia carnalis populus Israël & fecit, & passus est.
1. Cor. 10. 18.
Alia etiam quæ sequuntur, eidem intelliguntur populo convenire: sed cùm cœperit dicere, *Et sanctificabo nomen meum sanctum illud magnum, quod pollutum est inter nationes, quod polluistis in medio earum; & scient gentes, quia ego sum Dominus:* jam intentus debet esse, qui legit, quemadmodum species excedatur, & adjungatur genus.
Ezech. 36. 23.
Sequitur enim & dicit, *Et dum sanctificabor in vobis ante oculos eorum, & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducam vos in terram vestram; & adspergam vos aquâ mundâ, & mundabimini ab omnibus simulacris vestris, & mundabo vos: & dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in vos: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum dabo in vos: & faciam ut in justitiis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & faciatis: & habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris; & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum; & mundabo vos ex omnibus immunditiis vestris.* Hoc de novo Testamento esse prophetatum, ad quod pertinet non solùm una gens illa in reliquiis suis, de quibus alibi scriptum est, *Si fuerit numerus filiorum Israël sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient;*
Isaïa 10. 22.
verùm etiam ceteræ gentes, quæ promissæ sunt patribus eorum, qui etiam nostri sunt, non ambigit quisquis intuetur & lavacrum regenerationis hîc esse promissum, quod nunc videmus omnibus gentibus redditum: & illud quod ait Apostolus, cùm novi Testamenti gratiam commendaret, ut in comparatione veteris emineret, *Epistola nostra vos estis, scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*, hinc esse respicit & perspicit ductum ubi iste propheta dicit, *Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in vos, & auferam cor*
2. Cor. 3. 2. Ezech. 11. 19. & 36. 26.

[a] MSS. novem, *differenda.*

[b] MSS. undecim, *differendi.*

lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Cor quippe carneum, unde ait Apostolus, *tabulis cordis carnalibus*, à corde lapideo voluit vitâ sentiente discerni, & per vitam sentientem significavit intelligentem. Sic fit Israël spiritalis, non unius gentis, sed omnium quæ promissæ sunt Patribus in eorum semine, quod est Christus.

49. Hic ergo Israël spiritalis ab illo Israële carnali, qui est unius gentis, novitate gratiæ, non nobilitate patriæ, & mente non gente distinguitur: sed altitudo prophetica dum de illo vel ad illum loquitur, latenter transit adhunc; & cùm jam de isto vel ad istum loquatur, adhuc de illo vel ad illum loqui videtur; non intellectum Scripturarum nobis quasi hostiliter invidens, sed exercens medicinaliter nostrum.
Ezech. 36. 24.
Unde & illud quod ait, *Et inducam vos in terram vestram;* & paulò pòst, tamquam idipsum repetens, *Et habitabitis*, inquit, *in terra, quam dedi patribus vestris*, non carnaliter sicut carnalis Israël, sed spiritaliter sicut spiritalis debemus accipere. Ecclesia quippe sine macula & ruga ex omnibus gentibus congregata, atque in æternum regnatura cum Christo, ipsa est terra beatorum, terra viventium;
Psal. 26. 13. Terra viventium.
ipsa intelligenda est Patribus data, quando eis certa & incommutabili Dei voluntate promissa est: quoniam ipsa promissionis vel prædestinationis firmitate jam data est, quæ danda suo tempore à patribus credita est: sicut de ipsa gratia quæ sanctis datur, scribens ad Timotheum Apostolus ait, *Non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante sæcula æterna, manifestata autem nunc per adventum Salvatoris nostri.*
2. Tim. 1. 9.
Datam dixit gratiam, quando nec erant adhuc quibus daretur; quoniam in dispositione ac prædestinatione Dei jam factum erat, quod suo tempore futurum erat, quod ipse dicit manifestatum. Quamvis hæc possint intelligi & de terra futuri sæculi, quando erit cælum novum & terra nova, in qua injusti habitare non poterunt.
Apoc. 21. 1.
Et ideo rectè dicitur piis, quòd ipsa sit terra eorum, quæ ulla ex parte non erit impiorum: quia & ipsa similiter data est, quando danda firmata est.

CAPUT XXXV. Regula quinta Tichonij.

50. QUINTAM Tichonius regulam ponit, quam *de temporibus* appellat: quâ regulâ plerumque inveniri vel conjici possit latens in Scripturis sanctis quantitas temporum. Duobus autem modis vigere dicit hanc regulam, aut tropo synecdoche, aut legitimis numeris. Tropus synecdoche, aut à parte totum, aut à toto partem facit intelligi: sicut unus Evangelista post dies octo factum dicit, quod alius post dies sex, quando in monte discipulis tantùm tribus præsentibus facies Domini fulsit ut sol, & vestimenta ejus sicut nix.
Luca 9. 28. Matth. 17. 1. Mar. 9. 1.
Utrumque enim verum esse non posset, quod de numero dierum dictum est, nisi ille qui dixit, *post dies octo*, intelligatur partem novissimam diei, ex quo id Christus prædixit futurum, & partem primam diei quo id ostendit impletum, pro totis diebus duobus atque integris posuisse; is verò qui dixit, *post dies sex*, integros omnes & totos, sed solos medios computasse. Hoc modo locutionis, quo significatur à parte totum, etiam illa de resurrectione Christi solvitur quæstio. Pars enim novissima diei, quo passus est, nisi pro toto die accipiatur, id est adjunctâ etiam nocte præteritâ; & nox in cujus parte ultima resurrexit, nisi totus dies accipiatur, adjuncto scilicet die illucescente Dominico, non possunt esse tres dies & tres noctes, quibus se in corde terræ prædixit futurum.
Matth. 12. 40.

51. Legitimos autem numeros dicit, quos eminentiùs divina Scriptura commendat, sicut septenarium vel denarium vel duodenarium, & quicumque alij sunt, quos legendo studiosi libenter agnoscunt. Plerumque enim hujusmodi numeri pro universo tempore ponuntur: sicut, *Septies in die laudabo te*, nihil est aliud quàm, *Semper laus ejus in ore meo.*
Psal. 118. 164. Psal. 33. 2.
Tantumdem valent & cùm multiplicantur, sive per denarium, sicut septuaginta & septingenti; unde possunt & septuaginta anni Jeremiæ pro universo tempore spiritaliter accipi, quo est apud alienos Ecclesia:
Jerem. 25. 11.
sive per seipsos, sicut decem per decem, centum sunt; & duodecim per duodecim, centum quadraginta quatuor; quo numero significatur universitas sanctorum in Apocalypsi.
Apoc. 7. 4.
Unde apparet non solas temporum quæstiones istis numeris esse solvendas, sed latiùs patere significationes eorum, & in multa proserpere. Neque enim numerus iste in Apocalypsi ad tempora pertinet, sed ad homines.

CAPUT XXXVI. Regula sexta Tichonij.

52. SEXTAM regulam Tichonius *Recapitulationem* vocat, in obscuritate Scripturarum satis vigilanter inventam. Sic enim dicuntur quædam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cùm ad priora quæ prætermissa fuerant, latenter narratio revocetur. quod nisi ex hac regula intelligatur, erratur. Sicut in Genesi, *Et plantavit*, inquit, *Dominus Deus paradisum in Eden ad orientem, & posuit ibi hominem quem formavit; & produxit Deus adhuc de terra omne lignum speciosum, & bonum in escam*, ita videtur dictum tamquam id factum sit posteaquam factum posuit Deus hominem in paradiso;
Gen. 2. 8.
cùm breviter utroque commemorato, id est quòd plantavit Deus paradisum, & posuit ibi hominem, quem formavit, recapitulando redeat & dicat quod prætermiserat, quomodo scilicet paradisus fuerit plantatus, quia produxit Deus adhuc de terra omne lignum speciosum & bonum in escam. Denique secutus adjunxit, *Et lignum vitæ in medio paradisi, & lignum scientiæ boni & mali.* Deinde flumen, quo paradisus irrigaretur, divisum in quatuor principia fluviorum quatuor, explicatur, quod totum pertinet ad institutionem paradisi. Quod ubi terminavit, repetivit illud quod jam dixerat, & re vera hoc sequebatur, atque ait, *Et sumsit Dominus Deus hominem, quem finxit & posuit eum in paradiso*, &c. Post ista enim facta ibi est positus homo, sicut nunc ordo ipse demonstrat: non post hominem ibi positum facta sunt ista, sicut priùs dictum putari potest, nisi recapitulatio illic vigilanter intelligatur, qua reditur ad ea quæ fuerant prætermissa.

53. Itemque in eodem libro, cùm commemorarentur generationes filiorum Noë, dictum est, *Hi filij Cham in tribubus suis, secundùm linguas suas in* [a] *regionibus suis & in gentibus suis.*
Gen. 10. 20.
Enumeratis quoque filiis Sem, dicitur, *Hi filij Sem in tribubus suis secundùm linguas suas in regionibus suis & in gentibus suis.* Et adnectitur de omnibus, *Hæ tribus filiorum Noë, secundùm generationes eorum & secundùm gentes eorum. Ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terram post diluvium. Et erat omnis terra labium unum, & vox una omnibus.* Hoc itaque quod adjunctum est, *Et erat omnis terra labium unum, & vox una*

[a] MSS. quatuor, *in generationibus.* Ceteri codices, *in regionibus*, juxta versionem LXX. ἐν ταῖς χώραις.

omnibus, id est una lingua omnium, ita dictum videtur tamquam eo jam tempore, quo dispersi fuerant super terram, etiam secundùm insulas gentium, una fuerit omnibus lingua communis: quod procul dubio repugnat superioribus verbis, ubi dictum est, *in tribubus suis secundùm linguas suas*. Neque enim dicerentur habuisse jam linguas suas singulæ tribus, quæ gentes singulas fecerant, quando erat omnibus una communis. Ac per hoc recapitulando adjunctum est, *Et erat omnis terra labium unum, & vox una omnibus*, latenter narratione redeunte, ut diceretur quomodo factum sit, ut ex una omnium lingua fuerint divisi per multas: & continuò de illa turris ædificatione narratur, ubi hæc eis judicio divino ingesta est pœna superbiæ; post quod factum dispersi sunt super terram secundùm linguas suas.

Gen. 11. 1.

54. Fit ista recapitulatio etiam obscuriùs: sicut in Evangelio Dominus dicit, *Die quo exiit Loth à Sodomis, pluit ignem de cælo, & perdidit omnes: secundùm hæc erit dies filij hominis, quo revelabitur. Illà horâ, qui erit in tecto, & vasa ejus in domo, non descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non revertatur retrò: meminerit uxoris Loth.* Numquid cùm Dominus fuerit revelatus, tunc sunt ista servanda, ne quisque retrò respiciat, id est vitam præteritam cui renuntiavit, inquirat; & non potiùs isto tempore, ut cùm Dominus fuerit revelatus, retributionem pro eis, quæ quisque servavit vel contemsit, inveniat? Et tamen quia dictum est, *In illa hora*, tunc putantur ista servanda, cùm fuerit Dominus revelatus, nisi ad intelligendam recapitulationem, sensus legentis invigilet, adjuvante alia Scriptura, quæ ipsorum Apostolorum adhuc tempore clamavit, *Filij, novissima hora est*. Tempus ergo ipsum quo Evangelium prædicatur, quò usque Dominus reveletur, hora est in qua oportet ista servari; quia & ipsa revelatio Domini ad eamdem horam pertinet, quæ die judicij terminabitur.

Luca 17. 29.

Gen 19. 26.

1. Johan. 2. 18. Rom. 2. 5. & 13. 11.

CAPUT XXXVII. Regula septima Tichonij.

55. SEPTIMA Tichonij regula est, eademque postrema, *de diabolo & ejus corpore*. Est enim & ipse caput impiorum, qui sunt ejus quodammodo corpus, ituri cum illo in supplicium ignis æterni: sicut Christus caput est Ecclesiæ, quod est corpus ejus, futurum cum illo in regno & gloria sempiterna. Sicut ergo in prima regula, quam vocat *de Domino & ejus corpore*, vigilandum est ut intelligatur, cùm de una eademque persona Scriptura loquitur, quid conveniat capiti, quid corpori; sic & in ista novissima, aliquando in diabolum dicitur, quod non in ipso, sed potiùs in ejus corpore possit agnosci, quod habet non solùm in eis qui manifestissimè foris sunt, sed in eis etiam qui cùm ad ipsum pertineant, tamen ad tempus miscentur Ecclesiæ, donec unusquisque de hac vita exeat, vel à frumento palea ventilabro ultimo separetur. Quod enim scriptum est apud Isaiam, *Quomodo cecidit de cælo Lucifer manè oriens*, & cetera, quæ sub figura regis Babyloniæ de eadem persona, vel ad eamdem personam dicta sunt in ipsa contextione sermonis, de diabolo utique intelliguntur: & tamen quod ibi dictum est, *Contritus est in terra, qui mittit ad omnes gentes*, non totum ipsi capiti congruit. Nam etsi mittit ad omnes gentes diabolus angelos suos, tamen in terra corpus ejus, non ipse, conteritur, nisi quia ipse est in corpore suo, quod contritum fit ut pulvis, quem projicit ventus â facie terræ.

Luca 3. 17.

Isaiæ 14. 12.

Psal. 1. 4.

56. Hæ autem omnes regulæ, exceptâ unâ, quæ vocatur *de promissis & Lege*, aliud ex alio faciunt intelligi, quod est proprium tropicæ locutionis, quæ latiùs patet quàm ut possit, ut mihi videtur, ab aliquo universa comprehendi. Nam ubicumque velut aliud dicitur ut aliud intelligatur, etsi nomen ipsius tropi in loquendi arte non invenitur, tropica locutio est. Quæ cùm fit ubi fieri solet, sine labore sequitur intellectus: cùm verò ubi non solet, laboratur ut intelligatur, ab aliis magis, ab aliis minùs, sicut magis minúsve dona Dei sunt in ingeniis hominum, vel adjutoria tribuuntur. Proinde sicut in verbis propriis, de quibus superiùs disputavimus, ubi res ut dicuntur intelligendæ sunt; sic in translatis quæ faciunt tropicas locutiones, ubi aliud ex alio intelligendum est, de quibus huc usque quantum visum est, satis egimus, non solùm admonendi sunt studiosi venerabilium litterarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, & quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter advertant, memoriterque retineant: verùm etiam, quod est præcipuum & maximè necessarium, orent ut intelligant. In eis quippe litteris, quarum studiosi sunt, legunt quoniam *Dominus dat sapientiam, & à facie ejus scientia & intellectus*; à quo & ipsum studium, si pietate præditum est, acceperunt. Sed hæc satis etiam de signis, quantum ad verba pertinet, dicta sint. Restat ut de proferendis eis quæ sentimus, sequenti volumine, quæ Dominus donaverit, disseramus.

Prov. 2. 6.

LIBER QUARTUS.

Hactenus de investigando Scripturæ sensu, nunc demum agitur de disserendo. Et quidem Rhetoricæ artis præcepta ad hujus libri institutum pertinere non vult Augustinus; sed tamen summâ diligentiâ Christiani Oratoris partes persequitur: cui sacrarum litterarum auctores & doctores ecclesiasticos dicendi sapientiâ, immo & eloquentiâ longè præstantissimos imitandos proponit, ex eorum scriptis elocutionis exempla in vario dicendi genere subjiciens. Postremò ipsum Ecclesiasten hortatur, ut in primis orationi det operam; & quod verbis docet alios, id omnino vitâ & moribus præstet.

Prologus. Quia de re agendum in hoc libro.

1. HOC Opus nostrum quod inscribitur de *Doctrina Christiana*, in duo quædam fueram prima distributione partitus. Nam post procœmium, quo respondi eis, qui hoc fuerant reprehensuri, *Duæ sunt res*, inquam, *quibus nititur omnis tractatio Scripturarum, modus inveniendi quæ intelligenda sunt, & modus proferendi quæ intellecta sunt. De inveniendo priùs, de proferendo postea disseremus.* Quia ergo de inveniendo multa jam diximus, & tria de hac una parte volumina absolvimus, Domino adjuvante, de proferendo pauca dicemus, ut si fieri potuerit, uno libro cuncta claudamus, totumque hoc opus quatuor voluminibus terminetur.

2. PRIMÒ

CAPUT I. Rhetoricæ præcepta tradere nõ est hujus instituti.

2. PRIMÒ itaque exspectationem legentium, qui fortè me putant rhetorica daturum esse præcepta, quæ in scholis sæcularibus & didici & docui, ista prælocutione cohibeo, atque ut à me non exspectentur, admoneo: non quòd nihil habeant utilitatis; sed quod si quid habent, seorsum discendum est, si cui fortassis bono viro etiam hæc vacat discere, non autem à me vel in hoc opere, vel in aliquo alio requirendum.

CAPUT II. Rhetorica facultate Christianũ doctorem uti convenit.

3. NAM cùm per artem rhetoricam, & vera suadeantur & falsa, quis audeat dicere, adversùs mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem procœmio facere; isti autem non noverint? Illi falsa breviter, apertè, verisimiliter; & isti vera sic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremò non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter; isti pro veritate, lenti frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Cùm ergo sit in medio posita facultas eloquij, quæ ad persuadenda seu prava seu recta valet plurimum, cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque caussas in usus iniquitatis & erroris usurpant?

CAPUT III. Rhetoricæ præcepta quâ ætate, quave ratione disci possunt.

4. SED quæcumque sunt de hac re observationes atque præcepta, quibus cùm accedit in verbis plurimis ornamentisque verborum exercitationis linguæ sollertissima consuetudo, fit illa quæ facundia vel eloquentia nominatur, extra istas litteras nostras, sepositò ad hoc congruo temporis spatio, aptâ & convenienti ætate discenda sunt eis, qui hoc celeriter possunt. Nam & ipsos Romanæ principes eloquentiæ non piguit dicere, quòd hanc artem nisi quis citò possit, numquam omnino possit perdiscere. Quod utrùm verum sit, quid opus est quærere? Non enim etiam si possint hæc à tardioribus tandem aliquando perdisci, nos ea tanti pendimus, ut eis discendis jam maturas vel etiam graves hominum ætates velimus impendi. Satis est ut adolescentulorum ista sit cura, nec ipsorum omnium quos utilitati Ecclesiasticæ cupimus erudiri; sed eorum quos nondum magis urgens, & huic rei sine dubio præponenda necessitas occupavit. Quoniam si acutum & fervens adsit ingenium, facilìùs adhæret eloquentia legentibus & audientibus eloquentes, quàm eloquentiæ præcepta sectantibus. Nec desunt ecclesiasticæ litteræ, etiam præter canonem in auctoritatis arce salubriter collocatum, quas legendo homo capax, etsi id non agat, sed tantummodo rebus quæ ibi dicuntur intentus sit, etiam eloquio quo dicuntur, dum in his versatur, imbuitur, accedente vel maximè exercitatione sive scribendi, sive dictandi, postremò etiam dicendi, quæ secundùm pietatis ac fidei regulam sentit. Si autem tale desit ingenium, nec illa rhetorica præcepta capiuntur, nec si magno labore inculcata quantulacumque ex parte capiantur, aliquid profunt. Quandoquidem etiam ipsi qui ea didicerunt, & copiosè ornatéque dicunt, non omnes ut secundùm ipsa dicant, possunt ea cogitare cùm dicunt, si non de his disputant: immo verò vix ulla eorum esse existimo, qui utrumque possint, & dicere bene, & ad hoc faciendum præcepta illa dicendi cogitare cùm dicunt. Cavendum est enim ne fugiant ex animo, quæ dicenda sunt, dum adtenditur ut arte dicantur. Et tamen in sermonibus atque dictionibus eloquentium, impleta reperiuntur præcepta eloquentiæ, de quibus illi ut eloquerentur, vel cùm eloquerentur, non cogitaverunt, sive illa didicissent, sive ne adtigissent quidem. Implent quippe illa, quia eloquentes sunt; non adhibent ut sint eloquentes.

Cicero de Oratore.

5. Quapropter cùm ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentium, cur eloquentes fieri non possint nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquentium legendo & audiendo, & quantum assequi conceditur, imitando? Quid quòd ita fieri ipsis quoque experimur exemplis? Nam sine præceptis rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis, qui illa didicerunt; sine lectis verò & auditis eloquentium disputationibus vel dictionibus neminem. Nam neque ipsa arte grammatica, qua discitur locutionis integritas, indigerent pueri, si eis inter homines, qui integrè loquerentur, crescere daretur & vivere. Nescientes quippe ulla nomina vitiorum, quidquid vitiosum cujusquam ore loquentis audirent, sana sua consuetudine reprehenderent & caverent; sicut rusticos urbani reprehendunt, etiam qui litteras nesciunt.

CAPUT IV. Officium doctoris Christiani.

6. DEBET igitur divinarum Scripturarum tractator & doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere; atque in hoc opere sermonis conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid exspectare debeant intimare. Ubi autem benevolos, intentos, dociles aut invenerit, aut ipse fecerit, cetera peragenda sunt, sicut postulat caussa. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est, si tamen indigeat, ut res de qua agitur innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Si verò qui audiunt movendi sunt potiùs quàm docendi, ut in eo quod jam sciunt, agendo non torpeant, & rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes & increpationes, concitationes & coërcitiones, & quæcumque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria.

CAPUT V. Interest magis ut sapienter dicat Christianus orator, quàm ut eloquenter. Unde consequi id valeat.

Cicero lib. 1. de Inventione.

7. Et hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes ferè homines in iis quæ eloquendo * agunt, facere non quiescunt: * sed cùm alij faciant obtusè, deformiter, frigidè; alij acutè, ornatè, vehementer; illum ad hoc opus unde agimus, jam oportet accedere, qui potest disputare vel dicere sapienter, etiamsi non potest eloquenter, ut prosit audientibus, etiamsi minùs quàm prodesset, si & eloquenter posset dicere. Qui verò affluit insipienti eloquentiâ, tanto magis cavendus est, quanto magis ab eo in iis quæ audire inutile est, delectatur auditor, & eum quoniam disertè dicere audit, etiam verè dicere existimat. Hæc autem sententia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendam putarunt: fassi sunt enim sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus; eloquentiam verò sine sapientia nimiùm obesse plerumque, prodesse numquam. Si ergo hoc illi, qui præcepta eloquentiæ tradiderunt, in eisdem libris in quibus id egerunt, veritate instigante

a MSS. duo, *quæ loquendo arguunt.*

coacti sunt confiteri, veram, hoc est supernam quæ à Patre luminum descendit, sapientiam nescientes; quanto magis nos non aliud sentire debemus, qui hujus sapientiæ filij & ministri sumus? Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minùs, quanto in Scripturis sanctis magis minúsve profecit. Non dico in eis multùm legendis memoriæque mandandis, sed bene intelligendis, & diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt, & negligunt: legunt ut teneant, negligunt ne intelligant. Quibus longè sine dubio præferendi sunt, qui verba earum minùs tenent, & cor earum sui cordis oculis vident. Sed utrisque ille melior, qui & cùm volet eas dicit, & sicut oportet intelligit.

8. Huic ergo qui sapienter debet dicere, etiam quod non potest eloquenter, verba Scripturarum tenere maximè necessarium est. Quanto enim se pauperiorem cernit in suis, tanto eum oportet in istis esse ditiorem; ut quod dixerit suis verbis, probet ex illis; & qui propriis verbis minor erat, [a] magnorum testimonio quodammodo crescat. Probando enim delectat, qui minùs potest delectare dicendo. Porrò qui non solùm sapienter, verùm etiam eloquenter vult dicere, quoniam profectò plus proderit, si utrumque potuerit; ad legendos vel audiendos & exercitatione imitandos eloquentes eum mitto libentiùs, quàm magistris artis rhetoricæ vacare præcipio: si tamen ij qui leguntur & audiuntur, non solùm eloquenter, sed etiam sapienter dixisse vel dicere veraci prædicatione laudantur. Qui enim eloquenter dicunt, suaviter; qui sapienter, salubriter audiuntur. Propter quod non ait Scriptura, Multitudo eloquentium, sed *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* Sicut autem sæpe sumenda sunt & amara salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. Sed salubri suavitate vel suavi salubritate quid melius? Quanto enim magis illic appetitur suavitas, tanto faciliùs salubritas prodest. Sunt ergo ecclesiastici viri, qui divina eloquia non solùm sapienter, sed eloquenter etiam tractaverunt: quibus legendis magis non sufficit tempus, quàm deesse ipsi studentibus & vacantibus possunt.

Sap. 6. 26.

CAPUT VI. Sapientia juncta cum eloquentia in sacris auctoribus.

9. Hic aliquis forsitan quærit, utrùm auctores nostri, quorum scripta divinitùs inspirata canonem nobis saluberrimâ auctoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi sint. Quæ quidem quæstio apud meipsum, & apud eos qui mecum quod dico sentiunt, facillimè solvitur. Nam ubi eos intelligo, non solùm nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt quod illi loquuntur, simul intelligere non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quædam eloquentia quæ magis ætatem juvenilem decet, est quæ senilem; nec jam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis: ita est quædam, quæ viros summa auctoritate dignissimos planéque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit, alios autem quanto videtur humilior, tanto altiùs non ventositate, sed soliditate transcendit. Ubi verò non eos intelligo, minùs quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est ubi intelligo. Ipsa quoque obscuritas divinorum salubriumque dictorum tali eloquentiæ miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus, non solùm inventione, verùm etiam exercitatione deberet.

[a] MSS. è Vaticanis duo, *majorum.*

10. Possem quidem, si vacaret, omnes virtutes & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur isti, qui linguam suam nostrorum auctorum linguæ non magnitudine, sed tumore præponunt, ostendere in istorum litteris sacris, quos nobis erudiendis, & ab hoc sæculo pravo in beatum sæculum transferendis, providentia divina providit. Sed non ipsa me plus quàm dici potest in illa eloquentia delectant, quæ sunt his viris cum oratoribus gentilium poëtisve communia: illud magis admiror & stupeo, quòd istâ nostrâ eloquentiâ ita usi sunt per alteram quamdam eloquentiam suam, ut nec deesset eis, nec emineret in eis: quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat; quorum alterum fieret, si vitaretur; alterum putari posset, si facilè agnosceretur. Et in quibus fortè locis agnoscitur à doctis, tales res dicuntur, ut verba quibus dicuntur, non à dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subjuncta videantur: quasi sapientiam de domo sua, id est pectore sapientis procedere intelligas, & tamquam inseparabilem famulam etiam non vocatam sequi eloquentiam.

CAPUT VII. Pulcrè docet adductis exemplis in Sacris litteris inesse germanam eloquentiam, quæ sapientiæ adhæret velut inseparabilis comes. Exemplum ex Rom. 5. 3.

11. Quis enim non videat quid voluerit dicere, & quàm sapienter dixerit Apostolus, *Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis?* Hîc si quis, ut ita dixerim, imperitè peritus, artis eloquentiæ præcepta Apostolum secutum fuisse contendat, nonne à Christianis doctis indoctisque ridebitur? Et tamen agnoscitur hîc figura, quæ κλίμαξ græcè, latinè verò à quibusdam est appellata gradatio, quoniam scalam dicere noluerunt, cùm verba vel sensa connectuntur alterum ex altero; sicut hîc, ex tribulatione patientiam, ex patientia probationem, ex probatione spem connexam videmus. Agnoscitur & aliud decus, quoniam post aliqua pronuntiationis voce singula finita, quæ nostri membra & cæsa, Græci autem κῶλα & κόμματα vocant, sequitur ambitus sive circuitus, quem περίοδον illi appellant, cujus membra suspenduntur voce dicentis, donec ultimo finiatur. Nam eorum quæ præcedunt circuitum, membrum illud est primum, *quoniam tribulatio patientiam operatur:* secundum, *patientia autem probationem:* tertium, *probatio verò spem.* Deinde subjungitur ipse circuitus, qui tribus peragitur membris, quorum primum est, *spes autem non confundit:* secundum, *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris:* tertium, *per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* At hæc atque hujuscemodi in elocutionis arte traduntur. Sicut ergo Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus, ita quòd ejus sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.

12. Scribens ad Corinthios, in secunda epistola redarguit quosdam, qui erant ex Judæis pseudo-apostoli, eique detrahebant: & quoniam seipsum prædicare compellitur, hanc sibi velut insipientiam tribuens, quàm sapienter dicit quámque eloquenter? sed comes sapientiæ, dux eloquentiæ, illam sequens, istam præcedens & sequentem non respuens. *Iterum dico*, inquit, *ne quis me existimet insipientem esse, alioquin velut insipientem suscipite me, ut & ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in stultitia, in hac substantia gloriæ. Quoniam quidem multi gloriantur secundùm carnem,*

Exemplum aliud ex 2. Cor. 11. 16.

& ego gloriabor. Libenter enim sustinetis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. Toleratis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus. In quo autem quis audet, (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt? & ego. Israëlitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego. Ministri Christi sunt? (insipiens dico) [a] *super ego. In laboribus plurimùm, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus sæpius. A Iudæis quinquies, quadraginta unà minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: nocte & die in profundo maris fui; in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis sæpius, in fame & siti, in jejuniis sæpius, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecùs sunt, incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.* Quantâ sapientiâ ista sint dicta vigilantes vident. Quanto verò etiam eloquentiæ cucurrerint flumine, & qui stertit advertit.

13. Porrò autem qui novit, agnoscit quòd ea cæsa, quæ κόμματα Græci vocant, & membra, & circuitus, de quibus paulò antè disserui, cùm decentissima varietate interponerentur, totam istam speciem dictionis, & quasi ejus vultum, quo etiam indocti delectantur moventurque, fecerunt. Nam unde cœpimus hunc locum inserere, circuitus sunt: primus minimus, hoc est bimembris; minùs enim quàm duo membra circuitus habere non possunt, plura verò possunt: ergo ille primus est, *Iterum dico, ne quis me existimet insipientem esse.* Sequitur alius trimembris, *Alioquin, velut insipientem suscipite me, ut & ego modicum quid glorier.* Tertius qui sequitur membra habet quatuor, *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in stultitia, in hac substantia gloriæ.* Quartus duo habet, *Quandoquidem multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor.* Et quintus habet duo, *Libenter enim sustinetis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes.* Etiam sextus bimembris est, *Toleratis enim, si quis vos in servitutem redigit.* Sequuntur tria cæsa, *Si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur.* Deinde tria membra, *Si quis in faciem vos cædit, secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus.* Additur trimembris circuitus, *In quo autem quis audet, (in insipientia dico) audeo & ego.* Hinc jam singulis quibusque cæsis interrogando positis, singula itidem cæsa responsione redduntur, tria tribus, *Hebræi sunt? & ego. Israëlitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego.* Quarto autem cæso simili interrogatione posito, non alterius cæsi, sed membri oppositione respondet, *Ministri Christi sunt? (insipiens dico) super ego.* Jam cæsa quatuor sequentia, remotâ decentissimè interrogatione funduntur, *In laboribus plurimùm, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus sæpius.* Deinde interponitur brevis circuitus, [b] quoniam suspensâ pronuntiatione distinguendum est, *A Iudæis quinquies,* ut hoc sit unum membrum, cui connectitur alterum, *quadraginta unà minus accepi.* Inde reditur ad cæsa, & ponuntur tria, *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci.* Sequitur membrum, *Nocte ac die in profundo maris fui.* Deinde quatuordecim cæsa decentissimo impetu profluunt, *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis sæpius, in fame & siti, in jejuniis sæpius, in frigore & nuditate.* Post hæc interponit trimembrem circuitum, *Præter illa quæ extrinsecùs sunt, incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Et huic duo membra percontatione subjungit, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Postremò totus iste quasi anhelans locus, bimembri circuitu terminatur. *Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.* Quod verò post hunc impetum interpositâ narratiunculâ quodammodo requiescit, & requiescere facit auditorem, quid decoris, quid delectationis habeat, satis dici non potest. Sequitur enim dicens, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi scit, qui est benedictus in sæcula, quòd non mentior.* Ac deinde quomodo periclitatus fuerit, & quomodo evaserit, brevissimè narrat.

2. Cor. 12. 1.

14. Longum est cetera persequi, vel in aliis sanctarum Scripturarum locis ista monstrare. Quid si etiam figuras locutionis quæ illa arte traduntur, in iis saltem quæ de Apostoli eloquio commemoravi, ostendere voluissem; nonne faciliùs graves homines me nimium, quàm quisquam studiosorum sibi sufficientem putarent? Hæc omnia quando à magistris docentur, pro magno habentur, magno emuntur pretio, magna jactatione venduntur. Quam jactationem etiam ego redolere vereor, dum ista sic dissero. Sed malè doctis hominibus respondendum fuit, qui nostros auctores contemnendos putant, non quia non habent, sed quia non ostentant, quam nimis isti diligunt, eloquentiam.

15. Sed fortè quis putat, tamquam eloquentem nostrum elegisse me apostolum Paulum. Videtur enim ubi ait, *Etsi imperitus sermone, sed non scientiâ*, quasi concedendo obtrectatoribus sic locutus, non tamquam id verum agnosceret, confitendo. Si autem dixisset, *Imperitus quidem sermone,* [c] *sed non scientiâ*, nullo modo aliud posset intelligi. Scientiam planè non cunctatus est profiteri, sine qua esse doctor gentium non valeret. Certè si quid ejus proferimus ad exemplum eloquentiæ, ex illis epistolis utique proferimus, quas etiam ipsi obtrectatores ejus, qui sermonem præsentis contemtibilem putari volebant, graves & fortes esse confessi sunt. Dicendum ergo mihi aliquid esse video & de eloquentia Prophetarum, ubi per tropologiam multa obteguntur. Quæ quanto magis translatis verbis videntur operiri, tanto magis cùm fuerint aperta dulcescunt. Sed hoc loco tale aliquid commemorare debeo, ubi quæ dictâ sunt non cogar exponere, sed commendem tantùm quomodo dicta sint. Et ex illius Prophetæ libro potissimùm hoc faciam, qui se pastorem vel armentarium fuisse dicit, atque inde divinitus ablatum atque missum, ut Dei populo prophetaret. Non autem secundùm septuaginta interpretes, qui etiam ipsi divino spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritalem sensum scru-

2. Cor. 11. 6.

2. Cor. 10. 10.

Amos 7. 14. & 15.

[a] MSS. duo, *plus ego.* At alij omnes cum editis, *super ego.* Græcè ἐπὶ ἐγώ, ubi interpres verba magis reddidit quàm sententiam.

[b] MSS. quatuor, *qui suspensa pronuntiatione distinguendus est.*

[c] Sic Bad. Am. Er. & MSS. At Lov. *& non addidisset, sed non scientiâ.*

tandum magis admoneretur lectoris intentio; unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum: sed sicut ex hebræo in latinum eloquium presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante translata sunt.

Exemplum aliud sanæ eloquentiæ ex Amos 6. 1.

16. Cùm igitur argueret impios, superbos, luxuriosos, & fraternæ ideo negligentissimos caritatis, rusticus vel ex rustico iste propheta exclamavit, dicens, *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël, Transite in Chalanne, & videte, & ite inde in Emath magnam, & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem psalterij. Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Numquidnam isti, qui Prophetas nostros tamquam ineruditos & elocutionis ignaros veluti docti disertique contemnunt, si aliquid eis tale vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere, qui tamen eorum insanire noluissent?

17. Quid enim est quod isto eloquio aures sobriæ plus desiderent? Primò ipsa invectio, quasi sopitis sensibus, ut evigilarent, quo fremitu illisa est? *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël.* Deinde ut beneficiis Dei, qui eis ampla spatia regni dedit, ostendat ingratos, quoniam confidebant in monte Samariæ, ubi utique idola colebantur, *Transite*, inquit, *in Chalanne, & videte, & ite inde in Emath magnam, & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est.* Simul etiam cùm ista dicuntur, locorum nominibus tamquam luminibus ornatur eloquium, quæ sunt Sion, Samaria, Chalanne, Emath magna, & Geth Palæstinorum. Deinde verba quæ his adjunguntur locis, decentissimè variantur: *Opulenti estis, confiditis, transite, ite, descendite.*

18. Consequenter denuntiatur futura sub iniquo rege appropinquare captivitas, cùm adjungitur, *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* Tunc subjiciuntur merita luxuriæ, *Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.* Ista sex membra tres bimembres circuitus ediderunt. Non enim ait, Qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, qui lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti; si ita diceretur, esset quidem & hoc pulcrum, ut ab uno pronomine repetito singula sex membra decurrerent, & pronuntiantis voce singula finirentur: sed pulcrius factum est, ut eidem pronomini essent bina subnexa, quæ tres sententias explicarent; unam ad captivitatis prænuntiationem, *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis*; alteram ad libidinem, *Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris*; ad voracitatem verò tertiam pertinentem, *Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti*: ut in potestate sit pronuntiantis, utrùm singula finiat, & membra sint sex, an primum & tertium & quintum voce suspendat, & secundum primo, quartum tertio, sextum quinto connectendo, tres bimembres circuitus decentissimè faciat; unum quo calamitas imminens, alterum quo lectus impurus, tertium quo prodiga mensa monstretur.

19. Deinde luxuriosam remordet aurium voluptatem. Ubi cùm dixisset, *Qui canitis ad vocem psalterij*, quoniam potest exerceri sapienter à sapientibus musica, mirabili decore dicendi, invectionis impetu relaxato, & non ad illos, sed de illis jam loquens, ut nos musicam sapientis à musica luxuriantis distinguere commoneret, non ait, Qui canitis ad vocem psalterij, & sicut David putatis vos habere vasa cantici: sed cùm illud ad illos dixisset, quod luxuriosi audire deberent, *Qui canitis ad vocem psalterij*, imperitiam quoque eorum aliis quodammodo indicavit, adjungens, *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, & optimo unguento delibuti.* Tria hæc meliùs pronuntiantur, si suspensis duobus prioribus membris circuitus, tertio finiantur.

20. Jam verò quod his omnibus adjicitur, *Et nihil patiebantur super contritione Ioseph*, sive continuatim dicatur ut unum sit membrum, sive decentiùs suspendatur, *& nihil patiebantur*, & post hanc distinctionem inferatur, *super contritione Ioseph*, atque sit bimembris circuitus, miro decore non dictum est, nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre, *Ioseph*, ut quicumque frater proprio significaretur ejus nomine, cujus ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. Iste certè tropus ubi Joseph quemcumque fratrem facit intelligi, nescio utrùm illa, quam didicimus & docuimus, arte tradatur. Quàm sit tamen pulcher, & quemadmodum afficiat legentes atque intelligentes, non opus est cuiquam dici, si ipse non sentit.

21. Et plura quidem, quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ, in hoc ipso loco, quem pro exemplo posuimus, possunt reperiri. Sed bonum auditorem, non tam si diligenter discutiatur, instruit, quàm si ardenter pronuntietur, accendit. Neque enim hæc humanâ industriâ composita, sed divinâ mente sunt fusa & sapienter & eloquenter; non intentâ in eloquentiam sapientiâ, sed à sapientia non recedente eloquentiâ. Si enim, sicut quidam disertissimi atque acutissimi viri videre ac dicere potuerunt, ea quæ velut oratoriâ arte discuntur, non observarentur & notarentur, & in hanc doctrinam non redigerentur, nisi priùs in oratorum invenirentur ingeniis; quid mirum si & in istis inveniuntur, quos ille misit, qui facit ingenia? Quapropter & eloquentes quidem, non solùm sapientes, canonicos nostros auctores doctoresque fateamur, tali eloquentia, [a] qualis personis ejusmodi congruebat.

Caput VIII. Obscuritas sacrorum auctorum licèt eloquens, non imitanda à doctoribus Christianis.

22. Sed nos etsi de litteris eorum, quæ sine difficultate intelliguntur nonnulla sumimus elocutionis exempla; nequaquam tamen putare debemus imitandos eos nobis esse in iis, quæ ad exercendas & elimandas quodammodo mentes legentium, & ad rumpenda fastidia atque acuenda studia discere volentium, [b] celandos quoque, sive ut ad pietatem convertantur, sive ut à mysteriis secludantur, animos impiorum, utili ac salubri obscuritate dixerunt. Sic quippe illi locuti sunt, ut posteriores

[a] Bad. Am. Er. & septem MSS. *tali eloquentiâ usos.*

[b] MSS. tres, *zelandos.* Sic etiam editi Bad. Am. & Er.

qui eos rectè intelligerent & exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, verumtamen subsequentem in Dei Ecclesia reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent, tamquam se ipsi exponendos simili auctoritate proponant; sed in omnibus sermonibus suis primitus ac maximè ut intelligantur elaborent, eâ quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multùm tardus sit qui non intelligat, aut in rerum quas explicare atque ostendere volumus difficultate ac subtilitate, non in nostra locutione sit caussa, quò minùs tardiúsve quod dicimus possit intelligi.

Caput IX. Difficilia intellectu apud quos & quo modo tractanda.

23. Sunt enim quædam, quæ vi sua non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantolibet & quantumlibet, quamvis planissimè, dicentis versentur eloquio, quæ in populi audientiam, vel raro, si aliquid urget, vel numquam omnino mittenda sunt. In libris autem, qui ita scribuntur, ut ipsi sibi quodammodo lectorem teneant cùm intelliguntur, [a] cùm autem non intelliguntur molesti non sint nolentibus legere, & in aliquorum collocutionibus, non est hoc officium deserendum, ut vera quamvis difficillima ad intelligendum, quæ ipsi jam percepimus, cum quantocumque labore disputationis ad aliorum intelligentiam perducamus, si tenet auditorem vel collocutorem discendi cupiditas, nec mentis capacitas desit, quæ quoquo modo intimata possit accipere; non curante illo, qui docet, quantâ eloquentiâ doceat, sed quantâ evidentiâ.

Caput X. Perspicuitatis in dicendo studium. *Cicero in Orat.*

24. Cujus evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet quod ostendere intendit. Unde ait quidam, cùm de tali genere locutionis ageret, esse in ea quamdam diligentem negligentiam. Hæc tamen sic detrahit ornatum, ut sordes non contrahat. Quamvis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit, vel esse debeat, ut verbum quod nisi obscurum sit vel ambiguum, latinum esse non potest, vulgi autem more sic dicitur ut ambiguitas obscuritasque vitetur, non sic dicatur ut à doctis, sed potiùs ut ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros, *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, quoniam senserunt ad rem pertinere, ut eo loco pluraliter enuntiaretur hoc nomen, quod in latina lingua tantummodo singulariter dicitur; cur pietatis doctorem pigeat imperitis loquentem, ossum potiùs quàm os dicere, ne ista syllaba non ab eo quod sunt ossa, sed ab eo quod sunt ora intelligatur, ubi Afræ aures de correptione vocalium vel productione non judicant? Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cùm loquendi omnino nulla sit caussa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba quæ non docent; & si pro eis alia integra, quæ intelligantur, potest dicere, id magis eliget: si autem non potest, sive quia non sunt, sive quia in præsentia non occurrunt, utetur etiam verbis minùs integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integrè.

Psal. 15. 4.

25. Et hoc quidem non solùm in collocutionibus, sive fiant cum aliquo uno, sive cum pluribus; verùm etiam multo magis in populis quando sermo promitur, ut intelligamur instandum est. Quia in collocutionibus est cuique interrogandi potestas: ubi autem omnes tacent ut audiatur unus, & in eum intenta ora convertunt; ibi ut requirat quisque quod non intellexerit, nec moris est nec decoris: ac per hoc debet maximè tacenti subvenire cura dicentis. Solet autem motu suo significare utrùm intellexerit cognoscendi avida multitudo: quod donec significet, versandum est quod agitur, multimoda varietate dicendi; quod in potestate non habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant. Mox autem ut intellectum esse constiterit, aut sermo finiendus, aut in alia transeundum est. Sicut enim gratus est, qui cognoscenda enubilat: sic onerosus est, qui cognita inculcat, eis dumtaxat quorum tota exspectatio in dissolvenda eorum, quæ panduntur, difficultate pendebat. Nam delectandi gratiâ etiam nota dicuntur; ubi non ipsa, sed modus quo dicuntur attenditur. Quòd si & ipse jam notus est, atque auditoribus placet, penè nihil interest utrùm is, qui dicit, dictor vel lector sit. Solent enim & ea quæ commodè scripta sunt, non solùm ab iis quibus primitus innotescunt, jucundè legi; verùm ab iis etiam, quibus jam nota sunt, neque adhuc illa de memoria delevit oblivio, non sine jocunditate relegi, vel ab utrisque libenter audiri. Quæ autem quisque jam oblitus est, cùm commonetur, docetur. Sed de modo delectandi nunc non ago; de modo quò docendi sunt, qui discere desiderant, loquor. Is autem est optimus, quo fit ut qui audit, verum audiat, & quod audit intelligat. Ad quem finem cùm ventum fuerit, nihil tunc amplius de ipsa re tamquam diutiùs docenda laborandum est, sed fortè de commendanda ut in corde figatur: quod si faciendum videbitur, ita modestè faciendum est, ne perveniatur ad tædium.

Caput XI. Quare conati docere dicendum perspicuè, nec tamen insuaviter.

26. Prorsus hæc est in docendo eloquentia, qua fit dicendo, non ut libeat quod horrebat, aut ut fiat quod pigebat, sed ut appareat quod latebat. Quod tamen si fiat insuaviter, ad paucos quidem studiosissimos suus pervenit fructus, qui ea quæ discenda sunt, quamvis abjectè inculteque dicantur, scire desiderant. Quod cùm adepti fuerint, ipsa delectabiliter veritate pascuntur: bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est. Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt.

Caput XII. Oratoris est docere, delectare, flectere, ex Cicer. in Oratore. Quo modo hæc tria præstare debet.

27. Dixit ergo quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addidit, Docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, hoc est docendi necessitas, in rebus est constituta, quas dicimus; reliqua duo in modo, quo dicimus. Qui ergo dicit cùm docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse quod vult ei quem vult docere. Quia etsi dixit quod ipse intelligit, nondum illi dixisse putandus est, à quo intel-

[a] In priùs editis, *cùm intelliguntur, molesti non sint volentibus legere: cùm autem non intelliguntur, molesti non sint nolentibus legere. Et in aliquorum* &c. Hunc locum MSS. subsidio liberavimus ab inepto glossemate, & à prava interpunctione, quæ à se invicem distrahebat partes propositionis hujus, *In libris autem. . . . non est hoc officium deserendum.*

lectus non est: si verò intellectus est, quocumque modo dixerit, dixit. Quod si etiam delectare vult eum, cui dicit, aut flectere, non quocumque modo dixerit faciet sed interest quomodo dicat ut faciat. Sicut est autem ut teneatur ad audiendum, delectandus auditor, ita flectendus, ut moveatur ad agendum. Et sicut delectatur si suaviter loquaris; ita flectitur si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur, quod dolendum exaggeras doleat, cùm quid lætandum prædicas gaudeat, misereatur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos, quos cavendos terrendo proponis, & quidquid aliud grandi eloquentiâ fieri potest ad commovendos animos auditorum, non quid agendum sit ut sciant, sed ut agant quod agendum esse jam sciunt.

28. Si autem adhuc nesciunt, priùs utique docendi sunt quàm movendi. Et fortasse rebus ipsis cognitis ita movebuntur, ut eos non opus sit majoribus eloquentiæ viribus jam moveri. Quod tamen cùm opus est, faciendum est: tunc autem opus est, quando cùm scierint quid agendum sit, non agunt. Ac per hoc docere necessitatis est. Possunt enim homines & agere & non agere quod sciunt. Quis autem dixerit eos agere debere quod nesciunt? Et ideo flectere necessitatis non est, quia non semper opus est, si tantùm docenti vel etiam delectanti consentit auditor. Ideo autem victoriæ est flectere, quia fieri potest ut doceatur & delectetur, & non assentiatur. Quid autem illa duo proderunt, si desit hoc tertium? Sed neque delectare necessitatis est: quando quidem cùm dicendo vera monstrantur, quod ad officium docendi pertinet, non eloquio agitur, neque hoc adtenditur, ut vel ipsa vel ipsum delectet eloquium, sed per seipsa, quoniam vera sunt, manifestata delectant. Unde plerumque delectant etiam falsa patefacta atque convicta. Neque enim delectant, quia falsa sunt; sed quia falsa esse verum est, delectat & dictio qua hoc verum esse monstratum est.

CAPUT XIII. Dicendo demum flectendi animi.

29. PROPTER eos autem, quibus fastidientibus non placet veritas, si alio quocumque modo nisi eo modo dicatur, ut placeat & sermo dicentis, datus est in eloquentia non parvus etiam delectationi locus. Quæ tamen addita non sufficit duris, quos nec intellexisse, nec docentis elocutione delectatos esse profuerit. Quid enim hæc duo conferunt homini, qui & confitetur verum, & collaudat eloquium, nec inclinat assensum, propter quem solum, cùm aliquid suadetur, rebus quæ dicuntur invigilat dicentis intentio? Si enim talia docentur, quæ credere vel nosse sufficiat, nihil est aliud eis consentire, nisi confiteri vera esse. Cùm verò id docetur quod agendum est, & ideo docetur ut agatur, frustra persuadetur verum esse quod dicitur, frustra placet modus ipse quo dicitur, si non ita discitur ut agatur. Oportet igitur eloquentem ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solùm docere ut instruat, & delectare ut teneat, verùm etiam flectere ut vincat. Ipse quippe jam remanet ad consensionem flectendus eloquentiæ granditate, in quo id non egit usque ad ejus confessionem demonstrata veritas, adjuncta etiam suavitate dictionis.

CAPUT XIV.

30. CUI suavitati tantum operæ impensum est ab hominibus, ut non solùm non facienda, verùm etiam fugienda ac detestanda tot & tanta mala atque turpia, quæ malis & turpibus disertissimè persuasa sunt, non ut eis consentiatur, sed solâ delectationis gratiâ, lectitentur. Avertat autem Deus ab Ecclesia sua quod de synagoga Judeorum Jeremias propheta commemorat dicens, *Pavor & horrenda facta sunt super terram; Prophetæ prophetabant iniqua, & sacerdotes plausum dederunt manibus suis, & plebs mea dilexit sic. Et quid facietis in futurum?* O eloquentia tanto terribilior, quanto purior, & quanto solidior, tanto vehementior! O verè securis concidens petras! huic enim rei simile esse verbum suum, quod per sanctos Prophetas fecit, per hunc ipsum prophetam Deus ipse dixit. Absit itaque, absit à nobis, ut sacerdotes plaudant iniqua dicentibus, & plebs Dei diligat sic. Absit à nobis, inquam, tanta dementia: nam quid faciemus in futurum? Et certè minùs intelligantur, minùs placeant, minùs moveant quæ dicuntur; verumtamen [a] dicantur; & justa, non iniqua libenter audiantur: quod utique non fieret, nisi suaviter dicerentur.

Dictionis suavitas pro ratione argumenti procuranda est.

Jer. 5.30.

Jerem. 46. 22.

[a]

31. In populo autem gravi, de quo dictum est Deo, *In populo gravi laudabo te*, nec illa suavitas delectabilis est, qua non quidem iniqua dicuntur, sed exigua & fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna atque stabilia decenter & graviter ornarentur. Est tale aliquid in epistola beatissimi Cypriani, quod ideo puto vel accidisse, vel consultò factum esse, ut sciretur à posteris, quam linguam doctrinæ Christianæ sanitas ab ista redundantia revocaverit, & ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit; qualis in ejus consequentibus litteris securè amatur, religiosè appetitur, sed difficillimè impletur. Ait ergo quodam loco: Petamus hanc sedem: dant secessum vicina secreta; ubi dum erratici palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Non dicuntur ista nisi mirabiliter affluentissima fecunditate facundiæ, sed profusione nimia gravitati displicent. Qui verò hæc amant, profectò eos qui non ita dicunt, sed castigatiùs eloquuntur, non posse ita eloqui existimant, non judicio ista devitare. Quapropter iste vir sanctus & posse se ostendit sic dicere, quia dixit alicubi, & nolle, quoniam postmodum nusquam.

Psal. 34.18.

Epist. 1. ad Donatum.

CAPUT XV. Orandus Deus doctori ecclesiastico ante concionem.

32. AGIT itaque noster iste eloquens, cùm & justa & sancta & bona dicit, neque enim alia debet dicere; agit ergo quantum potest cùm ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: & hæc se posse, si potuerit, & inquantum potuerit, pietate magis orationum quàm oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequam dictor. Ipsâ horâ jam ut dicat accedens, priusquam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. Cùm enim de unaquaque re, quæ secundùm fidem [b] dilectionemque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis, qui hæc sciunt; quis novit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit ut quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur à nobis, nisi in cujus manu sunt & nos & sermones nostri? Ac per hoc discat quidem omnia, quæ docenda sunt, qui & nosse vult, & docere; facultatemque dicendi, ut decet virum Ecclesiasticum, comparet: ad horam verò ipsius dictionis, illud potiùs bonæ menti cogitet convenire quod Dominus ait, *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Si ergo loquitur in eis Spiritus-sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non & in eis, qui tradunt discentibus Christum?

[b]

Sap. 7. 16.

Matth. 10. 19.

CAPUT XVI. Docendi præcepta non superfluè dantur ab homine, tametsi doctores efficiat Deus.

33. QUISQUIS autem dicit, non esse hominibus præcipiendum quid vel quemadmodum doceant, si doctores sanctus efficit Spiritus, potest dicere, nec orandum nobis esse, quia Dominus ait, *Scit pater vester quid vobis necessarium sit, priùs quàm petatis ab eo.* aut apostolum Paulum Timotheo & Tito non debuisse præcipere, quid vel quemadmodum præciperent aliis. Quas tres Apostolicas epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita. Nonne in prima ad Timotheum legitur, *Annuntia hæc, & doce?* quæ autem sint, supra dictum est. Nonne ibi est, *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem?* Nonne in secunda ei dicitur, *Formam habe verborum sanorum, quæ à me audisti?* Nonne ibi ei dicitur, *Satis age, teipsum probabilem operarium exhibens Deo non erubescentem, verbum veritatis rectè tractantem?* Ibi est & illud, *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni longanimitate & doctrina.* Itemque ad Titum, nonne dicit episcopum juxta doctrinam fidelis verbi perseverantem esse debere, *ut potens sit in doctrina sana & contradicentes redarguere?* Ibi etiam dicit, *Tu verò loquere quæ decent sanam doctrinam, senes sobrios esse*, & quæ sequuntur. Ibi & illud, *Hæc loquere, & exhortare, & increpa cum omni imperio. Nemo te contemnat. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, &c.* Quid ergo putamus? Numquid contra seipsum sentit apostolus, qui cùm dicat doctores operatione fieri Spiritus-sancti, ipse illis præcipit quid & quemadmodum doceant? An intelligendum est, & hominum officia ipso sancto Spiritu largiente, in docendis etiam ipsis doctoribus non debere cessare; & tamen neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed Deum qui incrementum dat? Unde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis Angelis operantibus, NEMO RECTÈ DISCIT, quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat à Deo docilis [a] Deo, cui dicitur in Psalmo, *Doce me facere voluntatem tuam, quoniam tu es Deus meus.* Unde & ipsi Timotheo idem dicit Apostolus, loquens utique ad discipulum doctor, *Tu autem persevera in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.* Sicut enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutem, qui & sine illis mederi potest, cùm sine ipso illa non possint, & tamen adhibentur; & si hoc officiosè fiat, inter opera misericordiæ vel beneficentiæ deputatur: ita & ADJUMENTA DOCTRINÆ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cùm Deus operatur ut prosint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus, neque per hominem.

[a]

Psal. 142.10.

2. Tim. 3. 14.

CAPUT XVII.

34. QUI ergo nititur dicendo persuadere quod bonum est, nihil horum trium spernens, ut scilicet doceat, ut delectet, ut flectat, oret atque agat, ut quemadmodum suprà diximus, intelligenter, libenter obedienterque audiatur. Quod cùm aptè & convenienter facit, non immeritò eloquens dici potest, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad hæc enim tria, id est ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquij, cùm itidem dixit. Is igitur erit eloquens, qui poterit parva submissè, modica temperatè, magna granditer dicere: tamquam si adderet illa etiam tria, & sic explicaret unam eamdémque sententiam dicens, Is erit igitur eloquens, qui ut doceat, poterit parva submissè; ut delectet, modica temperatè; ut flectat, magna granditer dicere.

Ad docendum, delectandum & flectendum pertinet triplex dicendi genus.

Cicerò in lib. de Oratore.

CAPUT XVIII. Ecclesiasticus orator in materiâ grandi semper versatur.

35. HÆC autem tria ille, sicut ab eo dicta sunt, in caussis forensibus posset ostendere: non autem hîc, hoc est in ecclesiasticis quæstionibus, in quibus hujusmodi, quem volumus informare, semper versatur. In illis enim ea parva dicuntur, ubi de rebus pecuniariis judicandum est; ea magna, ubi de salute ac de capite hominum: ea verò ubi nihil horum judicandum est, nihilque agitur ut agat sive decernat, sed tantummodo ut delectetur auditor, inter utrumque quasi media, & ob hoc modica, hoc est moderata dixerunt. Modicis enim modus nomen imposuit: nam modica pro parvis abusivè, non propriè dicimus. In istis autem nostris, quando quidem omnia, maximè quæ de loco superiore populis dicimus, ad hominum salutem, nec temporariam, sed æternam referre debemus, ubi etiam cavendus est æternus interitus, omnia magna sunt quæ dicimus; usque adeo ut nec de ipsis pecuniariis rebus vel adquirendis vel amittendis parva videri debeant, quæ doctor ecclesiasticus dicit, sive sit illa magna, sive parva pecunia. Neque enim parva est justitia, quam profectò & in parva pecunia custodire debemus; dicente Domino, *Qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est.* Quod ergo minimum est, minimum est: sed IN MINIMO fidelem esse, magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis, id est ut à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est in magno disco, quæ in nummulo exiguo: ita ubi parva justè geruntur, non minuitur justitiæ magnitudo.

Luca 16.30.

36. De judiciis denique sæcularibus, (quibus utique nisi pecuniariis?) cùm loqueretur Apostolus, *Audet quisquam vestrùm*, inquit, *adversùs alterum habens negotium, judicari ab iniquis, & non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quia Angelos judicabimus, nedum sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, eos qui contemtibiles sunt in Ecclesia, hos [b] constituite ad judicandum. Ad reverentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum judicare? sed frater cum fratre judicatur, & hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potiùs fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc [c] fratres. An nescitis quia injusti regnum Dei non hereditabunt?* Quid est quòd sic indignatur Apostolus, sic corripit, sic exprobrat, sic increpat, sic minatur? Quid est quòd sui animi affectum tam crebra & tam as-

1. Cor. 6. 1.

[a] Hic vulgati omitt. *Deo*. quod MSS. habent, nec superfluè.

[b] MSS. *collocate*; & propè omnes omittunt, *ad judicandum*: quod etiam abest à græco textu Apostoli.

[c] MSS. quinque, *& hoc apud fratres*. Alij tres, *& hoc fratribus*.

pera vocis mutatione testatur? Quid est postremò quòd de rebus minimis tam granditer dicit? Tantumne de illo negotia sæcularia meruerunt? Absit. Sed hoc facit propter justitiam, caritatem, pietatem, quæ nullâ sobriâ mente dubitante, etiam in rebus quamliberparvulis magna sunt.

37. Sanè si moneremus homines, quemadmodum ipsa negotia sæcularia vel pro se vel pro suis apud ecclesiasticos judices agere deberent, rectè admoneremus ut agerent tamquam parva submissè: cùm verò de illius viri disseramus eloquio, quem volumus earum rerum esse doctorem, quibus liberamur ab æternis malis, atque ad æterna pervenimus bona; ubicumque agantur hæc, sive ad populum sive privatim, sive ad unum sive ad plures, sive ad amicos sive ad inimicos, sive in perpetua dictione sive in collocutione, sive in tractatibus, sive in libris, sive in epistolis vel longissimis vel brevissimis, magna sunt. Nisi fortè quoniam calix aquæ frigidæ, res minima atque vilissima est, ideo minimum aliquid atque vilissimum Dominus ait, quòd eum qui dederit discipulo ejus, non perdet mercedem suam. Aut verò quando iste doctor in Ecclesia facit inde sermonem, parvum aliquid debet existimare se dicere; & ideo non temperatè, non granditer, sed submissè sibi esse dicendum. Nonne quando accidit ut de hac re loqueremur ad populum, & Deus adfuit ut non incongruè diceremus, tamquam de illa aqua frigida quædam flamma surrexit, quæ etiam frigida hominum pectora, ad misericordiæ opera facienda, spe cælestis mercedis accenderet?

Matth. 10. 42.

2. Mach. 1. 32.

CAPUT XIX. Aliàs alio utendum dicendi genere.

38. Et tamen cùm doctor iste debeat rerum doctor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere, sed submissè, cùm aliquid docetur; temperatè, cùm aliquid vituperatur sive laudatur: cùm verò aliquid agendum est, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de una eademque re magna, & submissè dicitur, si docetur; & temperatè, si prædicatur; & granditer, si aversus inde animus ut convertatur impellitur. quid enim Deo ipso majus est? Numquid ideo non [a] discitur? Aut qui docet unitatem Trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, ut res ad dignoscendum difficilis, quantum datur, possit intelligi? Numquid hîc ornamenta, & non documenta quæruntur? Numquid ut aliquid agat est flectendus auditor, & non potiùs ut discat instruendus? Porrò cùm laudatur Deus sive de seipso, sive de operibus suis, quanta facies pulcræ ac splendidæ dictionis oboritur ei, qui potest quantum potest laudare, QUEM NEMO convenienter laudat, nemo quomodocumque non laudat. At si non colatur, aut cum illo vel etiam præ illo colantur idola, sive dæmonia, sive quæcumque creatura, quantum hoc malum sit, atque ut ab hoc malo avertantur homines, debet utique granditer dici.

a

CAPUT XX. Exempla ex sacris litteris, primum dictionis submissæ.

39. SUBMISSÆ dictionis exemplum est apud apostolum Paulum, ut planius aliquid commemorem, ubi ait, *Dicite mihi sub Lege volentes esse, Legem non audistis? Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: sed ille qui de ancilla, secundùm carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt in allegoria. Hæc enim sunt duo Testamenta; unum quidem à monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui* [b] *conjunctus est huic, quæ nunc est Ierusalem, & servit cum filiis suis. Quæ autem sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra, &c.* Itemque ubi ratiocinatur, & dicit: *Fratres, secundùm hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit, Et seminibus, tamquam in multis, sed tamquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non infirmat ad evacuandas promissiones. Si enim ex Lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus.* Et quia occurrere poterat audientis cogitationi, Ut quid ergo Lex data est, si ex illa non est hereditas? ipse sibi hoc objecit, atque ait velut interrogans, *Quid ergo Lex?* Deinde respondit, *Transgressionis gratiâ proposita est, donec veniret semen cui promissum est,* [c] *disposita per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus verò unus est.* Et hîc occurrebat, quod sibi ipse proposuit. *Lex ergo adversùs promissa Dei?* Et respondit, *Absit.* Reddiditque rationem, dicens, *Si enim data esset Lex, quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*, &c. vel si quid ejusmodi est. Pertinet ergo ad docendi curam non solùm aperire clausa, & nodos solvere quæstionum; sed etiam dum hoc agitur, aliis quæstionibus, quæ fortassis inciderint, ne id quod dicimus improbetur per illas, aut refellatur, occurrere: si tamen & ipsa earum solutio pariter occurrerit, ne moveamus quod auferre non possumus. Fit autem ut cùm incidentes quæstioni aliæ quæstiones, & aliæ rursus incidentibus incidentes pertractantur atque solvuntur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, ut nisi memoriâ plurimum valeat atque vigeat, ad caput unde agebatur disputator redire non possit. Valde autem bonum est, ut quidquid contradici potest, si occurrerit, refutetur; ne ibi occurrat, ubi non erit qui respondeat; aut præsenti quidem, sed tacenti occurrat, & minùs sanatus abscedat.

Gal. 3. 15.

b

c

40. In illis autem apostolicis verbis dictio temperata est: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juniores ut fratres, anus ut matres, adolescentulas ut sorores.* Et in illis, *Obsecro autem vos fratres per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* Et totus ferè ipsius exhortationis locus temperatum habet elocutionis genus: ubi illa pulcriora sunt, in quibus propria propriis tamquam debita reddita decenter excurrunt, sicuti est, *Habentes dona diversa secundùm gratiam quæ data est nobis; sive prophetiam, secundùm regulam fidei; sive ministerium, in ministrando; sive qui docet, in doctrina; sive qui exhortatur, in exhortatione; qui tribuit, in simplicitate; qui præest, in sollicitudine; qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione; odio habentes malum, adhærentes bono: caritate fraternitatis invicem diligentes, honore mutuo prævenientes, studio non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: idipsum invicem sentientes.* Et quàm pulcrè ista omnia sic effusa, bimembri circuitu terminantur, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes?* Et aliquanto post: *In hoc ipso*, inquit, *perseverantes, reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Quæ membratim fusa clauduntur etiam ipsa circuitu, quem duo membra contexunt, *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et post paululum, *Nox præcessit*, inquit, *dies autem appropinquavit. Abjiciamus itaque opera tenebrarum, & induamus arma lucis: sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; sed induite Dominum Iesum Christum: & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Quod si quisquam ita diceret, Et carnis providentiam ne in concupiscentiis feceritis; sine dubio aures clausulâ numerosiore mulceret: sed gravior interpres etiam ordinem maluit tenere verborum. Quomodo autem hoc in græco eloquio sonet, quo est locutus Apostolus, viderint ejus eloquij usque ad ista doctiores: mihi tamen quod nobis eodem verborum ordine interpretatum est, nec ibi videtur currere numerosè.

Temperatæ dictionis exemplum. 1. Tim. 5. 1. Rom. 12. 1.

Ibid. 6.

41. Sanè hunc elocutionis ornatum, qui numerosis fit clausulis, deesse fatendum est auctoribus nostris. Quod utrùm per interpretes factum sit, an (quod magis arbitror) consultò illi hæc plausibilia devitaverint, affirmare non audeo, quoniâm me fateor ignorare. Illud tamen scio, quòd si quisquam hujus numerositatis peritus, illorum clausulas eorumdem numerorum lege componat, quod facillimè fit mutatis quibusdam verbis, quæ tantumdem significatione valent, vel mutato eorum quæ invenerit ordine, nihil illorum, quæ velut magna in scholis grammaticorum aut rhetorum didicit, illis divinis viris defuisse cognoscet. Et multa reperiet locutionis genera tanti decoris, quæ quidem & in nostra, sed maximè in sua lingua decora sunt, quorum nullum in eis, quibus isti inflantur, litteris invenitur. Sed cavendum est ne divinis gravibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur. Nam illa musica disciplina, ubi numerus iste plenissimè discitur, usque adeo non defuit Prophetis nostris, ut vir doctissimus Hieronymus quorumdam etiam metra commemoret, in hebræa dumtaxat lingua: cujus ut veritatem servaret in verbis, hæc inde non transtulit. Ego autem ut de sensu meo loquar, qui mihi quàm aliis & quàm aliorum est utique notior, sicut in meo eloquio, quantum modestè fieri arbitror, non prætermitto istos numeros clausularum; ita in auctoribus nostris hoc mihi plus placet, quod ibi eos rarissimè invenio.

In prologo super Iob.

Grande dicendi genus quo differat à temperato.

42. Grande autem dicendi genus hoc maximè distat ab isto genere temperato, quod non tam verborum ornatibus comtum est, quàm violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta penè omnia: sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo, & elocutionis pulcritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non curâ decoris assumit. Satis enim est ei propter quod agitur, ut verba congruentia, non oris eligantur industriâ, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentissimus pugnæ, agit quidem illis armis quod agit, non quia pretiosa, sed quia arma sunt: idem ipse est tamen, & valet plurimum, etiam cùm rimanti [a] telum ira facit. Agit Apostolus, ut pro evangelico ministerio patienter mala hujus temporis, cum solatio donorum Dei, omnia tolerentur. Magna res est, & granditer agitur, nec desunt ornamenta dicendi: *Ecce*, inquit, *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nullam in quoquam dantes offensionem, ut non reprehendatur ministerium nostrum: sed in omnibus commendantes nosmetipsos ut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma justitiæ à* [b] *dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: ut seductores, & veraces; ut qui ignoramur, & cognoscimur; quasi morientes, & ecce vivimus; ut coerciti, & non mortificati; ut tristes, semper autem gaudentes; sicut egeni, multos autem ditantes; tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Vide adhuc ardentem, *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est*, & cetera: quæ persequi longum est.

Grandis dictionis exemplum. 2. Cor. 6. 3.

43. Itemque ad Romanos agit, ut persecutiones hujus mundi caritate vincantur, spe certa in adjutorio Dei. Agit autem & granditer & ornatè. *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt.* [c] *Quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit; & quos vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit? Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat? Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis? Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est, Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Rom. 8. 28.

Psal. 43. 22.

44. Ad Galatas autem quamvis tota ipsa epistola submisso dicendi genere scripta sit, nisi in extremis partibus ubi est eloquium temperatum; tamen interponit quemdam locum eo motu animi, ut sine ullis quidem talibus ornamentis, qualia sunt in iis quæ modò posuimus, non posset tamen nisi granditer dici. *Dies*, inquit, *observatis, & menses, & annos, & tempora. Timeo vos ne fortè sine causa la-*

Gal. 4. 20.

a Editi, *dicitur*. Sed concinniùs MSS. *discitur*.

b In MSS. ferè omnibus, *conjuncta est*.

c In MSS. plerisque, *dispositum*.

a Lov. *rimanti telo mira facit*. Sed veriùs aliæ editiones & MSS. *rimanti telum ira facit*. quod usurpatum est ex Virgilio Æneid. 7.

Hic torve armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit.

b MSS. aliquot optimæ notæ, *arma justitiæ dextra & sinistra*.

c Editi, *vocati sunt sancti*. & paulò post, *conformes fieri*. At MSS. carent vocibus *sancti* & *fieri*: quæ prætermitti solent ab Augustino, & à græco textu absunt.

boraverim in [a] *vos. Estote sicut & ego, quoniam & ego sicut vos: fratres precor vos, nihil me læsistis. Scitis quia per infirmitatem carnis jam pridem evangelizavi vobis, &* [b] *tentationes vestras in carne mea non sprevistis, neque respuistis; sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. Quæ ergo fuit bea-*

si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi. Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans? Æmulantur vos non bene; sed excludere vos volunt, ut eos æmulemini. Bonum est autem in bono æmulari semper, & non solùm cùm præsens sum apud vos. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Vellem autem nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam, quia confundor in vobis. Numquid hîc aut contraria contrariis verba sunt reddita, aut aliqua gradatione sibi subnexa sunt, aut cæsa & membra circuitusve sonuerunt? & tamen non ideo tepuit grandis affectus, quo eloquium fervere sentimus.

CAPUT XXI. Exempla ex doctoribus ecclesiasticis.

45. SED Apostolica ista sic clara sunt, ut & profunda sint; atque ita conscripta memoriæque mandata, ut non solùm lectore vel auditore, verùm etiam expositore opus habeant, si quis in eis non superficie contentus altitudinem quærat. Quapropter videamus ista genera dicendi in eis, qui istorum lectione ad rerum divinarum atque salubrium scientiam profecerunt, eamque Ecclesiæ ministrarunt. Beatus Cyprianus submisso dicendi genere utitur in eo libro, ubi de Sacramento calicis disputat. Solvitur quippe ibi quæstio, in qua quæritur, utrùm calix Dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratiâ aliquid inde ponendum est. Post principium ergo epistolæ, jam solvere incipiens propositam quæstionem, * Admonitos autem nos scias, inquit, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur, vino mixtus offeratur. Nam cùm dicat Christus, *Ego sum vitis vera*; sanguis Christi, non aqua est utique, sed vinum; nec potest videri sanguis ejus, quo redemti & vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur; qui Scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicatur. Invenimus enim in Genesi circa sacramentum Noë hoc idem præcucurrisse, & figuram Dominicæ passionis illic exstitisse, quòd vinum bibit, quòd inebriatus est, quòd in domo sua nudatus est, quòd fuit recubans nudis & patentibus femoribus, quòd nuditas illa patris à medio filio denotata est: à majore verò & minore contecta, & cetera quæ necesse non est exsequi, cùm satis sit hoc solum complecti, quòd Noë typum futuræ veritatis ostendens, non aquam sed vinum biberit; & sic imaginem Dominicæ passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedech [c] Dominicum sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod Scriptura divina testatur, & dicit, *Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham.* Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus-sanctus, ex persona Patris ad Filium dicens, *Ante Luciferum genui te, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Hæc & alia quæ sequuntur hujus epistolæ, submissæ dictionis modum servant, quod facile est explorare legentibus.

Submissæ dictionis exemplum.

46. Sanctus quoque Ambrosius cùm agat rem magnam de Spiritu-sancto, ut eum Patri & Filio demonstret æqualem, submisso tamen dicendi ge-

verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat. Ergo inter cetera in principio hujus operis ait, * Commotus oraculo Gedeon, cùm audisset quòd deficientibus licèt populorum millibus, in uno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit hœdum caprarum, cujus carnem secundùm præceptum Angeli, & azyma supra petram posuit, & ea jure perfudit: quæ simul ut virgæ cacumine, quam gerebat, Angelus Dei contigit, de petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumtum est. Quo indicio declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scriptum est, *Bibebant de consequenti petra, petra autem erat Christus.* Quod utique non ad divinitatem ejus, sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni rivo sui sanguinis inundavit. Jam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Jesus in carne sua, totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec solùm delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur; jus ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum est, *Quia concupivit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt, Quis nos cibabit carne?* Quod igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exiit, ostendit quòd caro Domini Spiritu repleta divino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Unde & Dominus ait, *Ignem veni mittere in terram*, & cetera: in quibus rei docendæ ac probandæ maximè incumbit.

* Ex Ambros. lib. 1. de Spiritu-sancto, in prologo. fud. 6. 19.

1. Cor. 10. 4.

Num. 11. 4.

Luca 12. 49.

Temperatæ dictionis exemplum.

47. De genere temperato est apud Cyprianum virginitatis illa laudatio: * Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major & cura. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantoque plus [d] gloriosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. Et alio loco in fine epistolæ: Quomodo portavimus, inquit, imaginem ejus qui de limo est, sic portemus & imaginem ejus qui de cælo est. Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat & veritas; portant disciplinæ Dei memores, justitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendas injurias mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes. Quæ vos singula ô bonæ virgines observare, diligere, implere debetis, quæ Deo & Christo vacantes, ad Dominum cui vos dicastis, majore & meliore parte præceditis. Provectæ annis, junioribus facite magisterium; minores natu, præbete majoribus ministerium, comparibus incitamentum; hortamentis vos mutuis excitate, æmu-

* Ex Cypriano in epist. 63 ad Cæcilium de Sacramento calicis.

Joban. 15. 5.

Gen. 9. 21

Gen. 14. 18

Ps. 109. 4.

* Ex Cypriano in tractatu de disciplina & habitu Virginum.

a Editi, *in vobis*. At MS. *in vos*. juxta græcum, ἐν ὑμῖν.
b MSS. plerique, *tentationem vestram*.
c Sic in MSS. At in priùs editis, *Dominici sacramenti præfiguratum videmus mysterium*. Apud Cyprianum verò, *sacrificij Dominici sacramentum*.
d Apud Cyprianum, *copiosa virginitas*. in Floriacensi MS. *generosa*.

» lis de virtute documentis ad gloriam provocate; du-
» rate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter; tantùm mementote tunc nostri, cùm incipiet
» in vobis virginitas honorari.

48. Ambrosius etiam genere dicendi temperato & ornato professis virginibus proponit, tamquam

» cit, * Virgo erat, non solùm corpore, sed etiam
» mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulterare
» ret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi
» prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non
» in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem
» reponens, intenta operi, verecunda sermoni; ar-
» bitrum mentis solita non hominem, sed Deum quæ-
» rere; nullum lædere, bene velle omnibus, adsur-
» gere majoribus natu, æqualibus non invidere, fu-
» gere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.
» Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dis-
» sensit à propinquis? quando fastidivit humilem?
» quando risit debilem? quando vitavit inopem? Eos
» solos solita cœtus virorum invisere, quos misericor-
» dia non erubesceret, neque prætereret verecundia.
» Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, ni-
» hil in actu inverecundum; non gestus fractior, non
» incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa cor-
» poris species simulacrum fuerit mentis, & figura
» probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo de-
» bet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil in-
» tus latere tenebrarum, tamquam lucernæ lux intus
» posita, foris luceat. Quid ego exsequar ciborum
» parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum
» ultra naturam superfluisse, alterum ipsi naturæ penè
» defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hîc con-
» geminati jejunio dies; & si quando reficiendi suc-
» cessisset voluntas, cibus plerumque obvius qui
» mortem arceret, non delicias ministraret, &c.
Hæc autem propterea in exemplo hujus temperati generis posui, quia non hîc agit ut virginitatem voveant, quæ nondum voverunt; sed quales esse debeant, quæ jam votæ sunt. Nam ut aggrediatur animus tantum ac tale propositum, grandi utique dicendi genere debet excitari, & accendi. Sed martyr Cyprianus de habitu virginum, non de suscipiendo virginitatis proposito scripsit. Iste verò episcopus etiam ad hoc eas magno accendit eloquio.

* Ex Ambros. de virginibus lib. 2. in princip.

Grandis generis exemplum.

49. Verùm ex eo quod ambo egerunt, dictionis grandis exempla memorabo. Ambo quippe invecti sunt in eas, quæ formam pigmentis colorant, vel potiùs decolorant: quorum prior ille cùm hoc

» ageret, ait inter cetera, * Si quis pingendi artifex
» vultum alicujus & speciem, & corporis qualitatem
» æmulo colore signasset; & signato jam consumma-
» toque simulacro, manus alius inferret, ut jam for-
» mata, jam picta quasi peritior reformaret, gravis
» prioris artificis injuria & justa indignatio videretur.
» Tu te existimas impunè laturam tam improbæ te-
» meritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim
» impudica circa homines, & incesta fucis lenoci-
» nantibus non sis, corruptis violatisque quæ Dei
» sunt, pejor adulterâ detineris. Quòd ornari te pu-
» tas, quòd putas comi, impugnatio est ista divini
» operis, prævaricatio est veritatis. Monentis Apo-
» stoli vox est, *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum*
» *immolatus est Christus. Itaque festa celebremus, non in*

* Ex Cypriano in tractatu de disciplina & habitu Virginum.

2. Cor. 5. 7.

fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Num sinceritas perseverat & veritas, quando quæ sincera sunt polluuntur, & colorum [a] adulteriis, & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit, *Non potes facere capillum unum album aut nigrum.*

Matth. 5. 36.

cem vis te esse potiorem. Audaci conatu & sacrilego contemtu crines tuos inficis, malo præsagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris. Longum est inserere omnia, quæ sequuntur.

50. Ille verò posterior ut in tales diceret, * Hinc illa, inquit, nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultus meditentur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere: & dum verentur maritale judicium, [b] prodere suum? Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est: ita dum alij studet placere, priùs ipsa sibi displicet. Quem judicem, mulier, veriorem requiremus deformitatis tuæ, quàm teipsam, quæ videri times? Si pulcra es, cur absconderis? Si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere: & irasceris si amet alteram, qui adulterare in te docetur. Mala magistra es injuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ est passa lenonem: ac licèt vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat. Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hîc natura adulteratur. Satis, ut existimo, apparet feminas, ne suam fucis adulterent formam, & ad pudorem & ad timorem hac facundiâ vehementer impelli. Proinde neque submissum neque temperatum, sed grande omnino genus hoc elocutionis agnoscimus. Et in his autem quos duos ex omnibus proponere volui, & in aliis ecclesiasticis viris & bona, & bene, id est sicut res postulat, acutè, ornatè, ardenterque dicentibus, per multa eorum scripta vel dicta possunt hæc tria genera reperiri, & assidua lectione vel auditione, admixta etiam exercitatione, studentibus inolescere.

* Ex Ambr. lib. 1 de virginibus.

CAPUT XXII. Omnibus generibus dictio varianda est.

51. NEC quisquam præter disciplinam esse existimet ista miscere: immo quantum congruè fieri potest, omnibus generibus dictio varianda est. Nam quando prolixa est in uno genere, minùs detinet auditorem. Cùm verò fit in aliud ab alio transitus, etiamsi longiùs eat, decentiùs procedit oratio: quamvis habeant & singula genera varietates suas in sermone eloquentium, quibus non sinuntur in eorum, qui audiunt, frigescere vel tepescere sensibus. Verumtamen faciliùs submissum solum, quàm solum grande diutiùs tolerari potest. Commotio quippe animi quanto magis excitanda est, ut nobis assentiatur auditor, tanto minùs in ea diu teneri potest, cùm fuerit quantum satis est excitata. Et ideo cavendum est, ne dum volumus altius erigere quod erectum est, etiam inde decidat, quò fuerat excitatione perductum. Interpositis verò quæ sunt dicenda submissiùs, bene reditur ad ea quæ opus est granditer dici, ut dictionis impetus sicut maris æstus alternet. Ex quo fit ut grande dicendi genus, si diutiùs est dicendum, non debeat esse solum, sed aliorum generum interpositione varietur: ei tamen

a Editi & MSS. apud Augustinum, *& colorum adulterinis medicaminum*. Castigamus ex Cypriani libro, *& colorum adulteriis, & medicaminum*.
b Ita apud Ambrosium. At in Augustinianis codicibus aliquot, *perdere*. in aliis, *perdidere*, aut, *perdiderunt*.

generi dictio tota tribuitur, cujus copia prævaluerit.

Caput XXIII. *Quomodo intermiscenda dictionis genera.*

52. Interest enim quod genus cui generi interponatur, vel adhibeatur, certis & necessariis locis. Nam & in grandi genere semper aut penè semper temperata decet esse principia. Et in potestate est eloquentis, ut dicantur nonnulla submissè etiam quæ possent granditer dici, ut ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, & eorum tamquam umbris luminosiora reddantur. In quocumque autem genere aliqua quæstionum vincula solvenda sunt, acumine opus est, quod sibi submissum genus propriè vindicat. Ac per hoc eo genere utendum est & in aliis duobus generibus, quando eis ista incidunt: sicut laudandum aliquid vel vituperandum, ubi nec damnatio cujusquam nec liberatio, nec ad actionem quamlibet assensio requiritur, in quocumque alio genere occurrerit, genus adhibendum & interponendum est temperatum. In grandi ergo genere inveniunt locos suos duo cetera, & in submisso similiter. Temperatum autem genus non quidem semper, sed tamen aliquando submisso indiget, si, ut dixi, quæstio cujus nodus est solvendus, incurrat, vel quando nonnulla, quæ ornari possent, ideo non ornantur, sed submisso sermone dicuntur, ut quibusdam quasi toris ornamentorum præbeant eminentiorem locum. Grande autem genus temperata dictio non requirit: ad delectandos quippe animos, non ad movendos ipsa suscipitur.

Caput XXIV. *Sublime dicendi genus quid efficiat.*

53. Non sanè si dicenti crebriùs & vehementiùs acclametur, ideo granditer putandus est dicere: hoc enim & acumina submissi generis, & ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerumque pondere suo voces premit, sed lacrymas exprimit. Denique cùm apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam civilem, vel potiùs plus quàm civilem, quam *Catervam* vocabant, neque enim cives tantummodo, verùm etiam propinqui, fratres, postremò parentes ac filij lapidibus inter se in duas partes divisi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni sollemniter dimicabant, & quisque ut quemque poterat occidebat: egi quidem granditer, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus & moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo: non tamen egisse aliquid me putavi, cùm eos audirem acclamantes, sed cùm flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri & delectari, flecti autem lacrymis indicabant. Quas ubi adspexi, immanem illam consuetudinem à patribus & avis, longéque à majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potiùs possidebat, devictam, antequam re ipsa id ostenderent, credidi. Moxque sermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam [a] fermè octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est. Sunt & alia multa experimenta, quibus didicimus, homines quid in eis fecerit sapientis granditas dictionis, non clamore potiùs quàm gemitu, aliquando etiam lacrymis, postremò vitæ mutatione monstrasse.

54. Submisso etiam dicendi genere sunt plerique mutati, sed ut quod nesciebant, scirent, aut quod eis videbatur incredibile, crederent; non autem ut agerent quod agendum jam noverant, & agere nolebant. Ad hujusmodi namque duritiam flectendam, debet granditer dici. Nam & laudes & vituperationes quando eloquenter dicuntur, cùm sint in genere temperato, sic afficiunt quosdam, ut non solùm in laudibus & vituperationibus eloquentiâ delectentur, verùm & ipsi laudabiliter appetant, fugiantque vituperabiliter vivere. Sed numquid omnes qui delectantur, [b] mutantur, sicut in grandi genere omnes qui flectuntur, agunt; & in submisso genere omnes qui docentur, sciunt, aut credunt verum esse quod nesciunt?

Caput XXV. *Temperatum dicendi genus quem in finem referri decet.*

55. Unde colligitur illa duo genera quod efficere intendunt, hoc eis esse maximè necessarium, qui sapienter & eloquenter volunt dicere. Illud verò quod agitur genere temperato, id est ut eloquentia ipsa delectet, non est propter seipsum usurpandum, sed ut rebus quæ utiliter honestéque dicuntur, si nec docente indigent eloquio nec movente, quia & scientes & faventes auditores habent; aliquanto promtiùs ex delectatione ipsa elocutionis, accedat vel tenaciùs adhærescat assensus. Nam cùm eloquentiæ sit universale officium, in quocumque istorum trium generum, dicere aptè ad persuasionem; finis autem, id quod intenderis, persuadere dicendo; in quocumque istorum trium generum dicit quidem eloquens aptè ad persuasionem, sed nisi persuadeat, ad finem non pervenit eloquentiæ. Persuadet autem in submisso genere vera esse quæ dicit: persuadet in grandi, ut agantur quæ agenda esse jam sciuntur, nec aguntur: persuadet in genere temperato, pulcrè ornatéque se dicere: quo fine nobis quid opus est? Appetant eum qui linguâ gloriantur, & se in panegyricis talibusque dictionibus jactant, ubi nec docendus, nec ad aliquid agendum movendus, sed tantummodo est delectandus auditor. Nos verò istum finem referamus ad alterum finem, ut scilicet quod efficere volumus, cùm granditer dicimus, hoc etiam isto velimus, id est ut bona morum diligantur, vel devitentur mala; si ab hac actione non sic alieni sunt homines, ut ad eam grandi genere dictionis urgendi videantur: aut si jam id agunt, ut agant studiosiùs, atque in eo firmiter perseverent. Ita fit ut etiam temperati generis ornatu, non jactanter, sed prudenter utamur: non ejus fine contenti, quo tantummodo delectatur auditor; sed hoc potiùs agentes, ut etiam ipso ad bonum, quod persuadere volumus, adjuvetur.

Caput XXVI. *In unoquoque dicendi genere intendere debet Orator, ut intelligenter, libenter & obedienter audiatur.*

56. Illa itaque tria, quæ suprà posuimus, eum qui sapienter dicit, si etiam eloquenter vult dicere, id agere debere, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, non sic accipienda sunt tamquam singula illis tribus dicendi generibus ita tribuantur, ut ad submissum intelligenter, ad temperatum libenter, ad grande pertineat obedienter audiri; sed sic potiùs ut hæc tria semper intendat, & quantum potest agat, etiam cùm in illorum singulo quoque versatur. Nolumus enim fastidiri, etiam quod submissè dicimus: ac per hoc volumus non solùm intelligenter, verùm etiam libenter audiri. Quid autem agimus, divinis testimoniis docendo quod dicimus, nisi ut obedienter au-

[a] Hic itaque liber perfectus fuit sub annum 426. Nam Augustini in Mauritaniam Cæsariensem profectio pertinet ad annum 418. ex Epist. 190. & 193. n. 1. Atque apud Cæsaream, ubi se concionem illam ante octo aut amplius annos habuisse memorat, agebat S. Doctor mense Septembri ejusdem anni 418. ex lib. de Gestis cum Emerito.

[b] MSS. quatuor, *imitantur*.

diamur, id est ut credatur eis, opitulante illo cui dictum est, *Testimonia tua credita* [a] *facta sunt valde?* Psal. 92. 5. Quid etiam cupit nisi credi, qui aliquid, licèt submisso eloquio, discentibus narrat? & quis eum velit audire, nisi auditorem nonnulla etiam suavitate detineat? Nam si non intelligatur, quis nesciat nec libenter eum posse, nec obedienter audiri? Plerumque autem dictio ipsa submissa, [b] dùm solvit difficillimas quæstiones, & inopinata manifestatione demonstrat; dum sententias acutissimas de nescio quibus quasi cavernis, unde non sperabatur, eruit, & ostendit; dum adversarij convincit errorem, & docet falsum esse, quod ab illo dici videbatur invictum; maximè quando adest ei quoddam decus non appetitum, sed quodammodo naturale, & nonnulla, non jactanticula, sed quasi necessaria, atque (ut ita dicam) ipsis rebus [c] extorta numerositas clausularum; tantas acclamationes excitat, ut vix intelligatur esse submissa. Non enim quia neque incedit ornata, neque armata, sed tamquam nuda congreditur, ideo non adversarium nervis lacertisque collidit; & obsistentem subruit ac destruit membris fortissimis falsitatem. Unde autem crebrò & multùm acclamatur ita dicentibus, nisi quia veritas sic demonstrata, sic defensa, sic invicta delectat? Et in hoc igitur genere submisso iste noster doctor & dictor id agere debet, ut non solùm intelligenter, verùm etiam libenter & obedienter audiatur.

57. Illa quoque eloquentia generis temperati apud eloquentem ecclesiasticum, nec inornata relinquitur, nec indecenter ornatur; nec solum hoc appetit ut delectet, quod solum apud alios profitetur; verùm etiam in iis quæ laudat, sive vituperat, istis appetendis vel firmiùs tenendis, illis autem devitandis vel respuendis, vult utique obedienter audiri. Si autem non auditur intelligenter, nec libenter potest. Proinde illa tria, ut intelligant qui audiunt, ut delectentur, ut obediant, etiam in hoc genere agendum est, ubi tenet delectatio principatum.

58. Jam verò ubi movere & flectere grandi genere opus est auditorem, (quod tunc est opus, quando & veraciter dici & suaviter, confitetur, & tamen non vult facere quod dicitur;) dicendum est procul dubio granditer. Sed quis movetur, si nescit quod dicitur? Aut quis tenetur ut audiat, si non delectatur? Unde & in isto genere, ubi ad obedientiam cor durum dictionis granditate flectendum est, nisi & intelligenter & libenter qui dicit audiatur, non potest obedienter audiri.

Caput XXVII. *Obedientiùs audiri cujus vita dictioni respondet.*

59. Habet autem ut obedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis majus pondus vita dicentis. Nam qui sapienter & eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quamvis *animæ suæ sit inutilis*, sicut scriptum est. Eccli. 37. 22. [d] Unde ait & Apostolus, *Sive occasione, sive veritate, Christus annuntietur.* Philip. 1. 18. Christus autem veritas est, & tamen etiam non veritate annuntiari veritas potest, id est ut pravo & fallaci corde, quæ recta & vera sunt, prædicentur. Sic quippe annuntiatur Jesus Christus ab eis, qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi. Sed quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Dominum obedienter audiunt, qui ait, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt:* ideo audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis ecclesiasticæ, quam sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus priùs quàm de talibus, quod commemoravi, diceret, præmisit, *Super cathedram Moysi sederunt.* Illa ergo cathedra, non eorum sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.

60. Multis itaque prosunt dicendo quæ non faciunt; sed longè pluribus prodessent faciendo quæ dicunt. Abundant enim qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis præpositis & doctoribus quærant, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt, ore suo, atque dicentes, Quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita fit ut eum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, & Dei verbum quod eis prædicatur, simul cum ipso prædicatore contemnant. Denique Apostolus scribens ad Timotheum, cùm dixisset, *Nemo adolescentiam tuam contemnat;* 1. Tim. 4. 12. subjecit unde non contemneretur, atque ait, *sed forma esto fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in fide, in castitate.*

Caput XXVIII. *Veritati potiùs quàm verbis studendum.*

61. Talis doctor ut obedienter audiatur, non impudenter non solùm submissè ac temperatè, verùm etiam granditer dicit, quia non contemtibiliter vivit. Sic namque eligit bonam vitam, ut etiam bonam non negligat famam, sed provideat bona coram Deo & hominibus, quantum potest, 2. Cor. 8. 21. illum timendo, his consulendo. In ipso etiam sermone malit rebus placere quam verbis; nec æstimet dici meliùs, nisi quod dicitur veriùs; nec doctor verbis serviat, sed verba doctori. Hoc est enim quod Apostolus ait, *Non in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi.* 1. Cor. 1. 17. Ad hoc valet etiam, quod ait ad Timotheum, *Noli verbis contendere: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* 2. Tim. 2. 14. Neque enim hoc ideo dictum est, ut adversariis oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus. Et ubi erit quod cùm ostenderet qualis esse episcopus debeat, ait inter cetera, *Ut potens sit in doctrina sana & contradicentes redarguere.* Tit. 1. 9.

Verbis cõtendere quid sit.

Verbis enim contendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porrò qui non verbis contendit, sive submissè, sive temperatè, sive granditer dicat, id agit verbis ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat: quoniam nec ipsa, quæ præcepti finis & plenitudo Legis est caritas, ullo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt. Sicut autem cujus pulcrum corpus & deformis est animus, magis dolendus est, quàm si deforme haberet & corpus: ita qui eloquenter ea quæ falsa sunt dicunt, magis miserandi sunt, quàm si talia deformiter dicerent. Quid est ergo non solùm eloquenter, verùm etiam sapienter dicere, nisi verba in submisso genere sufficientia, in temperato splen-

[a] Editi, *credibilia.* At MSS. *credita.* Sic passim Augustinus, juxta græcam versionem LXX. ἐπιστώθησαν.

[b] In vulgatis, *dissolvit:* ac paulò infrà, *& quando nonnulla non jactanticula.* Hîc verò particula, *quando*, abest à MSS. & sanè redundat, si superiùs legatur, *dum solvit*, uti reipsa ferunt MSS. omnes.

[c] MSS. plures, *exorta.*

[d] Editi, *Sicut scriptum est, Scribæ & Pharisæi in cathedra Moysi sederunt: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt.* Abest ab omnibus MSS. hæc Scripturæ sententia, hunc in locum, opinamur, immissa propter clausulam, *sicut scriptum est*, quæ referenda fuerat ad præcedentia verba ex Eccli. 37. 22. ubi legitur, *Est vir astutus multorum eruditor, & anima sua inutilis est:* in antiqua lectione græca, quæ nunc exstat, ἄχρηστός ἐστι pro quo Latinæ versionis vulgatæ auctor legebat, χρηστός; quando quidem reddidit, *suavis est.* quæ una erat lectio in MSS. nostris Bibliis, ubi jam in excusis utraque conjunctim reperitur.

dentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus, quas audiri oporteat, adhibere? Sed qui utrumque non potest, dicat sapienter quod non dicit eloquenter, potiùs quàm dicat eloquenter quod dicit insipienter. * Si autem ne hoc quidem potest, ita conversetur, ut non solùm sibi præmium comparet, sed etiam præbeat aliis exemplum, & sit ejus quasi copia dicendi forma vivendi.

* CAPUT XXIX.

Non culpandus Ecclesiastes, qui à peritiore sumit conscriptum eloquium, quod ad populum proferat.

62. Sunt sanè quidam qui bene pronuntiare possunt, quid autem pronuntient, excogitare non possunt. Quòd si ab aliis sumant eloquenter sapienterque conscriptum, memoriæque commendent, atque ad populum proferant; si eam personam gerunt, non improbè faciunt. Sic enim, quod profectò utile est, multi prædicatores veritatis fiunt, nec multi magistri, si unius veri magistri idipsum dicant omnes, & non sint in eis schismata. Nec deterrendi sunt isti voce Jeremiæ prophetæ, per quem Deus arguit eos, qui *furantur verba ejus, unusquisque à proximo suo.* Qui enim furantur, alienum auferunt; verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei: potiúsque ille dicit aliena, qui cùm dicat bene, vivit malè. Quæcumque enim bona dicit, ejus excogitari videntur ingenio, sed ab ejus moribus aliena sunt. Eos ita que dixit Deus furari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei sunt; cùm mali sint, faciendo quæ sua sunt. Nec sanè ipsi dicunt bona, quæ dicunt, si diligenter adtendas. Quomodo enim dicunt verbis, quod negant factis? Non enim frustra de talibus ait Apostolus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Modo ergo quodam ipsi dicunt, & rursus alio modo non ipsi dicunt, quoniam utrumque verum est quod veritas ait. De talibus enim loquens, *Quæ dicunt*, inquit, *facite; quæ autem faciunt, facere nolite*; hoc est, Quod ex ore illorum auditis, facite; quod in opere videtis, facere nolite: *dicunt enim*, inquit, *& non faciunt.* Ergo quamvis non faciant, dicunt tamen. Sed alio loco tales arguens, *Hypocritæ*, inquit, *quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Ac per hoc & ea quæ dicunt, quando bona dicunt, non ipsi dicunt, voluntate scilicet atque opere negando quod dicunt. Unde contingit, ut homo disertus & malus, sermonem quo veritas prædicetur, dicendum ab alio non diserto sed bono, ipse componat: quod cùm fit, ipse à seipso tradit alienum, ille ab alieno accipit suum. Cùm verò boni fideles bonis fidelibus hanc operam commodant, utrique suæ dicunt: quia & Deus ipsorum est, cujus sunt illa quæ dicunt; & ea sua faciunt, quæ non ipsi componere potuerunt, qui secundùm illa compositè vivunt.

Jer. 23. 30.

Tit. 1. 16.

Matth. 23. 3.

Matth. 12. 34.

CAPUT XXX. Conciator præmittat orationem ad Deum.

63. Sive autem apud populum vel apud quoslibet jamjamque dicturus, sive quod apud populum dicendum vel ab eis qui voluerint aut potuerint legendum est dictaturus, oret ut Deus sermonem bonum det in os ejus. Si enim regina oravit Esther, pro suæ gentis temporaria salute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret; quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat? Illi verò qui ea dicturi sunt, quæ ab aliis acceperunt, & antequam accipiant, orent pro eis à quibus accipiunt, ut eis detur quod per eos accipere volunt; & cùm acceperint, orent ut bene & ipsi proferant, & illi ad quos proferunt sumant; & de prospero exitu dictionis eidem gratias agant, à quo id se accepisse non dubitant: ut qui gloriatur, in illo glorietur, in cujus manu sunt & nos & sermones nostri.

Esther. 14. 13.

Sap. 7. 16.

CAPUT XXXI. Excusat prolixitatem libri.

64. Longior evasit liber hic quàm volebam, quámque putaveram. Sed legenti vel audienti, cui gratus est, longus non est: cui autem longus est, per partes eum legat, qui habere vult cognitum: quem verò cognitionis ejus piget, de longitudine non queratur. Ego tamen Deo nostro gratias ago, quòd in his quatuor libris non qualis ego essem, cui multa desunt, sed qualis esse debeat, qui in doctrina sana, id est Christiana, non solùm sibi, sed etiam aliis laborare studet, quantulacumque potui facultate disserui.

DE SUBSEQUENTE LIBRO.

Libri I. Retractationum Caput XVIII.

Cum de Genesi duos libros contra Manichæos condidissem, quoniam secundùm allegoricam significationem Scripturæ verba tractaveram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere, hoc est quemadmodum possent secundùm historicam proprietatem quæ ibi dicta sunt accipi: volui experiri in hoc quoque negotiosissimo ac difficillimo opere quid valerem; sed in Scripturis exponendis tirocinium meum sub tantæ sarcinæ mole succubuit: & nondum perfecto uno libro, ab eo quem sustinere non poteram labore conquievi. Sed in hoc opere cùm mea opuscula retractarem, iste ipse ut erat imperfectus venit in manus, quem neque edideram, & abolere decreveram, quoniam scripsi postea XII. libros quorum titulus est, *De Genesi ad literam.* In quibus quamvis multa quæsita potiùs quàm inventa videantur, tamen eis iste nullo modo est comparandus. Verùm & hunc postea quàm retractavi, manere volui ut esset index, quantùm existimo, non inutilis rudimentorum meorum in enucleandis atque scrutandis divinis eloquiis, ejusque titulum esse volui, *De Genesi ad litteram imperfectus.* Inveni quippe eum usque ad hæc verba dictatum: *Pater tamen Pater est, nec Filius aliud est quàm Filius: quia & cùm dicitur similitudo Patris, quamquam ostendat nullam intervenire dissimilitudinem, non tamen solus est Pater, si habet similitudinem.* Post hæc repetivi verba Scripturæ rursus consideranda atque tractanda, *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hucusque dictatum librum imperfectum reliqueram. Quod autem ibi sequitur, addendum putavi cùm eum retractarem: nec sic tamen perfeci, sed hoc quoque addito imperfectum reliqui. Si enim perfecissem, saltem de omnibus operibus & verbis Dei, quæ ad sextum diem pertinent, disputassem. In hoc libro ea notare quæ mihi displicent, vel defendere quæ aliis non bene intellecta displicere possunt, superfluum mihi visum est. Breviter enim potiùs admoneo, ut illi duodecim libri legantur, quos longè postea Episcopus feci, & ex ipsis de isto judicetur. Hic ergo sic incipit: *De obscuris naturalium rerum quæ omnipotente Deo artifice facta sentimus.*

Gen. 1. 26.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE GENESI AD LITTERAM IMPERFECTUS LIBER. *

* Scripsit circiter Christi annum 393.

Tractatur initium Geneseos usque ad 26. huncce versiculum, Faciamus hominem ad imaginem &c.

CAPUT I. Præmittitur fides catholica.

1. De obscuris naturalium rerum, quæ omnipotente Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed quærendo tractandum est, in libris maximè quos nobis divina commendat auctoritas, in quibus temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis, difficilè sacrilegij crimen evitat: ea tamen quærendi dubitatio catholicæ fidei metas non debet excedere. Et quoniam multi hæretici ad suam sententiam, quæ præter fidem est catholicæ disciplinæ, expositionem Scripturarum divinarum trahere consueverunt; ante tractationem hujus libri catholica fides breviter explicanda est.

2. Est autem hæc, Deum Patrem omnipotentem universam creaturam fecisse atque constituisse per Filium suum unigenitum, id est Sapientiam & Virtutem suam consubstantialem sibi & coæternam, in unitate Spiritus sancti, & ipsius consubstantialis & coæterni. Hanc ergo Trinitatem dici unum Deum, eumque fecisse & creasse omnia quæ sunt, inquantum sunt, catholica disciplina credi jubet, ita ut creatura omnis sive intellectualis sive corporalis, vel quod brevius dici potest secundùm verba divinarum Scripturarum, sive invisibilis sive visibilis, non de [a] Dei natura, sed à Deo sit facta de nihilo: nihilque in ea esse quod ad Trinitatem pertineat, nisi quòd Trinitas condidit, ista condita est. Quapropter creaturam universam neque consubstantialem Deo, neque coæternam fas est dicere aut credere.

a

3. Esse autem omnia, quæ fecit Deus, bona valde: mala verò non esse naturalia, sed omne quod dicitur malum, aut peccatum esse, aut pœnam peccati. Nec esse peccatum nisi pravum liberæ voluntatis assensum, cùm inclinamur ad ea quæ justitia vetat, & unde liberum est abstinere: id est non in rebus istis, sed in usu earum non legitimo. Usus autem rerum est legitimus, ut anima in lege Dei maneat, & uni Deo plenissimâ dilectione subjecta sit; & cetera sibi subjecta sine cupiditate aut libidine ministret, id est secundùm præceptum Dei. Ita enim sine difficultate & miseria, & cum summa facilitate & beatitudine administrabit. Pœna verò peccati est, cùm ipsis creaturis non sibi servientibus cruciatur anima, cùm Deo ipsa non servit: quæ creatura illi obtemperabat, cùm ipsa obtemperabat Deo. Itaque non esse ignem malum, quia creatura Dei est; sed tamen uri eo imbecillitatem nostram ex merito peccati. Dici autem peccata naturalia, quæ necesse est committi ante misericordiam Dei, postquam in hanc vitam per peccatum liberi arbitrij lapsi sumus.

Peccatum quid.

Pœna peccati quid.

Peccata naturalia.

4. Renovari autem hominem per Jesum Christum Dominum nostrum, cùm ipsa neffabilis ac incommutabilis Dei Sapientia plenum totumque hominem suscipere dignata est, & nasci de Spiritu sancto & virgine Maria, crucifigi, sepeliri, & resurgere, & adscendere in cælum, quod jam factum est; & venire ad judicandos vivos & mortuos in fine sæculi, & resurrectionem mortuorum in carne, quod adhuc futurum prædicatur. Datum esse Spiritum sanctum credentibus in eum. Constitutam ab illo matrem Ecclesiam, quæ Catholica dicitur, ex eo quia universaliter perfecta est, & in nullo claudicat, & per totum orbem diffusa est. Remissa esse pænitentibus priora peccata, & vitam æternam cælorumque regnum promissum.

Catholica Eccles. unde dicitur.

CAPUT II. Modi exponendæ Legis. Gen. 1. 1. b

5. Secundum hanc fidem quæ possunt in hoc libro quæri & disputari, considerandum est. *In principio fecit Deus cælum & terram.* Quatuor modi à quibusdam Scripturarum tractatoribus traduntur Legis exponendæ, [b] quorum vocabula enuntiari græcè possunt, latinè autem definiri & explicari: secundùm historiam, secundùm allegoriam, secundùm analogiam, secundùm ætiologiam. Historia est, cùm sive divinitus sive humanitus res gesta commemoratur. Allegoria, cùm figuratè dicta intelliguntur. Analogia, cùm veteris & novi Testamentorum congruentia demonstratur. Ætiologia, cùm dictorum factorumque caussæ reddunturr.

Historia.

Allegoria.

Analogia.

Ætiologia.

CAPUT III. Exponitur versiculus I. Geneseos.

6. Hoc ergo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*, quæri potest, utrùm tantummodo secundùm historiam accipiendum sit, an etiam figuratè aliquid significet, & quomodo congruat Evangelio, & qua caussâ liber iste sic inchoatus sit. Secundùm historiam autem quæritur,

* Hunc librum anno Christi ferè 393. adscribendum putamus, propterea quod ab Augustino in Retractationibus collocatur proximè post opusculum sive sermonem, quem de fide & symbolo habuit in Hipponensi concilio prædicti an. 393.

a MS. Var. *non de Deo nata.*

b Aliquot hîc verba restituuntur, aliique passim redintegrantur loci ope Vaticani codicis; quod unum exemplar hujus operis manu exaratum nancisci potuimus.

quid sit *In principio*, id est utrùm in principio temporis, an in principio in ipsa Sapientia Dei, quia & ipse Dei Filius principium se dixit, quando ei dictum est, Tu quis es; & dixit, Principium quòd & loquor vobis. Est enim Principium sine principio, & est Principium * cum alio Principio. Principium sine principio solus Pater est, ideo ex uno principio esse omnia credimus: Filius autem ita Principium est, ut de Patre sit. Ipsa etiam prima creatura intellectualis potest dici principium iis quibus caput est, quæ fecit Deus. Cùm enim rectè appelletur principium caput, in illa gradatione Apostolus mulierem * tamen non dixit caput alicujus. Nam & virum dixit caput mulieris, & caput viri Christum, & caput Christi Deum. ita Creatori creatura subnectitur.

Johan. 8. 25. — ** fortè, de* — *1. Cor. 11. 3.* — ** f. tantùm*

7. An ideo *In principio* dictum est, quoniam primùm factum est? an non potuit inter creaturas primùm fieri cælum & terra, si Angeli & omnes intellectuales Potestates primùm factæ sunt? Quia & Angelos creaturam Dei & ab eo factos credamus necesse est. Nam & Angelos enumeravit Propheta in centesimo-quadragesimo-octavo Psalmo cùm dixit, Ipse jussit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Sed si primùm facti sunt Angeli, quæri potest, utrùm in tempore facti sunt, an ante omne tempus, an in exordio temporis. Si in tempore, jam erat tempus antequam Angeli fierent: & quoniam etiam tempus ipsum creatura est, incipit necesse esse ut aliquid priùs quàm Angelos factum accipiamus. Si autem in exordio temporis factos dicimus, ut cum ipsis cœperit tempus, dicendum est falsum esse quod quidam volunt, [a] cum cælo & terra tempus esse cœpisse.

Psal. 148. 2.

8. Si autem priùs quàm tempus Angeli facti sunt, quærendum est quomodo dictum sit in consequentibus, *Et dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, ut luceant super terram, & dividant inter noctem & diem, & sint in signa & tempora & dies & annos.* Hîc enim potest videri, tunc cœpta esse tempora, cùm cælum & luminaria cæli ordinatis itineribus currere cœpissent: quod si verum est, quomodo potuerunt dies esse antequam tempus esset, si à cursu luminarium tempus exorsum est, quæ quarto die dicuntur esse facta? An ista dierum digestio secundùm consuetudinem humanæ fragilitatis ordinata est lege narrandi & humilibus humiliter insinuandi sublimia, qua & ipse sermo narrantis non potest nisi aliqua habere & prima & media & ultima? An in temporibus istis dictum est, ut essent luminaria, quæ tempora homines intervallis morarum in corporis motione metiuntur? Hæc enim tempora, si nullus motus corporum esset, nulla essent, & ipsa sunt hominibus manifestiora. Quod si admittimus, quærendum est, utrùm præter motum corporum possit esse tempus in motu incorporeæ creaturæ, veluti est anima vel ipsa mens; quæ utique in cogitationibus movetur, & ipso motu aliud habet prius, aliud posterius, quod sine intervallo temporis intelligi non potest. Quod si accipimus, etiam ante cælum & terram potest intelligi tempus fuisse, si ante cælum & terram facti sunt Angeli. Erat enim jam creatura, quæ motibus incorporeis tempus ageret. Et rectè intelligitur cum illa etiam tempus esse, ut in anima quæ per corporeos sensus corporeis motibus assuefacta est. Sed fortasse non est in principibus & creaturis supereminentibus. Sed quoquo modo hoc se habeat, (res enim secretissima est, & humanis conjecturis impenetrabilis) illud certè accipiendum est in fidè, etiamsi modum nostræ cogitationis excedit, omnem creaturam habere initium; tempusque ipsum creaturam esse, ac per hoc ipsum habere initium, nec coæternum esse Creatori.

Gen. 1. 14.

9. Potest etiam cælum & terra pro universa creatura positum videri, ut & hoc visibile ætheream firmamentum, cælum appellatum sit, & illa creatura invisibilis supereminentium Potestatum; rursusque terra, omnis inferior pars mundi, cum animalibus, quibus inhabitatur. An cælum omnis creatura sublimis atque invisibilis dicta est, terra verò omne visibile, ut etiam sic possit hoc quod dictum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*, universa creatura intelligi? Fortasse quippe non incongruè in comparatione invisibilis creaturæ, omne visibile terra dicitur, ut illa cæli nomine nuncupetur. Quoniam & anima quæ invisibilis est, cùm rerum visibilium amore tumesceret, & earum adeptione extolleretur, terra dicta est, sicut scriptum est, Quid superbit terra & cinis?

Anima terra dicitur, Eccli. 10. 9.

10. Sed quæri potest, utrùm jam distincta & composita omnia dixerit cælum & terram, an ipsam primò informem universitatis materiem, quæ in has formatas & speciosas naturas Deo ineffabiliter jubente digesta est, cæli & terræ nomine nuncupaverit: Quamquam enim scriptum legerimus, Qui fecisti mundum de informi materia: tamen etiam ipsam materiam cujusmodicumque sit, non possumus dicere non ab eo factam, ex quo omnia confitemur & credimus: ut * etiam ipsa digestio & ordinatio singularum quarumque rerum formatarum & distinctarum mundus vocetur; ipsa verò materies cælum & terra, veluti semen cæli & terræ appellata sit; & cælum & terra quasi confusum atque permixtum ab artifice Deo accipiendis formis idoneum. Hactenus de hoc quæsitum sit quod dictum est, *In principio fecit Deus cælum & terram:* nihil enim horum temere affirmare oportuit.

Sap. 11. 18. — ** f. ut scilicet*

11. TERRA *autem erat invisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum; & Spiritus Dei ferebatur super aquam.* Ab hæreticis * qui veteri Testamento adversantur, moveri calumnia huic loco solet, cùm dicunt, Quomodo in principio fecit Deus cælum & terram, si jam terra erat? non intelligentes hoc esse subjunctum, ut exponeretur qualis terra fuerit, de qua jam dictum est, *fecit Deus cælum & terram.* Sic ergo accipiendum est: In principio fecit Deus cælum & terram, hæc autem terra quam Deus fecit, invisibilis erat & incomposita, donec ab eodem ipso discerneretur, & ex confusione in rerum certo ordine constitueretur. An sic melius intelligitur, ut in hac exsecutione rursus eadem rerum materies commendaretur, quæ superiùs cæli & terræ nomine nuncupata est, ut iste sit sensus: In principio fecit Deus cælum & terram, hoc autem quòd cælum & terra dictum est, terra erat invisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum; id est quod cælum & terra appellatum est, materies erat confusa quædam, de qua mundus, qui duabus [b] maximis partibus, cælo scilicet & terra constat, digestis elementis & acceptâ formâ fabricaretur. Quæ confusio materiæ sic potuit insinuari populari intelligentiæ, si diceretur terra invisibilis & incomposita vel inordinata vel impa-

CAPUT IV. Tractatur versiculus 2. & 3. * Manichæis.

[a] Sic Vat. MS. At Vulgati, *ante cælum & terram.*

[b] Editi, *maximè.* MS, Vat. *maximis.*

Abyssus.

rata, & tenebræ super abyssum, id est super profunditatem vastissimam: quæ rursus profunditas ex eo fortasse nominata est, quia nullius intelligentiâ propter ipsam informitatem penetrari potest.

12. *Et tenebræ erant super abyssum.* Utrùm subtèr abyssus erat & suprà tenebræ, quasi jam loca distincta essent? An quoniam materiæ adhuc confusio exponitur, quod etiam χάος græcè dicitur, ideo dictum est, *tenebræ erant super abyssum*, quia lux non erat: quæ si esset, utique suprà esset, quia esset eminentior, & ea quæ sibi subjecta erant, illuminaret? Et revera qui diligenter considerat quid sint tenebræ, nihil aliud invenit quàm lucis absentiam. Ita igitur dictum est, *Tenebræ erant super abyssum*, ac si dictum esset, Non erat lux super abyssum. Quapropter hæc materies quæ consequenti operatione Dei, in rerum formas ordinata distinguitur, appellata est terra invisibilis & incomposita, & profunditas carens luce, quæ appellata est superiùs nomine cæli & terræ, veluti semen, ut jam dictum est, cæli & terræ. Si tamen non cælum & terram dicendo universitatem priùs proponere voluit, ut postea, insinuatâ materiâ, mundi partes exsequeretur.

13. *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam.* Nusquam dixerat, Deus aquam fecit; nec tamen ullo modo credendum est aquam Deum non fecisse, & eam jam fuisse antequam ille aliquid constituisset. Etenim ille est ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, sicut Apostolus dicit. Ergo & aquam Deus fecit, & aliter credere, magnus error est. Cur igitur non dictum est, quòd aquam Deus fecerit? An rursus eamdem materiam, quam vel cæli & terræ, vel terræ invisibilis & incompositæ atque abyssi nomine nuncupaverat, etiam aquam voluit appellare? Cur enim non & aqua appellaretur, si terra potuit, cùm adhuc neque aqua distincta atque formata neque terra esset, neque aliquid aliud? Sed primò fortasse cælum & terra appellata est, secundò terra incomposita & abyssus carens luce, tertiò aqua non in congruè: ut primò ipsius universitatis, propter quam facta est de omnino nihilo, materies, cæli & terræ nomine vocaretur; secundò terræ incompositæ atque abyssi nomine insinuaretur informitas, quia inter omnia elementa terra est informior, & minùs relucens quàm cetera; tertiò aquæ nomine significaretur materia subjecta operi artificis, aqua enim mobilior est quàm terra; & ideo propter operandi facilitatem & motum faciliorem, subjecta materies artifici, aqua magis vocanda erat quàm terra.

Rom. 11. 36.

Elementa quatuor.

14. Et aër quidem mobilior est quàm aqua; æther autem mobilior ipso aëre non absurdè creditur, aut sentitur: sed aëris vel ætheris nomine minùs convenienter appellaretur materies. Magis enim hæc elementa vim creduntur habere faciendi, terra verò & aqua patiendi. Quod si occultum est, illud certè apertissimum puto, quòd aquam ventus movet, & nonnulla terrena; ventus autem est aër motus & quasi fluctuans. Ergo cùm aër aquam moveat manifestè, unde autem ipse moveatur ut sit ventus, occultum sit, quis dubitet congruentiùs aquæ nomine materiam vocari quia movetur, quàm aëris qui movet? Moveri autem pati est, movere facere. Huc accedit quòd ea quæ terra gignit, aquâ irrigantur, ut nasci & perfici possint, ita ut propè videatur in hæc ipsa nascentia eadem aqua convertí. Quocirca congruentiùs aquæ nomine appellaretur materies, cùm subdita operi artificis insinuaretur propter mobilitatem & conversionem in quæque nascentia corpora, quàm nomine aëris in quo sola mobilitas posset animadverti, cetera verò quibus materia expressiùs significaretur, defuissent: ut totus iste sit sensus: *In principio fecit Deus cælum & terram*, id est materiam quæ cæli & terræ formam capere posset; quæ materia *terra invisibilis & incomposita erat*, id est informis & luce carens profunditas: quæ tamen quoniam moventi & operanti artifici subdita esset, propter hoc ipsum quod cedit operanti, aqua etiam nominata est.

15. In hac igitur materiæ significatione priùs insinuatus est finis ejus, id est propter quid facta sit, secundò ipsa informitas, tertiò servitus sub artifice atque subjectio. Itaque primò cælum & terra, propter hoc enim facta materies; secundò terra invisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum, id est ipsa informitas sine lumine, unde etiam terra invisibilis dicta est; tertiò aqua subjecta spiritui ad habitum formasque capiendas: ideo super aquam ferebatur Spiritus Dei, ut Spiritum operantem, aquam verò unde operaretur intelligamus, id est materiam fabricabilem. Cùm enim ista tria dicimus unius rei nomina, materia mundi, materia informis, materia fabricabilis, horum primo nomini bene adjungitur cælum & terra; secundo obscuritas, confusio, profunditas, tenebræ; tertio cedendi facilitas, cui jam ad operandum spiritus superfertur artificis.

16. *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam.* Non ita superferebatur sicut oleum aquæ, vel aqua terræ, id est quasi contineretur; sed, si ad hoc de visibilibus exempla capienda sunt, sicut superfertur lux ista solis aut lunæ his corporibus, quæ illuminat in terra: non enim continetur illis; sed cùm cælo contineatur, istis superfertur. Item cavendum est, ne quasi locorum spatiis Dei Spiritum superferri materiæ putemus, sed vi quadam effectoria & fabricatoria, ut illud cui superfertur efficiatur, & fabricetur; sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subjectæ ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum movet. Et hæc similitudo cùm jam sit omni corpore excellentior, parva est tamen, & propè nihil ad intelligendam superlationem Spiritus Dei, subjectâ sibi ad operandum mundi materiâ: sed non invenimus evidentiorem similitudinem & propinquiorem rei, de qua loquimur, in iis rebus quæ ab hominibus quomodocumque capi possunt. Quapropter in hujusmodi cogitatione optimè illud præceptum tenebitur, quod scriptum est, Benedicentes Deum, exaltate illum quantumcumque potueritis, superabit & adhuc. Hoc autem dictum sit, si hoc loco Spiritus Dei Spiritus-sanctus, quem in ipsa ineffabili & incommutabili Trinitate veneramur, accipitur.

Similitudines de Spiritu super aquas.

Eccli. 43. 32.

17. Potest autem & aliter intelligi, ut Spiritum Dei, vitalem creaturam, qua universus iste visibilis mundus atque omnia [a] corporea continentur & moventur, intelligamus; cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi ad operandum in iis, quæ gignuntur. Qui spiritus cùm sit omni corpore æthereo melior, quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit, non absurdè spiritus Dei dicitur. Quid enim non est Dei ex iis quæ condidit, cùm etiam de ipsa terra dictum

[a] MS. Vat. *corpora.*

Pſal.23.1. Sap.11.27. ſit, Domini eſt terra & plenitudo ejus. & [a] illud A
2 „ univerſali complexione quod ſcriptum eſt, Quo-
niam tua ſunt omnia Domine, qui animas amas. Sed
tunc poteſt iſte Spiritus ſic intelligi, ſi quod dictum
eſt, *In principio fecit Deus cælum & terram*, tantùm
de viſibili creatura dictum ſentiamus, ut ſuper ma-
teriam rerum viſibilium in exordio fabricationis ea-
rum ſuperferretur inviſibilis Spiritus, qui tamen
etiam ipſe creatura eſſet, id eſt non Deus, ſed à
Deo facta atque inſtituta natura. Si autem univer-
ſæ creaturæ, id eſt & intellectualis & animalis & B
corporalis, materia creditur illo aquæ vocabulo
enuntiata, nullo modo hoc loco Spiritus Dei po-
teſt niſi ille incommutabilis & ſanctus intelligi, qui
ferebatur ſuper materiam omnium rerum, quas fe-
cit & condidit Deus.

18. Tertia opinio de hoc Spiritu oriri poteſt,
ut credatur Spiritus nomine, aëris elementum
Elementa quatuor. enuntiatum; ut ita quatuor elementa inſinuata
ſint, quibus mundus iſte viſibilis ſurgit, cælum ſci-
licet & terra & aqua & aër: non quia jam erant C
diſtincta & ordinata; ſed quia in illius materiæ
quamvis informi confuſione, tamen exortura præ-
ſignabantur: quæ informis confuſio tenebrarum
& abyſſi nomine commendata eſt. Sed quælibet
ſententiarum iſtarum vera ſit, omnium rerum quæ
ortæ ſunt, quæ videntur, & quæ non videntur,
non quantum ad vitia quæ contra naturam ſunt,
ſed quantum ad ipſas naturas adtinet, Deum eſſe
auctorem & conditorem credendum eſt; nullam-
que omnino eſſe creaturam, quæ non ab ipſo ini- D
tium perfectionemque habeat generis & ſubſtan-
tiæ ſuæ.

Caput V. De 3. & 4. verſiculo Geneſeos. 19. Et *dixit Deus, Fiat lux: & facta eſt lux.*
Deum dixiſſe, *Fiat lux*, non voce de pulmonibus
edita, nec linguâ & dentibus, accipere debemus.
Carnalium ſunt iſtæ cogitationes: ſecundùm au-
tem carnem ſapere, mors eſt. Sed ineffabiliter di-
ctum eſt, *Fiat lux.* Utrùm autem hoc quod dictum
eſt, Filio unigenito dictum eſt, an idipſum quod
dictum eſt, Filius unigenitus eſt; quod dictum Dei E
Johan. 1. 3. Verbum dicitur, per quod facta ſunt omnia, quæ-
b ri poteſt: dum tamen illa abſit impietas, [b] ut Ver-
bum Dei unigenitum Filium quaſi vocem prola-
tam, ſicut à nobis fit, eſſe credamus. Verbum au-
tem Dei, per quod facta ſunt omnia, nec cœpit
eſſe, nec deſinet; ſed ſine inchoatione natum, Pa-
tri coæternum eſt. Quare hoc quod dictum eſt,
Fiat lux, ſi & cœpit & deſtitit dici, magis Filio di-
ctum eſt hoc Verbum, quàm ipſum eſt Filius. Et
tamen etiam hoc ineffabiliter: nec carnalis imago F
ſubrepat in animum, & intellectum pium ſpirita-
lem conturbet. Quia & incipere aliquid & deſine-
re in natura Dei, ſi propriè accipiatur, temeraria
& præceps opinio eſt: carnalibus tamen & parvu-
lis, non tamquam in ea manſuris, ſed tamquam in-
de ſurrecturis humaniſſimè concedenda eſt. Quid-
quid enim incipere & deſinere Deus dicitur, nullo
modo in ipſius natura, ſed in ejus creatura, quæ il-
li miris modis obtemperat, intelligendum eſt.

20. *Et dixit Deus, Fiat lux.* Utrùm ea lux, G
quæ his carnalibus oculis patet; an aliqua occulta,
quam nobis per hoc corpus videre non datum eſt?
Et ſi occulta, utrùm corporea, quæ per locorum
ſpatia tenditur fortaſſe in ſublimibus partibus mun-
di; an incorporea, qualis in anima eſt, ad quam vi-
tandi & appetendi refertur examen à ſenſibus cor-
poris, qua non carent etiam animæ beſtiarum; an
ea quæ ſuperior ratiocinando apparet, ex qua in-
cipit omne quod creatum eſt? Quamlibet enim lu-
cem ſignificet, factam tamen & creatam debemus
accipere: non illam qua fulget ipſa Dei Sapientia,
quæ non creata eſt, ſed nata, ne ſine luce Deus
fuiſſe putetur priùs quàm iſtam, de qua nunc agi-
tur, condidiſſet. De hac enim, ſicut ipſa verba ſa-
tis docent, hoc commendatur quod facta ſit, *Et
dixit*, inquit, *Fiat lux & facta eſt lux.* Alia eſt lux
de Deo nata, & alia lux quam fecit Deus: nata de
Deo lux, eſt ipſa Dei Sapientia; facta verò lux, eſt
quælibet mutabilis ſive corporea ſive incorporea.

21. Movere autem ſolet, quomodo lux corpo-
rea eſſe potuerit antequam cælum eſſet & cæli lu-
minaria, quæ poſt iſtam exponuntur: quaſi verò
facilè hoc ab homine percipi poteſt, aut omnino
ullo modo poteſt, utrùm ſit aliqua lux præter cæ-
lum, quæ tamen ſpatiis locorum diſtincta atque
diffuſa ſit, mundumque amplectatur. Sed cùm li-
ceat hîc & incorpoream lucem intelligere, ſi non
viſibilem tantùm creaturam in hoc libro, ſed om-
nem creaturam expoſitam dicimus, quid opus eſt
in hac controverſia remorari? Et fortaſſe quod
quærunt homines, quando Angeli facti ſunt, ipſi
ſignificantur hac luce, breviſſimè quidem, ſed ta-
men convenientiſſimè & decentiſſimè.

22. *Et vidit Deus lucem, quia bona eſt.* Iſtâ ſen- verſ. 4.
tentiâ non quaſi inſoliti [c] boni lætitiam, ſed ap- c
D probationem operis ſignificari, oportet intelligi.
Quid enim convenientius de Deo dicitur, quan-
tum inter homines dici poteſt, quàm cùm ita poni-
tur dixit, factum eſt, placuit: ita ut in eo quod di-
xit, imperium ejus intelligatur; in eo quod factum
eſt, potentia; in eo quod placuit, benignitas: ſicut
iſta ineffabilia per hominem hominibus, ita ut om-
nibus prodeſſe poſſent, dici debuerunt.

23. *Et diviſit Deus inter lucem & tenebras.* Hinc
intelligi licet, quantâ divini operis facilitate iſta di-
E cantur effecta. Non enim quiſquam eſt, qui ſic
exiſtimet lucem factam, ut eſſet confuſa cum tene-
bris, & ob hoc poſtea ſeparationis indigeret: ſed
eo ipſo quo lux facta eſt, conſecuta eſt etiam divi-
ſio inter lucem & tenebras. Quæ enim ſocietas lucis 2.Cor.6.14.
cum tenebris? Deus ergo diviſit inter lucem & te-
nebras, quia lucem fecit, cujus abſentia tenebræ vo-
cantur. Intereſt autem inter lucem & tenebras,
ſicut intereſt inter veſtimentum & nuditatem, aut
plenum & inane, & ſimilia.

24. Jam quot modis poſſit intelligi lux, ſuprà
F dictum eſt, quibus contrariæ privationes poſſunt
tenebræ nominari. Alia eſt enim lux, quæ videtur Lux triplex, æthe-
his oculis corporeis, etiam ipſa corporea; ut ſolis, rea, ſenſualis & ratio-
& lunæ, & ſtellarum, & ſi quid hujuſmodi eſt, cui nalis: uti appellan-
contrariæ ſunt tenebræ, cùm aliquis locus ea luce tur infra n. 25.
caret. Alia item lux eſt vita ſentiens, & valens
diſcernere quæ per corpus ad animæ judicium refe-
runtur, id eſt alba & nigra, canora & rauca, ſuave-
olentia & graveolentia, dulcia & amara, calida &
G frigida, & cetera hujuſmodi. Alia eſt enim lux quæ
ſentitur oculis, alia qua per oculos agitur ut ſentia-
tur. Illa enim in corpore, hæc autem quamvis per
corpus ea quæ ſentit percipiat, in anima eſt tamen.
Huic contrariæ ſunt tenebræ inſenſibilitas quæ-
dam, vel ſi meliùs inſenſualitas dicitur, id eſt non

[a] MS. Vat. *illa.*
[b] Vat. codex, *ne.*
[c] Sic MS. Vat. At Am. Er. & Lov. *inſoliti benevolentiam.*

ſentire, quamvis inferantur quæ ſentiri poſſent, ſi A
eſſet in illa vita lux iſta unde ſentitur. Neque hoc
cùm miniſteria deſunt corporis, ſicut in cæcis aut
ſurdis: nam in iſtorum animis eſt iſta lux, de qua
nunc agimus; ſed inſtrumenta corporis deſunt. Ne-
que illo modo, quo modo in ſilentio vox non audi-
tur, cùm & iſta lux eſt in anima, & adſunt corporis
inſtrumenta, ſed nihil quod ſentiatur infertur. Non
ergo qui iis cauſſis non ſentit, caret iſta luce: ſed
cùm talis potentia non eſt in anima, quæ jam nec
anima dici ſolet, ſed tantùm vita, qualis perhibetur B
eſſe vitis & arboris, & quarumcumque ſtirpium: ſi
tamen eas vel talem habere perſuaderi ullo modo
poteſt, quas nonnulli nimis errantes * hæretici, non
ſolùm ſentire per corpus, id eſt videre, audire, &
calorem ignemque diſcernere, ſed etiam intellige-
re * rationem & cogitationes noſtras noſſe arbi-
trantur. ſed de his alia quæſtio eſt. Inſenſibilitas er-
go tenebræ hujus lucis, qua quidquid ſentitur, cùm
ipſam vim ſentiendi non habet vita quælibet. Con-
venienter autem lucem hanc dici concedit, quiſ- C
quis concedit rectè dici lucem, qua res quæque ma-
niſeſta eſt. Cùm autem dicimus, Manifeſtum eſt
hoc canorum eſſe, manifeſtum eſt hoc dulce eſſe,
manifeſtum eſt hoc frigidum eſſe, & quod fortè
hujus generis per corporales ſenſus adtingimus, hæc
lux qua iſta manifeſta ſunt, utique intus in anima
eſt, quamvis per corpus inferantur quæ ita ſentiun-
tur. Tertium lucis genus in creaturis intelligi po-
teſt, quo ratiocinamur. Huic contrariæ tenebræ
ſunt irrationabilitas, ſicut ſunt animæ beſtiarum. D

* Manichæi

* *f.* per rationem

Lux quid

25. Sive ergo lucem ætheream, ſive ſenſualem
cujus animalia participant, ſive rationalem quam
Angeli & homines habent, à Deo factam primitus
in rerum natura hæc ſententia vult intelligi; divi-
ſiſſe Deum inter lucem & tenebras; eo ipſo quo lux
facta eſt, oportet accipi, quòd aliud eſt lux, aliud
illæ privationes lucis, quas in contrariis tenebris
ordinavit Deus. Non enim Deum feciſſe tenebras
dictum eſt: quoniam ſpecies ipſas Deus fecit, non
privationes quæ ad nihilum pertinent, unde ab arti- E
fice Deo facta ſunt omnia: quas tamen ab eo ordi-
natas intelligimus, cùm dicitur, *Et diviſit Deus in-
ter lucem & tenebras*, ne vel ipſæ privationes non
haberent ordinem ſuum, Deo cuncta regente atque
adminiſtrante. Sicut in cantando interpoſitiones
ſilentiorum certis moderatiſque intervallis, quam-
vis vocum privationes ſint, bene tamen ordinantur
ab iis qui cantare ſciunt, & ſuavitati univerſæ can-
tilenæ aliquid conferunt. Et umbræ in picturis emi-
nentiora quæque diſtinguunt, ac non ſpecie, ſed F
ordine placent. Nam & vitiorum noſtrorum non
eſt auctor Deus; ſed tamen ordinator eſt, cùm eo
loco peccatores conſtituit, & ea perpeti cogit quæ
Matth. 25. 33. merentur. Ad hoc valet quòd oves ponuntur ad
dexteram, hœdi autem ad ſiniſtram. Quædam er-
go & facit Deus, & ordinat, quædam verò tantùm
ordinat. Juſtos & facit, & ordinat: peccatores au-
tem inquantum peccatores ſunt, non facit, ſed or-
dinat tantùm. Quippe cùm illos ad dexteram, illos
ad ſiniſtram conſtituit, & quòd in ignem æternum G
jubet ire, ad meritorum ordinem valet. Ita ſpecies
naturaſque ipſas & facit, & ordinat: privationes
autem ſpecierum defectuſque naturarum non facit,
ſed ordinat tantùm. Dixit itaque, *Fiat lux, & fa-
cta eſt lux.* Non dixit, Fiant tenebræ, & factæ ſunt
tenebræ. Horum ergo unum fecit, alterum non fe-
cit: utrumque tamen ordinavit, cùm diviſit Deus
inter lucem & tenebras. Ita & ipſo faciente pul-
cra ſunt ſingula, & ipſo ordinante pulcra ſunt om-
nia.

26. Et *vocavit Deus lucem diem, & tenebras vo-* Caput VI.
cavit noctem. Cùm & lux nomen ſit alicujus rei, & Tractatus prima pars verſ. 5.
dies rurſum, & tenebræ & nox utrumque ſit no-
men, utrumque ita dici oportuit, nomina rebus
impoſita eſſe, ut illa res cui nomen impoſitum eſt, B
utique alio [a] quoque nomine, non enim aliter pote-
rat enuntiare. Et ita dictum eſt, *Vocavit Deus lu-*
cem diem, ut indifferenter etiam dici converſè poſ-
ſet, Vocavit Deus diem lucem, & vocavit noctem
tenebras. Quid ei reſpondebimus, ſi quis à nobis
ita quærit, Luci nomen impoſitum eſt dies, an diei
nomen impoſitum eſt lux? quia hæc duo utique,
inquantum ad res ſignificandas articulatâ voce
enuntiantur, nomina ſunt. Hoc modo etiam de
aliis duobus quæri poteſt, Tenebris nomen impoſi-
tum eſt nox, an nocti impoſitum eſt nomen tene-
bræ? Et quidem ut Scriptura deſcribit, manifeſ-
tum eſt, lucis nomen dictum eſſe diem, & tene-
brarum nomen dictum eſſe noctem. Quia cùm di-
ceret, Deus fecit lucem, & diviſit inter lucem &
tenebras, nondum de vocabulis agebatur: poſtea
adhibita ſunt vocabula, dies & nox; cùm & illa
ſine dubio vocabula ſint, lux & tenebræ, res ali-
quas ſignificantia, ſicut dies & nox. Ergo hoc ita
accipiendum eſt, quia enuntiari aliter non poſſet
res quæ nomen accepit, niſi aliquo nomine? An
potiùs iſta vocatio accipienda eſt ipſa diſtinctio?
Non enim omnis lux dies, aut omnes tenebræ nox:
ſed lux & tenebræ certis inter ſe vicibus ordinatæ
atque diſtinctæ, diei & noctis nominibus appellan-
tur. Omne quippe vocabulum ad diſtinctionem va-
let. Unde etiam nomen quòd rem notet, appella-
tum eſt, quaſi notamen. Notet autem, id eſt di- Nomen unde dictum
ſtinguat & doctitanter ad diſcernendum adjuvet.
Fortaſſe ergo ipſum diviſiſſe inter lucem & tene-
bras, hoc eſt vocaſſe lucem diem, & tenebras no-
ctem, ut hoc ſit ordinaſſe iſta quod vocaſſe. An
iſta vocabula ſignificare nobis volunt, quam lucem
dixerit, & quas tenebras? tamquam ſi diceret, Fe-
cit Deus lucem, & diviſit inter lucem & tenebras;
lucem autem dico diem, & tenebras dico noctem:
ne aliquam aliam lucem intelligas, quæ non ſit
dies; & ne aliquas alias tenebras intelligas, quæ non
ſint nox. Nam ſi omnis lux dies poſſit intelligi, &
omnes tenebræ noctis nomine cenſerentur, fortaſſe
non opus eſſet dicere, *Et vocavit Deus lucem diem,
& tenebras vocavit noctem.*

27. Item quæri poteſt quem diem dicat, & quam
noctem. Si iſtum diem vult accipi, quem ſolis or-
tus inchoat, & claudit occaſus; & iſtam noctem,
quæ à ſolis occaſu uſque in ortum tenditur; non in-
venio quomodo eſſe potuerint, antequam cæli lu-
minaria facta eſſent. An ipſa ſpatia horarum &
temporum, etiam ſine diſcrimine fulgoris atque
umbræ, jam ita vocari potuerunt? Et quomodo in
illam lucem rationalem, ſi hæc ſignificata eſt, aut
ſenſualem cadit hæc viciſſitudo, quæ nomine diei
& noctis ſignificatur? An non ſecundùm quod eve-
nit, ſed ſecundùm quod poteſt evenire, iſta inſi-

[a] Vat. codex omittit, *quoque*: & paulò poſt habet, *poterat enuntiare.* ubi editi habuerunt, *poterat enumerare.* Locus profectò à librariis fœdatus, atque expunctis hiſce verbis, *nomina rebus impoſita eſſe*, quæ haud dubiè è margine irrepſerunt, emendandus hunc in modum: *utrumque ita dici oportuit, ut illa res cui nomen impoſitum eſt, utique alio nomine (non enim aliter poterat) enuntiaretur.*

nuata sunt; quia & rationi potest error succedere, & sensui quædam stoliditas?

CAPUT VII. De altera parte vers. 5.

28. ET *facta est vespera, & factum est manè dies unus.* Non eodem modo nunc appellatur dies, quo cùm diceretur, *Et vocavit Deus lucem diem:* sed eo modo quo dicimus, verbi gratiâ, triginta dies habere mensem: hoc enim nomine diei noctes quoque includimus; superiùs autem ita dictus est dies, ut à nocte sejungeretur. Itaque cùm illa operatio diei per lucem gesta insinuaretur, consequenter factam dicitur esse vesperam, & factum esse manè diem unum, ut scilicet sit unus dies à cœpto die usque ad cœptum diem, id est à manè usque ad manè, quales dies annumeratis, ut dixi, noctibus appellamus. Sed quomodo facta est vespera, & factum est manè? An tantâ morâ temporis fecit lucem Deus, & divisit inter lucem & tenebras, quantâ morâ tenditur dies lucens, id est non annumerata nocte? Et ubi est quod scriptum est, Subest enim tibi cùm voles posse, si opus est Deo productione temporis, ut aliquid perficiat? An omnia quidem tamquam in arte atque ratione perfecta sunt *Deo, non in productione temporis, sed in ipsa vi qua illas etiam res, quas non stare, sed transire cernimus, stabiliter efficit? Non enim & in sermone nostro cùm verba alia transeant, & alia succedant, credibile est ita fieri in ipsa arte, qua operante stabiliter artificiosa occurrit oratio. Quamquam ergo sine productione temporis faciat Deus, cui subest posse cùm volet; ipse tamen naturæ temporales motus suos temporaliter peragunt. Ita ergo fortasse dictum est, *Et facta est vespera, & factum est manè dies unus*, sicut ratione prospicitur, ita fieri debere aut posse, non ita ut fit [a] temporalibus tractibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est in Spiritu-sancto, qui dixit, Qui manet in æternum, creavit omnia simul: sed commodissimè in illo libro, quasi morarum per intervalla factarum à Deo rerum digesta narratio est, ut ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, per hujusmodi ordinem sermonis exposita quasi istis oculis cerneretur.

Sap. 12. 18.

Eccli. 18. 1.

*f. à Deo

a

CAPUT VIII. Explicatur vers. 6.

29. ET *dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit dividens inter aquam & aquam. Et sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, & divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, & inter aquam quæ erat supra firmamentum.* Utrùm aquæ tales sint supra firmamentum, quales sub firmamento istæ visibiles: an quia illam aquam videtur significare, supra quam Spiritus ferebatur, & eam intelligebamus esse ipsam mundi materiam, hæc etiam hoc loco firmamento interposito discreta credenda est, ut inferior sit materia corporalis, superior animalis? Hoc enim firmamentum dicit, quod cælum postea vocat. Cælesti autem corpore nihil est in corporibus melius. Alia quippe corpora cælestia, & alia terrestria; & utique cælestia meliora: quorum naturam quidquid transit, nescio quemadmodum corpus possit vocari; sed est fortasse vis quædam subjecta rationi, qua ratione Deus veritasque cognoscitur: quæ natura, quâ formabilis est virtute atque prudentiâ, cujus vigore cohibetur ejus fluctuatio atque constringitur, & [b] ob hoc quasi materialis apparet, rectè aqua divinitus appellata est; non locorum spatio, sed merito naturæ [c] incorporeæ cæli corporei ambitum excedens. Et quoniam cælum firmamentum vocavit, non absurdè intelligitur quidquid infra æthereum cælum est, in quo pacata [d] atque firmata sunt omnia, mutabilius esse & dissolubilius. Quod genus corporalis materiæ ante acceptam speciem distinctionemque formatum, à qua firmamentum nominatum est, fuerunt qui crederent has visibiles aquas & frigidas superficiem cæli superamplecti. Et documentum adhibere conati sunt de tarditate stellæ unius de septem vagantibus, quæ superior est ceteris, & à Græcis φαίνων dicitur, & triginta annis peragit signiferum circulum, ut ob hoc tarda sit, quia est frigidis aquis vicinior, quæ supra cælum sunt. Quæ opinio nescio quemadmodum possit apud eos defendi, qui subtilissimè ista quæsierunt. Nihil autem horum temere affirmandum, sed cautè omnia modestéque sunt tractanda.

b

c

d

Saturnus planeta.

30. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit dividens inter aquam & aquam. & sic factum est.* Postquam dixit, *sic factum est*, quid opus erat rursum addere, *Et fecit Deus firmamentum, & divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, & aquam quæ erat supra firmamentum?* Nam cùm dixisset superiùs, *Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux*; non addidit rursum, Et fecit Deus lucem: hîc autem postea quàm dixit, *Et dixit Deus, Fiat, & sic factum est*, additum est, *Et fecit Deus.* An hinc apparet non oportere lucem illam intelligi corporalem, ne eam aliquâ creaturâ interpositâ fecisse Deus videatur: (Deum autem Trinitatem dico:) hoc verò firmamentum cæli, quia corporeum est, per incorpoream creaturam accepisse speciem formamque creditur, ut priùs incorporeæ naturæ rationabiliter à veritate impressum sit quod corporaliter imprimeretur, ut cæli fieret firmamentum: & ideo positum est, *Et dixit Deus, Fiat, & sic factum est*: * in ipsa rationali natura priùs [e] factum est fortasse unde imprimeretur corpori species: * cùm autem additum est, *Et fecit Deus firmamentum, & divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, & aquam quæ erat supra firmamentum*; & ipsa [f] cooperatio in illa materia, ut corpus cæli fieret, significatur? An fortè varietatis causâ ut textus sermonis in fastidium non veniret, suprà non est positum quod infra positum est, & non oportet scrupulosè omnia [g] rimari? Eligat quis quod potest; tantùm ne aliquid temere atque incognitum pro cognito asserat: memineritque se hominem de divinis operibus quantum permittitur quærere.

Gen. 1. 6.

vers. 7.

*f. deest, id est

* CAPUT IX.

e

f

g

Tractatur vers. 8.

31. *Et vocavit Deus firmamentum cælum.* Quod de vocatione superiùs tractatum est, hîc quoque considerari potest: non enim omne firmamentum cælum est. *Et vidit Deus quod bonum est.* Et de hoc superiùs quod tractatum est, retractaretur, nisi quòd non eumdem ordinem video. Nam superiùs, *Et vidit Deus lucem quia bona est*; & pòst deinde subjicitur, *Divisit Deus inter lucem & tenebras*; & *vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem:* hîc autem postquam factum enarratum est, quod factum dicebatur, & postea quàm vocatum est firmamentum cælum, tum dicitur, *Et vidit Deus quia bonum est.* Quod si non fastidij evitandi gratiâ ita

[a] MS. Var. *temporis tractibus. Non ipsam rationem operationum contemplatus est* &c.

[b] Editi, *& objectio.* Sed meliùs MS. Var. *& ob hoc.*

[c] Sic emendamus ad Var. MS. Nam in editis legebatur, *natura in corpore cæli incorporei.*

[d] MS. Var. *& firma.*

[e] In MS. Var. *factum est.*

[f] Sic Am. ad marginem. In textu autem cum aliis editionibus habet, *corporatio.* MS. Var. *operatio.*

[g] MS. Var. *numerare.* Nec minùs aptè.

variatum est, illud certè intelligere cogimur quod dictum est, *Et fecit Deus omnia simul.* Quare enim primò ibi vidit quia bonum est, & postea nomen imposuit; hîc autem primò nomen imposuit, & postea vidit quia bonum est; nisi quia illa differentia significat, morarum intervalla non esse in operatione Dei, quamvis in ipsis inveniantur operibus? Secundùm autem morarum intervallum priùs aliquid & postea efficitur, sine quibus narratio factorum esse non potest, quamvis sine his Deus ista efficere potuerit. *Et facta est vespera, & factum est manè dies secundus.* Jam hinc superiùs tractatum est, & easdem rationes hîc quoque valere arbitror.

CAPUT X. De vers. 9. & 10.

32. ET *dixit Deus, Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in congregationem unam, & appareat arida. & sic factum est.* Hinc probabiliùs credi potest aquam dictam esse superiùs, sicut arbitrabamur, ipsam mundi materiam. Nam si universum aquâ oppletum erat, unde vel quò potuit congregari? Si enim quamdam confusionem materialem aquæ nomine appellaverat, hæc congregatio accipienda est ipsa formatio, ut talis esset aquæ species, qualem nunc esse cernimus. Et ipsum, *appareat arida*, quod positum est, terræ formatio intelligi potest, ut hanc haberet speciem terra, quam cernimus. Invisibilis enim & incomposita dicta erat, cùm adhuc materiæ species deesset. Dixit ergo Deus, *Congregetur aqua quæ sub cælo est*; id est in formam redigatur materies corporalis, ut aqua ista sit, quam sentimus. *In congregationem unam.* Vis ipsa formæ commendatur nomine unitatis. Hoc est enim verè formari, in unum aliquid redigi; quoniam summè unum est omnis formæ principium. *Et appareat arida*; id est speciem visibilem accipiat, atque à confusione distinctam. Et bene aqua congregatur, ut appareat arida, id est cohibetur quòd fluitat mare, ut quod obscurum est illustretur. *Et sic factum est*: etiam hoc fortasse in rationibus intellectualis naturæ priùs factum est, ut postea quod dicitur, *Et congregata est aqua in congregationem unam, & apparuit arida*, non superfluò additum videatur, cùm jam dictum esset, *Et sic factum est*; sed ut post rationalem & incorpoream operationem intelligeremus etiam corporalem secutam.

Formari quid

vers. 10.

33. *Et vocavit Deus aridam terram, & congregationem aquæ mare vocavit.* Adhuc nobiscum facit illa caussa vocabulorum: non enim omnis aqua, mare; aut omne aridum, terra. Ergo quæ aqua esset, & quæ arida, vocabulis segregandum fuit. Ipsam autem distinctionem atque formationem fuisse vocationem Dei, non absurdè adhuc intelligi potest. *Et vidit Deus quia bonum est.* Et hîc ipse ordo servatus est: quare huic etiam illa, quæ jam tractata sunt, conferantur.

CAPUT XI. De vers. 11. 12. & 13.

34. ET *dixit Deus, Germinet terra herbam pabuli, ferentem semen secundùm genus suum & similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundùm suam similitudinem.* Postquam facta sunt terra & mare, & vocata & approbata, quod sæpè diximus non morarum intervallis accipiendum esse, ne ineffabilem operantis Dei facultatem tarditas aliqua consequatur, non statim, sicut duobus diebus præcedentibus, subjicitur, *Facta est vespera, & factum est manè dies tertius*: sed adjungitur alia operatio, *ut germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundùm genus suum & similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundùm suam similitudinem.* Quod de luce illa, & firmamento, & aquis, & arida dictum non est; non enim habet lux successionis propaginem, aut cælum de alio cælo nascitur, aut terra aut mare alia maria & alias terras gignunt, quæ succedant. Hîc ergo dicendum fuit, *ferentem semen secundùm genus suum & similitudinem, & cujus semen sit in se secundùm suam similitudinem*, ubi similitudo nascentium prætereuntis similitudinem servat.

35. Hæc autem omnia ita supra terram sunt, ut ipsi terræ radicitus cohæreant, & ei continuentur, & rursum quodammodo separentur: propterea hujus naturæ significationem in ista narratione servatam arbitror; quia & eodem die facta sunt, quo terra apparuit: & tamen iterum dixit Deus, ut *terra germinaret*; & iterum dictum est, *Et sic factum est*; deinde secundùm superiorem regulam, postquam dictum est, *Et sic factum est*; subjungitur ipsa exsecutio, *Et dedit terra herbam pabuli, ferentem semen secundùm genus suum; & lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen in se secundùm suam similitudinem.* Et iterum dicit, *Vidit Deus quia bonum est.* Itaque & uno die ista junguntur, & iteratis Dei verbis distinguuntur ab invicem. Quod de terra & mari propterea puto non esse factum, quia magis harum rerum est discernenda natura, quæ cùm oriantur & occidant, seminis successione propagantur. An quia terra & mare simul fieri potuerint, non solùm in rationibus creaturæ spiritalis, ubi simul omnia facta sunt, sed etiam in ipsa corporali motione; arbores verò & quæque stirpes nasci non possent, nisi terra in qua germinarent, præcessisset; propterea & repetendum erat jussum Dei, ut & facta significarentur distantia, tamen non alio die facienda, propter quod radicibus terræ affiguntur & continuantur? Sed quæri potest, cur istis Deus non imposuerit nomina: an prætermissum est, quia multitudo eorum non sinebat? Verùm hæc quæstio meliùs postea considerabitur, cùm animadvertemus alia, quæ non vocavit Deus, sicut vocavit lucem, & cælum, & terram, & mare. *Et factum est vespera, & factum est manè dies tertius.*

vers. 11.

vers. 13.

CAPUT XII. Expenditur prima pars vers. 14.

36. ET *dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, ut luceant super terram, & dividant inter diem & noctem, & sint in signis & temporibus, & in diebus, & annis, & sint in splendorem in firmamento cæli, ut luceant super terram.* Quarto die luminaria facta sunt, de quibus dicitur, *& sint in diebus:* quid ergo volunt tres dies transacti sine luminaribus? aut cur ista erunt in diebus, si etiam sine istis dies esse potuerunt? An quia evidentiùs productio illa temporis & morarum intervallum motu istorum luminarium distingui ab hominibus potest? An ista dierum & noctium enumeratio ad distinctionem valet inter illam naturam, quæ facta non est, & eas quæ factæ sunt: ut *manè* nominaretur propter earum speciem factarum; *vespera* verò propter privationem? Quia quantum adtinet ad illum, à quo facta sunt, speciosa atque formosa sunt: quantum autem in ipsis est, possunt deficere, quia de nihilo facta sunt; & inquantum non deficiunt, non est eorum materiæ, quæ ex nihilo est, sed ejus qui summè est, & illa facit esse in genere & ordine suo.

vers. 14.

37. *Et dixit Deus, Fiant in firmamento cæli luminaria ut luceant*, utrùm de fixis tantùm dictum est sideribus, an etiam de vagis? Sed duo luminaria majus & minus inter vaga sidera numerantur: quo-

modo ergo in firmamento facta sunt omnia, cùm singulos suos vel globos vel circulos vaga singula quæque possideant? An quoniam in Scripturis & cælos multos legimus & cælum, sicuti in hoc loco cùm dicitur [a] firmamentum cælum, intelligendum est omnem istam æthercam machinam dici quæ omnia [b] sidera continet, sub qua puri & tranquilli aëris serenitas viget, sub qua item iste aër turbulentus & procellosus agitatur? *Ut luceant super terram & dividant inter diem & noctem.* Nonne jam Deus diviserat inter lucem & tenebras, & vocaverat lucem diem, & tenebras vocaverat noctem? ex quo apparet eum inter diem & noctem divisisse: quid sibi nunc vult, quod dicitur de luminaribus, *& dividant inter diem & noctem?* An ita nunc fit ista divisio per luminaria, ut hominibus nota sit etiam solis carnalibus oculis ad rerum istarum contemplationem utentibus; ita verò Deus eam fecit ante circuitum luminarium, ut videri nisi à paucis sano spiritu & serena ratione non possit? An inter alium diem & aliam noctem divisit Deus, id est inter speciem quam imprimebat illi informitati, & informitatem quæ adhuc formanda restabat; alius verò est iste dies & alia nox, quorum volvente cælo vicissitudo animadvertitur, quæ fieri non posset nisi solis ortu & occasu?

Caput XIII. De altera parte vers. 14. & de vers. 15. 16. 17. 18. & 19.

38. Et *sint in signis & temporibus, & in diebus & in annis.* Videtur mihi hoc quod dixit, *in signis*, planum fecisse illud quod dixit, *& in temporibus*; ne aliud acciperentur signa, & aliud tempora. Hæc enim nunc dixit tempora, quæ intervallorum distinctione æternitatem incommutabilem supra se manere significant, ut signum, id est quasi vestigium æternitatis tempus appareat. Item cùm adjungit, *& in diebus & in annis*, ostendit quæ dixerit tempora, ut dies fiant conversione fixorum siderum; anni verò manifesti, cùm sol signiferum circulum peragit; obscuriores autem cùm id unumquodque vagorum siderum in suis orbibus facit. Non enim dixit, & mensibus, quia fortasse mensis annus est lunæ; sicut duodecim lunæ anni, annus est ejus sideris quod φαέθοντα Græci vocant, & triginta solis anni annus est ejus sideris quod φαίνων dicitur. Et fortasse ita cùm omnia sidera ad idem redierint, annus magnus peragitur, de quo multi multa dixerunt. An *in signis* dixit, quibus certum iter significatur navigandi: *in temporibus* autem, velut est vernum tempus, & æstas, & autumnus, & hyems; quia & ista circumactu siderum variantur, suasque vices atque ordinem servant: *in diebus*, autem *& in annis*, sicut expositum jam est accipiendum?

Annus magnus quem vulgò Platonis vocant.

vers. 15. 39. *Et sint in splendorem in firmamento cæli, ut luceant super terram.* Suprà jam dictum erat, *Fiant luminaria in firmamento cæli, ut luceant super terram:* cur putamus esse repetitum? An quemadmodum dictum est de stirpibus, ut ferant semen, & sit in eis semen, secundùm genus suum, & similitudinem: ita hîc è contrario dictum est de luminaribus, *Fiant & sint*, id est fiant & non gignant, sed ipsa sint. *Et sic factum est.* Ordo ille servatur.

vers. 16. 40. *Et fecit Deus duo luminaria, Luminare majus initium diei, & luminare minus initium noctis, & stellas.* Quid dicat initium diei, & initium noctis, mox apparebit. *Et stellas* verò, quod addidit, utrùm pertineant ad initium noctis an non, ambiguum est. Quidam autem volunt hîc significari lunam plenam esse primitus factam, quòd plena luna initio noctis assurgit, id est mox post solis occasum. Sed illud absurdum est, ut non à prima, sed à sexta-decima vel quinta-decima numerandi sumamus exordium. Nec illud moveat, quòd perfectum fieri debuerit luminare, quod factum est. Omni enim die perfecta est: sed ejus perfectio ab hominibus non videtur, nisi cùm ex contraria parte soli opposita fuerit. Nam etiam cum illo constituta, quoniam sub illo est, videtur finiri: sed etiam tunc plena est; quia ex alia parte illustratur, nec videri potest ab iis qui subter sunt, id est terram incolunt. Quod non paucis verbis, sed subtilibus dissertationibus & quarumdam figurarum visibilium demonstratione doceri potest.

41. *Et posuit illa Deus in firmamento cæli, ut luceant super terram.* Quomodo dixit, *Fiant in firmamento*; & quomodo nunc dicit, *Fecit Deus luminaria*, & *posuit in firmamento:* quasi extra sint facta, & pòst ibi posita, cùm jam dictum sit ut ibi fierent? An hinc etiam atque etiam significatur, non ita Deum fecisse ut homines solent, sed ita narratum ut hominibus potuit: scilicet ut apud homines aliud sit, fecit; aliud, posuit: apud Deum autem utrumque idem sit, qui faciendo ponit, & ponendo facit? vers. 17.

42. *Et præsint diei ac nocti, & dividant inter diem & noctem.* Dictum erat initium diei, & initium noctis, quod hîc exponit, dicendo, *præsint diei & nocti.* Ergo initium illud, principatum intelligere debemus, quia & in die nihil est inter illa quæ videntur sole excellentius, & in nocte nihil lunâ vel stellis. Unde etiam illa ambiguitas jam non moveat, & credamus stellas sic positas, ut ad initium noctis, id est principatum pertineant. *Et vidit Deus quia bonum est.* Idem ordo servatur. Meminerimus sanè quòd etiam ista Deus non vocaverit, cùm dici potuerit, Et vocavit Deus luminaria sidera: quia non omne luminare sidus est. vers. 18.

43. *Et facta est vespera, & factum est manè dies quartus.* Si dies istos consideres, quos ortus solis occasusque distinguit, non iste quartus, sed fortasse primus est dies: ut eo tempore putemus ortum esse solem, quo factus est, & donec cetera sidera fierent, occidisse. Sed qui intelligit & solem alibi esse, cùm apud nos nox est, & noctem alibi esse, cùm sol apud nos est, dierum istorum enumerationem sublimiùs indagabit. vers. 19.

Caput XIV. Explanatur vers. 20.

44. Et *dixit Deus, Ejiciant aquæ reptilia animarum vivarum, & volatilia volantia super terram sub firmamento cæli. & sic factum est.* Ea quæ natantia sunt animalia, reptilia sunt appellata; quia pedibus non ambulant. An quia sunt alia, quæ sub aqua in terra repunt? An sunt pennata in aquis, sicut pisces qui squamas habent, vel alij qui non habent, sed tamen pennis nituntur? Qui utrùm inter volatilia hoc loco numerandi sint, dubitari potest. Nam & ipsa volatilia cur aquis tribuerit, non aëri, nonnulla quæstio est. Non enim has aves tantùm hîc accipere possumus, quibus aquæ familiares sunt, quales mergi, & anates, & quæcumque hujusmodi. Nam si de his tantùm dixisset, non prætermitteret alio loco de aliis avibus dicere, inter quas nonnullæ usque-adeo ab aquis remotæ sunt, ut ne bibant quidem. Nisi fortè istum aërem terris contiguum, quoniam se humidum etiam serenissimis noctibus rore testatur, aquam vocavit, quia & in nubem cogitur. Nubes autem aqua est, quod omnes

a MS. Vat. *cælum & firmamentum.*

b Sic in Vat. in codice. At in editis, *substantia continet.*

sentiunt, quibus contingit in montibus inter nubila, vel etiam in campis inter nebulas ambulare. In hoc quippe aëre volare aves dicuntur. Nam in illo sublimiore atque puriore, qui verè aër ab omnibus appellatus est, nequeunt: non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. In illo autem, neque nubes concrescere asseruntur, neque aliquid procellosum exsistere: quippe ubi ventus adeo nullus est, ut in vertice Olympi montis, qui spatia hujus humidi aëris excedere dicitur, quædam litteræ in pulvere solere fieri perhibeantur, & post annum integræ atque illæsæ inveniri ab iis, qui sollemniter memoratum montem adscendebant.

45. Quapropter non absurdè existimari potest firmamentum cæli in divinis Scripturis usque ad hæc spatia vocari, ut & ille aër tranquillissimus & sincerissimus ad firmamentum pertinere credatur. Hoc enim nomine firmamenti, ipsa tranquillitas & magna * pars rerum significari potest. Unde etiam illud dici pluribus locis in Psalmis existimo: Et veritas tua usque ad nubes. Nihil est enim firmius & serenius veritate. Nubes autem sub ista sincerissimi aëris regione concrescunt. Quod quamquam figuratè dictum accipiatur, ex his tamen rebus scriptum est, quæ habent ad hæc quamdam similitudinem, ut corporea creatura constantior & purior, quæ à summitate cæli usque ad nubes est, veritatis figuram rectè habere videatur, id est usque ad aërem caliginosum & procellosum & humidum. Ergo volatilia volantia super terram sub firmamento cæli, convenienter sunt aquis adtributa; quia non inconvenienter aër iste aqua nominatur. Hinc etiam intelligi datur de aëre nihil dictum esse, quomodo vel quando sit factus, quia iste aër nomine aquarum tenetur, ille autem nomine firmamenti, atque ita nullum elementum prætermissum est.

* f. pax, vel puritas. Psal. 35. 6. & 56. 11.

46. Sed fortasse quis dicat, Si eo quod dictum est, *Congregetur aqua*, intelligimus aquam esse factam ex illa confusione materiæ, hanc autem congregationem mare appellavit Deus, quomodo ibi possumus hunc aërem intelligere factum, quod mare non dicitur, etiam si aqua dici potest? Quamobrem mihi videtur in eo quod dictum est, *appareat arida*, non solùm speciem terræ, sed etiam hujus aëris crassioris esse insinuatam. Per hunc enim terra illuminatur, ut perspicua nobis sit. In uno ergo verbo, quo dictum est, *appareat*, intimata sunt omnia, sine quibus apparere non posset, id est & species ejus, & nudatio ab aquis, & aëris superfusio, per quem in ea lumen à superiore mundi parte transmittitur. An potiùs in eo quod scriptum est, *Congregetur aqua*, species hujus aëris commendatur? quia cùm iste aër condensatur, hanc aquam videtur efficere. Coactionem itaque in densitatem, congregationem aquæ fortasse appellavit, ut mare fieret: ut id quod non congregatum, id est non spissatum superfertur, aqua sit, quæ aves volantes possit sustinere, utrique nomini accommodata, ut vocari possit & aqua subtilior, & aër crassior. Sed quando quæritur, cur sit iste factus, non dicitur. An fortè verum est, quod quidam volunt, humidis exhalationibus maris & terræ has auras effici ita crassiores aëre illo superiore ac liquido, ut gestandis volatibus avium sint accommodatæ: ita porrò teneriores iis aquis, quibus corpus abluitur, ut earum comparatione siccæ atque aëriæ sentiantur? Et quia de terra & mari jam dictum erat, quid opus erat dicere de exhalationibus earum, id est aquis avium, cùm illum aërem purissimum & tranquillissimum firmamento adtributum intellexeris?

47. Nam neque de fontibus & fluminibus dictum est, quomodo facta sint. Qui enim scrupulosiùs ista quærunt & disserunt, æthereo superlapsu de mari dulcem invisibiliter dicunt extrahi vaporem, his videlicet adscensionibus, quas nullo modo sentire possumus: inde conglobari nubes; atque ita terram imbribus madefactam antris occultioribus instillare atque insudare tantum, quantum coactum & per diversos tramites lapsum erumpat in fontes, sive parvos, sive gignendis fluminibus idoneos. Cujus rei documenta esse volunt, quòd marinarum aquarum decoctarum vapor sinuato cooperculo exceptus, humorem dulcem gustantibus exhibet. Et omnibus ferè manifestum est, diminutos fontes inopiam sentire pluviarum. Adtestatur & divina historia, cùm Elias tempore ariditatis imbrem posceret: jussit enim cùm ipse oraret ut puer suus ad mare adtenderet; unde cùm videret oriri perparvam nubeculam, pluviam [a] Regi sollicito adesse nuntiavit, qua mox etiam fugiens irrigatus est. Et * David dicit, Domine qui advocas aquam maris, & effundis eam super faciem terræ? Quapropter mari nominato, de aliis aquis superfluè diceret, sive istis roriferis, quæ tenuitate auras volantibus avibus præbent, sive fontium ac fluminum; si & illæ exhalationibus fiunt, & istæ reciprocis imbribus, quos terra sorbet, emanant.

3. Reg. 18. 43.

* f. ex Amos 5. 8. & 9. 6.

Caput XV. De eodem vers. 20. & de 21. 22. 23. & 24.

48. Ejiciant *aquæ reptilia animarum vivarum.* Cur additum est *vivarum?* An possunt esse animæ, nisi vivant? An istam manifestiorem vitam commendare voluit, quæ inest animalibus sentientibus, quoniam [b] stirpes eâ carent? *Et volatilia volantia super terram sub firmamento cæli.* Si volatilia non volant in illo purissimo aëre, ubi nulla nubila oriuntur, hinc manifestum est ad firmamentum eum pertinere; quia sub firmamento cæli dictum est volatilia volare super terram. *Et sic factum est.* Ordo ille servatur. Ideoque subjungitur sicut in ceteris, excepta luce, quæ prior facta est.

vers. 21. 49. *Et fecit Deus cetos magnos, & omnem animam animalium repentium, quæ ejecerunt aquæ secundùm genus eorum, & omne volatile pennatum secundùm genus suum.* Meminerimus sanè secundùm suum genus, de iis creaturis dici, quæ seminali propagine reparantur: nam de herbis jam hoc, & de arboribus dictum est. *Et omne volatile pennatum.* Cur additum est *pennatum?* An potest esse volatile, quod pennas non habeat? Sed si potest, numquid hoc genus fecit Deus; quando quidem non invenitur ubi sit factum? An omnino potest quidquam volare sine pennis? Nam & vespertiliones, & locustæ, & muscæ, & si quid hujusmodi est quod plumis careat, pennis non caret. Sed *pennatum* additum est, ne solas aves intelligeremus; quoniam pisces pennati sunt, & super terram volant infra aquas. ideo non dictum est aves; sed volantia generaliter & *volatile pennatum. Et vidit Deus quia bonum est.* Et hîc sicut in ceteris locis intelligendum.

vers. 22. 50. *Et benedixit ea dicens, Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, & volatilia multiplicentur super terram.* Benedictionem ad fecunditatem valere voluit, quæ in successione prolis apparet, ut ea benedictione, quia infirma & mortalia creata sunt, genus suum nascendo custodiant. Sed

a Editi, *ei sollicito.* At MS. Vat. *Regi.*

b Editi, *stipites*, pro quo MS. Vat. *stirpes.*

cùm etiam stirpes nascendo teneant similitudinem prærereuntium, cur eas non benedixit? An quia sensu carent, qui rationi vicinus est? Non enim vacat fortasse, quòd secundâ personâ utitur Deus in benedicendo, ut hæc animantia compellet quodammodo tamquam audientia dicendo, *Crescite, & multiplicamini, & implete aquas maris*: nec tamen in eadem persona usque ad finem benedictionis venitur; sequitur enim, *Et volatilia multiplicentur super terram.* non dixit, Multiplicamini super terram. Nisi fortè hoc ipso significatur, sensum animantium non adeo vicinum esse rationi, ut perfectè possit accipere compellantem, sicut quæ intelligunt, atque uti ratione possunt.

51. *Et factum est sic.* Hîc planè quivis tardus jam evigilare debet, ut intelligat quales isti dies enumerentur. Cùm enim certos seminum numeros Deus animantibus dederit, servantes miram [a] certo ordine constantiam, ut certo dierum numero, pro suo quoque genere, & concepta utero gerant, & edita ova calefaciant; cujus naturæ institutio Dei sapientiâ conservatur, quæ tendit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: quomodo uno die potuerunt & concipere, & utero gravescere, & parta [b] vaporare atque nutrire, & implere aquas maris, & multiplicari super terram? Ita enim subjungitur, *Et sic factum est*; ante vesperæ adventum. Sed nimirum cùm dicit, *Facta est vespera*; materiam informem commemorat: cùm autem dicit, *Factum est manè*; speciem, quæ ipsa operatione impressa est materiæ: [c] manè enim post operationem transactum diem concludit. Non tamen dixit Deus, Fiat vespera, vel Fiat manè: commemoratio est enim rerum factarum brevissima, significatis per vesperam & manè materiâ & specie, quæ utique Deum fecisse jam dictum erat: cùm ipsum defectum tamen, id est cùm de specie ad materiam & ad nihilum tenditur, si hoc noctis nomine rectè insinuatum putamus, non dixerit factum, sed tamen ordinatum à Deo, cùm ait superiùs, *Divisit Deus inter lucem & tenebras*: ut vesperæ vocabulo significetur informis materia, quæ quamvis ex nihilo facta est, [d] est tamen & habet capacitatem specierum atque formarum. Accipi etiam potest tenebrarum nomine ipsum omnino nihilum, quod non fecit Deus, & unde fecit quæcumque facere pro sua ineffabili bonitate dignatus est, cùm sit omnipotens, qui etiam de nihilo tanta fecit.

a Sap. 8. 1. b c d

vers. 23. 52. *Et facta est vespera, & factum est manè dies quintus.* Hîc postquam dixit, *Et sic factum est*, non subdidit sicuti solet exsecutionem, quasi iterum facta sint; jam enim superiùs dictum erat. Nec eâ benedictione, quæ ad gignendam prolem pertinet, aliqua nova natura fabricabatur, sed quæ facta erant per successionem conservabantur. Et ideo nec illud dictum est, Et vidit Deus quia bonum est: jam enim res ipsa placuerat, quæ tantùm servanda erat in fetibus. Nihil hîc itaque repetitum est, nisi quod ait, *Et factum est sic.* Statimque subjectum de vespera & manè: quibus nominatis, transacta opera de informi materia & specie quæ imponitur, significari dictum est. Nisi fortè aliquid melius atque sublimius occurrit quærentibus.

vers. 24. 53. *Et dixit Deus, Ejiciat terra animam vivam secundùm suum genus, quadrupedum, & serpentium, & bestiarum terræ secundùm genus, & pecora secundùm genus. & factum est sic.* Cùm dictum fuerit *animam*, cur additum sit *vivam*: & quid sit *secundùm genus*: & de solita conclusione qua dicitur, *& factum est sic*, sicut superiùs tractatum est, consideranda & accipienda sunt. Cùm autem in latina lingua nomine bestiarum omne irrationale animal generaliter significetur; hîc tamen distinguendæ sunt species, ut quadrupedes accipiamus omnia jumenta; serpentes, omnia repentia; bestias vel feras, omnia quadrupedia indomita; pecora verò, quadrupedia quæ non operando adjuvant, sed dant aliquem fructum pascentibus.

54. Et *fecit Deus bestias terræ secundùm genus, & pecora secundùm genus, & omnia serpentia terræ secundùm genus.* Hæc iteratio quòd dictum est, *Et fecit Deus*, cùm jam dictum esset, *Et factum est sic*; secundùm superiorem regulam consideretur. Sanè hîc pecorum nomine omnia puto significata esse quadrupedia, quæ sub cura hominum vivunt. *Et vidit Deus quia bonum est*; solitè accipiendum. Caput XVI. Tractatur vers. 25. & 26.

55. *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et hîc animadvertenda quædam & conjunctio, & discretio animantium. Nam eodem die factum hominem dicit, quo bestias. Sunt enim simul omnia terrena animantia: & tamen propter excellentiam rationis, secundùm quam ad imaginem Dei & similitudinem efficitur homo, separatim de illo dicitur, postquam de ceteris terrenis animantibus solitè conclusum est, dicendo, *Et vidit Deus quia bonum est.* vers. 26.

56. Considerandum etiam illud, quòd in ceteris non dixit Deus, *Faciamus*; ut hoc quoque modo voluerit Spiritus-sanctus humanæ naturæ insinuare præstantiam. Cui autem nunc dictum est, *Faciamus*, nisi cui dicebatur in ceteris, *Fiat?* Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed quid putamus aliter dictum esse, *Fiat*, nisi ut ipse faceret jussu Patris; & aliter, *Faciamus*, nisi ut ambo pariter facerent? An omnia quæ facit Pater, per Filium facit, & ideo nunc *Faciamus* dictum est, ut ipsi homini, propter quem Scriptura ipsa facta est, ita in seipso demonstraretur, ea quæ Filius dicente Patre facit, etiam ipsum Patrem facere: ut quod in ceteris dicebatur, *Fiat & factum est*, hîc exponatur, non separatim fusse dictionem, & separatim effectionem, sed utrumque simul, cùm hîc dicitur, *Faciamus.* « Johan. 1. 3. « « E

57. *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Omnis imago similis est ei, cujus imago est: nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est ejus: sicut in speculo & pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt: tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, cùm de aliquo exprimitur. Cur ergo cùm dictum esset, *ad imaginem*; additum est, *& similitudinem*: quasi possit esse imago dissimilis? Sufficeret ergo *ad imaginem* dicere. An aliud est simile, aliud similitudo; sicut aliud est castus, aliud castitas; aliud fortis, aliud fortitudo: ut quemadmodum quæcumque sunt fortia, fortitudine sunt fortia; & quæcumque sunt casta, castitate sunt casta: ita quæcumque sunt similia, similitudine sint similia? Non autem imago nostra satis propriè dicitur similitudo nostra esse, cùm tamen propriè dicatur similis nobis esse: ut ibi sit ea similitudo, qua similia sunt quæcumque similia, Imago quid. F G

a MS. Vat. *certa ordinatione.*
b Ed. *fovere.* MS. *vaporare*, i. calefacere, ut apud Ambr. l. 4. Hex c. 3. & 5.
c MS. Vat. *Ita enim.* omissâ voce, *manè*
d In Vat. cod. *facta est tamen.* nec habetur secundò, *est.*

similia, ubi est & castitas, qua casta sunt, quæcumque sunt casta. Castitas autem nullius participatione casta est, sed ejus participatione sunt casta, quæcumque casta sunt. Quæ utique in Deo est, ubi est etiam illa sapientia, quæ non participando sapiens est, sed cujus participatione sapiens est anima quæcumque sapiens est. Quapropter etiam similitudo Dei, per quam facta sunt omnia, propriè dicitur similitudo; quia non participatione alicujus similitudinis similis est, sed ipsa est prima similitudo, cujus participatione similia sunt, quæcumque per illam fecit Deus. Similitudo propriè. A B

58. Expositio ergo fortasse est, quòd additum est *ad similitudinem*, cùm jam dictum esset, *ad imaginem*; ut ostenderetur eam, quæ imago dicta est, non ita similem esse Deo, quasi alicujus similitudinis participantem, sed hanc ipsam esse similitudinem, cujus participarent omnia, quæ dicuntur esse similia. Sicut ipsa est & castitas, cujus participatione castæ sunt animæ; & sapientia, cujus participatione sapientes sunt animæ; & pulcritudo, cujus participatione pulcra sunt, quæcumque pulcra sunt. Si enim tantùm similitudinem diceret, non significaret ab ipso esse genitam: si autem tantummodo imaginem diceret, significaret ab ipso quidem genitam, sed non significaret ita similem, ut non tantùm similis, sed ipsa similitudo esset. Ut autem nihil castius ipsa castitate, & nihil sapientius ipsâ sapientiâ, & nihil pulcrius ipsa pulcritudine: ita nihil similius ipsa similitudine dici, aut cogitari, aut esse omnino potest. Unde intelligitur ita Patri esse similem similitudinem suam, ut ejus naturam plenissimè perfectissimèque impleat. C D

59. Quantum autem ad speciem rebus imponendam valeat Dei similitudo, per quam facta sunt omnia, quamquam humanas cogitationes altissimè superet, licet tamen utcumque arbitrari; si consideremus omnem naturam, sive quæ sentientibus, sive quæ ratiocinantibus occurrit, similibus inter se partibus servare [a] unitatis effigiem. Nam ex sapientia Dei sapientes vocantur animæ rationales, & ulteriùs hoc nomen non porrigitur: nam neque ulla pecora, & multo minùs arbores, aut ignem, vel aërem, vel aquam, vel terram sapientem possumus dicere, quamquam per ipsam Dei sapientiam sint etiam omnia hæc inquantum sunt. At verò similes inter se & lapides dicimus, & animalia, & homines, & angelos. Jam verò in singulis rebus, & terram, eo quòd similes inter se habeat partes suas, fieri ut terra sit; & aquam qualibet quoque parte similem esse ceteris partibus, nec aliter aquam esse potuisse; & quantumlibet aëris, si cetero esset dissimile, nullo pacto aërem esse potuisse; & ignis lucisve particulam, eo quòd non sit dissimilis reliquis partibus, fieri, ut sit quod [b] est: ita de unoquoque lapidum vel arborum vel corpore cujuslibet animantis discerni & intelligi potest, quòd non solùm cum aliis sui generis rebus, sed in seipsis singulis non essent, nisi partes inter se similes haberent. Et tanto est pulcrius corpus, quanto similioribus inter se partibus suis constat. Jam porrò animarum, non solùm aliarum cum aliis amicitia [c] similibus moribus confit, sed etiam in unaquaque anima similes actiones atque virtutes, sine quibus constantia esse non potest, beatam vitam indicant. Similia verò omnia hæc, non autem ipsam similitudinem possumus dicere. Quapropter si rebus inter se similibus universitas constat, ut singulæ sint quidquid sunt, & omnes ipsam universitatem compleant, quam Deus & condidit, & gubernat; per similitudinem ejus profectò, [d] qui condidit omnia, supereminentem atque incommutabilem & incontaminabilem talia facta sunt, ut similibus inter se partibus pulcra sint, ad ipsam tamen similitudinem omnia non facta sint, sed sola substantia rationalis: quare omnia per ipsam, sed ad ipsam [e] nonnisi anima. a Pulcritudo unde c Universitas. d e

60. Rationalis itaque substantia & per ipsam facta est, & ad ipsam: non enim est ulla natura interposita. Quandoquidem mens humana, (quod non sentit, nisi cùm purissima & beatissima est,) nulli cohæret nisi ipsi veritati, quæ similitudo & imago Patris & sapientia dicitur. Rectè igitur secundùm hoc quod interius & principale hominis est, id est secundùm mentem accipitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ex illo enim quod in homine principatum tenet, quod eum disjungit à belluis, totus est homo æstimandus. Cetera in eo quamquam in suo genere pulcra sint, tamen cum pecoribus communia sunt, ac per hoc in homine parvipendenda. Nisi fortè quòd ad intuendum cælum figura humani corporis erecta est, valet aliquid etiam ut corpus ipsum ad similitudinem Dei factum credatur; ut quemadmodum à Patre illa similitudo non avertitur, ita corpus humanum à cælo non sit aversum, sicut aliorum corpora animalium aversa sunt, quia prona in alvum prosternuntur. Sed tamen hoc non omni modo accipiendum est: nam corpus nostrum à cælo plurimum differt; in illa verò similitudine, quæ Filius est, non potest quidquam esse dissimile illi cui similis est. Quoniam similia quæcumque alia sunt, inter se etiam dissimilia ex aliqua parte sunt: ipsa verò similitudo non est aliqua ex parte dissimilis. Pater tamen Pater est, nec Filius aliud est quàm Filius: quia & cùm dicitur similitudo Patris, quamquam ostendat nullam intervenire dissimilitudinem, non tamen solus est Pater, [f] si habet similitudinem. Mens. f

61. * *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Satis quidem quæ superiùs dicta sunt, secundùm id exponunt hæc verba Scripturæ, in quibus legimus dixisse Deum, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ut similitudo Dei, ad quam factus est homo, ipsum Dei Verbum, hoc est unigenitus Filius accipi possit: non utique ut ipse sit eadem imago & similitudo æqualis Patri. Est tamen & homo imago Dei, sicut apertissimè ostendit Apostolus dicens, Vir quidem non debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei. Sed hæc imago ad imaginem Dei facta, non est æqualis & coæterna illi cujus imago est; nec esset, etiam si numquam omnino peccasset. Ille autem sensus est potiùs in his divinis verbis eligendus, ut ideo non dictum intelligamus singulariter, sed pluraliter, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; quia non ad solius Patris, aut solius Filij, aut solius Spiritus-sancti, sed ad ipsius « 1. Cor. 11. « « 7. * Reliquum adjecit Augustinus multis post annis, cùm Retractationum libros ederet, ex 1. Retract. c. 18.

a MS. Vat. *universitatis.*
b Editi, *quod non est.* Abest, *non*, à MS. Vat.
c MS. Vat. *quæ similibus.*
d Sic Vat. cod. At excusi habent, *quâ condidit omnia supereminenter, atque incommutabiliter, & incontaminabiliter.*
e Vat. MS. *sed ad ipsam non omnia.*
f Editi, *sed habet.* At MS. Vat. aliique in 1. Retract. c. 18. *si habet.*

Trinitatis imaginem factus est homo. Quæ Trinitas ita est Trinitas, ut unus Deus sit: ita est unus Deus, ut Trinitas sit. Non enim ait Filio loquens, Faciamus hominem ad imaginem tuam, aut ad imaginem meam; sed pluraliter ait, *ad imaginem & similitudinem nostram*: à qua pluralitate Spiritum-sanctum separare quis audeat? Quæ pluralitas, quoniam non tres dij, sed unus est Deus, ideo intelligendum est postea Scripturam singulariter intulisse, atque dixisse, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*; ut non sic accipiatur, tamquam Deus Pater ad imaginem Dei, hoc est Filij sui: alioquin quomodo verum est, quod dictum est, *ad imaginem nostram*, si ad Filij solius imaginem factus est homo? Ac per hoc quia verum est quod ait Deus, *ad imaginem nostram*; ita dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei*, tamquam diceretur ad imaginem suam, quod est ipsa Trinitas.

Gen. 1. 27.

62. Nonnulli autem putant ideo non repetitam similitudinem, neque dictum, Et fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem Dei, quia tunc tantummodo ad imaginem factus est; similitudo autem illi postea servabatur in resurrectione mortuorum: quasi possit esse imago aliqua, in qua similitudo non sit. Si enim omnino similis non est, procul dubio nec imago est. Verumtamen ut non sola ratione id agere videamur, & auctoritas Jacobi apostoli adhibenda est, qui cùm de linguâ hominis loqueretur, ait, In ipsa benedicimus Deum, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Jac. 3. 9.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTES LIBROS.

ECCE jam tertiam in Genesim, vel quartam expositionem Augustini. Huic tractando sive tuendo contra Manichæos libro, recenti adhuc tempore conversionis suæ manum admoverat: sed in difficilioribus quibusque locis allegoricum sensum subjecisse contentus, prætermiserat litteralem: quem postea presbyter perscrutari aggressus, cùm vires suas huic labori impares comperisset, opus imperfectum reliquit. Hinc sub annum 400. idem argumentum tractandum recepit episcopus, priùs quidem secundùm allegoriam in postremis tribus Confessionum libris; deinde verò ad litteram hoc in opere, deque ea re subsequentes duodecim libros confecit.

In iis historiam Geneseos ab exordio ad eum usque versiculum, quo Adamus de paradiso dimissus fuit, enarrans, non præterit ullum apicem, nihil quod non omni ratione verset penitiùsque rimetur, nisi quòd mysteria figurarum involucris obtecta explicare nequaquam studet: quippe qui nunc operæ pretium in eo totum reponat, uti demonstret nihil Genesis historiâ contineri, quod ad litteram verum esse non possit, nihil quod rationi aut naturæ rerum adversetur; ac si quid veluti superfluum & incongruum appareat, id mysticum credi oportere altiùsque referri. Quædam autem obiter in 2. libro adversùs Genethliacos; In 4. de Senarij numeri perfectione; In 5. de scientia & providentia Dei; In 6. de Adami corpore. In 7. de Anima, de qua rursum in 10. Tum de casu angelorum in 11. De Paradiso & de multiplici visionum genere in 12. deque aliis rebus passim agit, ea quæ certa sunt asserens & defendens, de incertis quæstiones & dubia movens. Opus impendiò laudat Cassiodorus Senator in lib. 1. Instit. cap. 1. Basliique & Ambrosij in Genesim commentariis longè sublimius ducit.

Hisce libris in Retractationibus post opuscula quædam sub an 400. elaborata locum dedit Augustinus, ordine, ut ait, quo eos cœpit, non quo perfecit. Nam illos quamvis efflagitarent amici, diu tamen apud se retinuit, ut ad limam idemtidem revocaret, ex 143. ad Marcellinum epistola versùs finem an. 412. data. Duodecimum librum citat in 159. epistola ad Evodium, quam anno circiter 414. adscripsimus, ibique se totius operis emendationem, quò illud quàm primùm publici juris faciat, maturare significat. nondum tamen ediderat cùm alteram ad Evodium, scilicet 162. epistolam scripsit, uti testatur n. 2.

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT XXIV.

PER idem tempus *de Genesi* libros XII. scripsi ab exordio, donec de paradiso dimissus est Adam, & & flammea romphæa posita est custodire viam ligni vitæ. Cùm autem ad hoc usque undecim libri peracti essent, duodecimum addidi, in quo diligentiùs de Paradiso disputatum est. Titulus eorum librorum inscribitur *de Genesi ad litteram*, id est non secundùm allegoricas significationes, sed secundùm rerum gestarum proprietatem. In quo opere plura quæsita quâm inventa sunt; & eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata: cetera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint. Hos sanè libros posteriùs cœpi, sed priùs terminavi quàm de Trinitate: ideo eos nunc ordine, quo cœpi, recolui.

cap. 19. 2. In quinto libro, & ubicumque in eis libris posui, *de semine cui repromissum est, quod dispositum sit per Angelos in manu mediatoris*: non sic habet Apostolus, sicut veriores codices pòst inspexi, maximè græcos. De Lege enim dictum est, quod tamquam de semine dictum multi latini codices habent per interpretantis errorem. In sexto libro quod dixi, *Adam imaginem Dei, secundùm quam factus est, perdidisse peccato*, non sic accipiendum est, tamquam in eo nulla remanserit, sed quòd tam deformis, ut reformatione opus haberet. In duodecimo de inferis, magis mihi videor docere debuisse, quòd sub terris sint, quàm rationem reddere cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit. Hoc opus sic incipit: *Omnis divina Scriptura bipertita est.*

Gal. 3. 19. cap. 27. & 28. cap. 33.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE GENESI AD LITTERAM
LIBRI DUODECIM. *

* Inchoati circiter an. 401. absoluti sub an. 415.

LIBER PRIMUS.

Expenditur initium Geneseos, In principio fecit Deus cælum & terram: *ad 5. usque versiculum*, Et vocavit Deus lucem diem *&c.*

CAPUT I. In Scriptura quid considerandum. Quidve propriè significetur vers. 1. & 2. Genes. Matth. 13. 52.

1. OMNIS divina Scriptura bipertita est, secundùm id quod Dominus significavit, dicens, scribam eruditum in regno Dei similem esse patri-familiâs proferenti de thesauro suo nova & vetera, quæ duo etiam Testamenta dicuntur. In libris autem omnibus sanctis intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur vel moneantur. In narratione ergo rerum factarum quæritur utrùm omnia secundùm [a] figuratum tantummodo intellectum accipiantur, an etiam secundùm fidem rerum gestarum asserenda & defendenda sint. Nam non esse accipienda figuraliter, nullus Christianus dicere audebit, adtendens Apostolum dicentem, Omnia autem hæc in figura contingebant illis: & illud quòd in Genesi scriptum est, Et erunt duo in carne una; magnum sacramentum commendantem in Christo & in Ecclesia.

a

1. Cor. 10. 11. Gen. 2. 24. Ephes. 5 32.

2. Si ergo utroque modo illa Scriptura scrutanda est, quæramus quomodo dictum est præter allegoricam significationem, *In principio fecit Deus cælum & terram*: utrùm in principio temporis: an quia primò omnium facta sint: an in principio, quod est Verbum Dei unigenitus Filius. Et quomodo possit ostendi Deum sine ulla sui commutatione operari mutabilia & temporalia. Et quid significetur nomine cæli & terræ, utrùm spiritalis corporalisque creatura cæli & terræ vocabulum acceperit, an tantummodo corporalis: ut in hoc libro de spiritali tacuisse intelligatur, atque ita dixisse cælum & terram, ut omnem creaturam corpoream superiorem atque inferiorem significare voluerit. An utriusque informis materia dicta est cælum & terra: spiritalis videlicet vita, sicuti esse potest in se, non conversa ad Creatorem; tali enim conversione formatur atque perficitur; si autem non convertatur, informis est: corporalis autem si possit intelligi per privationem omnis corporeæ qualitatis, quæ apparet in materia formata, cùm jam sunt species corporum, sive visu, sive alio quolibet sensu corporis perceptibiles.

Gen. 1. vers. 1.

3. An cælum intelligendum est creatura spiritalis ab exordio, quo facta est, perfecta illa & beata semper: terra verò, corporalis materies adhuc imperfecta; quia *Terra*, inquit, *erat invisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum*; quibus verbis videtur informitatem significare substantiæ corporalis. An utriusque informitas his etiam posterioribus verbis significatur: corporalis quidem eo quod dictum est, *Terra erat invisibilis & incomposita*: spiritalis autem eo quod dictum est, *Tenebræ erant super abyssum*; ut translato verbo tenebrosam abyssum intelligamus naturam vitæ informem, nisi convertatur ad Creatorem: quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus; & illuminari, ut non sit tenebrosa. Et quomodo dictum est, *Tenebræ erant super abyssum*; an quia non erat lux: quæ si esset, utique superesset, & tamquam superfunderetur: quod tunc fit in creatura spiritali, cùm convertitur ad incommutabile atque [b] incorporale lumen, quod Deus est.

vers. 2. b

CAPUT II. De vers. 3. quomodo dixit Deus, Fiat lux, an per creaturam, an per æternum Verbum.

4. ET quomodo dixit Deus, *Fiat lux*; utrùm temporaliter, an in Verbi æternitate. Et si temporaliter utique mutabiliter; quomodo ergo possit intelligi hoc dicere Deus, nisi per creaturam? ipse quippe est incommutabilis. Et si per creaturam dixit Deus, *Fiat lux*; quomodo est prima creatura lux, si erat jam creatura, per quam Deus dicerer, *Fiat lux*. An non est lux prima creatura; quia jam dictum erat, *In principio fecit Deus cælum & terram*; & poterat per cælestem creaturam vox fieri temporaliter atque mutabiliter, qua diceretur, *Fiat lux*. Quod si ita est, corporalis lux facta est ista, quam corporeis oculis cernimus, dicente Deo per creaturam spiritalem, quam Deus jam fecerat, cùm in principio fecit Deus cælum & terram, *Fiat lux*; eo modo quo per talis creaturæ interiorem & occultum motum divinitus dici potuit. *Fiat lux.*

5. An etiam corporaliter sonuit vox dicentis Dei, *Fiat lux*; sicut corporaliter sonuit vox dicen-

[a] Editi, *figuratum*. At MSS. vix ullo excepto, *figurarum*.

[b] Sic MSS. aliquot optimæ notæ. At editi, *incomparabile*.

Matth. 3. 17. tis Dei, Tu es Filius meus dilectus; & hoc per creaturam corporalem, quam fecerat Deus, cùm in principio fecit cælum & terram, antequam fieret lux, quæ in hac sonante voce facta est. Et si ita est, qua linguâ sonuit ista vox, dicente Deo, *Fiat lux:* quia nondum erat linguarum diversitas, quæ postea Gen. 11. 7. facta est in ædificatione turris post diluvium. Quænam lingua erat una & sola, qua Deus locutus est, *Fiat lux*: & quis erat quem oportebat audire, atque intelligere, ad quem vox hujusmodi proferretur. An hæc absurda carnalisque cogitatio est atque suspicio?

6. Quid ergo dicemus? An id quod intelligitur in sono vocis, cùm dicitur, *Fiat lux*, non autem ipse corporeus sonus, hoc bene accipitur esse vox Dei? Et utrùm hoc ipsum ad naturam pertineat Joh. 1. 1. » Verbi ejus, de quo dicitur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat » Verbum. Cùm enim de illo dicitur, Omnia per ip- » sum facta sunt; satis ostenditur & lux per ipsum facta, cùm dixit Deus, *Fiat lux* Quod si ita est, æternum est quod dixit Deus, *Fiat lux*; quia Verbum Dei Deus apud Deum, Filius unicus Dei, Patri coæternus est: quamvis Deo hoc in æterno Verbo dicente creatura temporalis facta sit. Cùm enim verba sint temporis, cùm dicimus quando & aliquando; æternum tamen est in Verbo Dei, quando fieri aliquid debeat: & tunc fit quando fieri debuisse in illo Verbo est, in quo non est quando & aliquando, quoniam totum illud Verbum æternum est.

Caput III. De eodem vers. 3. Quid sit lux illa. Curve non dictum, Fiat cælum &c. sicut Fiat lux. Respons. 1.

7. Et quid est lux ipsa quæ facta est, utrùm spiritale quid, an corporale. Si enim spiritale, potest ipsa esse prima creatura; jam hoc dicto perfecta, quæ primò cælum appellata est, cùm dictum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*: ut quòd *dixit Deus, Fiat lux; & facta est lux*, eam revocante ad se Creatore, conversio ejus facta atque illuminata intelligatur.

8. Et cur ita dictum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*; & non dictum est, In principio dixit Deus, Fiat cælum & terra, & facta sunt cælum & terra: sicut de luce narratur, *Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux?* Utrùm priùs universaliter nomine cæli & terræ comprehendendum erat & commendandum quod fecit Deus; & deinde per partes exsequendum, quomodo fecit, cùm per singula dicitur, *Dixit Deus*; id est, quia per Verbum suum fecit, quidquid fecit?

Caput IV. Altera responsio ad superiorem quæst.

9. An cùm primùm fiebat informitas materiæ sive spiritalis sive corporalis, non erat dicendum, *Dixit Deus, Fiat*; quia formam Verbi semper Patri cohærentis, quo sempiternè dicit Deus omnia, neque sono vocis neque cogitatione tempora sonorum voluente, sed coæterna sibi luce à se genitæ Sapientiæ, non imitatur imperfectio, cùm dissimilis ab eo quod summè ac primitus est, informitate quadam tendit ad nihilum; sed tunc imitatur Verbi formam, semper atque incommutabiliter Patri cohærentem, cùm & ipsa pro sui generis conversione ad id quod verè ac semper est, id est ad creatorem suæ substantiæ, formam capit, & fit perfecta creatura: ut in eo quod Scriptura narrat, *Dixit Deus, Fiat*, intelligamus Dei dictum incorporeum in natura Verbi ejus coæterni revocantis ad se imperfectionem creaturæ, ut non sit informis, sed formetur secundùm singula, quæ per ordinem exsequitur. In qua conversione & formatione, quia pro suo modo imitatur Deum Verbum, hoc est Dei Filium semper Patri cohærentem, plena similitudine & essentia pari, qua ipse & Pater unum sunt; Joh. 10. 30. non autem imitatur hanc Verbi formam, si aversa à Creatore, informis & imperfecta remaneat: propterea Filij commemoratio non ita fit quia Verbum, sed [a] tantùm quia principium est, cùm dicitur, *In principio fecit Deus cælum & terram*; exordium quippe creaturæ insinuatur adhuc in informitate imperfectionis: fit autem Filij commemoratio, quòd etiam Verbum est, eo quod scriptum est, *Dixit Deus, Fiat*; ut per id quod principium est, insinuet exordium creaturæ exsistentis ab illo adhuc imperfectæ; per id autem quod Verbum est, insinuet perfectionem creaturæ revocatæ ad eum, ut formaretur inhærendo Creatori, & pro suo genere imitando formam sempiternè atque incommutabiliter inhærentem Patri, à quo statim hoc est quod ille.

Caput V. Informem esse creaturam intellectualem, nisi perficiatur conversa ad divinum Verbum. b

10. Non enim habet informem vitam Verbum Filius, cui non solùm hoc est esse quod vivere, sed etiam hoc est vivere, quod est sapienter ac beatè vivere. Creatura verò quamquam spiritalis & intellectualis vel rationalis, quæ videtur esse illi Verbo propinquior, potest habere informem vitam: quia [b] non sicut hoc est ei esse quod vivere, ita hoc vivere quod sapienter ac beatè vivere. Aversa enim à Sapientia incommutabili, stultè ac miserè vivit, quæ informitas ejus est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen Sapientiæ, Verbum Dei. A quo enim exstitit ut sit utcumque ac vivat, ad illum convertitur ut sapienter ac beatè vivat. Principium quippe creaturæ intellectualis est æterna Sapientia, quod principium manens in se incommutabiliter, nullo modo [c] cessat occulta inspiratione vocationis loqui ei creaturæ, cui principium est, ut convertatur ad id ex quo est, quòd aliter formata ac perfecta esse non possit. Ideoque interrogatus quis esset, respondit, Principium quia & loquor vobis. Johan. 8. 25.

11. Quod autem Filius loquitur, Pater loquitur: quia Patre loquente dicitur Verbum, quod Filius est, æterno more, si more dicendum est, loquente Deo Verbum coæternum. * Inest enim Deo benignitas summa, & sancta & justa, & [d] quidem non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens amor in opera sua. Propterea priùs quàm scriberetur, *Dixit Deus, Fiat lux*; præcessit Scriptura dicens, *Et spiritus Dei superferebatur super aquam.* Quia sive aquæ nomine appellare voluit totam corporalem materiam, ut eo modo insinuaret unde facta & formata sint omnia, quæ in suis generibus jam dignoscere possumus, appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari atque concrescere; sive spiritalem vitam quamdam ante formam conversionis quasi fluitantem: superferebatur utique Spiritus Dei; quia subjacebat scilicet bonæ voluntati Creatoris, quidquid illud erat quod formandum perficiendumque inchoaverat: ut

* Hæc translata sunt in lib. de 8. qq. Dulcitij in resp. ad q. 8.

d Spiritus S. cur super aquâ ferri dictus est, antequam narraretur dixisse deũ Fiat lux.

a In priùs editis, *sed etiam.* In MSS. *sed tantùm.*

b Editi, *quia sicut non hoc est ei esse quod vivere, ita nec hoc vivere quod* &c. At MSS. magno consensu ferunt, *non sicut hoc est ei esse quod vivere, ita hoc vivere* &c. Et veriùs in Augustini doctrina, qui in lib. de Immortalitate animæ, cap. 8. n. 15. Animum nisi vivat esse non posse dicit. Moxque cap. 9. *Nulla res*, inquit, *sapiè cavet. Est autem animus vita quædam.*

c Sic Lov. At Am. & Er. *cessabit* MSS. decem, *cessabat.* Colbertinus codex aliique duodecim melioris notæ, *cessaret.* Et consequenter omnes propè MSS. sic prosequuntur: *ut converteretur ad id ex quo esset, quòd aliter . . . . . esse non posset.*

d Lov. *& quidam.* At MSS. propè omnes, *& quidem.*

dicente Deo in Verbo suo, *Fiat lux*; in bona vo- A luntate, hoc est in beneplacito ejus, pro modulo a sui generis maneret quod factum est; [a] & ideo rectum est, quòd placuerit Deo, Scripturâ dicente, Gen. 1. 4. *Et facta est lux; & vidit Deus lucem, quia bona est.*

Caput VI. De vers. 4. Trinitas insinuata cùm in inchoatione, tum in perfectione creaturæ.

12. Ut quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ cæli & terræ nomine propter id quod de illa perficiendum erat commemorata est, Trinitas insinuatur Creatoris: (nam dicente Scripturâ, *In principio fecit Deus cælum & terram*; intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principij nomine, qui non Patri, sed per seipsum creatæ primitus ac potissimùm spiritali creaturæ, & consequenter etiam universæ creaturæ principium est; dicente autem Scriptura, *Et Spiritus Dei ferebatur super aquam*, completam commemorationem Trinitatis agnoscimus:) ita & in conversione atque perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuetur; Verbum Dei scilicet, & Verbi generator, cùm dicitur, *Dixit Deus*; & sancta bonitas, in qua Deo placet quidquid ei pro suæ C naturæ modulo perfectum placet, cùm dicitur, *Vidit Deus quia bonum est.*

Caput VII. Spiritus Dei cur dictus est superferri super aquam.

13. Sed cur commemoratâ priùs quamvis imperfectâ creaturâ, postea commemoratur Spiritus Dei, priùs dicente Scripturâ, *Terra autem erat invisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum*; ac deinde inferente, *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam?* An quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit, subjiciatur; propterea cùm commemoraretur Spiritus Dei, in D quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est, ne [b] facienda opera sua per indigentiæ necessitatem potiùs quàm per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur? Cu- 1. Cor. 12. 31. jus rei memor Apostolus dicturus de caritate, supereminentem viam demonstraturum se ait. Et in Eph. 3. 19. » alio loco, Supereminentem, inquit, scientiæ caritatem Christi. Cùm ergo sic oporteret insinuari Spiritum Dei, ut superferri diceretur, commodius factum est ut priùs insinuaretur aliquid inchoatum, E cui superferri diceretur: non enim loco, sed omnia superante ac præcellente potentiâ.

Caput VIII. Dei amor in creaturas præstat eis ut sint, & ut maneant.

14. Ita etiam rebus ex illa inchoatione perfectis atque formatis, *Vidit Deus quia bonum est*: placuit enim quod factum est, in ea benignitate qua placuit ut fieret. Duo quippe sunt, propter quæ amat Deus creaturam suam, ut sit, & ut maneat. Ut esset ergo quod maneret, *Spiritus Dei superferebatur super aquam*: ut autem maneret, *Vidit Deus quia bonum est.* Et quod de luce dictum est, hoc de omnibus. Manent enim quædam supergressa omnem temporalem volubilitatem in amplissima sanctitate sub Deo: quædam verò secundùm sui temporis modos, dum per decessionem successionemque rerum sæculorum pulcritudo contexitur.

Caput IX. Rursùm de vers. 3. Utrùm in tempore dictum sit, Fiat lux, an sine tẽpore.

15. Quod ergo dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux*; in aliquo die dixit, an ante omnem diem? Si enim Verbo sibi coæterno dixit, hoc utique intemporaliter dixit: si verò temporaliter dixit, non Verbo sibi coæterno, sed per aliquam dixit creaturam G temporalem: ac per hoc non erit prima creatura lux, quia jam erat per quam temporaliter diceretur, *Fiat lux.* Atque illud ante omnem diem fecisse intelligitur, quod dictum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*: ut cæli nomine intelligatur spiritalis jam facta & formata creatura, tamquam cælum cæli hujus, quod in corporibus summum est. Secundo enim die factum est firmamentum, quod rursus cælum appellavit. Terræ autem nomine invisibilis & incompositæ, ac tenebrosa abysso, imperfectio corporalis substantiæ significata est, unde temporalia illa fierent, quorum prima esset lux.

16. Quomodo autem per creaturam, quam fecit ante tempora, dici potuit temporaliter, *Fiat* B *lux*, invenire difficile est. Sono enim vocis non intelligimus dictum: nam quidquid tale est, corporeum est. An ex illa imperfectione substantiæ corporalis fecit aliquam vocem corpoream, per quam sonaret, *Fiat lux?* Ergo aliquod vocale corpus ante lucem creatum atque formatum est. Sed si ita est, jam erat tempus, per quod vox curreret, sonorumque spatia sibi [c] succedentia præterirent. Quod si jam erat tempus antequam fieret lux, in quo tempore fieret vox quæ resonaret, *Fiat lux*; ad quem C diem pertinebat illud tempus? Unus enim dies idemque primus ille numerari incipit, quo facta est lux. An ad ipsum diem pertinet totum spatium temporis, & quo factum est vocale corpus, per quod sonaret, *Fiat lux*, & quo facta est ipsa lux? Sed omnis talis vox propter audientis corporalem sensum à loquente profertur; ita enim [d] factus est, ut percusso aëre sentiat. Numquid itaque talem habebat auditum illud quidquid erat invisibile & incompositum, cui sic Deus personaret ac diceret, D *Fiat lux?* Abscedat itaque hæc ab animo cogitantis absurditas.

17. Utrùm ergo spiritalis motus, sed tamen temporalis erat, quo dictum intelligimus, *Fiat lux*, expressus ab æterno Deo per Verbum coæternum in creatura spiritali, quam jam fecerat, cùm dictum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*, id est in illo cælo cæli: an & ista locutio non tantùm sine aliquo sono, sed etiam sine ullo temporali motu spiritalis creaturæ, in ejus mente atque ratione fixa E quodammodo à Verbo Patri coæterno, & quodammodo impressa intelligitur, secundùm quam moveretur, & ad speciem converteretur inferior illa tenebrosa imperfectio naturæ corporeæ, & fieret lux? Sed multum est ac difficillimum capere, quomodo dicatur, Deo non temporaliter jubente, neque id temporaliter audiente creaturâ, quæ contemplatione veritatis omnia tempora excedit, sed intellectualiter sibimet impressas ab incommutabili Dei Sapientia rationes, tamquam intelligibiles locutiones, in ea quæ infrà sunt transmittente, fieri F temporales motus in rebus temporalibus vel formandis vel administrandis. Si autem lux, quæ primùm dicta est ut fiat, & facta est, etiam primatum creaturæ tenere intelligenda est, ipsa est intellectualis vita: quæ nisi ad Creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter. Cùm autem conversa & illuminata est, factum est quod in Verbo Dei dictum est, *Fiat lux.*

Caput X. De vers. 5. Quomodo dies unus peractus fuit, sive in creatione sive post creationem lucis.

18. Verumtamen quemadmodum sine G tempore dictum est, quia in Verbum Patri coæternum non cadit tempus; utrùm ita etiam sine tempore factum sit, quisquam forsitan quærat. Sed quomodo potest hoc intelligi, cùm factâ luce & divisâ à tenebris, & inditis diei noctisque vocabulis,

a MSS. *sic, & ideo lectum est.* Vindocinensis codex, *& ideo dictum est.* At ceteri MSS. & edd. hîc & in lib. ad Dulcit. habent, *rectum est.* Paulò pòst in editis caput 6. incipiebat, *Et quemadmodum.* atque infra legebatur, *ita & in conversione . . . insinuatur*, quibus locis sequimur MSS.

b Editi, *faciendo.* At MSS. *facienda.*

c MSS. plerique, *succedentium.*

d In vulgatis, *facta est ut percusso aëre sentiatur.* Sed veriùs in MSS. *factus est, ut . . . . sentiat*, scilicet auditus.

dicat Scriptura, *Facta est vespera, & factum est mane dies unus*. Unde videtur illud opus Dei factum per spatium diei, quo peracto ad vesperam ventum est, quod est noctis initium. Itemque peracto nocturno spatio completus est totus dies, ut manè fieret in alterum diem, in quo die Deus aliud consequenter operaretur.

19. Immo verò idipsum permirabile est, cùm Deus nullo spatio syllabarum æterna Verbi sui ratione dixerit, *Fiat lux*, cur tantâ morâ facta sit lux, donec diei spatium præteriret, & vespera fieret? An fortè citò quidem lux facta est, sed mora diurni temporis in eo consumi potuit, cùm discerneretur à tenebris, atque utrumque discretum suis vocabulis signaretur? Mirum si & hoc vel tantâ morâ fieri potuit à Deo, quantâ dicitur à nobis. Discretio quippe lucis & tenebrarum, in ipso utique opere, cùm lux fieret, consecuta est: non enim lux esse potuit, nisi discerneretur à tenebris.

Primus explicandi modus improbatur.

20. Quod autem *vocavit Deus lucem diem, & tenebras noctem*, quantâ morâ fieri poterat, etiam si hoc syllabatim per sonum vocis egisset, nisi quantâ & à nobis dicitur, Lux vocatur dies, & tenebræ vocentur nox: nisi fortè quis ita desipiat, ut quia super omnia magnus est Deus, putet ore Dei prolatas, quamvis paucissimas syllabas, per totum diei spatium potuisse distendi. Huc accedit, quia Uerbo sibi coæterno, id est incommutabilis Sapientiæ internis æternisque rationibus, non corporali sono vocis, *vocavit Deus lucem diem, & tenebras noctem*. Rursum enim quæritur, si verbis quibus utimur vocavit, qua linguâ vocaverit; & quid opus erat sonis transeuntibus, ubi cujusquam non erat corporalis ullus auditus: & non invenitur.

Secundus dicendi modus difficultatibus implicatur.

21. An dicendum est, quòd cùm citò peractum esset hoc opus Dei, tamdiu stetit lux non succedente nocte, donec diurnum spatium peragaretur: & tamdiu mansit nox luci succedens, donec spatium nocturni temporis præteriret, & manè fieret diei sequentis, uno primoque transacto? Sed si hoc dixero, vereor ne deridear, & ab iis qui certissimè cognoverunt, & ab iis qui possunt facillimè advertere, quòd eo tempore quo nox apud nos est, eas partes mundi præsentia lucis illustret, per quas sol ab occasu in ortum redit, ac per hoc omnibus viginti quatuor horis non deesse per circuitum gyri totius, alibi diem, alibi noctem. Numquidnam ergo in parte aliqua posituri sumus Deum ubi ei vespera fieret, cùm ab ea parte in aliam partem lux abscederet? Nam & in libro qui appellatur Ecclesiastes, ita scriptum est: Et oritur sol, & occidit sol, & in locum suum [a] ducitur: hoc est in eum locum unde ortus est. Sequitur enim, & dicit: Ipse oriens illuc vadit ad Austrum, & circuit ad Aquilonem. Australis ergo pars cùm habet solem, nobis dies est: cùm autem ad Aquilonis partem circumiens pervenit, nobis nox est; non tamen in alia parte non est dies, ubi præsentia solis est: nisi fortè poëticis figmentis cor inclinandum est, ut credamus solem mari se immergere, atque inde lotum ex alia parte manè surgere. Quamquam si ita esset, abyssus ipsa præsentiâ solis illustraretur, atque ibi esset dies. Posset enim & aquas illuminare, quando ab eis non posset exstingui. Sed hoc monstruosum est suspicari. Quid quòd etiam sol nondum erat?

Eccle. 1. 5.

22. Quapropter si spiritalis lux primo die facta est, numquidnam occidit, ut ei succederet nox? Si autem corporalis, quænam illa lux est, quam post occasum solis videre non possumus? quia nec luna erat adhuc, nec aliquæ stellæ. Aut si semper in ea parte cæli est, in qua sol, ut non sit solis lux, sed quasi comes ejus, eidem ita conjuncta, ut discerni dignoscique non possit, ad eamdem reditur difficultatem solvendæ hujus quæstionis: quia & ista lux eodem modo quo sol, tamquam comes ejus, ab occasu in ortum circumiens redit; & est in alia parte mundi, quo tempore pars ista in qua sumus, [b] tenebrescit in noctem. Ex quo cogit, quod absit, in una parte credere Deum fuisse, quam partem lux ista desereret, ut posset ei vespera fieri. An fortè in ea parte lucem fecerat, in qua facturus erat hominem; & ideo cùm ab ipsa parte lux discessisset, vespera facta dicitur, etiam cùm in alia parte lux illa esset, quæ inde discesserat, mane exortura peracto circuitu.

Caput XI. De solis officio, nova difficultas in superiore modo dicendi.

23. Ut quid ergo factus est sol in potestatem diei, qui luceret super terram, si lux illa diei faciendo suffecerat, quæ dies etiam vocata est? An illa prior regiones superiores à terra longinquas illustrabat, ut sentiri non posset in terris; atque ita oportebat solem fieri, per quem dies inferioribus mundi partibus appareret? Potest & hoc dici, auctum esse fulgorem diei sole addito, ut per illam lucem minùs fulgens dies quàm nunc est, fuisse credatur. Etiam hoc à quodam dictum scio, primùm naturam lucis inductam in opere Creatoris, cùm dictum est, *Fiat lux, & facta est lux*; postea verò cùm de luminaribus dicitur, quid ex ipsa luce factum sit fuisse commemoratum, ordine dierum, quo visum est Creatori cuncta esse facienda: quæ natura lucis quò transierit factâ vesperâ, ut vicissim nox perageretur, nec ille dixit, nec facilè inveniri posse arbitror. Neque enim exstinctam esse credendum est, ut nocturnæ tenebræ succederent; & rursus accensam, ut manè fieret, antequam hoc solis officio gereretur; quod à quarto die cœpisse fieri, eadem Scriptura testatur.

Psal. 135. 8.

Caput XII. Alia difficultas, de successione trium dierum & noctium ante solis creationem.

24. Quod antequam fieret, quo circuitu sibi potuerint tres dies noctesque succedere, lucis quæ primò facta est permanente naturâ, si lux corporalis tunc facta intelligenda est, & invenire & explicare difficile est. Nisi fortè molem terrenam & aquosam, antequam esset ab alterutro utrumque discretum, quod tertio die factum scribitur, tenebras Deum appellasse quis dixerit, propter crassiorem corpulentiam, quam lux penetrare non poterat, vel propter obscurissimam umbram tantæ molis, quam necesse est ut ex altera parte habeat corpus, si ex aliqua parte lux fuerit. Ad quem locum enim cujuslibet corporis moles lucem pervenire non sinit, in eo loco umbra est: quoniam locus carens ea luce, qua illustraretur, nisi impediret corpus oppositum, hoc totum est quod umbra dicitur. Quæ si pro mole corporis tam magna fuerit, ut occupet spatium terræ, quantum ex altera parte dies occupat, nox vocatur. Neque enim omnes tenebræ nox. Nam & in speluncis amplis, in quarum abdita lux irrumpere per oppositam molem non sinitur, sunt utique tenebræ; quia lux non est ibi, totumque spatium illud locus est carens luce: nec tamen tales tenebræ acceperunt vocabulum noctis,

[a] MSS. Colbertinus tresque alij optimæ notæ, *ducit*. Ita eumdem locum refert Hieronymus, qui vulgatam editionem sui temporis secutum testatur.

[b] MSS. constanter, *tenebrascit*.

sed illæ quæ in eam partem terræ succedunt, unde removetur dies. Sicut non omnis lux dies appellatur; nam & lunæ lux est & siderum & lucernarum & coruscationum, & quarumque rerum ita fulgentium: sed illa lux appellatur dies, cui nox præcedenti recedentique succedit.

25. Sed si primaria lux illa undique terræ molem circumfusa contexerat, sive staret, sive circumiret, non erat ex qua parte admitteret noctem sibi succedere; quia nusquam ipsa discedebat, ut ei faceret locum. An ex una parte facta erat, ut ipsa circumiens, etiam noctem ex alia parte consequenter circumire permitteret? Cùm enim totam terram adhuc aqua tegeret, nihil impediebat, ut aquosa & [a] globosa moles ex una parte faceret diem lucis præsentiâ, ex alia noctem lucis absentiâ, quæ in eam partem succederet à tempore vespertino, ex qua lux in aliam declinaret.

Congregatio aquarum quomodo facta.

26. Quo ergo congregatæ sunt aquæ, si totam terram priùs occupaverant; illæ scilicet quæ detractæ sunt, ut terra nudaretur, in quam partem congregatæ sunt? Si enim erat aliquid nudum terræ, quò congregarentur; jam apparebat arida, nec totum abyssus occupabat. Si autem totum texerant; quis erat locus, quò colligerentur, ut terræ ariditas appareret? Numquidnam in altum congregatæ sunt, sicut fit cùm ad ventilandum in area messis trita subrigitur, & congesta in aggerem nudat locum, quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit, cùm videat usquequaque campos maris æquabiliter fusos, qui etiam cùm aquæ fluctuantis quidam velut montes eriguntur, sedatis rursus tempestatibus complanantur? Et si qua littora nudantur latiùs, non potest dici nulla esse alia terrarum spatia, quò accedat id quod aliunde decedit, unde in eum locum ex quo recesserat, iterum accedat. Cùm autem totam omnino terram undosa natura cooperiret, quò cederet, ut nudaret aliquas partes? An fortè rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione spissata est, ut ex multis eas partibus, in quibus arida posset apparere, nudaret? Quamquam & terra longè latéque subsidens, potuit alias partes præbere concavas, quibus confluentes & corruentes aquæ reciperentur, & appareret arida ex his partibus, unde humor abscederet.

2. Sent. dist. 14. c. Sequitur, Dixit Deus, Congregentur.

27. Non est autem informis omni modo materies, ubi etiam nebulosa species apparet: * & ideo quæri adhuc potest, quando Deus istas conspicuas aquarum terrarumque species qualitatesque creaverit: in nullo enim sex dierum hoc invenitur. Itaque si hoc ante omnem diem fecit, sicut ante istorum primorum dierum commemorationem scriptum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*; ut in terræ vocabulo intelligamus jam formatam terrenam speciem, superfusis aquis ista jam visibili specie sui generis declaratis: ut in eo quod sequitur Scriptura dicens, *Terra autem erat invisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum: & Spiritus Dei superferebatur super aquas*, nullam opinemur informitatem materiæ, sed terram & aquam sine luce, quæ nondum erat facta, sicut jam notissimis qualitatibus conditas: ut ideo terra invisibilis dicta intelligatur, quòd aquis cooperta non posset videri, etiam si esset qui posset videre; ideo verò incomposita, quia nondum à mari distincta, & cincta littoribus, & suis fetibus animalibusque decorata. Si ergo ita est, cur istæ species, quæ procul-

* Caput XIII. Aqua & terra quando creatæ.

[a] MSS. aliquor, *glebosa*.

dubio corporales sunt, ante omnem diem factæ sunt? Cur non scriptum est, Dixit Deus, Fiat terra, & facta est terra: item, Dixit Deus, Fiat aqua, & facta est aqua: vel utrumque communiter, si una quasi lege loci infimi continentur; Dixit Deus, Fiat terra & aqua, & sic factum est? * Cur non dictum est, cùm hoc factum esset, Vidit Deus, quia bonum est?

* Caput XIV. Ratio cur i. vers. Genes. subintelligatur materia informis.

28. Hæc enim consideratio suasit, (quoniam manifestum est omne mutabile ex aliqua informitate formari; simulque illud & catholica fides præscribit, & certissima ratio docet, nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ab omnium rerum non solùm formatarum, sed etiam formabilium inchoatore Deo atque creatore, de qua etiam dicit ei quædam Scriptura, Qui fecisti mundum ex materia informi;) hanc materiam illis verbis, quibus pro spiritali prudentia tardioribus etiam lectoribus vel auditoribus [b] congrueret, fuisse commemoratam, quibus ante dierum enumerationem dictum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*, &c. donec diceretur, *Et dixit Deus*, ut deinceps formatarum rerum ordo consequeretur.

Sap. 11

[b] MSS. plures, *congrueretur*.

Caput XV. Materia origine, non tempore formam præcedit.

29. Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cùm sit utrumque simul concreatum, & unde factum est, & quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba verò formatam vocem indicant; non autem qui loquitur, priùs emittit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare: ita creator Deus non priore tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumque naturarum, quasi secunda consideratione formavit: formatam quippe creavit materiam. Sed quia illud unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quàm illud quod inde fit; potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit. Si enim quæratur, utrùm vocem de verbis, an de voce verba faciamus, non facilè quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potiùs verba fieri de voce respondeat: ita quamvis utrumque simul qui loquitur faciat, quid unde faciat naturali adtentione satis apparet. Quamobrem cùm simul utrumque Deus fecerit, & materiam quam formavit, & res in quas eam formavit, & utrumque ab Scriptura dici oportuerit, nec simul utrumque dici potuerit, priùs illud unde aliquid factum est, quàm illud quod inde factum est, dici debuisse quis dubitet? Quia etiam cùm dicimus materiam & formam, utrumque simul esse intelligimus, nec utrumque simul possumus enuntiare. Sicut autem in brevitate temporis contingit, cùm duo ista verba proferimus, ut alterum ante alterum proferamus: ita in prolixitate narrationis alterum prius quàm alterum narrandum fuit, quamvis utrumque, ut dictum est, simul fecerit Deus; ut quod sola origine prius est in faciendo, etiam tempore prius sit in narrando: quia duæ res, quarum etiam altera nullo modo prior est, nominari simul non possunt; quanto minùs simul narrari? Non itaque dubitandum est, ita esse utcumque istam informem materiam prope nihil, ut non sit facta nisi à Deo, & rebus quæ de illa factæ sunt simul concreata sit.

30. Sed si credibiliter dicitur, eam significari illis verbis, *Terra autem erat invisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum: & Spiritus Dei*

ſuperferebatur ſuper aquam; ut excepto quod ibi positum eſt, de Spiritu Dei, cetera rerum quidem viſibilium vocabula, ſed ad illam informitatem, ut tardioribus poterat, inſinuandam dicta intelligamus: quia hæc duo elementa, id eſt terra & aqua, ad aliquid faciendum operantium manibus tractabiliora ſunt ceteris, & ideo congruentiùs iſtis nominibus illa inſinuabatur informitas. * Si hoc ergo probabiliter dicitur, non erat aliqua formata moles, quam lux ex una parte illuſtrans, ex altera faceret tenebras, unde poſſet nox die diſcedente ſuccedere.

*Caput XVI. Alia ratio explicandi quomodo dies & nox facta fuerit, emiſſione ſcilicet & contractione lucis, non probatur.

31. Emiſſionem verò contractionemque lucis illius ſi velimus diem noctemque intelligere, nec cauſſam videmus cur ita fieret. Non enim jam erant animalia, quibus hæc viciſſitudo ſalubriter exhiberetur, & quibus poſtmodum exortis per circuitum Solis cernimus exhiberi. Nec ullum occurrit exemplum, quo iſtam emiſſionem contractionemque lucis, ut diei noctiſque viciſſitudines fierent, probare poſſimus. Jactus enim radiorum ex oculis noſtris, cujuſdam lucis [a] quidem eſt jactus; & contrahi poteſt, cùm aërem, qui eſt oculis noſtris proximus, intuemur; & emitti, cùm ad eamdem rectitudinem, quæ ſunt longè poſita adtendimus. Nec ſanè cùm contrahitur, omnino cernere quæ longè ſunt deſinit; ſed certè obſcuriùs, quàm cùm in ea obtutus emittitur. Sed tamen ea lux, quæ in ſenſu videntis eſt, tam exigua docetur, ut niſi adjuvemur extranea luce, nihil videre poſſimus; & quoniam diſcerni ab ea non poteſt, quo exemplo demonſtrari poſſit emiſſio in diem, & contractio lucis in noctem, ſicut dixi, reperire difficile eſt.

Caput XVII. De ſpiritali luce difficultas, quomodo in ea ſit veſpera & manè, diviſioque à tenebris. Eccli. 1. 4.

32. Si autem ſpiritalis lux facta eſt, cùm dixit Deus, *Fiat lux*; non illa vera Patri coæterna intelligenda eſt, per quam facta ſunt omnia, & quæ illuminat omnem hominem; ſed illa de qua dici potuit, Prior omnium creata eſt ſapientia. Cùm enim æterna illa & incommutabilis, quæ non eſt facta, ſed genita Sapientia, in ſpiritales atque rationales creaturas, ſicut in animas ſanctas ſe transfert, ut illuminatæ lucere poſſint, fit in eis quædam luculentæ rationis affectio, quæ poteſt accipi facta lux, cùm diceret Deus, *Fiat lux*; ſi jam erat creatura ſpiritalis, quæ nomine cæli ſignificata eſt, in eo quod ſcriptum eſt, *In principio fecit Deus cælum & terram*; non corporeum cælum, ſed cælum incorporeum [b] cæli corporei, hoc eſt, ſuper omne corpus, non locorum gradibus, ſed naturæ ſublimitate præpoſitum. Quo autem modo ſimul fieri potuit & quod illuminaretur, & ipſa illuminatio, ac diverſo tempore narranda fuerit, paulò antè diximus, cùm de materia tractaremus.

33. Sed huic luci ſuccedentem noctem, ut veſpera fieret, quo pacto intellecturi ſumus? A tenebris verò qualibus talis lux dividi potuit, dicente Scripturâ, *Et diviſit Deus inter lucem ac tenebras?* Numquid jam erant peccatores & ſtulti decidentes à lumine veritatis, inter quos & in eadem luce permanentes divideret Deus, tamquam inter lucem ac tenebras; [c] & lucem vocans diem, ac tenebras noctem, oſtenderet ſe non operatorem peccatorum, ſed ordinatorem diſtributione meritorum? An hîc dies totius temporis nomen eſt, & omnia volumina ſæculorum hoc vocabulo includit; ideoque non dictus eſt primus, ſed unus dies? *Et facta eſt* enim *veſpera, & factum eſt*, inquit, *manè dies unus*: ut per hoc quod facta eſt veſpera, peccatum rationalis creaturæ; quod autem factum eſt manè, renovatio ejus ſignificata videatur.

34. Sed hæc allegoriæ propheticæ diſputatio eſt, quam non iſto ſermone ſuſcepimus. Inſtituimus enim de Scripturis nunc loqui ſecundùm proprietatem rerum geſtarum, non ſecundùm ænigmata [d] figurarum. Ergo ad rationem factarum conditarumque naturarum, quomodo invenimus veſperam & manè in luce ſpiritali? An diviſio quidem lucis à tenebris, diſtinctio eſt jam rei formatæ ab informi; appellatio verò diei & noctis, inſinuatio [e] diſtributionis eſt, qua ſignificetur nihil Deum inordinatum relinquere, atque ipſam informitatem, per quam res de ſpecie in ſpeciem modo quodam tranſeundo mutantur, non eſſe indiſpoſitam; neque defectus profectuſque creaturæ, quibus ſibimet temporalia quæque ſuccedunt, ſine ſupplemento eſſe decoris univerſi? Nox enim ordinatæ ſunt tenebræ.

35. Propterea verò cùm facta eſſet lux, dictum eſt, *Vidit Deus lucem, quia bona eſt*; cùm hoc poſſet poſt omnia ejuſdem diei dicere, id eſt, ut cùm [f] explicaſſet, *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux, Et diviſit Deus inter lucem & tenebras, Et vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem*; tunc diceret, *Et vidit Deus quia bonum eſt*; & deinceps adnecteret, *Et facta eſt veſpera, & factum eſt manè*; ſicut in aliis operibus facit, quibus vocabula imponit. Hîc ergo propterea non ita fecit, quoniam à formata re ad hoc diſtincta eſt illa informitas, ut non in ea finis eſſet, ſed adhuc formanda reſtaret per creaturas ceteras jam corporales. Itaque ſi poſtea quàm diſtincta eſſent illa diviſione & vocabulis, tunc diceretur, *Vidit Deus quia bonum eſt*; hæc facta acciperemus ſignificari, quibus jam in ſuo genere nihil eſſet addendum. Quia verò lucem ſolam ita perfecerat; *Vidit Deus*, inquit, *lucem, quia bona eſt*, & diviſione ac nominibus diſcrevit à tenebris. Neque tunc dixit, *Vidit Deus quia bonum eſt*; ad hoc enim erat informitas illa diſcreta, ut adhuc inde alia formarentur. Namque iſta nox quæ nobis notiſſima eſt, (facit enim eam ſuper terras ſolis circuitus,) quando per luminarium diſtributionem à die dividitur, poſt ipſam diviſionem diei & noctis dicitur, *Vidit Deus quia bonum eſt*. Non enim hæc nox informis aliqua ſubſtantia erat, unde adhuc alia formarentur, ſed ſpatium loci plenum aëre, carens lumine diurno, cui utique nocti jam nihil addendum eſſet in genere ſuo, quo eſſet ſpecioſior ſive diſtinctior. Veſpera autem in toto illo triduo, antequam fierent luminaria, conſummati operis terminus non abſurdè fortaſſe intelligitur; manè verò, tamquam futuræ operationis ſignificatio.

Caput XVIII. Quomodo Deus operatur.

36. Sed ante omnia meminerimus, unde jam multa diximus, non temporalibus quaſi animi ſui aut corporis motibus operari Deum, ſicut operatur

a Excuſi, *lucis evidens eſt jactus*. Diſſentiunt MSS. omnes, pars habet, *lucis quidem eſt jactus*. alij præterminſſa media voce, *lucis eſt jactus*.

b In editis, *cælis corporeis*. At nulli dubitamus veriorem eſſe hanc MSS. propè omnium lectionem: *ſed cælum incorporeum cæli corporei*. Ubi Auguſtinus more ſuo ad illud Pſal. 113. 16. alludit, *Cælum cæli Domino*. Confer ſup. n. 15. & 17. necnon lib. 12. Confeſſ. capp. 2. 8. & 9.

c Sic in omnibus MSS. At apud Am. Er. & Lov, amota hinc fuerat particula, *&*, inſertaque proximè ante vocem, *oſtenderet*, paulóque poſt in iiſdem legebatur, *diſtribuendorum*, pro quo in multis MSS. *diſtributione*; in aliis, *diſtributionum meritorum*.

d MSS. ſeptem, *futurarum*.

e MSS. ſex, *diſtinctionis*.

f In excuſis, *ut cùm cælum explicaſſet*. Redundat vox, *cælum*; abeſtque à MSS.

homo

homo vel angelus, ſed æternis atque incommutabilibus & ſtabilibus rationibus coæterni ſibi Verbi ſui, & quodam, ut ita dixerim, [a] fotu pariter coæterni ſancti Spiritus ſui. Nam & illud quod per græcam & latinam linguam dictum eſt de Spiritu Dei, quòd ſuperferebatur ſuper aquas, ſecundùm ſyræ linguæ intellectum, quæ vicina eſt hebrææ, (nam hoc à quodam docto Chriſtiano Syro fertur expoſitum,) non ſuperferebatur, ſed fovebat potiùs, intelligi perhibetur. Nec ſicut foventur tumores aut vulnera in corpore aquis vel frigidis vel calore congruo temperatis; ſed ſicut ova foventur ab alitibus, ubi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodo adminiculatur, per quemdam in ſuo genere dilectionis affectum. Non itaque per ſingulos dies iſtorum operum divinorum tamquam temporales voces Dei carnaliter cogitemus. Non enim ad hoc ipſa Dei Sapientia noſtra infirmitate ſuſcepta venit ad colligendos ſub alas ſuas filios Jeruſalem, quemadmodum gallina pullos ſuos, ut ſemper parvuli ſimus; ſed ut malitiâ infantes, mente pueri eſſe deſinamus.

Matth. 23. 37. 1. Cor. 14. 20.

37. Et in rebus obſcuris atque à noſtris oculis remotiſſimis, ſi qua inde ſcripta etiam divina legerimus, quæ poſſint ſalva fide qua imbuimur, alias atque alias parere ſententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut ſi fortè diligentiùs diſcuſſa veritas eam rectè labefactaverit, corruamus: non pro ſententia divinarum Scripturarum, ſed pro noſtra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum eſſe, quæ noſtra eſt; cùm potiùs eam quæ Scripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus.

Caput XIX. In obſcuris Scripturæ locis nihil temere aſſerendum.

38. Ponamus enim in eo quod ſcriptum eſt, *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux*; [b] alium ſenſiſſe lucem corporalem factam, & alium ſpiritalem. Eſſe ſpiritalem lucem in creatura ſpiritali, fides noſtra non dubitat: eſſe autem lucem corporalem cæleſtem, aut etiam ſupra cælum, vel ante cælum, cui ſuccedere nox potuerit, tamdiu non eſt contra fidem, donec veritate certiſſima refellatur. Quod ſi factum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, ſed hoc ſenſerat humana ignorantia. Si autem hoc verum eſſe certa ratio demonſtraverit, adhuc incertum erit, utrùm hoc in illis verbis ſanctorum librorum ſcriptor ſentiri voluerit, an aliud aliquid non minùs verum. Quòd ſi cetera contextio ſermonis non hoc eum voluiſſe probaverit, non ideo falſum erit aliud, quod ipſe intelligi voluit; ſed & verum, & quod utilius cognoſcatur. Si autem contextio Scripturæ hoc voluiſſe intelligi ſcriptorem non repugnaverit, adhuc reſtabit quærere, utrùm & aliud non potuerit. Quòd ſi & aliud potuiſſe invenerimus, incertum erit quidnam eorum ille voluerit: & utrumque ſentiri voluiſſe, non inconvenienter creditur, ſi utrique ſententiæ certa circumſtantia ſuffragatur.

39. Plerumque enim accidit ut aliquid de terra, de cælo, de ceteris mundi hujus elementis, de motu & converſione vel etiam magnitudine & intervallis ſiderum, de certis defectibus ſolis ac lunæ, de circuitibus annorum & temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque hujuſmodi ceteris, etiam non Chriſtianus ita noverit, ut certiſſima ratione vel experientiâ teneat. Turpe eſt autem nimis & pernicioſum ac maximè cavendum, ut Chriſtianum de his rebus quaſi ſecundùm Chriſtianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut (quemadmodum dicitur) toto cælo errare conſpiciens, riſum tenere vix poſſit. Et non tam moleſtum eſt, quòd errans homo deridetur, ſed quòd auctores noſtri ab eis qui foris ſunt, talia ſenſiſſe creduntur, & cum magno eorum exitio de quorum ſalute ſatagimus, tamquam indocti reprehenduntur atque reſpuuntur. Cùm enim quemquam de numero Chriſtianorum in ea re, quam optimè norunt, errare deprehenderint, & vanam ſententiam ſuam de noſtris libris aſſerere; quo pacto illis libris credituri ſunt, de reſurrectione mortuorum, & de ſpe vitæ æternæ, regnoque cælorum, quando de his rebus, quas jam expeiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint eſſe conſcriptos? Quid enim moleſtiæ triſtitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarij præſumtores, ſatis dici non poteſt; cùm ſi quando de prava & falſa opinione ſua reprehendi, & convinci cœperint ab eis, qui noſtrorum librorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id quod leviſſima temeritate & apertiſſima falſitate dixerunt, eoſdem libros ſanctos, unde id probent, proferre conantur, vel etiam memoriter, quæ ad teſtimonium valere arbitrantur, multa inde verba pronuntiant, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

Caput XX. Geneſim cur interpretetur ſententias varias proferendo, non aliquâ unam aſſerendo.

40. Ad hoc enim conſiderandum & obſervandum, libri Geneſeos multipliciter, quantum potui, enucleavi protulique ſententias de verbis ad exercitationem noſtram obſcurè poſitis, non aliquid unum temere affirmans cum præjudicio alterius expoſitionis fortaſſe melioris, ut pro ſuo modulo eligat quiſque quod capere poſſit: ubi autem intelligere non poteſt, Scripturæ Dei det honorem, ſibi timorem. Sed cùm tam multis exitibus verba Scripturæ, quæ tractavimus, exponantur, cohibeant ſe tandem qui litteris inflati ſæcularibus hæc ita poſita, ut omnia pia corda nutriant, velut imperitum atque impolitum aliquid exagitant, ſine pennis in terra reptantes, & [c] volatu ranarum avium nidos irridentes. Periculoſiùs autem errant quidam infirmi fratres, qui cùm iſtos impios de cæleſtium corporum numeris, vel de quibuſlibet elementorum mundi hujus quæſtionibus ſubtiliter & copioſè diſſerere audiunt, evaneſcunt, & eos ſibi cum ſuſpirio præponentes, & magnos putantes, ſaluberrimæ pietatis libros cum faſtidio repetunt, & quos dulciter haurire deberent, vix patienter adtingunt; à ſegetis aſperitate abhorrentes, & ſpinarum floribus inhiantes. Non enim vacant videre quàm ſuavis eſt Dominus, nec in ſabbato eſuriunt; atque ideo pigri ſunt, poteſtate à Domino ſabbati acceptâ, vellere ſpicas, & tamdiu verſare manibus, contritaſque purgare, donec ad eſcam perveniant.

Pſal. 33. 9. Matth. 12. 1.

Caput XXI. Quis fructus hujuſmodi interpretationis, qua nihil temere aſſeritur.

41. Dicet aliquis, Quid tu tanta tritura diſſertationis hujus, quid granorum exuiſti, quid eventilaſti? Cur propemodum in quæſtionibus adhuc latent omnia? Affirma aliquid eorum, quæ multa poſſe intelligi diſputaſti? Cui reſpondeo, ad eum ipſum me cibum ſuaviter perveniſſe, quo didici, non hærere homini in reſpondendo ſecundùm fidem, quod reſpondendum eſt hominibus qui ca-

a Editi, *flatu*. At MSS. melioris notæ, *fotu*. Concinniùs ad illam interpretandi rationem Syri cujuſdam, quam hîc laudat Auguſtinus, poſt Baſilium in homil. 2 in Hexaem.

b Sic ad melioris notæ MSS. emendamus, cùm in priùs editis legeretur, *alium ſenſiſſe lucem corporalem factam, & aliam ſpiritalem eſſe lucem in creatura ſpiritali, quòd noſtra fides non dubitat*.

c Lov. *volaturarum*. At aliæ editiones & magna pars MSS. habent, *volatu ranarum*.

lumniari libris nostræ salutis affectant, ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, id est catholicæ fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum: atque ita teneamus mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ absconditi, ut neque falsæ philosophiæ loquacitate seducamur, neque falsæ religionis superstitione terreamur. Et cùm divinos libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate catholicæ fidei muniuntur, id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus: si autem hoc latet, id certè quod circumstantia Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat: si autem & Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana præscribit. Aliud est enim quid potissimùm scriptor senserit non dignoscere, aliud autem à regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfectè se habet fructus legentis: si verò utrumque vitari non potest, etiam si voluntas scriptoris incerta sit, sanæ fidei congruam non inutile est [a] eruisse sententiam.

Coloss. 2. 3.

[a] Sic MSS. At editi, *tenuisse*.

LIBER SECUNDUS.

De eo quod scriptum est: Et dixit Deus, Fiat firmamentum *&c. usque ad vers.* 19. Et factum est vespere *&c. Nonnulla in fine contra Genethliacos.*

CAPUT I. Firmamentum in medio aquarum quid. Aquas supra firmamentum esse cælum esse quidam negant.

1. *ET dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & sit dividens inter aquam & aquam: & sic est factum. Et fecit Deus firmamentum, & divisit Deus inter aquam quæ erat infra firmamentum, & inter aquam quæ erat super firmamentum. Et vocavit Deus firmamentum cælum. Et vidit Deus, quia bonum est. Et factum est vespera, & factum est manè dies secundus.* De verbo Dei, quo dixit, *Fiat firmamentum*, &c. & de placito ejus, quo vidit, quia bonum est, & de vespera & manè, non opus est hîc iterum similiter-que disserere; atque ita deinceps quotiescumque ista repetuntur, secundùm superiorem inquisitionem interim consideranda esse admonemus. Utrùm autem nunc illud cælum fiat, quod excedit aëris omnia spatia, ejusque omnem altitudinem, ubi etiam luminaria stellæque constituuntur quarto die; an ipse aër vocetur firmamentum, quæri meritò potest.

2. Multi enim asserunt istarum aquarum naturam super sidereum cælum esse non posse, quòd sic habeant ordinatum pondus suum, ut vel super terram fluirent, vel in aëre terris proximo vaporaliter ferantur. Neque quisquam istos debet ita refellere, ut dicat secundùm omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia sunt, oportere nos credere, aquas etiam tam graves, quàm novimus atque sentimus, cælesti corpori, in quo sunt sidera, superfusas. Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundùm Scripturas ejus nos convenit quærere; non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari. Neque enim si vellet Deus sub aqua oleum aliquando manere, non fieret: non ex eo tamen olei natura nobis esset incognita, quòd ita facta sit, ut appetendo suum locum, etiam si subterfusa fuerit, perrumpat aquas, eisque se superpositam collocet. Nunc ergo quærimus, utrùm conditor rerum, qui omnia in mensura & numero & pondere disposuit, non unum locum proprium ponderi aquarum circa terram tribuerit, sed & super cælum quod ultra limitem aëris circumfusum atque solidatum est.

Sap. 11. 21.

3. Quod qui negant esse credendum, de ponderibus elementorum argumentantur, negantes ullo modo ita desuper quasi quodam pavimento solidatum esse cælum, ut possit aquarum pondera sustinere; quòd talis soliditas nisi terris esse non possit, & quidquid tale est, non cælum sed terra sit. Non enim tantùm locis, sed etiam qualitatibus propriis elementa [a] distingui, ut pro qualitatibus propriis etiam loca propria sortirentur: aqua scilicet super terram, quæ etiam si sub terra stat aut labitur, sicut in antris cavernisque abditis, non tamen ea terræ parte quam supra, sed eâ quam infra se habet, continetur. Nam si ex parte superiore fuerit pars ulla terræ delapsa, non manet super aquam, sed eâ perruptâ demergitur & pergit ad terram; quò veniens conquiescit, tamquam in loco suo, ut suprà sit aqua, subtùs autem terra. Unde cognoscitur quòd etiam super aquas cùm esset, non ipsis aquis portabatur, sed compage terræ tenebatur, sicut sese habent cameræ speluncarum.

4. Hîc occurrit admonere cavendum errorem, quem in libro primo cavendum admonui, ne fortè quia scriptum est in Psalmis, Fundavit terram super aquam; arbitretur aliquis nostrûm, adversùs istos de ponderibus elementorum subtiliter disserentes, isto testimonio Scripturarum esse nitendum: quia illi non retenti auctoritate litterarum nostrarum, & nescientes quemadmodum dictum sit, libros sanctos faciliùs irridebunt, quàm illud repudiabunt, quod vel certis rationibus perceperunt, vel experimentis manifestissimis probaverunt. Illud namque in Psalmis, aut figuratè dictum rectè accipi potest: ut quòniam cæli & terræ nomine sæpe in Ecclesia spiritales carnalesque significantur, cælos ostenderit pertinere ad serenam intelligentiam veritatis, dicens, Qui fecit cælos in intelligentia; terram verò ad fidem simplicem parvulorum, non fabulosis opinionibus incertam atque fallacem, sed prophetica & evangelica prædicatione firmissimam, quæ per baptismum solidatur, & ideo subjecerit, dicens, Fundavit terram super aquam. Aut si ad litteram quisquam cogit intelligi, non incongruenter vel sublimia terrarum sive continentium, sive insularum accipiuntur, quæ superiora sunt aquis; vel ipsa tegmina speluncarum, quæ super aquas pendula soliditate firmata sunt. Quocirca nec ad litte-

Psal. 135. 6.

Ibid. 5.

[a] Editi, *distinguuntur*. At MSS. *distingui*, supple, contendunt illi qui de elementorum ponderibus argumentantur.

ram quisquam potest sic intelligere, quod dictum est, Fundavit terram super aquam; ut aquarum pondus terreno ponderi supportando naturali ordine quasi subjectum esse arbitretur.

CAPUT II. Aër terrâ superior.

5. AEREM verò aquis esse superiorem, quamvis propter ampliora sui spatia etiam aridam contegat, hinc intelligitur, quòd nullum vas ab ore impressum repleri aquis potest: unde satis indicat aëris naturam locum petere superiorem. Videtur enim vas inane, sed aëre plenum probatur, cùm ore imo in aquam deprimitur; quia enim per superiorem partem non invenit emeandi locum, nec deorsum versùs irruptis aquis subter eas ire naturâ finitur, plenitudine sua repellit eas, & in vas non permittit intrare. Cùm autem vas ita collocatur, ut os non habeat deorsum, sed in latus inclinatum, intrat aqua inferiùs, exeunte aëre superiùs. Itemque si vasis erecti os pateat in cælum, cùm infundis aquam, evadit aër sursùm versùs, ex aliis partibus quà non infundis, & fit locus aquæ deorsum versùs intrandi. Quòd si vi majore vas deprimitur, ut vel ex latere vel desupèr aquæ repentè influant, & undique os vasis obtegant, disrumpit eas aër sursum nitens, ut eis ad ima locum faciat; & ipsa disruptio singultus vasorum est, dum partibus fugit, quia totus tam citò non potest, propter illius oris angustias. Ita si aër super aquas ire cogitur, etiam confluentes eas [a] disjicit, cùm exsilientes impetu ejus impulsæ ebulliunt, & eum bullis crepantibus emittunt in sua properantem, atque illis ad ima decidendi aditum dantem. Si autem sub aquas ire cogitur ex vase, ut illo cedente vas ab ore in ima presso repleri velis, faciliùs undis undique versùm cooperitur, quàm per os ejus ab inferiore parte intrandi gutta exigua reperit locum.

CAPUT III. Ignis superior aëre.

6. JAM verò ignem ad superna emicantem etiam ipsius aëris naturam velle transcendere, quis non sentiat? quando quidem si ardentem faculam capite deorsum quisque teneat, nihilominus flammæ crinis ad superiora contendit. Sed quoniam circumfusi ac superfusi aëris præpollenti constipatione subinde ignis exstinguitur, & in ejus qualitatem per abundantiam superatus subinde commutatur ac vertitur, ad universam ejus altitudinem transiliendam non potest perdurare. Itaque super aërem purus ignis esse dicitur cælum, unde etiam sidera atque luminaria facta conjectant, illius videlicet igneæ lucis in eas formas, quas in cælo cernimus, conglobatâ dispositâque naturâ: ac per hoc sicut terrarum ponderibus & aër & aqua cedit, ut ad terram perveniant, sic aquarum ponderi, & ipse aër cedit, ut vel ad terram vel ad aquam perveniat. Unde intelligi volunt, hoc modo necesse fuisse, ut aër quoque si quis ejus particulam in spatiis illis sublimibus cæli posset dimittere, pondere suo caderet, donec ad aëria subter spatia perveniret. Quapropter colligunt multo minùs esse posse aquis supra illud igneum cælum aliquid loci, cùm illic aër multo aquis levior manere non possit.

CAPUT IV. Aquæ supra cælum aëreum, quod Firmamentũ appellari quidam observavit.

7. TALIBUS eorum disputationibus cedens, laudabiliter conatus est quidam demonstrare aquas super cælos, ut ex ipsis visibilibus conspicuisque naturis assereret Scripturæ fidem. Et priùs quidem quod facillimum fuit, ostendit & hunc aërem cælum appellari, non solùm sermone communi, secundùm quem dicimus serenum vel nubilum cælum, sed etiam nostrarum ipsarum consuetudine Scripturarum, cùm dicuntur volatilia cæli, cùm aves in hoc aëre volare manifestum sit: & Dominus cùm de nubibus loqueretur, Faciem, inquit, cæli potestis probare. Nubes autem etiam per proximum terris aërem conglobari sæpe cernimus, cùm per declivia jugorum ita recumbunt, ut plerumque excedantur etiam cacuminibus montium. Cùm ergo probasset & hunc aërem cælum dici, nullâ aliâ causâ etiam firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia intervallum ejus dividit inter quosdam vapores aquarum, & istas aquas quæ [b] corpulentiùs in terris fluitant. Et nubes quippe, sicut experti sunt, qui inter eas in montibus ambulaverunt, congregatione & conglobatione minutissimarum guttarum talem speciem reddunt: quæ si spissantur ampliùs, ut conjunganter in unam grandem plures guttæ minimæ, non eam patitur aër apud se teneri, sed ejus ponderi ad ima dat locum; & hæc est pluvia. Ergo ex aëre, qui est inter vapores humidos, unde superiùs nubila conglobantur, & maria subterfusa, ostendere ille voluit esse cælum inter aquam & aquam. Hanc ergo diligentiam considerationemque laude dignissimam judico. Quod enim dixit, neque contra fidem est, & in promtu posito documento credi potest.

Matth. 6. 26.

Matth. 16. 3.

Pluvia.

8. Quamquam possit videri, non impedire propria pondera elementorum, quo minùs etiam super illud sublime cælum possint esse aquæ per illas minutias, per quas etiam super hoc spatium aëris esse potuerunt: qui quamvis gravior & inferior summo cælo subjaceat, procul dubio levior est aquis, & tamen ut super eum sint vapores illi, nullo pondere prohibentur. Sic ergo & super illud cælum potest minutioribus guttis levior halitus humoris extendi, qui pondere cadere non cogatur. Ipsi quippe subtilissima ratione persuadent, nullum esse quamlibet exiguum corpusculum, in quo divisio finiatur, sed infinitè omnia dividi: quia omnis pars corporis corpus est, & omne corpus habeat necesse est dimidium quantitatis suæ. Ac per hoc si potest aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aërem vaporaliter feratur, qui naturâ levior est aquis; cur non possit & super illud levius cælum minutioribus guttis & levioribus immanere vaporibus?

CAPUT V. Aquæ supra cælum etiam sidereum.

9. QUIDAM etiam nostri, istos negantes propter pondera elementorum aquas esse posse super cælum sidereum, de ipsorum siderum qualitatibus & meatibus convincere moliuntur. Iidem namque asserunt stellam, quam Saturni appellant, esse frigidissimam, eamque per annos triginta signiferum peragere circulum, eo quòd superiore, ac per hoc ampliore ambitu graditur. Nam sol eumdem circulum per annum complet, & luna per mensem; tanto, ut dicunt, breviùs, quanto inferiùs, ut spatio loci spatium temporis congruat. Quæritur itaque ab eis, unde illa stella sit frigida, quæ tanto ardentior esse deberet, quanto sublimiore cælo rapitur. Nam procul dubio cùm rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardiùs eunt, exteriora celeriùs, ut majora spatia cum brevioribus ad eosdem gyros pariter occurrant: quæ autem celeriùs, utique ferventiùs. Proinde memorata stella magis debuit calida esse quàm frigida: quamvis enim suo motu, quoniam grande spatium est, tri-

[a] In excusis, *diffecat.* pro quo in veteribus codicibus quibusdam, *disjicit*: in aliis probæ notæ, *disficit*.

[b] MSS. navarricus, *corpulentiores*.

ginta annis totum ambitum permeet, tamen cæli motu in contrarium rotata velociùs, quod quotidie necesse est patiatur, (quoniam, sicut dicunt, cæli singulæ conversiones, dies singulos explicant,) calorem majorem debuit cælo concitatiore concipere. Nimirum ergo eam frigidam facit aquarum super cælum constitutarum illa vicinitas, quam nolunt credere, qui hæc, quæ breviter dixi, de motu cæli & siderum disputant. His quidam nostri conjecturis agunt adversùs eos, qui nolunt aquas super cælum credere, & volunt eam stellam esse frigidam, quæ juxta summum cælum circuit: ut ex hoc cogantur aquarum naturam, non jam illic vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere. Quoquo modo autem & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus: major est quippe Scripturæ hujus auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.

Caput VI. De eo quod additum est, *Et fecit Deus* &c. an eo declaretur Filij Dei persona.

10. Sed animadversum est à quibusdam, quod nec ego dissimulandum puto, non frustra cùm dixisset Deus, *Fiat firmamentum in medio aquarum, & sit divisio inter aquam & aquam*; parum visum esse subjungere, *Et sic est factum*, nisi adderetur, *Et fecit Deus firmamentum, & divisit Deus inter aquam quæ erat super firmamentum, & inter aquam quæ erat sub firmamento*: quod quidem sic intelligunt, ut personam Patris declaratam esse dicant, in eo quod scriptum est, *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & sit divisio inter aquam & aquam: & sic est factum*. Ac deinde ut intelligatur Filius fecisse quod à Patre dictum est ut fieret, arbitrantur esse subnexum, *Et fecit Deus firmamentum, & divisit Deus*, &c.

11. Sed cùm antea legitur, *Et sic est factum*; à quo intelligimus factum? Si à Filio, quid opus erat jam dicere, *Et fecit Deus*, & quæ sequuntur? Si autem quod scriptum est, *Et sic est factum*, à Patre intellexerimus factum; non jam Pater dicit, & Filius facit; & potest aliquid Pater facere sine Filio, ut deinde Filius non hoc, sed aliud similiter faciat. quod est contra catholicam fidem. Si autem illud de quo dicitur, *Et sic est factum*, hoc idem fit cùm itidem dicitur, *Et fecit Deus*: quid prohibet eumdem intelligere facere quod dixit, qui dixit ut fieret? An etiam excepto eo quod scriptum est, *Et sic est factum*, tantummodo in his verbis, quibus dicitur, *Et dixit Deus, Fiat*; & postea dicitur, *Et fecit Deus*; Patris & Filij personam volunt intelligi?

12. Sed quæri adhuc potest, utrùm quasi jussisse Filio Patrem debeamus accipere in eo quod scriptum est, *Et dixit Deus, Fiat?* Sed cur Scriptura non curavit ostendere etiam personam Spiritus-sancti? An ita Trinitas intelligitur, *Et dixit Deus Fiat, Et fecit Deus. Et vidit Deus quia bonum est?* Sed non convenit unitati Trinitatis, ut Filius quasi jussus fecisse intelligatur, Spiritus autem sanctus nullo sibi jubente liberè vidisse bonum esse quod factum est. Quibus enim verbis juberet Filio Pater ut faceret, cùm ipse sit principale Verbum Patris, per quod facta sunt omnia? An eo ipso quod scriptum est, *Fiat firmamentum*, hæc ipsa dictio Verbum est Patris, unigenitus Filius, in quo sunt omnia quæ creantur, etiam antequam creentur, & quidquid in illo est, vita est; [a] quia quidquid per eum factum est, in ipso vita est, & vita utique creatrix, sub illo autem creatura. Aliter ergo in illo sunt ea, quæ per illum facta sunt, quia regit & continet ea: aliter autem in illo sunt ea, quæ ipse est. Ipse enim vita est, quæ ita in illo est ut ipse sit, quoniam ipse vita est lux hominum. Quia ergo nihil creari posset sive ante tempora, quod quidem non est Creatori coæternum, sive ab exordio temporum, sive in aliquo tempore, cujus creandi ratio, si tamen ratio rectè dicitur, non in Dei Verbo Patri coæterno coæternâ vitâ viveret; propterea Scriptura priùs quàm insinuet unamquamque creaturam, ex ordine quo conditam dicit, respicit ad Dei Verbum, priùs ponens, *Et dixit Deus, Fiat* illud. Non enim invenit ullam caussam rei creandæ, quam in Verbo Dei non invenit creari debuisse.

13. Non ergo Deus totiens dixit, Fiat illa vel illa creatura, quotiens in hoc libro repetitur, *Et dixit Deus*. Unum quippe Verbum ille genuit, in quo dixit omnia, priusquam facta sunt singula: sed eloquium scribentis descendens ad parvulorum capacitatem, dum insinuat singulatim genera creaturarum, per singula respicit uniuscujusque generis æternam rationem in Verbo Dei: nec illâ repetitâ, ille tamen repetit, *Et dixit Deus*. Si enim vellet priùs dicere, *Factum est firmamentum in medio aquarum, ut esset divisio inter aquam & aquam*; si quis ab eo quæreret, quomodo factum esset, rectè responderet, *Dixit Deus, Fiat*: id est in Verbo Dei æterno erat ut fieret. Inde ergo incipit narrare unumquodque factum, quod etiam post facti narrationem, quærenti quomodo factum sit, in reddenda ratione respondere deberet.

14. Cùm ergo audimus, *Et dixit Deus, Fiat*; intelligimus quòd in Verbo Dei erat ut fieret. Cùm verò audimus, *Et sic est factum*; intelligimus factam creaturam non excessisse præscriptos in Verbo Dei terminos generis sui. Cùm verò audimus, *Et vidit Deus quia bonum est*; intelligimus in benignitate Spiritus ejus non quasi cognitum postea quàm factum est placuisse, sed potiùs in ea bonitate placuisse ut maneret factum, ubi placebat ut fieret.

Caput VII. De eadem re.

15. Ac per hoc manet adhuc caussa requirendi, cur postea quàm dixit, *Et sic est factum*, ubi perfectio operis jam indicatur; addidit, *Et fecit Deus*: cùm eo ipso, quod ait, *Et dixit Deus, Fiat illud, Et sic est factum*, jam intelligatur id Deum dixisse in Verbo suo, & factum esse per Verbum ejus; atque ibi jam non solùm Patris, sed etiam Filij possit apparere persona. Nam si propter ostendendam Filij personam repetitur, ac dicitur, *Et fecit Deus*; numquid ergo non per Filium congregavit aquam tertio die ut appareret arida, quia ibi non dicitur, Et fecit Deus congregari aquam, aut congregavit Deus aquam? Sed tamen etiam ibi postea quàm dixit, *Et factum est sic*; tunc repetivit, dicens, *Et congregata est aqua, quæ est sub cælo*. Numquid etiam lux non per Filium facta est, ubi prorsus nullo modo repetivit? Potuit enim & illic ita dicere, Et dixit Deus, fiat lux, & sic est factum; & fecit Deus lucem; & vidit quia bona est: aut certè sicut in aquarum congregatione, ut non diceret, Et fecit Deus, sed tantùm iterum repeteret, Et dixit Deus, fiat lux: & sic est factum; & facta est lux; & vidit Deus lucem, quia bona est. Sed nullo modo repetens postea quàm proposuit, *Et dixit Deus, Fiat lux*; nihil aliud intulit nisi, *Et facta est lux*; ac deinceps de placita luce & divisa à tenebris, & utroque appellato nominibus suis, sine ulla repetitione narravit.

[a] Editi hîc interponunt, *& vita utique creatura*. quæ absunt à MSS.

Caput VIII. De luce cur non additum, *Et fecit Deus*: sicuti solet de aliis creaturis dici.

16. Quid sibi ergo vult in ceteris illa repetitio? An eo modo demonstratur primo die, quo lux facta est, conditionem spiritalis & intellectualis creaturæ lucis appellatione intimari; in qua natura intelliguntur omnes Angeli sancti atque Virtutes: & propterea non repetivit factum postea quàm dixit, *Facta est lux*; quia non primò cognovit rationalis creatura conformationem suam, ac deinde formata est; sed in ipsa sua conformatione cognovit, hoc est illustratione veritatis, ad quam conversa formata est: cetera verò quæ infra sunt ita creantur, ut priùs fiant in [a] cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo? Quapropter lucis conditio priùs est in Verbo Dei secundùm rationem, qua condita est, hoc est in coæterna Patri Sapientia; ac deinde in ipsa lucis conditione secundùm naturam, qua condita est: illic non facta, sed genita; hîc verò facta, quia ex informitate formata: & ideo dixit Deus, *Fiat lux*; *& facta est lux*; ut quod ibi erat in Verbo, hîc esset in opere. Conditio verò cæli priùs erat in Verbo Dei secundùm genitam Sapientiam; deinde facta est in creatura spiritali, hoc est in cognitione Angelorum secundùm creatam in illis sapientiam: deinde cælum factum est, ut esset etiam ipsa cæli creatura in genere proprio. Sic & discretio vel species aquarum atque terrarum, sic naturæ lignorum & herbarum, sic luminaria cæli, sic animantia orta ex aquis ac terra.

17. Neque enim sicut pecora, solo sensu corporis vident Angeli hæc sensibilia, sed si quo sensu tali utuntur, agnoscunt ea potiùs, quæ meliùs noverunt interiùs in ipso Dei Verbo, à quo illuminantur ut sapienter vivant: cùm sit in eis lux, quæ primò facta est, si lucem spiritalem in illo die factam intelligamus. Quemadmodum ergo ratio, qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei quàm ipsa creatura quæ conditur: sic & ejusdem rationis cognitio priùs fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est; ac deinde ipsa conditio creaturæ. [b] Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, (*Rom. 1. 20.*) qui ex quo creati sunt, ipsa Verbi æternitate sancta & pia contemplatione perfruuntur; atque inde ista despicientes, secundùm id quod intus vident, vel rectè-facta approbant, vel peccata improbant.

18. Nec mirum est, quòd sanctis Angelis suis, in prima lucis conditione formatis, priùs Deus ostendebat quod erat deinceps creaturus. Neque enim intellectum Dei nossent, nisi quantum ipse monstrasset. Quis enim cognovit intellectum Domini, (*Rom. 11. 34.*) aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso ergo discebant Angeli, cùm in eis fieret cognitio creaturæ deinceps faciendæ, ac deinde fieret in genere proprio.

19. Quapropter jam luce facta, in qua intelligimus ab æterna luce formatam rationalem creaturam, cùm in ceteris creandis rebus audimus, *Et dixit Deus, Fiat*; intelligamus ad æternitatem Verbi Dei recurrentem Scripturæ intentionem. Cùm verò audimus, *Et sic est factum*; intelligamus in creatura intellectuali factam cognitionem rationis, quæ in Verbo Dei est, condendæ creaturæ, ut in ea natura priùs quodammodo facta sit, quæ anteriore quodam motu in ipso Dei Verbo prior faciendam esse cognovit: ut postremò cùm audimus repeti ac dici quòd *Fecit Deus*, jam intelligamus in suo genere fieri ipsam creaturam. Porrò cùm audimus, *Et vidit Deus quia bonum est*, intelligamus benignitati Dei placuisse quod factum est, ut pro modo sui generis maneret quod placuit ut fieret, cùm Spiritus Dei superferebatur super aquam.

Caput IX. De figura cæli.

20. Quæri etiam solet, quæ forma & figura cæli esse credenda sit secundùm Scripturas nostras. Multi enim multùm disputant de iis rebus, quas majore prudentiâ nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus; & occupantes, quod pejus est, multùm pretiosa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia. Quid enim ad me pertinet, utrùm cælum sicut sphæra undique concludat terram in media mundi mole libratam, an eam ex una parte desuper velut discus operiat? Sed quia de fide agitur Scripturarum, propter illam caussam, quam non semel commemoravi, ne quisquam eloquia divina non intelligens, cùm de his rebus tale aliquid vel invenerit in libris nostris, vel ex illis audierit, quod perceptis [c] à se rationibus adversari videatur, nullo modo eis cetera utilia monentibus, vel narrantibus, vel pronuntiantibus credat; breviter dicendum est de figura cæli hoc scisse auctores nostros, quod veritas habet; (*2. Sent. dist. 14. cap. 3.*) sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli saluti profutura.

21. Sed ait aliquis, quomodo non est contrarium iis, qui figuram sphæræ cælo tribuunt, quod scriptum est in litteris nostris, Qui extendit cælum sicut pellem? (*Psal. 103. 2.*) Sit sanè contrarium, si falsum est quod illi dicunt: hoc enim verum est quod divina dicit auctoritas, potiùs quam illud quod humana infirmitas conjicit? Sed si fortè illud talibus illi documentis probare potuerint, ut dubitari inde non debeat, demonstrandum est hoc quod apud nos de pelle dictum est, veris illis rationibus non esse contrarium: alioquin contrarium erit etiam ipsis in alio loco Scripturis nostris, ubi cælum dicitur velut camera esse suspensum. (*Isa. 40. 22. sec. LXX.*) Quid enim tam diversum & sibimet adversum, quàm plana pellis extensio, & cameræ curva convexio? Quòd si oportet, sicuti oportet, hæc duo sic intelligere, ut concordare utrumque, nec sibimet repugnare inveniatur: ita oportet etiam utrumlibet horum illis non adversari disputationibus, si eas fortè veras certa ratio declaraverit, quibus docetur cælum sphæræ figurâ undique esse convexum, si tamen probatur.

22. Et illa quidem apud nos cameræ similitudo, etiam secundùm litteram accepta, non impedit eos qui sphæram dicunt. Bene quippe creditur secundùm eam partem, quæ super nos est, de cæli figura Scripturam loqui voluisse. Si ergo sphæra non est, ex una parte camera est, ex qua parte cælum terram contegit: si autem sphæra est, undique camera est. Sed illud quod de pelle dictum est, magis urget, n non sphæræ, quod humanum est fortè commentum, sed ipsi nostræ cameræ adversum sit. Quid autem hinc allegoricè senserim, *Confessionum* (*Cap. 15.*) nostrarum liber tertius-decimus habet. Sive igitur ita ut ibi posui, sive aliquo alio modo intelligendum sit cælum sicut pellis extentum, propter molestos & nimios exactores expositionis ad litteram, hoc dico, quod sicut arbitror, omnium sensibus patet: utrumque enim fortasse, id est & pellis & camera

[a] Editi, *cogitatione* Meliùs MSS. *cognitione*.
[b] In excusis ad vocem *creaturæ* addebatur, *postea in genere proprio*. quod abest ab omnibus MSS.
[c] Sic MSS. At editi, *assertionibus*.

figuratè intelligi potest, utrumque autem ad litte- A
ram quomodo possit videndum est. Si enim camera non solùm curva, sed etiam plana rectè dicitur; profectò & pellis non solùm in planum, verùm etiam in rotundum sinum extenditur. Nam & uter sicut & vesica, pellis est.

CAPUT X. De cæli motu.

23. De motu etiam cæli nonnulli fratres quæstionem movent, utrùm stet, an moveatur. Quia si movetur, inquiunt, quomodo firmamentum est? Si autem stat, quomodo sidera quæ in illo fixa creduntur, ab Oriente usque ad Occidentem circum- B
eunt, septemtrionibus breviores gyros juxta cardinem peragentibus, ut cælum, si est alius nobis occultus cardo ex alio vertice, sicut sphæra, si autem nullus alius cardo est, velut discus rotari videatur? Quibus respondeo, multùm subtilibus & laboriosis rationibus ista perquiri, ut verè percipiatur utrùm ira an non ita sit: quibus ineundis atque tractandis, nec jam mihi tempus est, NEC ILLIS ESSE DEBET, quos ad salutem suam & sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem cupimus C
informari. Hoc sanè noverint, nec nomen firmamenti cogere, ut stare cælum putemus: (Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum & inferiorum aquarum, vocatum intelligere licet:) nec si veritas cælum stare persuaserit, impediri nos circuitu siderum ne hoc intelligere possimus. Et ab ipsis quippe qui hæc curiosissimè & otiosissimè quæsierunt, inventum est, a
etiam cælo non moto, si sola sidera [a] verterentur, D
fieri potuisse omnia, quæ in ipsis siderum conversionibus animadversa atque comprehensa sunt.

CAPUT XI. De vers. 9. & 10.

24. Et *dixit Deus, Congregetur aqua quæ sub cælo est in congregationem unam, & appareat arida. Et factum est sic; & congregata est aqua quæ sub cælo est in congregationem unam, & apparuit arida. Et vocavit Deus aridam terram, & congregationes aquarum vocavit mare. Et vidit Deus quia bonum est.* Jam de hoc opere Dei propter alterius
Lib. 1. c. 12. & 13. rei quærendæ necessitatem, in primo nostro volu- E
mine satis tractavimus. Hîc itaque breviter admonemus, ut quem fortè non movet quærere, quando species aquarum terrarumque creata sit, accipiat isto die non esse factum, nisi ut secernerentur hæc duo elementa inferiora. Quem verò movet cur in diebus facta sit lux & cælum, extra dies autem vel ante omnes dies aqua & terra: & cur ad Dei verbum facta sint illa, dicente Deo, *Fiat*; hæc autem dicente quidem Deo discreta, non autem Deo dicente facta inveniantur; habet quod salva F
fide intelligat, scilicet id quod dictum est ante dierum enumerationem, *Terra erat invisibilis & incomposita*, cùm commendaret Scriptura cujusmodi terram fecerat Deus, quia prædixerat, *In principio fecit Deus cælum & terram*; nihil aliud his verbis quàm materiæ corporalis informitatem insinuare voluisse, eligens eam usitatiùs appellare quàm obscuriùs. Si tamen tardo intellectui non subrepat ut materiam & speciem, quia verbis Scriptura separat, conetur duo hæc etiam tempore separare, G
tamquam priùs fuerit materia, & ei temporis intervallo interposito, postea sit addita species: cùm Deus hæc simul creaverit, materiamque formatam instituerit, cujus informitatem usitato, ut dixi, vocabulo vel terræ vel aquæ Scriptura prædixit. Terra enim & aqua etiam suis qualitatibus id exsistentia quod videmus, tamen propter facilem corruptionem propinquiora sunt eidem informitati quàm cælestia corpora. Et quoniam per enumerationem dierum jam ex informi quæque formata numerantur, & ex ista corporali materia jam factum cælum narraverat, cujus multùm distat species à terrenis; jam quod ex ea formandum in re- B
rum infima parte restabat, [b] noluit sub his verbis b
in rerum creatarum ordinem inserere, ut diceretur, *Fiat*; non accepturâ istâ residuâ informitate talem speciem, qualem acceperat cælum, sed jam inferiorem & infirmiorem atque informitati proximam: ut his potiùs verbis, cùm dicitur, *Congregentur aquæ*, & *appareat arida*, acceperint hæc duo species proprias, istas notissimas nobisque tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem: & ideo de illa dictum est, *congregetur*: de hac autem, *appareat*: aqua enim est labiliter fluxa, terra stabiliter fixa.

CAPUT XII. De vers. 11. 12. & 13.

25. Et *dixit Deus, Germinet terra herbam pabuli, ferentem semen secundùm genus & secundùm similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in ipso secundùm similitudinem suam super terram. Et factum est sic. Et produxit terra herbam pabuli, semen habentem secundùm genus, & secundùm similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen ejus in eo sit secundùm genus super terram. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, & factum est manè dies tertius.* Hîc moderamen ordinatoris advertendum est, ut quoniam distincta quædam creatura est herbarum atque lignorum ab specie terrarum & aquarum, ut in elementis numerari non possint, seorsum de illis diceretur ut exirent de terra; & seorsum illis redderentur illa solita, ut diceretur, *Et factum est sic*; ac deinde reperetur quod factum est: seorsum quoque indicaretur Deum vidisse quia bonum est: tamen quia fixa radicibus continuantur terris & connectuntur, ista quoque ad eumdem diem pertinere voluerit.

CAPUT XIII. De vers. 14. 15. &c. Luminaria cur die quarto cõdita.

26. Et *dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, ut luceant super terram, in inchoationem diei & noctis, & ut dividant inter diem & noctem, & sint in signa & tempora, & in dies, & in annos, & sint in splendorem in firmamento cæli, ut luceant super terram. Et factum est sic. Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus in inchoationem diei, & luminare minus in inchoationem noctis; & stellas: & posuit* [c] *ea* c
Deus in firmamento cæli, ut luceant super terram, & ut sint in inchoationem diei & noctis, & ut dividant inter lucem & tenebras. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, & factum est manè dies quartus. In hoc quarto die quærendum est, quid sibi velit ista ordinatio, ut priùs vel fierent, vel secernerentur aqua & terra, priùsque terra germinaret, quàm in cælo sidera fierent. Neque enim possumus dicere electa esse quæque meliora, quibus dierum series ita distingueretur, ut finis & medium maximè ornatiùs eminerent. Septem quippe dierum medius quartus est. Occurrit enim illud quia septimo die non est facta ulla creatura. An fortè lux primi diei magis respondet ad quietem diei septimi,

[a] MSS. duodecim, *moverentur*.
[b] Editi, *voluit*. MSS. omnes, *noluit*. Amplectimur: ratio quippe redditur, cur aquæ ac terræ formationem non retulerit Genesis scriptor sub his verbis, ut diceretur, *Fiat aqua, Fiat terra*, sicuti de cælo dictum narravit, *Fiat firmamentum*. Confer superioris libri caput 13.
[c] In editis *& posuit eas*. At in MSS. *ea*.

ut eo modo concinentibus finibus iste ordo texatur, A
eminentibus de medio luminibus cæli? Sed si primus dies septimo concinit, debet ergo & secundus sexto concinere. Quid autem simile habet firmamentum cæli cum homine facto ad imaginem Dei? An quia cælum totam superiorem mundi partem occupat, & hominî in totam inferiorem potestas dominandi tributa est? Sed quid agimus de pecoribus & de bestiis, quas ipso die sexto in suo genere terra produxit, quæ illis cum cælo potest esse collatio?

27. An potiùs quoniam primò facta intelligitur lucis nomine spiritalis creaturæ formatio, consequens erat ut corporalis quoque creatura, id est mundus iste visibilis fieret: qui factus est biduo propter duas partes suas maximas, quibus constat universus, cælum scilicet & terram, secundùm hanc rationis collationem, qua & ipsa universa creatura spiritalis & corporalis, sæpe cælum & terra nominatur: ita ut globus quoque iste turbulentioris aëris terrenæ parti deputetur, exhalationibus C
quippe humidis corporascit; si quid verò tranquilli aëris est, ubi ventosi atque procellosi motus non possunt exsistere, ad cælestem partem pertineat: post hanc universitatem molis corporeæ fabricatam, quæ uno loco tota est, quo collocatus est mundus, consequens erat ut impleretur partibus intra universum, quæ de loco in locum congruis motibus agerentur? Cujus generis herbæ atque arbores non sunt. Radicibus quippe ista fixa sunt terræ: & quamvis habeant motus incrementorum suo- D
rum, de locis tamen propriis non moventur nisibus suis; sed ubi fixa sunt, ibi aluntur & crescunt: propterea magis pertinent ad terram, quàm ad genera rerum, quæ in aquis & terris moventur. Quia ergo visibili mundo constituendo, hoc est cælo & terræ, duo sunt adtributi dies, restat ut his mobilibus & visibilibus partibus, quæ creantur intra illum, tres dies reliqui deputentur. Et quia sicut priùs cælum factum est, ita priùs est ornandum hujusmodi partibus suis; quarto die fiunt sidera, quibus super ter- E
ram lucentibus habitatio quoque illustretur inferior, ne habitatores ejus in habitationem tenebrosam inducantur. Et ideo quia infirma corpora inferiorum habitatorum, succedente motibus quiete reparantur, factum est ut circumeunte sole, diei noctisque vicissitudine, propter vicissitudinem dormiendi & vigilandi potirentur: nox verò illa non indecora remaneret, sed lunæ ac siderum luce, & ipsos consolaretur homines, quibus plerumque operandi est etiam nocturna necessitas; & quibus- F
dam animalibus, quæ lucem solis ferre non possunt, ad sufficientiam temperaretur.

CAPUT XIV. Quomodo luminaria sint in signa & tempora, in dies & annos.

28. Illud autem quod dictum est, *Et sint in signa & tempora, & in dies, & in annos*, quis non videat quàm obscurè positum sit, quarto die cœpisse tempora, quasi superius triduum sine tempore præterire potuerit? Quis ergo animo penetrat quomodo illi tres dies transierint, antequam incipe- G
rent tempora, quæ quarto die dicuntur incipere; vel utrùm omnino transierint dies illi? An circa speciem factæ rei dies appellatus sit, & circa privationem nox? ut nondum specie formata materia nox dicta sit, unde formanda erant cetera; sicut potest quamvis in rebus formatis, intelligi tamen in ipsa mutabilitate informitas materiæ: non enim spatiis vel locorum quasi remotior, vel temporum quasi anterior, discerni potest. An potiùs in ipsa re facta atque formata eadem mutabilitas, hoc est deficiendi, ut ita dixerim, possibilitas, nox appellata sit; quia inest rebus factis, etiamsi non mutentur, posse mutari? Vespera autem & manè non quasi per temporis præteritionem & adventum, sed per quemdam terminum, quo intelligitur quouf- que sit naturæ [a] propriùs modus, & unde sit naturæ a
alterius consequenter exordium: an aliqua alia ratio sit horum verborum diligentiùs vestiganda?

B 29. Quis in tantum secretum facilè irrumpat, & quæ signa dicat, cùm dicit de sideribus, *Et sint in signa?* Neque enim illa dicit, quæ observare vanitatis est; sed utique utilia, & hujus vitæ usibus necessaria, quæ vel nautæ observant in gubernando, vel omnes homines ad prævidendas aëris qualitates per æstatem & hyemem & autumnalem vernalemque temperiem. Et nimirum hæc vocat tempora, quæ per sidera fiunt, non spatia morarum, sed vicissitudines affectionum cæli hujus. Nam si aliquis vel corporalis vel spiritalis motus conditionem istorum luminarium præcessit, ut aliquid à futura exspectatione per præsens in præteritum trajiceret, sine tempore esse non potuit. Et quis obtineat non fuisse nisi ab exordio siderum conditorum? Sed certæ horæ, & dies, & anni, quos usitatè novimus, non fierent nisi motibus siderum. Itaque si hoc modo intelligamus tempora, dies & annos, ut tempora articulos quosdam quos per horologia computamus, vel in cælo notissimos, cùm ab D
Oriente usque in meridianam altitudinem sol insurgit, atque inde rursus usque in Occidentem vergit, ut possit deinceps adverti vel luna vel aliquod sidus ab Oriente statim post occasum solis emergere; quod item cùm ad mediam cæli venerit altitudinem, medium noctis indicet, tunc scilicet occasurum cùm sole redeunte fit manè: dies autem totos solis ab Oriente usque ad [b] Orientem circuitus: b
annos verò vel istos usitatos solis amfractus, non cùm ad Orientem, quod quotidie facit, sed cùm ad eadem loca siderum redit, quod non facit nisi E
peractis trecentis sexaginta quinque diebus & sex horis, id est, quadrante totius diei, quæ pars quater ducta, cogit interponi unum diem, quod Romani bissextum vocant, ut ad eumdem circuitum redeatur; vel etiam majores & occultiores annos: nam completis aliorum siderum spatiis, majores anni fieri dicuntur. Si ergo ita intelligamus tempora, dies & annos, nemo dubitat hæc sideribus & luminaribus fieri. Ita enim positum est, ut incertum sit F
utrùm ad omnia sidera pertineat quod dictum est, *Sint in signa, & tempora, & in dies, & in annos*; an signa & tempora ad cetera, dies verò & anni ad solem tantummodo.

CAPUT XV. Luna qualis creata fuerit.

30. Qualis etiam luna facta sit, multi loquacissimè inquirunt, atque utinam inquirentes loquantur, ac non potiùs docere conantes. Dicunt enim ideo plenam factam, quia non decebat, ut Deus imperfectum aliquid illo die faceret in sideri- G
bus, quo scriptum est, quòd facta sint sidera. Qui autem resistunt, dicunt; Ipsa ergo debuit prima luna dici, non quarta-decima; quis enim incipit ita enumerare? Ego autem medius inter istos ita sum, ut neutrum asseram; sed planè dicam, sive primam sive plenam lunam Deus fecerit, fecisse perfectam. Ipsarum enim naturarum est Deus auctor & conditor. Omnis autem res quidquid progressu naturali

[a] MSS. propè omnes, *propria*.
[b] Editi, *ad Occidentem*. Sed meliùs MSS. *ad Orientem*.

per tempora congrua quodammodo prodit atque explicat, etiam antè continebat occultum, etsi non specie vel mole corporis sui, [a] tamen ratione naturæ. Nisi fortè arbor quæ per hyemem pomis vacua foliisque nudata est, tunc imperfecta dicenda est: aut verò in primordiis etiam suis, cùm adhuc nullum fructum dedisset, imperfecta erat illa natura. Quod non tantùm de arbore, sed nec de ipso ejus semine rectè diceretur, ubi omnia quæ progressu temporis quodammodo procedunt, modis invisibilibus latent. Quamquam si aliquid Deus imperfectum fecisse diceretur, quod deinde ipse perficeret, quid reprehensionis haberet ista sententia? Jure autem displiceret, si id quod ab illo inchoatum esset, ab alio diceretur esse perfectum.

31. Qui ergo de terra non queruntur, quam fecit Deus, cùm in principio fecit Deus cælum & terram, quia invisibilis erat & incomposita, & postea tertio die conspicua redditur atque componitur; quid sibi de luna tenebras faciunt quæstionum? Aut si quod de terra dictum est, non temporis intervallo, cùm simul [b] Deus materiam rebus concreaverit, sed narrationis distributione intelligunt dictum; cur in hoc quod etiam oculis videri potest, non intuentur integrum corpus habere lunam, & tota sua rotunditate perfectum, etiam cùm lumine corniculato, sive incipiens ad terras lucere, sive desinens fulget? Si ergo lumen in ea crescit, vel perficitur, vel minuitur; non luminare ipsum, sed illud quod accenditur variatur: si autem ex una sphærulæ suæ parte semper lucet, sed dum eam partem convertit ad terram, donec totam convertat, quod à prima usque ad quartam-decimam fit, crescere videtur; semper est plena, sed terræ habitatoribus non semper apparet. Hæc eadem ratio est, & si solis radiis illustratur. Non enim potest etiam sic cùm soli proxima est, nisi lucidis cornibus apparere: quia cetera pars, quæ tota in orbem illustratur, non est ad terras ut videri possit, nisi cùm soli contraria est, ut totum terris appareat, quod ejus illuminatur.

32. Non desunt tamen qui non eo se arbitrari dicunt, lunam primitus à Deo quartam-decimam factam, quia plena facta credenda est: sed quia in Scripturis Dei verba sic habent, *lunam fecit in inchoationem noctis*; tunc autem noctis exordio videtur, cùm plena est: aliàs verò & per diem incipit videri ante plenitudinem, & in progressu noctis tanto ampliore quanto minuitur. Sed qui per inchoationem noctis non intelligit nisi principatum, (nam & græcum verbum hoc magis indicat, cùm dictum est ἀρχὴν; & in Psalmis apertiùs scriptum est, Solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis:) non cogitur à quarta-decima numerare, & credere lunam factam primò esse non primam.

Psal. 135.8.

CAPUT XVI. An sidera æqualiter fulgeant.

33. QUÆRI etiam solet, utrùm cæli luminaria ista conspicua, id est sol & luna & stellæ æqualiter fulgeant; sed quòd diversis intervallis distent à terra, propterea diversa claritate magis minúsque nostris oculis appareant. Et de luna quidem qui hæc dicunt, non dubitant minùs eam lucere quàm solem, à quo etiam perhibent illustrari. Multas autem stellas vel æquales soli, vel etiam majores audent dicere, sed longiùs positas parvas videri. Et nobis quidem potest fortasse sufficere, quoquo modo se ista res habeat, artifice Deo condita sidera. Quamquam teneamus auctoritate apostolica dictum, Alia gloria solis, alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum: stella enim ab stella differt in gloria. Sed quia possunt adhuc dicere, etiamsi non resistant Apostolo, Differunt quidem in gloria, sed ad oculos terrenorum; aut quia hoc propter resurgentium similitudinem dicebat Apostolus, qui non utique ad oculos aliter erunt & in se aliter, Differunt quidem & in seipsis sidera in gloria, sed tamen nonnulla sunt etiam sole majora: ipsi viderint quemadmodum soli tam magnum tribuant principatum, ut eum radiis suis quasdam stellas, & eas quidem principales, quibus ampliùs isti quàm ceteris supplicant, & tenere dicant, & retrò agere à cursu proprio. Non enim fit verisimile, majores aut etiam æquales violentiâ radiorum ejus posse superari. Aut si superiores signorum stellas vel septemtrionum majores esse asserunt, quæ nihil tale à sole patiuntur, cur ista per signa circumeuntes ampliùs venerantur? Cur eas signorum dominas perhibent? Etsi enim regradationes illas siderum, vel fortasse tarditates, non à sole fieri quisque contendat, sed aliis occultioribus caussis: soli tamen istos in suis deliramentis, quibus vim fatorum à veritate devij suspicantur, præcipuam tribuere potestatem ex libris eorum certè manifestum est.

1. Cor. 15. 41.

34. Sed dicant quod volunt de cælo, alieni à Patre qui est in cælis: nobis autem de intervallis & magnitudine siderum subtilius aliquid quærere, talique inquisitioni rebus gravioribus & melioribus necessarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit. Et meliùs credimus ea esse ceteris majora luminaria, quæ sancta Scriptura ita commendat, *Et fecit Deus duo luminaria magna*: quæ tamen non sunt æqualia. Nam consequenter dicit, cùm ea ceteris præposuerit, inter seipsa differre. Ait enim, *luminare majus in inchoationem diei, & luminare minus in inchoationem noctis*. Certè enim vel hoc concedent oculis nostris, ut ea manifestum sit ampliùs ceteris lucere super terram, nec diem clarere nisi luce solis, nec noctem tot stellis apparentibus ita lucere si luna desit, quemadmodum præsentiâ illius illustratur.

CAPUT XVII. In Genethliacos.

35. DE fatis autem siderum qualesliibet eorum argutias, & quasi de mathesi documentorum experimenta, quæ illi ἀποτελέσματα vocant, omnino à nostræ fidei sanitate respuamus: talibus enim disputationibus etiam orandi caussas nobis auferre conantur, & impia perversitate in malis factis, quæ rectissimè reprehenduntur, ingerunt accusandum potiùs Deum auctorem siderum, quàm [c] hominem scelerum. Sed quòd animæ nostræ non sint naturâ corporibus ne quidem cælestibus subditæ, audiant & philosophos suos: quia verò terrenis corporibus illa corpora superiora non ad ea quæ ipsi tractant potentiora sunt, vel hinc aliquando cognoscant, quia cùm multa corpora diversorum generum, vel animantium, vel herbarum & arbustorum, uno simul puncto temporis seminentur, unoque puncto temporis innumerabiliter multa nascantur, non tantùm diversis, sed etiam iisdem terrarum locis, tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus & passionibus eorum, ut verè isti (sicut dicitur) perdant sidera, si ista considerant.

36. Quid autem insulsius & hebetius, quàm

[a] MSS. tres, *corporis, vi tamen & ratione naturæ.*
[b] Sic MSS. At editi, *Deus res concreaverit.*
[c] Editi *hominum scelera.* MSS. *hominem scelerum.*

cùm istis rebus convincuntur, dicere ad solos homines sibi subjiciendos fatalem stellarum pertinere rationem? In quibus tamen etiam ipsi de geminis convincuntur, quorum diversè viventium, diversè felicium vel infelicium, diversèque morientium, easdem plerumque constellationes accipiunt. Quia etsi interfuit aliquid cùm de utero funderentur, in nonnullis tamen tantum interest, quantum ab istis comprehendi computatione non possit. Manus sequentis Jacob, dum nascerentur, inventa est pedem fratris præcedentis tenens, usque adeo sic nati sunt quasi unus infans in duplum prolixior nasci videretur. Horum certè constellationes, quas appellant, nullo modo dispares esse potuerunt. Quid ergo vanius, quàm ut illas constellationes intuens Mathematicus, ad eumdem horoscopum, ad eamdem lunam, diceret unum eorum à matre dilectum, alterum non dilectum? Si enim aliud diceret, falsum profectò diceret: si autem hoc diceret, verum quidem, sed non secundùm suorum librorum ineptas cantiunculas diceret. Quòd si huic historiæ, quia de nostris profertur, nolunt credere, numquid & naturam rerum delere possunt? Cùm ergo se minimè falli dicant, si horam conceptionis invenerint, saltem sicut homines non dedignentur conceptum considerare geminorum.

37. Ideoque fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cùm ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est: quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientiâ callidiore propter tam magnam longitudinem vitæ; partim sanctis Angelis quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ sinceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Quapropter bono Christiano, sive mathematici, sive quilibet impiè divinantium, maximè dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.

2. Sent. dist. 7 cap. Et licèt.

CAPUT XVIII. Difficultas de sideribus, an per Spiritus regantur & animentur.

38. SOLET etiam quæri, utrùm cæli luminaria ista conspicua corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos: & si habent, utrùm ab eis etiam vitaliter inspirentur, sicut animantur carnes per animas animalium, an solâ sine ulla permixtione præsentiâ. Quod licèt in præsenti non facilè comprehendi possit; arbitror tamen in processu tractandarum Scripturarum opportuniora loca posse occurrere, ubi nobis de hac re, secundùm sanctæ auctoritatis regulas, etsi non ostendere certum aliquid, tamen credere licebit. Nunc autem servata semper moderatione piæ gravitatis, nihil credere de re obscura temere debemus, ne fortè quod postea veritas patefecerit, quamvis libris sanctis sive Testamenti veteris sive novi nullo modo esse possit adversum, tamen propter amorem nostri erroris oderimus. Nunc ad librum operis nostri jam tertium transeamus.

LIBER TERTIUS.

De versic. 20. Et dixit Deus, Educant aquæ, & reliquis usque ad primi capitis finem.

CAPUT I. Animalium ex aquis eductio priùs narratur quàm quæ de terra; quòd aqua aëri, aër cælo proximum elementum sit.

1. *ET dixit Deus, Educant aquæ reptilia animarum vivarum, & volatilia super terram, secundùm firmamentum cæli. Et factum est sic. Et fecit Deus cetos magnos, & omne animal reptilium, quæ eduxerunt aquæ secundùm genus eorum. Et omne volatile pennatum secundùm genus. Et vidit Deus quia bona sunt, & benedixit ea Deus, dicens, Crescite & multiplicamini, & replete aquas in mari, & volatilia multiplicentur super terram. Et facta est vespera, & factum est manè dies quintus.* Nunc in inferiore parte mundi, ea quæ spiritu vitæ moventur, fiunt, & primùm aquarum, quod aëris qualitati proximum elementum est; quia huic cælo, in quo sunt luminaria, ita vicinus est aër, ut & ipse cæli nomen acceperit; sed nescio utrùm etiam firmamentum possit vocari. Dicuntur autem cæli pluraliter in una eademque re, quæ dicitur unum cælum. Nam cùm in hoc libro singulari numero dicatur cælum, quod dividit inter aquas quæ supra, & eas quæ infra sunt: in illo tamen Psalmo, Et aquæ, inquit, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. Et cælos cælorum si bene intelligimus sidereos aëriorum, tamquam superiores inferiorum, & hos in eodem Psalmo accipimus, ubi dictum est, Laudate eum cæli cælorum. Satis apparet hunc aërem, non solùm cælum, sed etiam cælos dici: sicut dicuntur & terræ, nec aliud significatur, quàm illa quæ singulariter terra dicitur, quando dicimus orbem terrarum, & orbem terræ.

Psal. 148. 4.

2. HOS etiam aërios cælos quondam periisse diluvio in quadam earum, quæ canonicæ appellantur, epistola legimus. Neque enim humida illa natura, quæ ita concreverat, ut cubitis quindecim altissimorum montium transcenderet vertices, potuit ad sidera pervenire. Sed quia hujus aëris humidioris, in quo aves volitant, vel tota vel propè tota spatia compleverat, periisse qui fuerant cælos in illa epistola scribitur. Quod nescio quemadmodum possit intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioris hujus aëris qualitate conversa: alioquin non perierunt tunc isti cæli, sed sublimiùs erecti sunt, cùm locum eorum aqua occupaverat. Itaque faciliùs eos secundùm illius epistolæ auctoritatem periisse credimus, & alios, sicut ibi scribitur, repositos, [a] extenuatis videlicet exhalationibus, quàm sic erectos, ut eis superioris cæli natura loco suo cederet.

CAPUT II. Cælos diluvio periisse, est aërem in aquæ naturam transisse.

2. Pet. 3. 6.

a

3. Oportebat itaque ut in creandis habitatoribus inferioris hujus mundi partis, quæ sæpe terræ nomine tota commemoratur, prius producerentur ex aquis animalia, postea verò de terra: quòd ita fit aëri aqua similis, ut ejus exhalationibus pinguescere probetur, ut & spiritum procellæ faciat, id est ventum, & nubila contrahat, & possit volatus avium sustinere. Quapropter etiamsi verum dixit quidam sæcularium Poëtarum, Nubes excedit Olympus, & Pacem summa tenent: quia perhibetur in Olympi vertice aër esse tam tenuis, ut neque nubibus

Lucanus lib. 2.

[a] MSS. omnes ferè, *extentis.*

obumbretur, neque turbetur vento, neque sustentare alites possit, neque ipsos qui fortè adscenderint homines, crassioris auræ spiritu alere, sicut in isto aëre consueverunt: tamen & ipse aër est, unde aquis vicina qualitate diffunditur, & propterea ipse quoque in humidam naturam conversus diluvij tempore creditur. Neque enim arbitrandum est aliquid de spatiis siderei cæli usurpasse, cùm omnes etiam altissimos montes aqua transcenderat.

CAPUT III. De elementorum cõmutatione sententiæ. Aër in Genesis historia nõ prætermissus.

4. QUAMQUAM de conversione elementorum etiam inter ipsos qui hæc otiosâ curâ subtilissimè perscrutati sunt, non parva quæstio est. Alij enim dicunt omnia in omnia posse mutari, atque converti. Alij verò esse aliquid omnino proprium singulis perhibent elementis, quod in alterius elementi qualitatem nullo modo vertatur. Unde fortassis suo loco, si Dominus voluerit, diligentiùs disputabimus: nunc autem quod ad præsentem sermonem adtinet, hæc commemoranda existimavi, ut intelligamus servatum esse ordinem rerum, quo priùs oportuit aquarum animalia quàm terrarum narrari creata.

5. Nec ullo modo arbitrandum est prætermissum esse in hac Scriptura ullum mundi hujus elementum, cùm quatuor notissimis eum constare persuasum sit, quia videtur hîc cælum & aqua & terra commemorari, de aëre autem taceri. Consuetudo quippe nostrarum Scripturarum est, aut cæli & terræ nomine mundum appellare, aut interdum addere & mare. Aër itaque vel ad cælum pertinere intelligitur, si qua sunt in ejus superioribus partibus tranquillissima & pacatissima spatia; vel ad terram propter hunc turbulentum & caliginosum locum, qui humida exhalatione pinguescit, quamvis & ipse sæpius cæli nomine nuncupetur: ac per hoc non scriptum est, Producant aquæ reptilia animarum vivarum, & Producat aër volatilia volantia super terram: sed utrumque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur. Quidquid ergo aquarum sive labiliter undosum & fluidum est, sive vaporaliter tenuatum atque suspensum, ut illud reptilibus animarum vivarum, hoc volatilibus appareat distributum, utrumque tamen humidæ naturæ deputatur.

CAPUT IV. Quinque sensus ad quatuor elementa referri.

6. IDEOQUE sunt etiam qui subtilissima consideratione quinque istos manifestissimos corporis sensus secundùm quatuor usitata elementa ita distinguant, ut oculos ad ignem, aures ad aërem dicant pertinere. Olfaciendi autem gustandique sensum naturæ humidæ adtribuunt: & olfactum quidem istis exhalationibus humidis, quibus crassatur hoc spatium, in quo aves volitant; gustatum verò istis fluxibilibus & corpulentis humoribus. Nam quæcumque in ore sapiunt, ipsius oris humori commiscentur ut sapiant, etiamsi arida cùm acciperentur fuisse videantur. Ignis tamen omnia penetrat, ut motum in eis faciat. Nam & humor privatione caloris congelascit, & cùm possint [a] fervescere cetera elementa, ignis frigescere non potest: faciliùs quippe exstinguitur ut ignis non sit, quàm frigidus maneat, aut sit alicujus frigidi contactu tepidior. Tactus autem, qui est quintus in sensibus, terreno elemento magis congruit: proinde per totum corpus animantis, quod maximè ex terra est, quæque tacta sentiuntur. Dicunt etiam nec videri sine igne posse aliquid, nec tangi sine terra. Ac per hoc elementa omnia in omnibus inesse; sed unumquodque eorum ex eo quod amplius habet accepisse vocabulum. Ideo autem caloris privatione, cùm corpus nimiè frigescit, obtundi sensum, quia motus pigrescit, qui ex calore inest corpori, dum ignis aërem, & aër humida, & humor terrena quæque afficit, subtilioribus scilicet crassiora penetrantibus.

7. QUANTO autem quidque subtilius est in natura corporali, tanto est vicinius naturæ spiritali; quamvis longè distante genere, quando quidem illud corpus est, illud non est. * Ac per hoc quoniam sentire non est corporis, sed animæ per corpus, licèt acutè disseratur secundùm diversitatem corporeorum elementorum sensus esse corporis distributos, anima tamen cui sentiendi vis inest, cùm corporea non sit, per subtilius corpus agitat vigorem sentiendi. Inchoat itaque motum in omnibus sensibus à subtilitate ignis, sed non in omnibus ad idem pervenit. In visu enim pervenit represso calore usque ad ejus lucem. In auditu usque ad liquidiorem aërem calore ignis penetrat. In olfactu autem transit aërem purum, & pervenit ad humidam exhalationem, unde crassior hæc aura subsistit. In gustatu & hanc transit, & pervenit usque ad humorem corpulentiorem: quo etiam penetrato atque trajecto, cùm ad terrenam gravitatem pervenit, tangendi ultimum sensum agit.

* CAPUT V. Ut ad quatuor elementa variè se habet sentiendi vis in quinque sensibus.

CAPUT VI. Aëris elementum non esse prætermissũ à scriptore Genesis.

8. NON igitur ignorabat naturas elementorum eorumque ordinem, qui cùm visibilium, quæ intra mundum in elementis naturâ moventur, conditionem introduceret, priùs cælestia luminaria, deinde aquarum animantia, terrarum autem postrema narravit: non quòd aërem prætermiserit, sed quòd purissimi & quietissimi aëris, ubi volare aves non posse dicuntur, si qua sunt spatia, cælo superiori conjunguntur, & cæli nuncupatione in Scripturis ad superiorem mundi partem pertinere intelliguntur: ut terræ nomine universaliter hoc totum significetur, ex quo incipit deorsum versus, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, & omnes abyssi, donec perveniatur ad aridam, quæ proprio nomine terra dicitur. (Psal. 148. 8.) Aër itaque ille superior, sive quòd ad cælestem mundi pertinet partem, sive quòd nullum habet visibilem habitatorem, de qualibus nunc sermo narrantis est, neque prætermissus est cælo nominato, neque annumeratus in creandis animalibus: iste verò inferior qui excipit exhalationes humidas maris ac terræ, & ad sustinendas aves quodammodo crassatur, nonnisi ex aquis accipit animalia. Quod enim ejus humidum est, hoc portat alitum corpora, quæ ita nituntur pennis volantes, quemadmodum pisces quibusdam suis alis natantes.

CAPUT VII. Volatilia ex aquis nõ immeritò dicuntur creata. b

9. PROINDE scienter tamquam Spiritus Dei, qui scribenti aderat, ex aquis dicit producta volatilia. [b] Quorum natura bipartitum locum sortita est: inferiorem scilicet in unda labili, superiorem verò in aura flabili. Illum deputatum natantibus, istum volantibus. Sicut huic elemento congruos duos etiam sensus animalibus datos videmus, olfactum explorandis vaporibus, gustatum explorandis liquoribus. Quòd enim & tactu aquas ventosque sentimus, hoc est quòd terræ solidum omnibus admiscetur elementis: sed in his crassioribus sentitur ampliùs, ita ut etiam tangendo contrectari valeant. Ideoque & ista in duabus maximè mundi partibus generaliter terræ nomine complectuntur: sicut ille psalmus ostendit, omnia superiora ab illo

[a] Editi, *frigescere*. At MSS. plerique, *fervescere*.

[b] MSS. quinque, *Aquarum enim natura*. Sic etiam Am. & Er.

principio enumerans, Laudate Dominum de cælis; omniaque inferiora ab alio principio, Laudate Dominum de terra; ubi & spiritus tempestatis & omnes abyssi nominantur, & ignis iste qui urit tangentem, quia de terrenis & humidis motibus ita existit, ut subinde vertatur in aliud elementum. Et quamvis naturæ suæ sursum nitendo indicet appetitum, in cælestem tamen superiorem tranquillitatem non potest evadere; quia multo aëre superatus & in eum conversus exstinguitur: ac per hoc in ista rerum parte corruptibiliore atque pigriore turbulentis motibus agitatur ad temperandum ejus rigorem, & ad usus terroresque mortalium.

10. Quia ergo etiam tactu, qui ad terram propriè pertinet, sentiri possunt & fluctus undarum, & flatus aurarum, propterea ipsa quoque aquatilium animalium corpora & terrenis vescuntur, & maximè aves; in terra etiam requiescunt, fetusque propagant: pars enim humoris quæ vaporaliter exhalatur, etiam super terras extenditur. Ideoque cùm dixisset Scriptura, *Educant aquæ reptilia animarum vivarum, & volatilia*, inquit, *super terram*; addidit sanè dicens, *secundùm firmamentum cæli*, in quo potest aliquanto manifestius apparere illud, quod antea videbatur obscurum. Non enim ait, in firmamento cæli, sicut de luminaribus; sed *volantia*, inquit, *super terram, secundùm firmamentum cæli*, id est juxta firmamentum cæli: quia videlicet hoc caliginosum & humidum spatium, in quo aves volant, illi spatio contiguum est, ubi volare non possunt, quod jam merito tranquillitatis & quietis pertinet ad firmamentum cæli. In cælo ergo volant aves, sed in isto, quod ille Psalmus etiam terræ nomine includit; propter quod cælum vocantur multis locis volatilia cæli: non tamen in firmamento, sed secundùm firmamentum.

CAPUT VIII. Reptilia animarum vivarum pisces cur appellati.

11. NONNULLI putant propter sensus tarditatem non animam vivam, sed *reptilia animarum vivarum* appellata. Sed si propterea sic appellarentur, avibus daretur nomen animæ vivæ. Cùm verò & ipsa volatilia dicta sunt, sicut illa reptilia, ut subaudiatur animarum vivarum; fatendum est, ut arbitror, ita dictum, ac si diceretur, quæ sunt in animabus vivis reptilia vel volatilia; sicut dici posset ignobilia hominum, ut intelligeremus, quicumque sunt in hominibus ignobiles. Quamquam enim sint & animalia terrestria, quæ repunt super terram; tamen ex multo majore numero pedibus moventur, & tam pauca fortasse in terris repunt, quàm pauca in aquis gradiuntur.

12. Nonnulli autem putaverunt propterea non animam vivam, sed *reptilia animarum vivarum* pisces esse appellatos, quòd eis memoria nulla sit, nec aliqua vita velut rationi vicinior. Sed fallit eos experientia minor. Nam quidam scripserunt quæ animadvertere potuerunt in vivariis piscium multa miranda. Sed etiam si fortè falsa scripserunt, memoriam tamen pisces habere certissimum est. Quod ipse sum expertus, & experiantur qui possunt & volunt. Nam fons quidam magnus Bullensium-regiorum, ferè plenus est piscium. Solent autem homines desupèr intuentes eis aliquid jacere, quod sibi vel præripiant confluentes, vel inter se diripiant concertantes. Quo pastu assueti, deambulantibus super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis congregatim natando eunt & redeunt, exspectantes unde aliquid jactent, quorum præsentiam sentiunt. Non itaque frustra mihi videtur aquarum animalia sic appellata reptilia, quemadmodum aves volatilia: nam si vel nulla memoria, vel sensus tardior, animæ vivæ nomen repulisset à piscibus, volatilibus certè adhiberetur, quorum vita in oculis nostris est [a] & memor & garrula, & in nidis construendis educandisque fetibus sollertissima.

CAPUT IX. Quòd quidam Philosophi cuique elemento sua animalia tribuerunt.

13. NEC ignoro, ita quosdam Philosophos sua cujusque elementi distribuisse animalia, ut terrena esse dicerent, non tantùm quæ in terra repunt atque gradiuntur, sed aves etiam, quòd & ipsæ in terra requiescant, volando fatigatæ: aëria verò animalia dæmones esse, cælestia deos; quorum quidem nos partim luminaria, partim angelos dicimus. Iidem tamen aquis pisces & sui generis belluas adtribuunt, ut nullum elementum suis animalibus vacet: quasi verò sub aquis terra non sit, aut probare possint pisces non in ea requiescere ac reparare natandi vires, sicut volandi aves: etsi fortè rariùs pisces id faciunt, quòd ad gestanda corpora sit unda quàm aura validior, ita ut terrena quoque animalia natantia ferat, sive usu docta, ut homines, sive naturâ, ut quadrupedia vel serpentes. Aut si propterea non putant, quia non insunt pedes piscibus; nec * phocæ aquarum sunt, nec colubri cochleæque terrarum: nam & illæ pedes habent, & hæc genera sine ullis pedibus, non dico, requiescunt in terra, sed ab ea vix aut numquam recedunt. Dracones autem sine pedibus & in speluncis requiescere, & in aërem sustolli perhibentur: qui quamquam non facilè noti sint, litteræ tamen, non tantùm nostræ, sed etiam gentilium nequaquam de istorum animantium genere tacuerunt.

* φῶκαι vituli marini.

CAPUT X. Concesso dæmones esse aëria animalia, nihil detrahitur Scripturæ docenti producta fuisse ex aquis volatilia.

14. QUAPROPTER etsi dæmones aëria sunt animalia, quoniam corporum aëriorum naturâ vigent; & propterea morte non dissolvuntur, quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum quàm ad patiendum est aptius; duobus subterpositis, aquâ scilicet & terrâ, uno autem superposito, id est igne sidereo: distribuuntur enim elementa ad patiendum duo, humor & humus; ad faciendum autem alia duo, aër & ignis. Si ergo hæc ita sunt, non impedit ista distinctio nostram Scripturam, quæ non ex aëre, sed ex aquis producta indicat volatilia; quia subtilioris quidem & in auras exhalati atque distenti, sed tamen humoris locus volatilibus datus est. Aër autem à confinio luminosi cæli usque ad aquarum fluida & nuda terrarum pervenit. Non tamen totum spatium ejus exhalationes humidæ infuscant, sed usque ad eum finem, unde incipit etiam terra nominari, secundùm illum Psalmum ubi dicitur, Laudate Dominum de terra. (Psal. 148. 7.) Superior verò pars aëris, propter puram tranquillitatem, cælo cui conlimitatur, communi pace conjungitur, & ejus vocabulo nuncupatur. In qua fortassis parte si fuerunt ante transgressionem suam transgressores angeli cum principe suo, nunc diabolo, tunc archangelo: (nam nonnulli nostri, non eos putant cælestes vel supercælestes angelos fuisse:) non mirum si post peccatum in istam sunt detrusi caliginem; ubi tamen & aër sit, & humore tenui contexatur, qui commotus ventos, & vehementiùs concitatus etiam ignes & tonitrua, & contractus nubila, & conspissatus pluviam, & congelantibus nubilis nivem, & turbulentiùs congelantibus densioribus nubilis grandinem, & distentus serenum facit, occultis imperiis & opere Dei, à summis ad infima

Venti. Tonitrua. Nubes. Pluvia. Grando. Serenitas.

[a] MSS. aliquot, *est memoratu garrula*.

universa quæ creavit administrantis. Unde in illo
Psal. 148. 8. Psalmo cùm commemorata essent, ignis, grando,
» nix, glacies, spiritus tempestatis; ne talia sine divi-
» na providentia fieri moverique putarentur, conti-
nuò subjecit, quæ faciunt verbum ejus.

15. Si autem transgressores illi antequam transgrederentur, cælestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conversa sunt ex pœna in aëriam qualitatem, ut jam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris aliquid pati: nec aëris saltem spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt, qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est, usque ad tempus judicij. Et si quid de his transgressoribus angelis diligentiùs requirendum est, alius erit accommodatior Scripturæ locus. Proinde quod nunc satis est, si hæc spatia turbida & procellosa, propter aëris naturam usque ad un-
a das terrasque [a] porrectam, possunt aëria corpora sustinere; possunt & avium quæ producta sunt ex aquis, propter aquarum tenues halitus: qui scilicet eidem aëri juxta undas & terras circumfuso, atque ob hoc infimæ ac terrenæ parti deputato, vaporaliter inseruntur, & auras intexunt, quæ nocturnis rigoribus aggravatæ sereno etiam rore distillant; si autem vehementius frigus est, etiam gelu candidiùs inalbescunt.

Caput XI. Tractatur vers. 24. & 25. De variis animantium generibus creatis de terra.

16. Et *dixit Deus, Educat terra animam vivam secundùm genus: quadrupedia, & reptilia, & bestias terræ secundùm genus, & pecora secundùm genus. Et factum est sic. Et fecit Deus bestias terræ secundùm genus, & pecora secundùm genus, & omnia reptilia terræ secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt.* Jam nunc consequens erat, ut alteram partem, quæ propriè terra dicitur, infimi hujus loci, quem totum cum omnibus abyssis & nebuloso aëre universaliter vocabulo terræ alibi Scriptura complectitur, ornaret animalibus suis. Et manifesta quidem sunt animalium genera, quæ in verbo Dei terra produxit. Sed quia sæpè nomine pecorum vel nomine bestiarum, animalia omnia rationis expertia solent intelligi, meritò quæritur, quas nunc propriè bestias, & quæ pecora dicat. Et repentia quidem sive reptilia terrena, non est dubitandum quòd omnes serpentes intelligi voluit; quamquam & bestiæ dici possint; pecorum autem nomen non usitatè serpentibus convenit. Rursum leonibus & pardis & tigridibus & lupis & vulpibus, canibus etiam & simiis, atque id genus ceteris usitatè convenit vocabulum bestiarum. Pecorum autem nomen his animalibus accommodatius aptari solet, quæ sunt in usu hominum; sive adjuvandis laboribus, ut bo-
b ves & equi, & si qua talia; sive ad [b] lanificium, vel ad vescendum, ut oves & sues.

17. Quid ergo sunt quadrupedia? Quamquam enim hæc omnia, præter quædam serpentia, quatuor pedibus gradiantur, nisi tamen hoc nomine propriè quædam vellet intelligi, non utique hîc etiam quadrupedia nominaret, quamvis de his in repetitione tacuerit. An cervi & damulæ & onagri & apri, (quia neque illis bestiis, ubi leones sunt, conjungi possunt; similes enim sunt illis pecoribus, neque tamen sub humana cura sunt,) propriè quadrupedia nuncupata sunt; quasi reliqua essent hæc animalia, quibus ista appellatio generalis quidem cùm multis propter numerum pedum, sed tamen speciali significatione tribueretur? An quia ter dixit, *secundùm genus*, tria quædam genera nos invitat adtendere? Primò, *secundùm genus* quadrupedia & reptilia; ubi arbitror significatum quæ quadrupedia dixerit, scilicet quæ in genere sunt reptilium, sicut sunt lacerti, stelliones, & si quid hujusmodi est. Ideoque in repetitione quadrupedum nomen non iteravit, quia reptilium vocabulo fortasse complexus est: unde ibi non simpliciter ait, reptilia, sed addit, *omnia reptilia terræ*. Ideo terræ, quia sunt & aquarum; & ideo omnia, ut illic intel-
B ligantur quæ quatuor etiam pedibus nituntur, quæ superiùs quadrupedum nomine propriè significata sunt. Bestias autem, de quibus item ait, *secundùm genus*, quidquid ore aut etiam unguibus sævit, exceptis serpentibus. Pecora verò de quibus tertiò ait, *secundùm genus*, quæ neutra vi lacerant, sed aut cornibus, aut ne hoc quidem. Prædixi enim & quadrupedum nomen quàm latè pateat, ipso pedum numero facilè agnosci, & nomine pecorum vel bestiarum omne irrationale animal aliquando
C comprehendi. Sed etiam ferarum vocabulum solet in latina lingua tantumdem valere: non ideo tamen negligenda fuit consideratio, quomodo possint hæc nomina, quæ non frustra in hoc Scripturarum loco posita sunt, etiam speciali distinctione discerni, quod in usu loquendi quotidiano facilè animadverti potest.

Caput XII. Quid *Secundùm genus*, quod de quibusdam creaturis, non de homine dicitur.

18. Non frustra etiam lectorem movet, utrùm-ne passim & quasi fortuitò, an aliqua ratione dicatur, *secundùm genus*, tamquam fuerint & antea,
D cùm primò creata [c] narrentur: an genus eorum in superioribus rationibus intelligendum est, utique spiritalibus, secundùm quas creantur inferiùs. Sed si ita esset, hoc de luce, hoc de cælo, hoc de aquis & terris, hoc de cæli luminaribus diceretur. Quid enim eorum est, cujus non æterna & incommutabilis ratio in ipsa Dei Sapientia vigeat, quæ adtingit Sap. 8. 1.
à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter? Incipit autem hoc dici de herbis & lignis, usque ad hæc terrena animantia. Nam & in eis quæ
E ex aquis creata sunt, quamvis in prima commemoratione dictum non sit, in illa tamen iteratione dictum est, *Et fecit Deus cetos magnos & omnem animam animalium reptilium, quæ eduxerunt aquæ secundùm genus eorum; & omne volatile pennatum secundùm genus.*

19. An quia hæc ita exorta sunt, ut ex eis alia nascerentur, & originis formam successione servarent, ideo dicuntur *secundùm genus*, propter propagationem prolis, qua permansura creabantur? Sed cur de herbis & lignis non solùm dicitur, *se-*
F *cundùm genus*, verùm etiam *secundùm similitudinem*, cùm & animalia sive aquarum sive terrarum secundùm similitudinem suam generent? An quia genus sequitur similitudo, noluit eam ubique repetere? Nam & semen non ubique repetivit; cùm tam herbis & lignis insit, quàm animalibus, etsi non omnibus. Observatum est enim quædam ita nasci ex aquis vel terra, ut sexus eis nullus sit; & ideo semen eorum non sit in eis, sed in elementis
G ex quibus oriuntur. Hoc est ergo secundùm genus, ubi & seminum vis & similitudo intelligitur succedentium [d] decedentibus: quia nihil eorum ita creatum est, ut semel exsisteret, vel permansurum, vel nullo succedente decessurum.

20. Cur ergo & de homine non ita dictum est,

[a] Editi *porrecta*. Emendamus auctoritate MSS. *porrectam*.
[b] In MSS. propè omnibus, *lanicium*.
[c] In plurimis & optimæ notæ MSS. *narraventur*.
[d] MSS. tredecim, *succedentium de succedentibus*.

Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem A
nostram, secundùm genus; cùm & hominis propago manifesta sit? An quia non ita Deus fecerat hominem ut moreretur, si præceptum servare voluisset, & ideo non erat necessarius decessori successor: sed post peccatum comparatus est pecori-
Psal. 48. 13. bus insensatis, & similis factus est eis; ut jam filij sæculi hujus generent & generentur, quò possit mortalium genus servata successione subsistere? Quid sibi ergo vult post hominem factum illa bene-
Gen. 1. 28. dictio, *Crescite & multiplicamini, & implete terram:* quod utique fieri posset generando? An nihil hinc temere dicendum, donec ad eum Scripturæ locum perveniamus, ubi diligentiùs ista requirenda atque tractanda sunt? Potest enim nunc fortasse sufficere, propterea de homine non dictum esse secundùm genus, quia unus fiebat, de quo etiam femina facta est. Non enim multa genera hominum, sicut herbarum, lignorum, piscium, volatilium, serpentium, pecorum, bestiarum: ut sic dictum accipiamus, secundùm genus, ac si diceretur ge-
C neratim, ut inter se similia atque ad unam originem seminis pertinentia distinguerentur à ceteris.

Caput XIII. Benedictio cur solis aquatilibus sicut homini impertita.

21. Item quæritur, quid tantum aquarum animalia de Creatore meruerint, ut sola benedicerentur, sicut homines. Nam & ipsa benedixit Deus,
D dicens, *Crescite & multiplicamini, & implete aquas maris, & volatilia multiplicentur super terram.* An in uno creaturæ genere dicendum fuit, ut in ceteris consequenter intelligeretur, quæ generationibus crescunt? Priùs ergo diceretur in eo quod primum tale creatum est, in herba scilicet atque ligno. An fortè quæ nullum haberent propagandæ prolis affectum, ac sine ullo sensu generarent, indigna judicavit illis benedictionis verbis, *Crescite & multiplicamini:* ubi autem talis inesset affectus, ibi primùm hoc dixit, ut in terrenis animalibus etiam non dictum intelligeretur? Necessarium autem fuit hoc in homine repetere, ne quisquam di-
Officium gignendi. ceret in officio gignendi filios ullum esse peccatum,
E sicut est in libidine, sive fornicandi, sive ipso conjugio immoderatiùs abutendi.

Caput XIV. De insectorum creatione.

22. Nonnulla etiam de quibusdam minutissimis animalibus quæstio est, utrùm in primis rerum conditionibus creata sint, an ex consequentibus rerum mortalium corruptionibus? Nam pleraque eorum aut de vivorum corporum vitiis, vel purgamentis, vel exhalationibus, aut cadaverum tabe gignuntur; quædam etiam de corruptione lignorum & herbarum, quædam de corruptionibus
F fructuum: quorum omnium non possumus rectè dicere Deum non esse creatorem. Inest enim omnibus quoddam naturæ sui generis decus, sic ut in his major sit admiratio bene considerantis, & laus
Psal. 103. 24. uberior omnipotentis artificis: qui omnia in sapien-
Sap. 8. 1. tia fecit, quæ à fine usque ad finem pertendens, & suaviter cuncta disponens, nec ea ipsa rerum novissima, quæ pro sui generis ordine dissolvuntur, & quarum dissolutionem ex pœna nostræ mortalitatis horremus, relinquit informia: sed creat mini-
G ma corpore, acuta sensu, animantia; ut majore adtentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quàm magnitudinem jumenti gradientis, ampliùs-que miremur opera formicularum, quàm onera camelorum.

23. Sed utrùm in primis, ut dixi, rerum conditionibus, quæ isto sex dierum ordine creatæ narrantur, hæc quoque minima instituta credamus, an postea consequentibus corruptibilium corporum solutionibus, hoc quæritur. Et potest quidem dici ea minutissima, quæ ex aquis vel terris oriuntur, tunc creata: in quibus etiam illa non absurdè in-
B telliguntur, quæ nascuntur ex iis quæ terra germinante orta sunt; & quia præcesserant conditionem, non solùm animalium, sed etiam luminarium; & quia terræ continuantur per radicum connexionem, unde illo die quo apparuit arida, exorta sunt, ut potiùs ad supplementum habitationis, quàm ad numerum habitatorum pertinere intelligantur. Cetera verò quæ de animalium gignuntur corpo-
2. Sent. dist. 15. c. De quibusdã. ribus, & maximè mortuorum, absurdissimum est dicere tunc creata, cùm animalia ipsa creata sunt: nisi quia inerat jam omnibus animatis corporibus
C vis quædam naturalis, & quasi præseminata & quodammodo [a] liciata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quæque genere ac differentiis erant exortura, per administrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore.

Caput XV. De creatione animalium venenatorum.

24. De generibus quoque animalium venenosis & perniciosis quæri solet, utrùm post peccatum hominis ad vindictam creata sint; an potiùs cùm jam creata essent innoxia, nonnisi postea pec-
D catoribus nocere cœperint. Neque hoc mirum est, quando quidem etiam temporibus hujus vitæ laboriosæ atque ærumnosæ, cùm ita sit nemo justus ut perfectum se audeat dicere, fideliter adtestante Apostolo & dicente, Non quia jam acceperim aut Phil. 3. 12.
etiam perfectus sim: cúmque adhuc exercendæ atque in infirmitate perficiendæ virtuti necessariæ sint tentationes & molestiæ corporales, eodem rursus Apostolo manifestante qui ait, in magnitudine 2. Cor. 12. 7.
revelationum ne extolleretur, datum sibi esse sti-
E mulum carnis, angelum satanæ ut eum colaphizaret, rogatumque à se Dominum tertiò, ut discederet ab eo, respondisse sibi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Tamen & sanctus Daniel inter leones salvus atque intrepi- Dan. 6. 22. & 14. 38.
dus vixit, qui non utique Deo mentiens in oratione, non tantùm peccata populi sui, sed etiam sua fatetur: & in ipsius Apostoli manu mortifera vipera Act. 28. 5.
inhæsit, nec læsit. Potuerunt ergo ista etiam creata nihil nocere, si caussa non exstitisset, vel terrendo-
F rum puniendorumque vitiorum, vel probandæ perficiendæque virtutis: quia & exempla sunt demonstranda patientiæ, ad profectum ceterorum; & ipse sibi homo in tentationibus certiùs innotescit; & juste salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per [b] voluptatem, fortiter recipitur per dolorem.

Caput XVI. Bestiæ invicem nocentes cur creatæ.

25. Dicet aliquis, Cur ergo invicem bestiæ nocent, quibus nec peccata ulla sunt, ut vindicta ista dicatur, nec ullam recipiunt tali exercitatione virtutem? Ideo nimirum, quia scilicet aliæ cibi sunt
G aliarum. Nec rectè possumus dicere, Non essent aliæ quibus aliæ vescerentur. Habent enim omnia quamdiu sunt, mensuras, numeros, ordines suos, quæ cuncta meritò considerata laudantur, nec sine

[a] Editi Erasm. & Lov. *præseminata materia, & quodammodo initiata primordia.* MSS. verò carent voce, *materia:* proque *initiata*, habent *liciata*; uti etiam editio Am. quod vocabulum intelliges ex lib. 22. de Civit. Dei c. 14. ubi membra omnia esse latenter in semine, & nascentes perfectionis modum, non in mole, sed in ratione jam habere docet Augustinus. *In qua ratione*, ait, *uniuscujusque materiæ inditæ corporali jam quodammodo, ut ita dicam, liciatum videtur esse, quod nondum est, immo quod later, sed accessu temporis erit, vel potius apparebit.*
[b] In editis *per voluntatem*. At in MSS. *per voluptatem*.

occulta pro suo genere moderatione pulcritudinis A temporalis, etiam ex alio in aliud transeundo, mutantur. Quod etsi stultos latet, sublucet proficientibus, clarumque perfectis est. Et certè omnibus talibus inferioris creaturæ motibus præbentur homini salubres admonitiones, ut videat quantum sibi satagendum sit pro salute spiritali & sempiterna, qua omnibus irrationalibus animantibus antecellit, cùm illa videat à maximis elephantis usque ad minimos vermiculos pro salute corporali & temporali, quàm pro sui generis inferiore ordina- B tione sortita sunt, sive resistendo, sive cavendo, agere quidquid valent: quod non apparet, nisi cùm quædam refectionem corporis sui ex aliorum corporibus quærunt; alia se vel repugnandi viribus, vel fugæ præsidio, vel latebrarum munimine tuentur. Nam & ipse corporis dolor in quolibet animante magna & mirabilis animæ vis est, quæ illam compagem ineffabili permixtione vitaliter continet, & in quamdam sui moduli redigit unitatem, cùm eam non indifferenter, sed ut ita dicam, in- C dignanter patitur corrumpi atque dissolvi.

Caput XVII. Scripulus de corporibus mortuorum devoratis.

26. Illud etiam fortasse aliquem moveat, si animalia noxia vivos homines aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent, cur in escas suas dilacerant etiam corpora hominum mortuorum? Quasi verò quidquam interfit ad nostram utilitatem, ista caro jam exanimis in naturæ profunda secreta per quos transitus eat, unde mirabili omnipotentiâ Creatoris reformanda rursus eruatur. Quamquam & hinc D fiat quædam prudentibus admonitio, ut se ita commendent fideli Creatori, omnia maxima & minima occulto nutu administranti, cui nostri etiam capilli numerati sunt, ne propter inanes curas exanimatorum corporum suorum ulla genera mortium perhorrescant, sed piæ fortitudinis nervos ad omnia præparare non dubitent.

Luc. 12. 7.

Caput XVIII. Spinæ & tribuli lignaque infructuosa cur & quãdo creata.

27. Talis etiam quæstio de spinis & tribulis solet oboriri, & de quibusdam lignis infructuosis, vel cur vel quando creata sint, cùm Deus dixerit, E *Producat terra herbam pabuli seminantem semen, & lignum fructiferum faciens fructum.* Sed qui ita moventur, non intelligunt saltem de usitatis formulis humani juris, quemadmodum appelletur ususfructus. Utilitas enim quædam fruentium in fructus nomine consideratur. Quantæ autem sint utilitates, sive manifestæ, sive occultæ, omnium quæ terra gignens radicitus alit, & ipsi quædam intueantur, & ab expertis cetera inquirant.

28. Et de spinis quidem ac tribulis absolutior po- F testest esse responsio, quia post peccatum dictum est homini de terra, *Spinas & tribulos pariet tibi.* Nec tamen facilè dicendum est tunc cœpisse ista oriri ex terra. Fortassis enim quoniam in ipsis quoque generibus seminum multæ reperiuntur utilitates, poterant habere locum suum sine ulla pœna hominis. Sed ut in agris in quibus jam pœnaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumulum pœnæ valere credi potest, cùm possent alibi nasci, vel ad avium pecorumque pastus, vel ad ipsorum homi- G num aliquos usus. Quamquam & ille sensus non abhorret ab his verbis, quo ita intelligitur dictum, *Spinas & tribulos pariet tibi*; ut hæc etiam antea terra pariens, non tamen homini pareret ad laborem, sed cujuscemodi animalibus convenientem cibum; sunt enim quæ his generibus, & mollioribus & aridioribus commodè suaviterque vescantur: tunc autem cœperit ista homini parere ad ærumnosum negotium, cùm post peccatum cœpit in terra laborare. Non quòd aliis locis hæc antea nascerentur, & pòst in agris quos homo ad capiendas fruges coleret; sed & priùs & postea in eisdem locis: priùs tamen non homini, pòst autem homini, ut hoc significetur quod additum est, *tibi*: quia non est dictum, Spinas & tribulos pariet, sed, *pariet tibi*; id est ut tibi jam ista nasci incipiant ad laborem, quæ ad pastum tantummodo aliis animalibus antea nascebantur.

Gen. 3. 18

Caput XIX. De vers. 26. 27. &c. Cur in solius hominis creatione dictum, *Faciamus* &c.

29. Et *dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & dominetur piscium maris & volatilium cæli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium reptilium repentium super terram. Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum: masculum & feminam fecit eos, Et benedixit eos Deus dicens, Crescite, & multiplicamini, & implete terram, & dominamini ejus, & principamini piscium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium reptilium repentium super terram. Et dixit Deus, Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen quod est super omnem terram, & omne lignum quod habet in se fructum seminis seminalis, vobis erit ad escam, & omnibus bestiis terræ, & omnibus volatilibus cæli, & omni reptili reponti super terram, quod habet in se spiritum vitæ, & omne pabulum viride in escam. Et factum est sic. Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde. Et facta est vespera, & factum est manè dies sextus.* Etiam atque etiam de natura hominis pòst erit uberior considerandi & diligentiùs disserendi locus. Nunc tamen ut opera sex dierum nostra inquisitio pertractatioque concludat, hoc primùm breviter dicimus, non indifferenter accipiendum quod in aliis operibus dicitur, *Dixit Deus, Fiat*; hîc autem, *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: ad insinuandam scilicet, ut ita dicam, pluralitatem personarum propter Patrem & Filium & Spiritum-sanctum. Quam tamen deitatis uniratem intelligendam statim admonet, dicens, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*; non quasi Pater ad imaginem Filij, aut Filius ad imaginem Patris; alioquin non verè dictum est, *ad imaginem nostram*, si ad Patris solius, aut Filij solius imaginem factus est homo: sed ita dictum est, *fecit Deus ad imaginem Dei*; tamquam diceretur, fecit Deus ad imaginem suam. Cùm autem nunc dicitur, *ad imaginem Dei*, cùm superiùs dictum sit, *ad imaginem nostram*; significatur quòd non id agat illa pluralitas personarum, ut plures deos vel dicamus, vel credamus, vel intelligamus; sed Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, propter quam Trinitatem dictum est, *ad imaginem nostram*, unum Deum accipiamus, propter quod dictum est, *ad imaginem Dei.*

1. Sent. dist. 2. cap. Proponamus. & 2. Sent. dist. 16. cap. 1.

Caput XX. In quo homo factus sit ad imaginem Dei. Cur de hominis creatione non dicimur, *Et sic est factum.*

30. Hîc etiam illud non est prætereundum, quia cùm dixisset, *ad imaginem nostram*; statim subjunxit, *& habeat potestatem piscium maris & volatilium cæli*, & ceterorum animalium rationis expertium: ut videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit. Id autem est ipsa ratio, vel mens, vel intelligentia, vel si quo alio vocabulo commodiùs appellatur. Unde & Apostolus dicit, Renovamini in spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei, secundùm imaginem ejus qui creavit eum: satis ostendens ubi sit homo creatus ad imaginem Dei,

Eph. 4. 23.
Col. 3. 10.

quia non corporeis lineamentis, sed quadam forma A intelligibili mentis illuminatæ.

31. Ac per hoc sicut in illa prima luce, si eo nomine rectè intelligitur facta lux intellectualis particeps æternæ atque incommutabilis sapientiæ Dei, non dictum est, Et sic est factum, ut deinde repeteretur, Et fecit Deus: quia sicut jam quantum potuimus disseruimus, non fiebat cognitio aliqua Verbi Dei in prima creatura, ut post eam cognitionem inferiùs crearetur, quod in eo Verbo creabatur; sed ipsa prima creabatur lux, in qua fieret cognitio B Verbi Dei, per quod creabatur, atque ipsa cognitio illi esset ab informitate sua converti ad formantem Deum, & creari, atque formari: postea verò in ceteris creaturis dicitur, *Et sic est factum*; ubi significatur in illa luce, hoc est in intellectuali creatura priùs facta Verbi cognitio; ac deinde cùm dicitur, *Et fecit Deus*, ipsius creaturæ genus fieri demonstratur, quod in Verbo Dei dictum erat ut fieret: hoc & in hominis conditione serva- C tur. Dixit enim Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, &c. Ac deinde non dicitur, *Et sic est factum*; sed jam subinfertur, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*: quia & ipsa natura scilicet intellectualis est, sicut illa lux, & propterea hoc est ei fieri, quod est agnoscere Verbum Dei per quod fit.

32. Nam si diceretur, *Et sic est factum*, & postea subinferretur, *Et fecit Deus*; quasi priùs factum intelligeretur in cognitione rationalis creatu- D ræ, ac deinde in aliqua creatura, quæ rationalis non esset: quia verò & ipsa rationalis creatura est, & ipsa eadem cognitione perfecta est. Sicut enim post lapsum peccati homo in agnitione Dei renovatur, secundùm imaginem ejus, qui creavit eum: ita in ipsa agnitione creatus est, antequam delicto veterasceret, unde rursum in eadem agnitione renovaretur. Quæ autem non in ea cognitione creata sunt, quia sive corpora sive irrationales animæ creabantur, primò facta est in creatura intellectuali co- E gnitio eorum à Verbo, quo dictum est ut fierent: propter quam cognitionem primò dicebatur, *Et sic est factum*, ut ostenderetur facta ipsa cognitio in ea natura, quæ hoc in Verbo Dei antè cognoscere poterat; ac deinde fiebant ipsæ corporales & irrationales creaturæ, propter quod deinceps addebatur, *Et fecit Deus.*

Caput XXI. De hominis immortalitate difficultas ex cibo ipsi præstito.

33. Quomodo autem homo immortalis factus sit, & acceperit escam cum aliis animalibus, herbam pabuli ferentem semen, & lignum fructiferum, F & herbam viridem, difficile est dicere. Si enim peccato mortalis effectus est, utique ante peccatum non indigebat talibus cibis. Neque enim posset corpus illud fame corrumpi. Nam illud quod dictum est, *Crescite & multiplicamini, & implete terram*, quamquam nisi per concubitum maris & feminæ fieri non posse videatur; unde hinc quoque mortalium corporum exstitit indicium: potest tamen dici, alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, ut solo piæ caritatis affectu, nullâ G corruptionis concupiscentiâ filij nascerentur, nec mortuis parentibus successuri, nec ipsi morituri; donec terra immortalibus hominibus impleretur, ac sic instituto justo & sancto populo, qualem post resurrectionem futurum credimus, nascendi etiam modus fieret: potest quidem dici, & quomodo dicatur, alia consideratio est: sed non etiam hoc quisquam dicere audebit, ciborum indigentiam [a] quibus reficiantur, nisi mortalibus corporibus esse posse.

Gen. 1. 28.

2. Sent. dist. 20 c. De termino.

a

Caput XXII. Opinio quorumdam, animæ creationem signari his verbis, *Et fecit* &c. corporis verò istis, *Et finxit Deus* &c.

34. Nonnulli autem etiam hoc suspicati sunt, nunc interiorem hominem factum, corpus autem hominis postea, cùm ait Scriptura, *Et finxit Deus hominem de limo terræ*: ut quod dictum est, *fecit*, ad spiritum pertineat; quod autem, *finxit*, ad corpus. Nec adtendunt masculum & feminam nonnisi secundùm corpus fieri potuisse. Licèt enim subtilissimè disseratur, ipsam mentem hominis in qua factus est ad imaginem Dei, quamdam scilicet rationalem vitam, distribui in æternæ contemplationis veritatem, & in [b] rerum temporalium administrationem, atque ita fieri quasi masculum & feminam, illa parte consulente, hac obtemperante: in hac tamen distributione non rectè dicitur imago Dei, nisi illud quod inhæret contemplandæ incommutabili veritati. In cujus rei figura Paulus apostolus virum tantùm dicit imaginem & gloriam Dei: « mulier autem, inquit, gloria viri est. Itaque quamvis « hoc in duobus hominibus diversi sexûs exteriùs secundùm corpus figuratum sit, quod etiam in una hominis interiùs mente intelligitur: tamen & femina quæ est corpore femina, renovatur etiam ipsa in spiritu mentis suæ in agnitione Dei secundùm imaginem ejus qui creavit, ubi non est masculus & femina. Sicut autem ab hac gratia renovationis, & reformatione imaginis Dei, non separantur feminæ, quamvis in sexu corporis earum aliud figuratum sit, propter quod vir solus dicitur esse imago & gloria Dei; sic & in ipsa prima conditione hominis, secundùm id quod & femina homo erat, habebat utique mentem suam eamdemque rationalem, secundùm quam ipsa quoque facta est ad imaginem Dei. Sed propter unitatem conjunctionis, *Fecit Deus*, inquit, *hominem ad imaginem Dei.* Ac ne quisquam putaret solum spiritum hominis factum, quamvis secundùm solum spiritum fieret ad imaginem Dei, *Fecit illum*, inquit, *masculum & feminam*, ut jam etiam corpus factum intelligatur. Rursum ne quisquam arbitraretur ita factum, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdùm nascuntur, quos androgynos vocant; ostendit se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse, & quòd de viro mulier facta est, sicut postea manifestabitur, cùm id quod hîc breviter dictum est, diligentiùs cœperit explicari: & ideo pluralem numerum continuò subjecit, dicens, *Fecit eos, & benedixit eos.* Sed ut jam dixi, diligentiùs in consequenti Scriptura de hominis creatione requiremus.

1. Cor. 11. 7.

b

Caput XXIII. Quò spectet illud vers. 30. *Et sic est factum.*

35. Nunc advertendum est, quod postea quàm dixit, *Et sic factum est*; statim subjecit, *Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde*: ubi intelligitur potestas & facultas ipsa data naturæ humanæ sumendi ad escam pabulum agri & fructus ligni. Ad hoc enim intulit, *Et sic est factum*, quod ab illo loco inchoaverat, ubi ait, *Et dixit Deus, Ecce dedi vobis pabulum seminale*, &c. Nam si ad omnia quæ suprà dicta sunt retulerimus quod ait, *Et sic est factum*; consequens erit ut confiteamur etiam crevisse illos jam, & multiplicatos implevisse terram in eodem sexto die; quod eadem Scripturâ testante post multos annos factum invenimus. Quapropter cùm data esset hæc facultas edendi, & hoc Deo dicente homo cognovisset, dicitur, *Et sic est factum:*

[a] In excusis habebatur, *quibus reficiebantur, nisi mortalibus corporibus esse non posse.* Verior MSS. lectio, quam in textu exhibemus.

[b] Editi, *& in quamdam.* abest, *quamdam*, à MSS.

in hoc utique quod Deo dicente homo cognovit. Nam si id etiam tunc egisset, id est in escam illa quæ data sunt etiam vescendo assumsisset, servaretur illa consuetudo Scripturæ, ut postea quàm dictum est, *Et sic est factum*, quod ad exprimendam præcedentem cognitionem pertinet, deinde inferretur etiam ipsa operatio, ac diceretur, Et acceperunt & ederunt. Poterat enim ita dici, etiam si non rursus nominaretur Deus. Sicut in illo loco postea quàm dictum est, *Congregetur aqua quæ sub cælo est in congregationem unam, & appareat arida*; subinfertur, *Et sic est factum:* ac deinde non dicitur, *Et fecit Deus*; sed tamen ita repetitur, *Et congregata est aqua in congregationes suas*, &c.

CAPUT XXIV. Cur de homine non singulatim, uti de ceteris, dictum sic, *Vidit Deus quia bonum est.*

36. QUOD autem non singulatim, ut in ceteris, etiam de humana creatura dixit, *Et vidit Deus quia bonum est*; sed post hominem factum, datamque illi potestatem vel dominandi vel edendi, subintulit de omnibus, *Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde*, meritò quæri potest. Potuit enim primò reddi homini singulatim, quod singulatim ceteris quæ antea facta sunt redditum est, tum demum de omnibus dici quæ fecit Deus, *Ecce bona valde.* An fortè quia sexto die perficiuntur

vers. 31. omnia, propterea de omnibus dicendum fuit, *Vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde:* non singillatim de iis, quæ ipso die facta sunt? Cur ergo de pecoribus & bestiis & reptilibus terræ dictum est, quæ ad eumdem diem sextum pertinent? nisi fortè illa & singillatim in suo genere, & cum ceteris universaliter dici bona meruerunt; & homo factus ad imaginem Dei, nonnisi cum ceteris hoc dici meruit. An quia perfectus nondum erat, quia nondum erat in paradiso constitutus? quasi verò postea quàm ibi constitutus est, dictum sit, quod hîc prætermissum est.

37. Quid ergo dicemus? An quia præsciebat Deus hominem peccaturum, nec in suæ imaginis perfectione mansurum, non singillatim, sed cum ceteris eum dicere voluit bonum, velut intimans quid esset futurum? Quia cùm ea quæ facta sunt, in eo quod facta sunt, quantum acceperunt, manent, sicut vel illa quæ non peccaverunt, vel illa quæ peccare non possunt; & singula bona, & in universo bona valde sunt. Non enim frustra est additum, *valde*; quia & corporis membra si etiam singula pulcra sunt, multo sunt tamen in universi corporis compage omnia pulcriora. Quia oculum, verbi gratiâ, placitum atque laudatum, tamen si separatum à corpore videremus, non diceremus tam pulcrum, quàm in illa connexione membrorum, cùm loco suo positus in universo corpore cerneretur. Ea verò quæ peccando amittunt decus proprium, nullo tamen modo efficiunt, ut non etiam ipsa rectè ordinata, cum toto atque universo bona sint. Homo igitur ante peccatum & in suo utique genere bonus erat: sed Scriptura prætermisit hoc dicere, ut illud potiùs diceret quod futurum aliquid prænuntiaret. Non enim falsum de illo dictum est. Qui enim singillatim bonus est, magis utique cum omnibus bonus est. Non autem quando cum omnibus bonus est, sequitur ut etiam singillatim bonus sit. Moderatum est itaque ut id diceretur, quod in præsenti verum esset, & præscientiam significaret futuri. Deus enim naturarum optimus conditor, peccantium verò justissimus ordinator est, ut etiam si qua singillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulcra sit. Sed jam ea quæ sequuntur in sequenti volumine pertractemus.

LIBER QUARTUS.

Tractatur initium secundi capitis Geneseos. Postque nonnulla de senarij numeri perfectione, movetur quæstio rursum circa vers. 5. cap. 1. quomodo scilicet creatâ luce, facta sit vespera & factum manè, sicque dies numerati usque ad sextum & septimum.

CAPUT I. Dies sex quomodo accipiendi.

1. ET *consummata sunt cælum & terra, & omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus in die sexto opera sua, quæ fecit; & requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Et benedixit Deus diem septimum, & sanctificavit eum; quia in ipso requievit ab omnibus operibus suis, quæ inchoavit Deus facere.* Arduum quidem atque difficillimum est viribus intentionis nostræ, voluntatem scriptoris in istis sex diebus, mentis vivacitate penetrare, utrùm præterierint dies illi, & addito septimo, nunc per volumina temporum, non re, sed nomine repetantur. In toto enim tempore multi dies veniunt præteritis similes, nullus autem idem redit. Utrùm ergo præterierint dies illi; an istis qui eorum vocabulis & numero censentur, in temporum ordine quotidie transcurrentibus, illi in ipsis rerum conditionibus maneant: ut non solùm in illis tribus antequam fierent luminaria, sed etiam in reliquis item tribus, diei nomen intelligamus in specie rei quæ creata est, noctemque ejus in privatione vel defectu, vel si quo alio nomine melius significatur, cùm amittitur species, aliqua mutatione à forma ad informitatem declinante atque vergente: quæ mutatio in omni creatura sive possibilitate inest, etiam si desit effectu, sicut in cælestibus superioribus; sive ad implendam in infimis rebus pulcritudinem temporalem, per ordinatas vices quorumque mutabilium [a] decessionibus successionibusque peragitur, sicut manifestum est in rebus terrenis atque mortalibus: vespera verò in omnibus perfectæ conditionis quasi quidam terminus sit; manè autem incipientis exordium; omnis enim creata natura certis suis initiis & finibus continetur: indagare difficile est. Sed sive hoc, sive illud, sive aliquid etiam tertium probabilius, quod dicatur, possit inveniri, quod in progressu disputationis forsitan apparebit, quemadmodum in illis diebus & nox & vespera & manè intelligatur: non est tamen abs re, ut consideremus senarij numeri perfectionem in ipsa interiori natura numerorum, quam mente intuentes, ea quæ sensibus etiam corporis adjacent, numeramus, numeroque disponimus.

CAPUT II.

2. INVENIMUS ergo senarium numerum primum

[a] MSS. *cessionibus.*

De senarij numeri perfectione.

mum esse perfectum, ea ratione, quòd suis partibus compleatur. Sunt enim & alij numeri aliis caussis rationibusque perfecti. Proinde istum senarium ea ratione perfectum diximus, quòd suis partibus compleatur, talibus dumtaxat partibus, quæ multiplicatæ possint consummare numerum, cujus partes sunt. Talis enim pars numeri dici potest quota sit. Nam ternarius numerus potest dici pars, non tantùm senarij, cujus dimidia est, sed omnium ampliorum quàm est ipse ternarius. Nam & quaternarij & quinarij pars major ternarius est: potest enim dividi & quaternarius in tria & unum, & quinarius in tria & duo. Et septenarij & octonarij & novenarij, & quidquid ultra est numerorum, pars est ternarius, non major vel dimidia, sed minor. Nam septenarius quoque dividi potest in tria & quatuor, & octonarius in tria & quinque, & novenarius in tria & sex: sed nullius horum potest dici ternarius quota sit pars, nisi tantùm novenarij, cujus pars tertia est, sicut senarij dimidia. Itaque horum omnium quos commemoravi, nullus consummatur ex aliquot ternariis, nisi senarius & novenarius. Nam ille constat ex duobus ternariis, iste autem ex tribus.

3. Senarius ergo numerus, ut dicere cœperam, partibus suis connumeratis & in summam ductis, in se completur. Alij namque sunt numeri, quorum partes simul ductæ minorem summam faciunt, alij verò ampliorem: certis verò intervallorum rationibus pauciores inveniuntur, qui suis partibus compleantur, quarum summa nec citra insistat, nec ultra excrescat, sed ad tantum occurrat, quantus est ipse numerus cujus partes sunt. Horum primus senarius est. Nam unius in numeris nullæ partes sunt. Sic enim dicitur unum in numeris quibus numeramus, ut non habeat dimidium vel aliquam partem, sed verè ac purè & simpliciter unum sit. Duorum autem pars unum est, & ea dimidia, nec ulla altera. Ternarius verò duas habet, unam quæ dici possit quota sit, quod est unum, nam tertia ejus est; & aliam majorem quæ non possit dici quota sit, id est duo: nec hujus ergo partes computari possunt illæ, de quibus agimus, id est quæ dici possunt quotæ sint. Porrò quaternarius duas habet tales: nam unum, quarta ejus est; duo, dimidia: sed ambæ in summam ductæ, id est unum & duo simul, ternarium faciunt, non quaternarium. Non ergo eum complent partes suæ, quia in summa minore consistunt. Quinarius non habet talem nisi unam, id est ipsum unum, quæ quinta pars ejus est: nam & duo quamvis pars ejus minor sit, & tria major; neutra tamen earum dici potest quota pars ejus sit. Senarius verò tres partes tales habet, sextam, tertiam, dimidiam: sexta ejus, unum est; tertia, duo; dimidia, tria. Hæ autem partes in summam ductæ, id est unum & duo & tria, simul eumdem consummant perficiuntque senarium.

4. Jam septenarius non habet talem partem nisi septimam, quod est unum. Octonarius tres, octavam, quartam, dimidiam, id est unum, duo & quatuor: sed hæ simul ductæ septenarium faciunt infrà insistentem, non ergo complent eumdem octonarium. Novenarius duas habet, nonam, quod est unum; & tertiam, quod est tria: hæ autem simul, quaternarium faciunt longè novenario minorem. Denarius tres habet tales partes, unum decimam, duo quintam, quinque dimidiam, qui numeri simul ducti ad octonarium perveniunt, non ad denarium. Undenarius non habet nisi solam undecimam, sicut septenarius solam septimam; & quinarius solam quintam, & ternarius solam tertiam, & binarius solam dimidiam, quod in omnibus unum est. Duodenarius verò partibus suis talibus simul ductis, non ipse consummatur, sed exceditur; ampliorem quippe duodenario numerum faciunt: nam usque ad sedecim perveniunt. Habet enim eas quinque, duodecimam, sextam, quartam, tertiam, dimidiam: nam duodecima ejus unum est, sexta duo, quarta tria, tertia quatuor, dimidia sex: unum autem, & duo, & tria, & quatuor, & sex, in summam ducta sexdecim sunt.

5. Et ne multis morer, in infinita serie numerorum plures numeri reperiuntur, qui tales partes aut non habent nisi singulas, sicut ternarius, & quinarius, & ceteri ejusmodi; aut ita plures habent tales partes, ut in unum ductæ atque in summam redactæ vel citra insistant, sicut est octonarius & novenarius, & alij plurimi, vel ultra excedant, sicut duodecimus & duodevigesimus, & multi tales. Plures ergo reperiuntur quilibet horum, quàm illi qui perfecti vocantur, eo quòd suis simul ductis talibus partibus compleantur. Nam post senarium duodetrigesimus invenitur, qui similiter suis talibus partibus constat: habet enim eas quinque, vicesimam-octavam, quartam-decimam, septimam, quartam, dimidiam, id est unum, & duo, & quatuor, & septem, & quatuordecim; quæ simul ductæ eumdem duodetrigesimum complent: fiunt enim viginti-octo. Et quanto numerorum ordo procedit, tanto productioribus pro rata [a] portione intervallis reperiuntur hi numeri, qui suis talibus partibus in summam redactis, ad seipsos occurrunt, dicuntur-que perfecti. Quorum enim numerorum tales partes simul ductæ non implent eosdem numeros quorum partes sunt, imperfecti nominantur: quorum autem etiam excedunt, plus quàm perfecti appellantur.

6. Perfecto ergo numero dierum, hoc est senario, perfecit Deus opera sua quæ fecit. Ita enim scriptum est, *Et consummavit Deus in die* [b] *sexto opera sua quæ fecit.* Magis autem in istum numerum intentus fio, cùm considero etiam ordinem operum ipsorum. Sicut enim idem numerus gradatim partibus suis in trigonum surgit; nam ita sequuntur unum, duo, tria, ut nullus alius interponi possit, quæ singulæ senarij partes sunt quibus constat, unum sexta, duo tertia, tria dimidia: ita uno die facta est lux, duobus autem sequentibus fabrica mundi hujus, uno superior pars, id est firmamentum, altero inferior, id est mare & terra; sed partem superiorem nullis alimentorum corporalium generibus implevit, quia non ibi erat positurus corpora tali refectione indigentia; at inferiorem, quam sibi congruentibus animalibus ornaturus erat, necessariis eorum indigentiæ cibis antè ditavit. Reliquis ergo tribus diebus ea creata sunt, quæ intra mundum, id est intra istam universitatem visibilem ex elementis omnibus factam, visibilia suis & congruis motibus agerentur; primò in firmamento luminaria, quia priùs erat factum firmamentum; deinde in inferiore animantia, sicut ordo ipse poscebat, uno die, aquarum; alio, terra-

Gen. 2. 2.

[a] Sic plures ac melioris notæ MSS. At editi, *pro rata proportione.*

[b] In excusis, *septimo*, juxta versionem Vulgatam. At in MSS. *sexto*, juxta LXX. quos sequitur Augustinus suprà n. 1. & passim profert, *in die sexto.*

rum. Nec quisquam ita demens est, ut audeat dicere non potuisse Deum facere uno die cuncta, si vellet; aut si vellet biduo, uno die spiritalem creaturam, & alio corporalem; sive uno die cælum cum omnibus pertinentibus, & alio terram cum omnibus quæ in ea sunt; & omnino quando vellet, quamdiu vellet, & quomodo vellet: quis est qui dicat voluntati ejus aliquid potuisse resistere?

CAPUT III. De eo quod scriptum est Sap. 11. 21. *Omnia in mensura &c.*

7. QUAPROPTER cùm eum legimus sex diebus omnia perfecisse, & senarium numerum considerantes, invenimus esse perfectum, atque ita creaturarum ordinem currere, ut etiam ipsarum partium, quibus iste numerus perficitur, appareat quasi gradata distinctio; veniat etiam illud in mentem, quod alio loco Scripturarum ei dicitur, Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti; atque ita cogitet anima, quæ potest, invocato in auxilium Deo, & impertiente atque inspirante vires, utrùm hæc tria, mensura, numerus, pondus, in quibus Deum disposuisse omnia scriptum est, erant alicubi antequam crearetur universa creatura, an etiam ipsa creata sunt; & si erant antea, ubi erant. Neque enim ante creaturam erat aliquid nisi Creator. In ipso ergo erant. Sed quomodo? nam & ista quæ creata sunt, in ipso esse legimus: an illa sicut ipse, ista verò sicut in illo à quo reguntur & gubernantur? Et quomodo illa ipse? Neque enim Deus mensura est, aut numerus, aut pondus, aut ista omnia. An secundùm id quod novimus mensuram in eis quæ metimur, & numerum in eis quæ numeramus, & pondus in eis quæ appendimus, non est Deus ista: secundùm id verò quod mensura omni rei modum præfigit, & numerus omni rei speciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit, ille primitus & veraciter & singulariter ista est, qui terminat omnia, & format omnia, & ordinat omnia; nihilque aliud dictum intelligitur, quomodo per cor & linguam humanam potuit, Omnia in mensura, & numero & pondere disposuisti, nisi, Omnia in te disposuisti?

Rom. 11. 36.

8. Magnum est, paucisque concessum, excedere omnia, quæ metiri possunt, ut videatur mensura sine mensura; excedere omnia, quæ numerari possunt, ut videatur numerus sine numero; excedere omnia, quæ appendi possunt, ut videatur pondus sine pondere. * Neque enim mensura & numerus & pondus in lapidibus tantummodo & lignis atque hujusmodi molibus, & quantiscumque corporalibus vel terrestribus vel cælestibus animadverti, & cogitari potest. Est etiam mensura aliquid agendi, ne sit irrevocabilis & immoderata progressio; & est numerus & affectionum animi & virtutum, quo ab stultitiæ deformitate, ad sapientiæ formam decusque colligitur; & est pondus voluntatis & amoris, ubi apparet quanti quidque in appetendo, fugiendo, præponendo, postponendoque pendatur: sed hæc animorum atque mentium & mensura aliâ mensurâ cohibetur, & numerus alio numero formatur, & pondus alio pondere rapitur. Mensura autem sine mensura est, cui æquatur quod de illa est, necaliunde ipsa est: Numerus sine numero est, quo formantur omnia, nec formatur ipse: Pondus sine pondere est, quò referuntur ut quiescant, quorum quies purum gaudium est, nec illud jam refertur ad aliud.

CAPUT IV. In Deo esse mensurâ sine mensura, numerum sine numero, & pondus sine pondere.

Trinitas.

9. Sed nomina mensuræ & numeri & ponderis, quisquis nonnisi visibiliter novit, serviliter novit. Transcendat itaque omne, quod ita novit, aut si nondum potest, nec ipsis nominibus hæreat, de quibus cogitare nisi sordidè non potest. Tanto enim magis cuique ista in superioribus cara sunt, quanto ipse minùs est in inferioribus caro. Quòd si non vult aliquis ea vocabula, quæ in rebus infimis & abjectissimis didicit, transferre ad illa sublimia, quibus intuendis mentem serenare conatur, non est urgendus ut faciat. Dum enim hoc intelligatur, quod intelligendum est, non magnopere curandum est quid vocetur. Scire oportet tamen cujusmodi similitudo est inferiorum ad superiora. Non enim aliter rectè hinc illuc ratio tendit, & nititur.

10. Jam verò si quisquam dicit creatam esse mensuram & numerum & pondus, in quibus Deum omnia disposuisse Scriptura testatur; si in illis omnia disposuit, eadem ipsa ubi disposuit? si in aliis, quomodo ergo in ipsis omnia, quando ipsa in aliis? Non itaque dubitandum est, illa esse extra ea, quæ disposita sunt, in quibus omnia disposita sunt.

CAPUT V. In Deo ipso exstat ratio mensuræ numeri & ponderis, ad quam disposita sunt omnia.

11. AN fortè putabimus ita dictum esse, Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti, ac si diceretur, Omnia sic disposuisti ut haberent mensuram & numerum & pondus? Quia & si diceretur, Omnia corpora in coloribus disposuisti; non hinc esset consequens, ut ipsa Dei Sapientia, per quam facta sunt omnia, colores in se priùs habuisse intelligeretur, in quibus faceret corpora: sed ita acciperetur, Omnia corpora in coloribus disposuisti, ac si diceretur, Omnia corpora sic disposuisti, ut haberent colores? Quasi verò à creatore Deo disposita in coloribus corpora, id est ita disposita ut colorata essent, possit aliter intelligi, nisi aliqua ratio colorum singulis corporum generibus distribuendorum in ipsa disponentis sapientia non defuisse intelligatur; etsi color ibi non appellatur. Hoc est enim quod dixi, dum res cognoscitur, non esse de vocabulis laborandum.

12. [a] Faciamus ergo ita dictum esse, Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti, tamquam dictum esset, ita disposita ut haberent proprias mensuras suas, & proprios numeros, & proprium pondus, quæ in eis pro sui cujusque generis mutabilitate mutarentur, augmentis & diminutionibus, multitudine & paucitate, levitate & gravitate, secundùm dispositionem Dei: Numquid sicut ista mutantur, ita ipsum Dei consilium, in quo ea disposuit, mutabile dicimus? Averterit ipse tantam dementiam. * Cùm ergo hæc ita disponerentur, ut haberent mensuras & numeros & pondera sua, ubi ea cernebat ipse disponens? Neque enim extra seipsum, sicut cernimus oculis corpora: quæ utique nondum erant, cùm disponerentur ut fierent. Nec intra seipsum ista cernebat, sicut animo cernimus phantasias corporum, quæ non præsto sunt oculis, sed ea quæ vidimus, vel ex eis quæ vidimus imaginando cogitamus. Quo modo ergo ista cernebat, ut ita disponeret? Quo, nisi eò quo solus potest?

a

CAPUT VI. Ubi cernebat Deus unde omnia disponeret.

13. [b] Verùm etiam nos mortales & peccatores, quorum animas aggravant corpora corruptibilia, & quorum sensum multa cogitantem terrena deprimit habitatio; quamquam etsi corda mundissima & mentes simplicissimas gereremus, sanctisque Angelis jam essemus æquales, non utique nobis ita nota esset divina substantia sicut ipsa sibi: * tamen istam senarij numeri perfectionem, nec extra nosipsos cernimus, sicut oculis corpora; nec ita intra

b *Sap. 9. 15.*

CAPUT VII. Senarij numeri perfe-

[a] Editi, *Fateamur.* MSS. verò, *Faciamus.*

[b] MSS. *Veramtamen.*

ctionem quomodo cernamus.

nosmetipsos, quemadmodum corporum phantasias, & visibilium imagines rerum, sed alio quodam longè differenti modo. Quamvis enim se objectent mentis adspectui quasi corpusculorum quædam simulacra, cùm senarij numeri compositio vel ordo vel partitio cogitatur: tamen validior & præpotentior desuper ratio non eis annuit, interiúsque numeri vim contuetur; per quem contuitum fidenter dicit, id quod dicitur unum in numeris, in nullas partes dividi posse; nulla autem corpora nisi in partes innumerabiles dividi; & faciliùs cælum & terram transire, quæ secundùm senarium numerum fabricata sunt, quàm effici posse ut senarius numerus non suis partibus compleatur. Gratias itaque Creatori semper agat animus humanus, à quo ita creatus est, ut hoc possit videre, quod avium nulla, nulla bestiarum, quæ tamen nobiscum vident & cælum, & terram, & luminaria, & mare, & aridam, & omnia quæ in eis sunt.

14. Quamobrem non possumus dicere, propterea senarium numerum esse perfectum, quia sex diebus perfecit Deus omnia opera sua: sed propterea Deum sex diebus perfecisse opera sua, quia senarius numerus perfectus est. Itaque etiam si ista non essent, perfectus ille esset: nisi autem ille perfectus esset, ista secundùm eum perfecta non fierent.

CAPUT VIII. Quies Dei in die septimo ut intelligenda.

15. JAM verò quod scriptum est, requievisse Deum in die septimo ab omnibus operibus suis, quę fecit; & ideo eumdem diem benedixisse, & sanctificasse, quia in ipso requievit; ut quomodo possumus, quantum ab ipso adjuti fuerimus, intellectu conemur adtingere, priùs de hoc carnales hominum suspiciones à nostris mentibus abigamus. Numquid enim dici vel credi fas est, Deum laborasse in operando, cùm ea quæ suprà scripta sunt condidit, quando dicebat, & fiebant? Ita quippe nec homo laborat, si aliquid faciendum, mox ut dixerit, fiat. Quamvis enim humana verba sonis adminiculata ita proferantur, ut sermo diuturnus fatiget: tamen cùm tam pauca sunt, quàm pauca legimus in eo quod scriptum est, cùm Deus dixit, Fiat lux, Fiat firmamentum, & cetera usque in finem operum, quæ sexto die consummavit; nimis absurdi deliramenti est, istum vel hominis, nedum Dei, laborem putare.

16. An fortè quis dixerit, dicendo quidem ut fierent, quæ continuò facta sunt, Deum non laborasse, sed fortè cogitando quid fieri debuisset: quâ curâ velut liberatus rerum perfectione requieverit, & eo merito diem, quo primo factus est ab hac animi intentione securus, benedicere, & sanctificare voluerit? Quòd si hæc sapere, multùm desipere est; (rerum enim condendarum tam facultas, quàm facilitas in comparabilis atque ineffabilis est apud Deum:) * quid restat ut intelligamus, nisi fortè creaturæ rationali, in qua & hominem creavit, in seipso requiem præbuisse, post ejus perfectionem, per donum Spiritus-sancti, per quem diffunditur caritas in cordibus nostris, ut illuc feramur appetitu desiderij, quò cùm pervenerimus requiescamus, id est nihil amplius requiramus? Sicut enim rectè dicitur Deus facere, quidquid ipso in nobis operante fecerimus: ita rectè dicitur Deus requiescere, cùm ejus munere requiescimus.

CAPUT IX. Quo sensu Deus requiescere dicitur.

17. Hoc quidem rectè intelligimus; quia & verum est, & non magnæ intentionis indiget, ut videamus ita dici requiescere Deum, cùm requiescere nos facit, sicut dicitur cognoscere, cùm efficit ut cognoscamus. Neque enim Deus temporaliter cognoscit, quod antea non noverat: & tamen dicit ad Abraham, Nunc cognovi quoniam times Deum: ubi quid aliud accipimus, nisi, Nunc feci ut cognosceretur? His locutionum modis, cùm ea quæ non accidunt Deo, tamquam illi accidant loquimur, eum facere agnoscimus ut nobis accidant; ea dumtaxat quæ laudabilia sunt: & hæc quantum Scripturarum usus admittit. NEQUE ENIM NOS temere aliquid tale de Deo dicere debemus, quod in Scriptura ejus non legimus.

Gen. 22. 12.

18. Ex hoc locutionis modo arbitror dictum illud ab Apostolo, Nolite contristare Spiritum-sanctum Dei, in quo signati estis in die redemtionis. « Neque enim ipsa Spiritus-sancti, qua est quidquid ipse est, substantia contristari potest; cùm habeat æternam atque incommutabilem beatitudinem, magisque sit ipsa æterna & incommutabilis beatitudo. Sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat caritate, qua necesse est ut homines ex tempore gaudeant profectu fidelium & bonis operibus; & ideo necesse est etiam contristentur lapsu vel peccatis eorum, de quorum fide ac pietate gaudebant; quæ tristitia laudabilis est, quia venit ex dilectione quam Spiritus-sanctus infundit: propterea ipse Spiritus dicitur contristari ab eis, qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti, non ob aliud nisi quia Spiritum-sanctum habent, quo dono tam boni sunt, ut eos mali mæstificent, hi maximè quos bonos fuisse sive noverunt sive crediderunt. Quæ profectò tristitia non solùm non culpanda, verùm etiam præcipuè laudanda ac prædicanda est.

Ephes. 4. 30.

Tristitia laudabilis.

19. Hoc genere locutionis rursus idem Apostolus mirabiliter usus est, ubi ait, Nunc autem cognoscentes Deum, immo cogniti à Deo. Neque enim tunc eos cognoverat Deus, præcognitos videlicet ante constitutionem mundi: sed quia tunc ipsi eum illius munere, non suo merito vel facultate cognoverant, maluit tropicè loqui, ut tunc ab illo cognitos diceret, cùm eis cognoscendum se præstitit, & verbum corrigere, quasi hoc minùs rectè dixerit, quod propriè dixerat, quàm sinere ut hoc sibi arrogarent se potuisse, quod eis posse ille donaverat.

Gal. 4. 9.

1. Pet. 1. 10.

CAPUT X. Quæstio an ipse Deus propriè requiescere potuerit.

20. HIC ergo intellectus, in eo quod positum est, requievisse Deum ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, quia ipse nos facit requiescere, cùm bona opera fecerimus, quibusdam fortè sufficerit: sed nos hujus sententiæ Scripturarum consideratione suscepta, urgemur quærere, quonam modo & ipse requiescere potuerit; quamvis requie sua nobis insinuata, sperare admonuerit in se requiem nostram futuram. Sicut enim ipse fecit cælum & terram, & ea quæ in eis sunt, & omnia sexto die consummavit; nec in eis aliquid dici potest nos creasse, illo donante ut crearemus, & ideo dictum esse, *Consummavit Deus in die sexto opera sua, quæ fecit*, quia ut à nobis consummarentur ipse præstitit: ita & quod dictum est, *Requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit*, non utique nostram requiem, quam concedente ipso adepturi sumus, sed ipsius primitus intelligere debemus, qua in septimo die requievit consummatis operibus; ut priùs omnia quæ scripta sunt facta monstrentur, & deinde si opus est, etiam aliquid significasse doceantur. Rectè quippe dicitur, sicut Deus post opera sua bona requievit, ita & nos post opera nostra bona requieturos. Sed ob hoc etiam

rectè flagitatur, ut quemadmodum disputatum est de operibus Dei, quæ ipsius esse satis apparet; ita de requie Dei satis disseratur, quæ [a] propria ipsius demonstretur.

a

CAPUT XI. Quomodo utriusque constat, Deum in die septimo requievisse, & nunc usque operari.

21. QUAPROPTER justissima ratione compellimur indagare, si valeamus, atque eloqui, quomodo utrumque sit verum, & quod hîc scriptum est, in septimo die requievisse Deum ab operibus suis, quæ fecit; & quod in Evangelio dicit ipse, per quem facta sunt omnia, Pater meus usque nunc operatur, & ego operor. Eis enim hoc respondit, qui propter requiem Dei Scripturæ hujus auctoritate antiquitus commendatum sabbatum, ab eo non observari querebantur. Et dici quidem probabiliter potest, observandum sabbatum Judeis fuisse præceptum in umbra futuri, quæ spiritalem requiem figuraret, quam Deus exemplo hujus quietis suæ fidelibus bona opera facientibus arcana significatione pollicebatur. Cujus quietis & ipse Dominus Christus, qui nonnisi quando voluit passus est, etiam sepulturâ suâ mysterium confirmavit. [b] Ipso quippe die sabbati requievit in sepulcro, eumque totum diem habuit sanctæ cujusdam vacationis, postea quàm sexto die, id est parasceve, quam dicunt sextam sabbati, consummavit omnia opera sua, cùm de illo quæ scripta sunt, in ipso crucis patibulo complerentur. Nam & hoc verbo usus est quando ait, Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum. Quid ergo mirum si Deus istum diem, quo erat Christus in sepultura quieturus, volens etiam hoc modo prænuntiare, ab operibus suis in uno die requievit, deinceps operaturus ordinem sæculorum, ut & illud verè diceretur, Pater meus usque nunc operatur.

Johan. 5. 17.

b

Johan. 19. 30.

CAPUT XII. Alia ratio conciliandi Scripturâ de requie & de continua operatione Dei.

22. POTEST etiam intelligi Deum requievisse à condendis generibus creaturæ, quia ultrà jam non condidit aliqua genera nova: deinceps autem usque nunc & ultrà operari eorumdem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt, non ut ipso saltem die septimo potentia ejus à cæli & terræ, omniumque rerum quas condiderat, gubernatione cessaret, alioquin continuò dilaberentur. Creatoris namque potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus, caussa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structor ædium cùm fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit.

23. Proinde & quod Dominus ait, Pater meus usque nunc operatur, continuationem quamdam operis ejus, qua universam creaturam continet atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi si diceret, Et nunc operatur, ubi non esset necesse ut operis continuationem acciperemus: aliter autem cogit intelligi cùm ait, Usque nunc, ex illo scilicet quo cuncta cùm conderet operatus est. Et quod scriptum est de sapientia ejus, Pertingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; de qua item scriptum est, quòd motus ejus agilior celeriorque sit omnibus motibus: satis apparet rectè intuentibus, hunc ipsum incomparabilem & ineffabilem, & si possit intelligi, stabilem motum suum, rebus eam præbere suaviter disponendis; quo utique subtracto, si ab hac operatione cessaverit, eas continuò perituras. Et illud quod ait Apostolus cùm Deum Athenienſibus prædicaret, In illo vivimus, & movemur, & sumus, liquidè cogitatum quantum humana mens valet, adjuvat hanc sententiam, qua credimus, & dicimus Deum in iis quæ creavit, indefinenter operari. Neque enim tamquam substantia ejus sic in illo sumus, quemadmodum dictum est, quòd habeat vitam in semetipso: sed utique cùm aliud simus quàm ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, & hoc est opus ejus, quo continet omnia, & quo ejus Sapientia pertendit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; per quam dispositionem in illo vivimus, & movemur, & sumus. Unde colligitur, quòd si hoc opus suum rebus subtraxerit, nec vivemus, nec movebimur, nec erimus. Claret igitur ne uno quidem die cessasse Deum ab opere regendi quæ creavit, ne motus suos naturales quibus agunturatque vegetantur, ut omnino naturæ sint, & in eo quod sunt pro suo quæque genere maneant, illico amitterent, & esse aliquid omnino desinerent, si eis subtraheretur motus ille Sapientiæ Dei, quo disponit omnia suaviter. Quapropter sic accipimus Deum requievisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit, ut jam novam naturam ulteriùs nullam conderet, non ut ea quæ condiderat, continere & gubernare cessaret. Unde & illud verum est, quod in septimo die requievit Deus; & illud, quòd usque nunc operatur.

Sap. 8. 1.

Ibid. 7. 24.

Act. 17. 28.

Johan. 5. 26.

2. Sent. dist. 15. c. Jam.

CAPUT XIII. De Sabbati observatione. *Exod. 20. 8.*

24. ET opera quidem ejus videmus bona, quietem verò ejus post bona opera nostra videbimus. Ob quam significandam mandavit Hebræo populo unum diem observandum: quod tam carnaliter agebant, ut eo die salutem nostram Dominum videntes operari criminarentur, ac sic eis de opere Patris rectissimè responderet, cum quo & ipse operabatur æqualiter, non solùm creaturæ universæ administrationem, sed etiam ipsam nostram salutem. Jam verò tempore gratiæ revelatæ, observatio illa sabbati, quæ unius diei vacatione figurabatur, ablata est ab observatione fidelium. In ea quippe gratia perpetuum sabbatum jam observat, qui spe futuræ quietis operatur quidquid boni operatur, nec in ipsis bonis operibus suis, quasi habens bonum quod non acceperit, gloriatur: ita enim tamquam diem sabbati, hoc est Dominicæ cessationis in sepultura, suscipiens atque intelligens baptismi sacramentum, quiescit à pristinis operibus suis, ut jam in novitate vitæ ambulans, Deum in se operari cognoscat, qui simul & operatur, & quiescit, & creaturæ præbens congruam gubernationem, & apud se habens æternam tranquillitatem.

Sabbatum Christianum.

Rom. 6. 4.

CAPUT XIV. Cur Deus sanctificaverit diem quietis suæ.

25. DENIQUE ipse nec cùm creavit defessus, nec cùm cessavit refectus est: sed nos voluit per Scripturam suam ad quietis exhortari desiderium, intimando nobis eum diem se sanctificasse, in quo quievit ab omnibus operibus suis. Nam nusquam omnium sex dierum quibus creata sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse, nec ante ipsos sex dies ubi scriptum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*, additum est, Et sanctificavit: sed diem istum, in quo requievit ab omnibus operibus suis, quæ fecit, voluit sanctificare, tamquam & apud ipsum, qui nihil in opere suo laborat, plus quies quàm operatio valeat. Hoc quidem in hominibus Evangelium nobis intimat, ubi Salvator noster meliorem partem dicit Mariæ, quòd sedens ad pedes ejus requiescebat in verbo ejus, quàm Marthæ, quamvis propter obsequium quo ei ministrabat circa multa occupatæ, & licèt bonum opus operantis. Verùm hoc in Deo quomodo sit vel intelligatur, difficile dictu est, etiamsi cogitatu aliquantulùm adtingi potest, cur Deus sanctificaverit diem quietis suæ, qui nullum sanctificaverit operis sui, nec ipsum sextum quo & hominem fecit, & cuncta perfecit. Ac primùm ipsum requiescere Dei quale sit, cujus humanæ mentis acies assequi potest? Quod tamen nisi esset, hoc omnino ista Scriptura non poneret. Dicam sanè quod sentio, hæc duo indubitata præloquens, nec Deum, velut post laborem desideratumve negotij sui finem, temporali quadam requie delectatum; nec has litteras auctoritate tanta meritò præminentes, frustra falsóque dixisse, quòd Deus ab omnibus operibus suis, quæ fecit, in septimo die requieverit, eâque caussâ eumdem diem sanctificaverit.

Luc. 10. 42.

CAPUT XV. Solvitur quæstio superiùs proposita.

26. NIMIRUM ergo quia vitium est & infirmitas animæ, ita suis operibus delectari, ut potiùs in eis, quàm in se requiescat ab eis; cùm procul dubio melius aliquid in illa sit quo ea facta sunt, quàm ipsa quæ facta sunt: insinuatur nobis Deus per hanc Scripturam, qua dicitur requievisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit, nullo opere suo sic delectatus, quasi faciendi ejus eguerit, vel minor futurus nisi fecisset, vel beatior cùm fecisset. Quia enim ex illo ita est quidquid ex illo est, ut ei debeat quod est, ipse autem nulli quod ex ipso est, debeat quod beatus est; se rebus quas fecit diligendo præposuit, non sanctificans diem quo ea facienda inchoavit, nec illum quo ea perfecit, ne illis vel faciendis vel factis auctum ejus gaudium videretur; sed eum quo ab ipsis in seipso requievit. Et ipse quidem numquam ista requie caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit: hinc etiam significans non percipi requiem suam nisi à perfectis, cùm ad eam intimandam non deputavit diem, nisi qui perfectionem rerum omnium sequebatur. Nam qui semper est quietus, tunc nobis requievit, cùm se requievisse monstravit.

2. Sent. dist. 15. c. Jam.

CAPUT XVI. Dei requies ab operibus suis in septimo die.

27. ILLUD quoque adtendendum est, quòd Dei requiem, qua de seipso beatus est, nobis insinuari oportebat; ut intelligamus quomodo dicatur etiam requiescere in nobis; quod non dicitur, nisi cùm in se requiem præstat & nobis. Requies igitur Dei rectè intelligentibus ea est, qua nullius indiget bono: & ideo certa & nobis in illo est, quia & nos beatificamur bono quod ipse est, non ipse bono quod nos sumus. Nam & nos aliquod bonum ab illo sumus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit & nos. Porrò alia res bona præter ipsum nulla est, quam ipse non fecit; ac per hoc nullo præter se alio bono eget, qui bono quod fecit non eget. Hæc est ejus requies ab omnibus operibus suis quæ fecit. Quibus autem bonis laudabiliter non egeret, si nulla fecisset? Nam etiam sic dici posset nullis egens bonis, non à factis in seipso requiescendo, verùm omnino nulla faciendo. Sed bona facere si non posset, nulla esset potentia: si autem posset nec faceret, magna esset invidentia. Quia ergo est omnipotens & bonus, omnia valde bona fecit: quia verò seipso bono perfectè beatus est, à bonis quæ fecit, in seipso requievit, ea scilicet requie à qua numquam recessit. Sed si diceretur requievisse à faciendis, nihil aliud quàm non fecisse intelligeretur. Nisi autem diceretur requievisse à factis, non eis egere quæ fecit minùs commendaretur.

28. Quo itaque die hoc commendari oportuisset nisi septimo? Quod sanè intelligit, quisquis senarij numeri perfectionem, de qua supra locuti sumus, perfectioni creaturæ congruenter adhibitam recolit. Si enim senario numero perficienda fuerat creatura, sicuti perfecta est, eaque requies Dei erat nobis commendanda, qua demonstraretur nec perfectis beatificari creaturis; procul dubio dies erat in hac commendatione sanctificandus qui sequitur sextum, quò erigeremur ad hanc requiem concupiscendam, ut & nos in illo requiescamus.

CAPUT XVII. Quies nostra in Deo.

29. NEQUE enim similitudo pia est, si velimus ita similes esse Deo, ut & nos ab operibus nostris requiescamus in nobis, sicut ipse requievit in se ab operibus suis. In quodam quippe incommutabili bono requiescere debemus, quod ille nobis est, qui nos fecit. Hæc erit igitur summa, miniméque superba, & verè pia requies nostra, ut sicut ipse requievit ab omnibus operibus suis, quia non ei opera sua, sed ipse sibi bonum est, quo beatus est: ita & nos ab omnibus operibus, non tantùm nostris, verùm etiam ipsius, nonnisi in illo requieturos nos esse speremus; idque desideremus post bona opera nostra, quæ in nobis agnoscimus illius potiùs esse quàm nostra: ut etiam sic post bona opera sua ipse requiescat, [a] cùm post bona opera quæ ab illo justificati fecerimus, in se nobis requiem præstat. Magnum est enim nobis ab illo exstitisse, sed majus erit in illo requievisse. Sicut ipse non ideo beatus est, quia hæc fecit; sed quia etiam factis non egens, in se potiùs quàm in ipsis requievit. Unde non operis, sed quietis diem sanctificavit; quia non hæc faciendo, sed eis quæ fecit non egendo, se beatum intimavit.

a

30. Quid ergo tam humile ac facile effatu, & quid tam sublime atque arduum cogitatu, quàm Deus requiescens ab omnibus operibus suis quæ fecit? Et ubi requiescens nisi in seipso, quia beatus nonnisi seipso? Quando, nisi semper? In diebus autem, quibus rerum quas condidit consummatio narratur, & ab eis quietis Dei ordo distinguitur, quando nisi in septimo die, qui earum sequitur perfectionem? A perfectis enim requiescit, qui nec perfectis eget, quò beatior esse possit.

CAPUT XVIII. Septimus dies cur manè habuerit, non vesperam.

31. ET quòd apud illum quidem, quieti ejus nec manè nec vespera est; quia nec aperitur initio, nec clauditur fine: perfectis autem operibus ejus manè habet, & vesperam non habet: perfecta quippe creatura habet quoddam initium suæ conversionis ad quietem Creatoris sui, sed illa non habet finem quasi terminum perfectionis suæ, sicut ea quæ facta sunt. Ac per hoc requies Dei non ipsi Deo, sed rerum ab eo conditarum perfectioni inchoatur, ut in illo incipiat requiescere quod ab illo perficitur, & in eo habere manè; in suo enim genere tamquam vesperâ terminatum est: sed in Deo vesperam habere jam non potest, quia non erit aliquid illa perfectione perfectius.

32. In illis enim diebus, quibus omnia creabantur, vesperam terminum conditæ creaturæ; manè autem initium condendæ alterius accipiebamus. Ac per hoc quinti diei vespera terminus est conditæ quinto die creaturæ: manè autem quod post ipsam vesperam factum est, initium est condendæ sexto die creaturæ; qua condita tamquam ejus terminus

[a] MSS. plerique, *pioprie*.

[b] Lov. *Ideo quippe*. At aliæ editiones & MSS. *Ipso*.

[a] Editi addunt, *in nobis*, quod abest à MSS.

facta est vespera. Et quia nihil aliud condendum re-
stiterat, ita post illam vesperam manè factum est,
ut non esset initium condendæ alterius creaturæ,
sed initium quietis universæ creaturæ in requie
Creatoris. Neque enim cælum & terra & omnia
quæ in eis sunt, universa scilicet spiritalis corpora-
lisque creatura in seipsa manet; sed utique in illo, de
Act. 17.28. quo dictum est, In illo enim vivimus, & movemur,
& sumus. Quia etsi unaquæque pars potest esse in
toto, cujus pars est; ipsum tamen totum non est
nisi in illo, à quo conditum est. Et ideo non absur-
dè intelligitur sexto die completo post ejus vespe-
ram factum manè, non quo significaretur initium
condendæ alterius creaturæ, sicut in ceteris; sed
quo significaretur initium manendi & quiescendi
totius quod conditum est, in illius quiete qui condi-
dit. Quæ quies Deo nec initium habet nec termi-
num: creaturæ autem habet initium, sed non ha-
bet terminum; & ideo septimus dies eidem creatu-
ræ cœpit à manè, sed nullo vespere terminatur.

33. Nam si in ceteris diebus vespera & manè
talium temporum vices significant, qualia nunc
per hæc quotidiana spatia peraguntur; non video
quid prohibuerit, & septimum diem vesperâ, no-
ctemque ejusdem manè concludere, ut similiter di-
ceretur, Et facta est vespera, & factum est manè
dies septimus: quando quidem & ipse unus est die-
rum, qui omnes septem sunt, quorum repetitione
menses & anni & sæcula peraguntur: ut manè quod
poneretur post vesperam septimi, hoc esset ini-
tium octavi diei, de quo jam deinceps silendum
fuit, quia idem primus est ad quem reditur, à quo
a rursus hebdomadis series [a] ordiatur. Unde proba-
bilius est istos quidem septem dies, illorum nomi-
nibus & numero, alios atque alios sibimet succe-
dentes currendo temporalia peragere spatia: illos
autem primos sex dies inexperta nobis atque inu-
sitata specie in ipsis rerum conditionibus explicatos;
in quibus & vespera & manè, sicut ipsa lux & te-
nebræ, id est dies & nox, non eam vicissitudinem
præbuerunt, quam præbent isti per solis circuitus.
quod certè de illis tribus fateri cogimur, qui ante
condita luminaria commemorati atque numerati
sunt.

34. Ac per hoc qualiscumque in eis vespera &
manè fuerit, nullo modo tamen opinandum est,
eo manè quod post sexti diei vesperam factum est,
initium accepisse requiem Dei, ne temporale ali-
quod bonum illi æternitati & incommutabilitati
accidisse vanitate temeraria suspicemur: sed illam
quidem requiem Dei, qua in seipso requiescit, eo-
que bono beatus est quod ipse sibi est, nec initium
eidem ipsi habere nec terminum; consummatæ au-
tem creaturæ habere initium, eamdem requiem
Dei. Quoniam rei cujusque perfectio, non tam in
universo cujus pars est, quàm in eo à quo est, in
quo & ipsum universum est, pro sui generis modu-
lo stabilitur ut quiescat, id est ut sui momenti or-
dinem teneat. Ac per hoc ipsa universitas creatu-
b ræ, quæ sex diebus consummata est, [b] aliud habet
in sua natura, aliud in ordine quo in Deo est, non
sicut Deus, sed tamen ita ut ei quies propriæ stabi-
litatis non sit, nisi in illius quiete qui nihil præter se
appetit, quo adepto requiescat. Et ideo dum ipse
manet in se, quidquid ex illo est retorquet ad se;
ut omnis creatura in se habeat naturæ suæ termi-
num, quo non sit quod ipse est; in illo autem quie-
tis locum, quo servet quod ipsa est. Scio quod non
propriè dixerim locum; nam propriè dicitur in spa-
tiis, quæ corporibus occupantur: sed quia & ipsa
corpora non manent in loco, nisi quò sui ponde-
ris tamquam appetitu perveniunt, ut eo comper-
to requiescant; ideo non incongruenter à corpo-
ralibus ad spiritalia verbum transfertur, ut dicatur
B locus, cùm res ipsa plurimum distet.

35. Initium ergo creaturæ in quiete Creatoris
illo manè significatum arbitror, quod factum est
post vesperam sexti diei; non enim posset in illo ni-
si perfecta requiescere: proinde sexto die consum-
matis omnibus, factâque vesperâ, factum est &
manè, quo inciperet consummata creatura in illo
à quo facta est requiescere. Quo initio Deum in
seipso requiescentem, ubi & ipsa requiescere pos-
set invenit, tanto stabiliùs atque firmiùs, quanto
C ipsa illius, non ille hujus eguit ad quietem suam. Sed
quoniam quidquid erit universa creatura quibusli-
bet mutationibus suis, non utique nihil erit, ideo
creatura universa in Creatore suo semper manebit;
ac per hoc post illud manè nulla deinde vespera
fuit.

36. Hoc diximus, [c] cur septimus dies, in quo c
requievit Deus ab omnibus operibus suis, manè
habuerit post vesperam sexti, vesperam verò non
habuerit: * est aliud quod de hac re magis propriè * Caput XIX. Alia ratio qua intelligitur septimus dies habuisse manè sine vespera.
atque meliùs possit, quantum existimo, intelligi,
sed aliquanto difficiliùs explicari, ut non creatu-
ræ, sed etiam sibi requies [d] Dei septimo die manè d
habuerit sine vespera, id est initium sine termino.
Si enim ita diceretur, Requievit Deus in die sep-
timo, nec adderetur, ab omnibus operibus suis
quæ fecit, frustra hujus quietis initium quærere-
mus. Non enim incipit Deus requiescere, cujus re-
quies sine initio, sine termino sempiterna est. Sed
quoniam ab omnibus operibus suis, quæ fecit, eis
E non egendo, requievit, intelligitur requies quidem
Dei nec cœpta nec terminata; requies autem ejus
ab omnibus operibus suis quæ fecit, ex eo cœpta
est, ex quo illa perfecit. Neque enim operibus suis
non egendo requievisset, priùs quàm essent, qui-
bus nec perfectis eguisset: & quia eis omnino num-
quam eguit, nec ista beatitudo, qua non eis eget,
tamquam proficiendo perficietur, ideo septimo
diei nulla vespera accessit.

37. Sed planè quæri potest dignaque consi- Caput XX. Dies septimus an creatus.
F deratione movet, quomodo intelligatur in seipso
Deus requievisse ab omnibus operibus suis, quæ
fecit; cùm scriptum sit, *Et requievit Deus in die
septimo*. Non enim dictum est, in seipso; sed *in die
septimo*. Quid est ergo dies septimus, utrùm creatu-
ra est aliqua, an temporis tantummodo spatium?
Sed etiam temporis spatium creaturæ temporali
concreatum est; ac per hoc & ipsum sine dubio
creatura est. Neque enim ulla tempora vel sunt,
vel esse potuerunt, vel poterunt, quorum Deus
G non sit creator: ac per hoc & istum septimum diem,
si tempus est, quis creavit nisi omnium temporum
creator? Sed illi sex dies cum quibus vel in quibus
creaturis creati sint, superior Scripturæ sanctæ ser-

a MSS. octo, *ordinatur*.
b MSS. quatuor, *consummata est in natura sua, aliud habet in natura sua*.
c Editi post *diximus*, addunt, *ut intelligatur*; quod omittunt MSS.

omnes.
d Sic MSS. At excusi prætermissa voce *Dei*, ferunt, *requies septimi diei*.

mo indicat. Quocirca in his diebus septem, quo-
A quoties dies nominatus est, & in ipso septimo in
rum species nota nobis est, qui re quidem ipsa præ-
quo requievit ab operibus suis.
tereunt, sed aliis succedentibus nomina sua quo-
dammodo tradunt, ut illi sex dies nominentur, no-
vimus eorum primi quando creati sunt: septimum
autem diem, qui nomine sabbati nuncupatur, quan-
do Deus creaverit, non videmus. In ipso quippe
die non fecit aliquid, immo ab eis quæ sex diebus
fecerat, in eodem septimo requievit. Quomodo er-
go requievit in die, quem non creavit? Aut quo-
modo eum post sex dies continuò creavit, cùm sex-
B to die consummaverit omnia quæ creavit, nec ali-
quid septimo die creaverit, sed in eo potiùs ab om-
nibus, quæ creaverat, requieverit? An unum tan-
tummodo diem creavit Deus, ut ejus repetitione
multi, qui dicuntur dies, præterirent atque trans-
currerent; nec opus erat ut septimum diem crea-
ret, quia illius quem creaverat, septima repetitio
hunc utique faciebat? Lucem quippe de qua scrip-
Gen. 1.3. tum est, *Et dixit Deus, Fiat lux; & facta est lux*,
discrevit à tenebris, eamque vocavit diem, & te-
C nebras vocavit noctem. Tunc itaque Deus diem fe-
cit, cujus repetitionem Scriptura appellat secun-
dùm diem, deinde tertium, & usque ad sextum,
quo consummavit Deus opera sua: atque inde il-
lius diei primitus creati septima repetitio septimi
diei nomen accepit, in quo requievit Deus. Ac per
hoc nulla creatura est septimus dies, nisi eadem ip-
sa septies rediens, quæ condita est, quando vocavit
Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem.

Caput XXI. De luce quæ ante luminaria fuit ad vicissitudinem diei & noctis.

38. Rursus ergo ad eam quæstionem relabi-
D mur, de qua in primo libro exisse videbamur, ut
item quæramus quomodo circuire potuerit lux ad
exhibendam diurnam nocturnamque vicissitudi-
nem, non solùm antequam cæli luminaria, sed an-
tequam ipsum cælum quod firmamentum appella-
tum est, factum esset, antequam denique ulla spe-
cies terræ vel maris, quæ circuitum lucis admitte-
ret, sequente nocte unde illa transisset. Cujus quæ-
stionis difficultate compulsi, ausi sumus disceptá-
tionem nostram quasi ad hanc terminare senten-
E tiam, ut diceremus illam lucem, quæ primitus fa-
cta est, conformationem esse creaturæ spiritalis;
noctem verò, adhuc formandam in reliquis operi-
bus rerum materiem, quæ fuerat instituta, cùm in
principio fecit Deus cælum & terram, antequam
a verbo faceret diem. [a] Sed nunc diei septimi consi-
derationem commoniti, facilius est ut nos ignorare
fateamur, quod remotum est à sensibus nostris, quo-
nam modo lux illa quæ dies appellata est, vel cir-
cuitu suo, vel contractione & emissione, si corpo-
F ralis est, vices diurnas nocturnasque peregerit, vel
si spiritalis est, condendis creaturis omnibus præ-
sentata sit, suaque ipsa presentiâ diem, noctem
verò absentiâ, vesperam initio absentiæ, manè initio
præsentiæ fecerit; quàm ut in re aperta contra di-
vinæ Scripturæ verba conemur, dicendo aliud esse
diem septimum, quàm illius diei quem fecit Deus
septimam repetitionem. Alioquin aut non creavit
Deus septimum diem, aut aliquid creavit post illos
sex dies, id est ipsum diem septimum, falsumque
G erit quod scriptum est, in sexto die consummasse
Gen. 2. 2. omnia opera sua, & in septimo requievisse ab om-
nibus operibus suis. Quod utique quoniam falsum
esse non potest, restat ut præsentia lucis illius, quem
diem Deus fecit, per omnia opera ejus repetita sit,

Caput XXII. Lux spiritalis quo modo diei & noctis vicissitudinem exhibuisse intelligitur.

39. Sed quoniam lux corporalis antequam
fieret cælum, quod firmamentum vocatur, in quo
etiam luminaria facta sunt, quo circuitu vel quo
processu & recessu vices diei & noctis exhibere po-
tuerit, non invenimus; istam quæstionem relin-
quere non debemus sine aliqua nostræ prolatione
sententiæ, ut si lux illa quæ primitus creata est, non
corporalis sed spiritalis est, sicut post tenebras fa-
B cta est, ubi intelligitur à sua quadam informitate
ad Creatorem conversa atque formata, ita & post
vesperam fiat manè, cùm post cognitionem suæ
propriæ naturæ, qua non est quod Deus, refert se
ad laudandam lucem quod ipse Deus est, cujus con-
templatione formatur. Et quia ceteræ creaturæ,
quæ infra ipsam fiunt, sine cognitione ejus non
fiunt, propterea nimirum idem dies ubique repeti-
tur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quotiens di-
stinguuntur rerum genera creatarum, perfectione
C senarij numeri terminanda: ut vespera primi diei sit
etiam sui [b] cognitio, non se esse quod Deus est; b
manè autem post hanc vesperam, quo concluditur
dies unus, & inchoatur secundus, conversio sit
ejus, qua id quod creata est, ad laudem referat
Creatoris, & percipiat de Verbo Dei cognitionem
creaturæ quæ post ipsam fit, hoc est firmamenti:
quod in ejus cognitione fit priùs cùm dicitur, *Et sic
est factum*; deinde in natura ipsius firmamenti, quod
conditur, cùm additur etiam postea, jam dicto,
D *Et sic est factum, Et fecit Deus firmamentum*. Deinde
fit vespera illius lucis, cùm ipsum firmamentum,
non in Verbo Dei sicut antè, sed in ipsa ejus natura
cognoscit: quæ cognitio quoniam minor est, rectè
vesperæ nomine significatur. Post quam fit manè,
quo concluditur secundus dies, & incipit tertius:
in quo itidem manè conversio est lucis hujus, id est
diei hujus ad laudandum Deum, quòd operatus sit
firmamentum, & percipiendam de Verbo ejus co-
gnitionem creaturæ, quæ condenda est post firma-
E mentum. Ac per hoc cùm dicit Deus, *Congregetur
aqua quæ est sub cælo, in collectionem unam, & ap-
pareat arida*, cognoscit hoc illa lux in Verbo Dei,
quo id dicitur; & ideo sequitur, *Et sic est factum*,
hoc est in ejus cognitione ex Verbo Dei: deinde
cùm additur, *Et congregata est aqua*, &c. cùm jam
a dictum esset, *Et sic factum est*, in suo genere ipsa
creatura fit: quæ item cùm in suo genere facta co-
gnoscitur ab ea luce, quæ jam in Verbo Dei facien-
dam cognoverat, fit tertiò vespera, & inde hoc mo-
F do cetera usque ad manè post vesperam sexti diei.

Caput XXIII. Cognitio rerum in Verbo Dei, & in seipsis.

40. Multum quippe interest inter cognitio-
nem rei cujusque in Verbo Dei, & cognitionem ejus
in natura ejus, ut illud meritò ad diem pertineat,
hoc ad vesperam. In comparatione enim lucis illius,
quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio qua
creaturam quamlibet in seipsa novimus, non im-
meritò nox dici potest: quæ rursus tantum differt
ab errore vel ignorantia eorum, qui nec ipsam crea-
turam sciunt, ut in ejus comparatione non incon-
G gruè dicatur dies. Sicut ipsa vita fidelium quæ in
hac carne atque in hoc sæculo ducitur, in compa-
ratione vitæ infidelis atque impiæ non irrationabi-
liter lux & dies appellatur, dicente Apostolo, Fui- Ephes. 5. 8.
stis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domi-
no; & illud, Abjiciamus opera tenebrarum, & in- Rom. 13.12.

a Editi addunt hic, *in quo requievit*: quod abest à MSS.
b Locus ad MSS. emendatus; in quo scilicet excusi habuerunt, *cognitione*, paulóque pòst, *conversio sit ejus*.

» duamus nos arma lucis; sicut in die honestè ambulemus: qui tamen dies nisi rursus in comparatione illius diei, quo æquales Angelis facti videbimus Deum sicuti est, ipse quoque nox esset, non hîc prophetiæ lucernâ indigeremus; unde apostolus Petrus dicit, Habemus certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes sicut lucernæ [a] lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

2. Pet. 1.19.

CAPUT XXIV. Scientia Angelorũ.

41. QUAPROPTER cùm sancti Angeli, quibus post resurrectionem coæquabimur, si viam (quod nobis Christus factus est) usque in finem tenuerimus, semper videant faciem Dei, Verboque ejus unigenito Filio sicut Patri æqualis est perfruantur, in quibus prima omnium creata est sapientia; procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei priùs noverunt, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tamquam in eo per quod facta sunt omnia: ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt tamquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cujus incommutabili veritate rationes secundùm quas facta est, principaliter vident. Ibi ergo tamquam per diem, unde & concordissima unitas eorum ejusdem veritatis participatione dies est primitus creatus; hîc autem tamquam per vesperam: sed continuò fit manè, (quod in omnibus sex diebus animadverti potest;) quia non remanet angelica scientia in eo quod creatum est, quin hoc continuò referat ad ejus laudem atque [b] caritatem, in quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur, in qua veritate stando dies est. Nam si vel ad seipsam natura angelica converteretur, seque ampliùs delectaretur quàm illo, cujus participatione beata est; intumescens superbiâ caderet, sicut diabolus: de quo suo loco loquendum est, cùm de serpente hominis seductore sermo debitus flagitabitur.

CAPUT XXV. Cur sex diebus non addatur nox.

42. QUIA ergo Angeli creaturam in ea ipsa creatura sic sciunt, ut ei scientiæ electione ac dilectione præponant quod eam sciunt in veritate, per quam facta sunt omnia, participes ejus effecti; ideo per omnes sex dies non nominatur nox, sed post vesperam & manè dies unus: item post vesperam & manè dies secundus; deinde post vesperam & manè dies tertius: ac sic usque in manè sexti diei, unde incipit septimus quietis Dei, quamvis cum suis noctibus, dies tamen non noctes narrantur. Tunc enim nox ad diem pertinet, non dies ad noctem, cùm sublimes & sancti Angeli id quod creaturam in ipsa creatura noverunt, referunt ad illius honorem & amorem, in quo æternas rationes quibus creata est contemplantur; eaque concordissima contemplatione sunt unus dies, quem fecit Dominus, cui conjungetur Ecclesia de hac peregrinatione liberata, ut & nos exsultemus & jocundemur in eo.

Psal. 117. 24.

CAPUT XXVI. Numerus dierum quomodo accipiendus.

43. HUJUS ergo diei, cujus & vespera & manè secundùm suprà dictam rationem accipi potest, sextâ repetitione consummata est universa creatura; factumque est manè, quo finiretur sextus dies; & unde inciperet septimus vesperam non habiturus, quia Dei requies non est creatura: quæ cùm per dies ceteros conderetur, aliter in seipsa facta cognoscebatur, quàm in illo in cujus veritate facienda videbatur, cujus cognitionis quasi decolor species vesperam faciebat. Non itaque jam forma ipsius operis dies, & terminus vespera, & alterius operis initium manè, in hac rerum conditarum narratione debet intelligi; ne cogamur contra Scripturam dicere, præter sex dies conditam diei septimi creaturam, aut ipsum diem septimum nullam esse creaturam: sed dies ille quem fecit Deus, per opera ejus ipse repetitur, non circuitu corporali, sed cognitione spiritali, cùm beata illa societas Angelorum & primitus contemplatur in Verbo Dei, quo dicit Deus, *Fiat*; atque ideo priùs in ejus cognitione fit, cùm dicitur, *Et sic est factum*; & postea rem ipsam factam, in ea ipsa cognoscit, quod significatur factâ vesperâ; & eam deinde cognitionem rei factæ ad illius veritatis laudem refert, ubi rationem viderat faciendæ, quod significatur facto manè. Ac sic per omnes illos dies unus est dies, non istorum dierum consuetudine intelligendus, quos videmus solis circuitu determinari atque numerari; sed alio quodam modo, à quo & illi tres dies, qui ante conditionem istorum luminarium commemorati sunt, alieni esse non possunt. Is enim modus non usque ad diem quartum, ut inde jam istos usitatos cogitaremus, sed usque ad sextum septimumque perductus est; ut longè aliter accipiendus sit dies & nox, inter quæ duo divisit Deus, & aliter iste dies & nox, inter quæ dixit ut dividant luminaria quæ creavit, cùm ait, *Et dividant inter diem & noctem*. Tunc enim hunc diem condidit, cùm condidit solem, cujus præsentia eumdem exhibet diem: ille autem dies primitus conditus jam triduum peregerat, cùm hæc luminaria illius diei quarta repetitione creata sunt.

Gen. 1. 14.

CAPUT XXVII. Usitati dies hebdomadæ longè dispares septem diebus Geneseos.

44. QUAPROPTER quòd illum diem vel illos dies, qui ejus repetitione numerati sunt, in hac nostra mortalitate terrena experiri ac sentire non possumus, & si quid ad eos intelligendos conari possumus, non debemus temerariam præcipitare sententiam, tamquam de his aliud sentiri congruentius probabiliusque non possit; istos septem dies, qui pro illis agunt hebdomadam, cujus cursu & recursu tempora rapiuntur, in qua dies unus est à solis ortu usque in ortum circuitus, sic illorum vicem quamdam exhibere credamus, ut non eos illis similes, sed multùm impares minimè dubitemus.

CAPUT XXVIII. Interpretatio data de luce & die spiritali non existimetur impropria & figurata.

45. NEC quisquam arbitretur, illud quod dixi de luce spiritali, & de condito die spiritali & angelica creatura, & de contemplatione quam habet in Verbo Dei, & de cognitione qua in seipsa creatura cognoscitur, ejusque relatione ad laudem incommutabilis veritatis, ubi priùs ratio videbatur rei faciendæ, quæ cognita est facta, non jam propriè, sed quasi figuratè atque allegoricè convenire ad intelligendum diem & vesperam & manè: sed aliter quidem quàm in hac consuetudine quotidianæ lucis hujus & corporalis; non tamen tamquam hîc propriè, ibi figuratè. Ubi enim melior & certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non & verior vespera & verius manè? Nam si in istis diebus habet quamdam declinationem suam lux in occasum, quam vesperæ nomine nuncupamus, & ad ortum iterum reditum, quod manè dicimus; cur & illic vesperam non dicamus, cùm à contemplatione Creatoris creatura [c] dispicitur, & manè cùm à co-

a MSS. omittunt, *lucenti*.

b In editis, *atque claritatem*. In quinque MSS. *atque caritatem*: hanc lectionem confirmat quod rursum n. 42. dicitur, *referunt ad illius honorem & amorem*.

c Bigotianus codex, *dispicitur*. Alij, *despicitur*; quasi deorsum aspicitur, uti usurpat Augustinus suprà n. 41. & lib. 2. n. 17. & Virgil. 1 Æneid. *Despiciens mare velivolum terrasque jacentes*.

gnitione

gnitione creaturæ in laudem Creatoris assurgitur? Neque enim & Christus sic dicitur lux, quomodo dicitur lapis; sed illud propriè, hoc utique figuratè. Quisquis ergo non eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figuratè, sed in hac creaturarum conditione propriè meliúsque possit intelligi; quærat, & divinitus adjutus inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam, sicut confirmo requiem Dei Scripturam sanctam, non quasi post lassitudinem vel curæ molestiam, nobis insinuare voluisse.

CAPUT XXIX. In angelica cognitione dies, vespera & manè.

46. QUAMOBREM potest aliquis fortasse mecum disputando certare, ut dicat sublimium cælorum Angelos non alternatim contueri, primò rationes creaturarum incommutabiliter in Verbi Dei incommutabili veritate, ac deinde ipsas creaturas, & tertiò earum etiam in seipsis cognitionem ad laudem referre Creatoris; sed eorum mentem mirabili facilitate hæc omnia simul posse. Numquid tamen dicet, aut si quisquam dixerit audiendus est, illam cælestem in Angelorum millibus civitatem, aut non contemplari Creatoris æternitatem, aut mutabilitatem ignorare creaturæ, aut ex ejus quoque inferiore quadam cognitione non laudare Creatorem? Simul hoc totum possint, simul hoc totum faciant: possunt tamen & faciunt. Simul ergo habent & diem, & vesperam, & manè.

CAPUT XXX. Nihilo ignobilior angelica scientia, licèt in hac sit vespera & manè.

47. NEQUE enim verendum est, ne fortè qui est idoneus jam illa sentire, ideo non putet hoc ibi posse fieri, quia in his diebus, qui solis hujus circuitu peraguntur, fieri non potest. Et hoc quidem non potest eisdem partibus terræ: universum autem mundum quis non videat, si attendere velit, & diem ubi sol est, & noctem ubi non est, & vesperam unde discedit, & manè quo accedit, simul habere? Sed nos planè in terris hæc omnia simul habere non possumus: nec ideo tamen istam terrenam conditionem lucisque corporeæ temporalem localemque circuitum illi patriæ spiritali coæquare debemus, ubi semper est dies in contemplatione incommutabilis veritatis, semper vespera in cognitione in seipsa creaturæ, semper manè etiam ex hac cognitione in laude Creatoris. Quia non ibi abscessu lucis superioris, sed inferioris cognitionis distinctione fit vespera; nec manè tamquam nocti ignorantiæ scientia matutina succedat, sed quòd vespertinam etiam cognitionem in gloriam conditoris adtollat. Denique & ille nocte non nominata, Vespere, inquit, & manè & meridie enarrabo & annuntiabo; & exaudies vocem meam: hîc fortasse per temporum vices, sed tamen, quantum puto, significans quid sine temporum vicibus ageretur in patria, cui ejus peregrinatio suspirabat.

Psal. 54. 18.

CAPUT XXXI. Initio creationis rerũ quomodo non simul dies, vespera & manè in angelica cognitione.

48. SED numquid si jam nunc simul ista omnia gerit atque habet angelica illa societas & unitas diei, quem primitus condidit Deus, tunc etiam cùm hæc conderentur simul hæc habuit? Nonne per omnes sex dies, cùm ea quæ per singulos Deo condere placuit, conderentur, primò hæc accipiebat in Verbo Dei, ut in ejus notitia primitus fierent, cùm dicebatur, *Et sic est factum*; deinde cùm facta essent, in sua propria natura qua sunt, Deoque placuissent quia bona sunt, tunc itidem ea cognoscebat alia quadam inferiore cognitione, quæ nomine vesperæ significata est; ac deinde factâ vesperâ fiebat manè, cùm de suo Deus opere laudaretur, & alterius creaturæ quæ deinceps facienda erat, ex Dei Verbo notitia, priùs quàm fieret, acciperetur? Non ergo tunc simul omnia, & dies & vespera & mane; sed singillatim, per ordinem quem Scriptura commemorat.

CAPUT XXXII. Si tunc ista omnia simul in Angelorum scientia, saltem non sine quodam ordine fuerunt.

49. AN etiam tunc simul omnia, quia non secundùm temporum moras, sicut fiunt dies isti, cùm oritur & occidit sol, & in locum suum redit, ut rursus oriatur; sed secundùm potentiam spiritalem mentis angelicæ, cuncta quæ voluerit simul notitiâ facillimâ comprehendentem? Nec ideo tamen sine ordine, quo apparet connexio præcedentium sequentiumque caussarum. Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant; quæ item priora sunt in Verbo, per quod facta sunt omnia, quàm in iis quæ facta sunt omnibus. Mens itaque humana priùs hæc quæ facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit: & deinde quærit eorum caussas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac sic invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere. Quod quanta tarditate ac difficultate agat, & quantâ temporis morâ propter corpus corruptibile quod aggravat animam, etiam quæ ferventissimo studio rapitur ut instanter ac perseveranter hoc agat, quis ignorat? Mens verò angelica pura caritate inhærens Verbo Dei, postea quàm illo ordine creata est, ut præcederet cetera, priùs ea vidit in Verbo Dei facienda, quàm facta sunt: ac sic priùs in ejus fiebant cognitione, cùm Deus dicebat ut fierent, quàm in sua propria natura: quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitiâ, quæ vespera dicta est. Quam notitiam sanè præcedebant quæ fiebant; quia præcedit cognitionem quidquid cognosci potest. Nisi enim priùs sit quod cognoscatur, cognosci non potest. Post hoc si eo modo sibi placeret, ut ampliùs seipsâ quàm Creatore suo delectaretur, non fieret manè, id est non de sua cognitione in laudem Creatoris assurgeret. Cùm verò factum est [a] manè, faciendum erat aliud & cognoscendum Deo dicente, *Fiat*; ut priùs itidem fieret in cognitione mentis angelicæ, & posset rursus dici, *Et sic est factum*; ac deinde in natura propria, ubi subsequente vesperâ nosceretur.

50. Ac per hoc etiamsi nulla hîc morarum temporalium sint intervalla, præcessit tamen ratio condendæ creaturæ in Verbo Dei, cùm dixit, *Fiat lux*: & secuta est ipsa, lux qua angelica mens formata est, atque in sua natura facta est, non autem alibi sequebatur ut fieret: & ideo non priùs dictum est, *Et sic est factum*; & postea dictum, Et fecit Deus lucem: sed continuò post Verbum Dei facta est lux, adhæsitque creanti luci lux creata, videns illam & se in illa, id est rationem qua facta est. Vidit etiam se in se, id est [b] distante quod factum est ab eo qui fecit. Et ideo cùm placuisset Deo factum videnti quia bonum est, & divisa esset lux à tenebris, & vocata lux dies, & tenebræ nox; facta est & vespera: quia necessaria erat & ista cognitio, qua distingueretur à Creatore creatura, aliter in se ipsa cognita quàm in illo: atque inde manè ad aliud præcognoscendum, quod fuerat verbo Dei faciendum, priùs in

a Abest, *manè*, à plerisque & melioris notæ MSS.

b Sorbonicus MS. *distare*.

cognitione mentis angelicæ, deinde in natura ipsius firmamenti. Et ideo dixit Deus, *Fiat firmamentum; Et sic est factum*, in cognitione creaturæ spiritalis, hoc priùs quàm fieret in eo ipso prænoscentis. Deinde *Fecit Deus firmamentum*, jam utique ipsam firmamenti naturam, cujus minor esset tamquam vespertina cognitio: ac sic usque ad omnium operum finem, & usque ad requiem Dei, quæ non habet vesperam, quia non est facta sicut creatura, ut posset etiam ipsius geminari cognitio, tamquam prior & major in Verbo Dei sicut in die, & posterior ac minor in seipsa sicut in vespera.

CAPUT XXXIII. An simul omnia, an per intervalla dierum condita fuerint.

51. SED si omnia mens simul angelica potest, quæ singillatim per ordinem connexarum caussarum sermo distinguit, numquid etiam quæ fiebant, velut ipsum firmamentum, velut aquarum congregatio, speciesque terrarum nudata, velut fruticum & arborum germinatio, luminarium & siderum conformatio, aquatilia terrestriaque animantia simul omnia facta sunt? an non potiùs per intervalla temporum secundùm præfinitos dies? An fortè non sicut ea secundùm motus eorum naturales nunc experimur, ita etiam cùm primitus instituta sunt cogitare debemus; sed secundùm mirabilem atque ineffabilem virtutem Sapientiæ Dei, quæ adtingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter? Neque enim & ipsa gradibus adtingit, aut tamquam gressibus pervenit. Quapropter quàm facilis ei efficacissimus motus est, tam facilè Deus condidit omnia; quoniam per illam sunt condita: ut hoc quod nunc videmus temporalibus intervallis eâ moveri ad peragenda quæ suo cuique generi competunt, ex illis insitis rationibus veniat, quas tamquam seminaliter sparsit Deus in ictu condendi, cùm dixit, & facta sunt, mandavit, & creata sunt.

Sap. 8. 1.

Psal. 32. 9

52. Non itaque tardè institutum est, ut essent tarda quæ tarda sunt; nec eâ morâ condita sunt sæcula, qua transcurrunt. Hos enim numeros tempora peragunt, quos cùm crearentur, non temporaliter acceperunt. Alioquin si rerum naturales motiones, dierumque istorum, quos novimus, usitata spatia, cùm hæc primitus verbo Dei facta sunt, cogitemus; non uno die opus erat, sed pluribus, ut ea quæ radicibus pullulant, terramque vestiunt, subtèr primitus germinarent; deinde certo numero dierum pro suo quæque genere in auras erumperent, etiam si hoc usque fieret, quod de creata natura eorum die uno, id est tertio factum Scriptura narravit. Deinde quot diebus opus erat, ut aves volarent, si à suis primordiis exsistentes, ad plumas & pennas per naturæ suæ numeros pervenerunt? An fortè ova tantùm creata erant, cùm quinto die dictum est, quòd ejecerint aquæ omne volatile pennatum secundùm suum genus? Aut si propterea rectè hoc dici potuit, quia in illo humore ovorum jam erant omnia, quæ per numeros certos dierum coalescunt, & explicantur quodammodo, quia inerant jam ipsæ numerosæ rationes incorporaliter corporeis rebus intextæ; cur non & ante ova idipsum rectè dici potuerit, cùm jam eædem rationes in elemento humido fierent, quibus alites per temporales sui cujusque generis moras oriri & perfici possent? De quo enim Creatore Scriptura ista narravit, quòd sex diebus consummaverit omnia opera sua, de illo alibi non utique dissonanter scriptum est, quòd creaverit omnia simul. Ac per hoc & istos dies sex vel septem, vel potiùs unum sexies septiesve repetitum simul fecit, qui fecit omnia simul. Quid ergo opus erat sex dies tam distinctè dispositèque narrari? Quia scilicet ij qui non possunt videre quod dictum est, Creavit omnia simul, nisi cùm eis sermo tardiùs incedat, ad id quò eos ducit, pervenire non possunt.

Gen. 2. 2.

Eccli. 18. 1.

53. QUOMODO ergo dicimus sexies repetitam lucis illius præsentiam per angelicam cognitionem à vespera ad manè; cùm ipsa tria simul, id est & diem & vesperam & manè, semel ei habere sufficerit: cùm simul universam creaturam, sicut simul facta est, & in primis atque incommutabilibus rationibus, per quas condita est, contemplaretur propter diem, & in ejus ipsius natura cognosceret propter vesperam, & Creatorem ex ipsa etiam inferiore cognitione propter manè laudaret? Aut quomodo præcedebat manè, ut in Verbo cognosceret quid esset Deo postea faciendum, idipsum etiam consequenter vespere cognitura, si priùs & posteriùs nihil factum est, quia simul omnia facta sunt? Immo verò & priùs atque posteriùs per sex dies quæ commemorata sunt facta sunt, & simul omnia facta sunt: quia & hæc Scriptura, quæ per memoratos dies narrat opera Dei, & illa quæ simul eum dicit fecisse omnia, verax est; & utraque una est, quia uno Spiritu veritatis inspirante conscripta est.

CAPUT XXXIV. Omnia & simul facta, & nihilominus per sex dies facta.

54. Sed in his rebus, in quibus quid prius sit vel posterius, intervalla temporum non demonstrant, quamvis utrumque dici possit, id est & simul, & priùs & posteriùs, faciliùs tamen intelligitur quod dicitur simul, quàm quod priùs atque posteriùs: velut cùm solem intuemur orientem, certè manifestum est, quòd ad eum acies nostra pervenire non posset, nisi transiret totum aëris cælique spatium, quod inter nos & ipsum est: hoc autem cujus longinquitatis sit, quis æstimare sufficiat? Nec utique perveniret eadem acies vel radius oculorum nostrorum ad transeundum aërem, qui est super mare, nisi priùs transisset eum, qui est super terram, in qualibet mediterranea regione simus, ab eo loco ubi sumus usque ad littus maris. Deinde si ad eamdem lineam contuitus nostri adhuc post mare terræ adjacent, eum quoque aërem, qui super illas transmarinas terras est, transire acies nostra non potest, nisi priùs peracto spatio aëris illius, qui super mare quod priùs occurrit, extenditur. Faciamus jam post illas transmarinas terras nonnisi Oceanum remanere; numquid & aërem qui super Oceanum diffunditur, potest transire acies nostra, nisi priùs transierit quidquid aëris citra Oceanum supra terram est? Oceani autem magnitudo incomparabilis perhibetur; sed quantacumque sit, priùs oportet aërem, qui supra est, transeant radij nostrorum oculorum; & postea quidquid ultra est; tum demum ad solem perveniant, quem videmus. Num igitur quia totiens hîc diximus priùs & postea, ideo non simul omnia uno ictu transit noster obtutus? Si enim clausis oculis faciem contra visuri solem ponamus, nonne mox ut eos aperuerimus, ibi potiùs aciem nostram nos invenisse, quàm illuc eam perduxisse putabimus; ita ut nec ipsi oculi priùs aperti fuisse videantur, quàm [a] illa quò intenderat pervenisse? Et certè iste corporeæ lucis est radius, emicans ex oculis nostris, & tam longè posita tantâ celeritate contingens, ut æstimari compararique non possit. Nempe hîc & illa omnia tam ampla immensaque

a Am. & Er. *quàm illò quò intenderant pervenisse.* Lov. *pervenissent.* At MSS. *quàm illa quò intenderat* (scilicet oculorum acies) *pervenisse.*

spatia simul uno ictu transiri manifestum est, & quòd priùs posteriùsque transeatur, nihilo minùs certum est.

1. Cor. 15. 52.

55. Meritò resurrectionis nostræ celeritatem cùm exprimere vellet Apostolus, in ictu oculi dixit fieri. Neque enim aliquid in rerum corporearum motibus vel ictibus potest celerius inveniri. Quòd si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest, quid mentis acies vel humanæ, quanto magis angelicæ? Quid jam de ipsius summæ Dei Sapientiæ celeritate dicatur, quæ adtingit ubique propter suam munditiem, & nihil inquinatum in eam incurrit? In his ergo quæ simul facta sunt, nemo videt quid priùs posteriùsve fieri debuerit, nisi in illa Sapientia, per quam facta sunt omnia per ordinem simul.

Sap. 7. 24.

CAPUT XXXV. Conclusio de diebus Genesios.

56. DIES ergo ille, quem Deus primitus fecit, si spiritalis rationalisque creatura est, id est Angelorum supercælestium atque Virtutum, præsentatus est omnibus operibus Dei hoc ordine præsentiæ, quo ordine [a] scientiæ, qua & in Verbo Dei facienda prænosceret, & in creatura facta cognosceret, non per intervallorum temporalium moras, sed priùs & posteriùs habens in connexione creaturarum, in efficacia verò Creatoris omnia simul. Sic enim fecit quæ futura essent, ut non temporaliter faceret temporalia, sed ab eo facta currerent tempora. Ac per hoc isti dies septem, quos lux corporis cælestis circumeundo explicat, atque replicat, secundùm quamdam umbram significationis admonent nos quærere illos dies, in quibus lux creata spiritalis omnibus operibus Dei per senariam numeri perfectionem præsentari potuerit; atque inde [b] septimam requiem Dei manè habere, & vesperam non habere: ut non sit hoc Deo requievisse in die septimo, tamquam ipso die septimo egerit ad requiem suam; sed quòd in conspectu Angelorum suorum requieverit ab omnibus operibus suis, quæ fecit, non utique nisi in seipso, qui factus non est; id est, ut creatura ejus angelica, quæ cognoscendis omnibus operibus ejus in ipso & in illis, tamquam dies cum vespera præsentata est, nihil post omnia valde bona opera ejus melius cognosceret, quàm illum ab omnibus in seipso requiescere, nullo eorum egentem quò sit beatior.

a

a MSS. aliquot, *præscientiæ.*

b MSS. non pauci, *inde in septimam.* unus aut alter, *inde in septima*

LIBER QUINTUS.

De eo quod scriptum est in 2. cap. Geneseos, Hic est liber creaturæ cæli *&c. usque ad illud*, Fons autem adscendebat de terra *&c.*

CAPUT I. Sex vel septem Genesis dies unius dici repetitione numerari potuisse.

1. HIC *est liber creaturæ cæli & terræ, cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri, antequam esset super terram, & omne fœnum agri, antequam exortum est. Non enim pluerat super terram Deus: & homo non erat qui operaretur terram. Fons autem adscendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ.* Nunc certè firmior fit illa sententia, qua intelligitur unum diem fecisse Deum, unde jam illi sex vel septem dies unius hujus repetitione numerari potuerint: quandoquidem apertiùs sancta Scriptura jam dicit, concludens quodammodo cuncta quæ ab initio usque ad hunc locum dixerat, atque infert, *Hic est liber creaturæ* vel facturæ *cæli & terræ, cùm factus est dies.* Neque enim quisquam dicturus est cælum & terram hîc ita commemorata, sicut dictum erat antequam conditus insinuaretur dies, *In principio fecit Deus cælum & terram.* Illud enim si eo modo intelligitur, ut aliquid Deus fecerit sine die, priùs quàm faceret diem, qua ratione id possit accipi, suo loco dixi, quod dicendum putavi, nulli intercludens meliùs intelligendi licentiam. Nunc autem, *Hic est*, inquit, *liber creaturæ cæli & terræ, cùm factus est dies:* satis, ut opinor, ostendens, non hîc se ita commemorasse cælum & terram, sicut in principio antequam fieret dies, cùm tenebræ essent super abyssum; sed quomodo factum est cælum & terra, cùm factus est dies, id est jam formatis atque distinctis partibus & generibus rerum, quibus universa creatura disposita atque composita reddit hanc speciem, quæ mundus vocatur.

Gen. 2. 4.

Gen. 1. 1.

2. Illud hîc ergo cælum commemoratum est, quod cùm creasset Deus, firmamentum vocavit, cum omnibus quæ in illo sunt; & ea terra, quæ cum abysso imum obtinet locum, cum omnibus quæ in ea sunt. Sequitur enim & adjungit, *Fecit Deus cælum & terram*; ut cæli & terræ nomine & præmisso antequam factum diem commemoraret, & repetito cùm commemorasset, non sinat suspicari, ita se nunc cælum & terram nominasse, sicut in principio antequam esset creatus dies. Sic enim verba contexuit, *Hic est liber creaturæ cæli & terræ, cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram:* ut si quisquam velit sic intelligere quod superiùs positum est, *liber creaturæ cæli & terræ*, quemadmodum dictum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*, priùs quàm conderet diem, quia priùs & hîc commemorata sunt cælum & terra, & postea factus dies; corrigatur subsequentibus verbis: quia & post commemoratum factum diem rursus cæli & terræ nomen adjunctum est.

3. Quamquam & hoc quod positum est, *cùm*, & sic adjunctum, *factus est dies*, cuivis contentioso extorqueat alium esse intellectum non posse. Si enim ita esset interpositum, ut diceretur, Hic est liber creaturæ cæli & terræ, factus est dies, fecit Deus cælum & terram; quisquam fortè arbitraretur librum creaturæ cæli & terræ sic appellatum, quomodo appellatum est in principio cælum & terra, ante conditum diem; ac deinde subjunctum, *factus est dies*, sicut ibi postea narratum est, quòd Deus fecerit diem: inde continuò rursus dictum, *Fecit Deus cælum & terram*, tamquam sic jam quemadmodum hæc facta sunt post conditum diem. Sed quia ita interpositum est ut diceretur, *cùm factus est dies*; sive hoc superioribus verbis connectas, ut sit una sententia, *Hic est liber creaturæ cæli & terræ cùm factus est dies*; sive inferioribus, ut item hoc modo sit plena sententia, *Cùm*

factus est dies, fecit Deus cælum & terram: procul dubio cogit eo modo se intelligi cælum & terram commemorasse, quomodo facta sunt, cùm factus est dies. Deinde cùm dictum esset, *Fecit Deus cælum & terram*; additum est, *& omne viride agri:* quæ certè manifestum est tertio die facta. Unde liquidiùs apparet eumdem illum esse unum diem quem fecit Deus, quo repetito, factus est & secundus, & tertius, & ceteri usque ad septimum diem.

CAPUT II. Viride agri cur addi tum Gen. 2. 5.

4. CUM autem nomine cæli & terræ, usitato more Scripturarum, nunc universam creaturam voluerit accipi, quæri potest cur addiderit, *& omne viride agri*; quod mihi videtur ideo posuisse, ut significantiùs intimaret quem diem commendaverit, quòd ait, *cùm factus est dies.* Citò enim quisquam putaret hunc diem lucis corporeæ commendatum, quo circumeunte nobis vicissitudo diurni nocturnique temporis exhibetur. Sed cùm creaturarum conditarum ordinem recolimus, & invenimus omne viride agri tertio die creatum, antequam sol fieret, qui quarto die factus est, cujus præsentiâ dies iste quotidianus usitatusque peragitur; quando audimus, *Cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri*; admonemur de ipso die cogitare, quem sive corporalem nescio qua luce nobis incognita, sive spiritalem in societate unitatis angelicæ, non tamen talem qualem hîc novimus, intellectu vestigare conemur.

CAPUT III. Ex narrationis ordine intelligitur omnia simul creata fuisse.

5. ILLUD etiam non ab re fuerit intueri, quod cùm posset dicere, Hic est liber creaturæ cæli & terræ, cùm fecit Deus cælum & terram; ut in cælo & terra intelligeremus quidquid in eis est, sicut loqui divina Scriptura consuevit, ut nomine cæli & terræ sæpissime, interdum addito & maris, universam insinuet creaturam, aliquando adjungens & dicens, Et quæ sunt in eis: ut quidquid horum diceret, ibi intelligeremus & diem, sive quem primitus condidit, sive istum quem præsentiâ solis fecit: non ita dixit, sed interposuit diem dicens, *Cùm factus est dies.* Nec ita locutus est ut diceret, Hic est liber creaturæ diei & cæli & terræ; tamquam hoc ordine, quo facta narrantur. Nec ita, Hic est liber creaturæ cæli & terræ, cùm factus est dies & cælum & terra, cùm fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri. Nec ita, Hic est liber creaturæ cæli & terræ, cùm fecit Deus diem, & cælum & terram, & omne viride agri: hos enim magis locutionis modos loquendi consuetudo poscebat. Sed ait, *Hic est liber creaturæ cæli & terræ, cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri*: tamquam illud insinuans, cùm factus est dies, tunc fecisse Deum cælum & terram, & omne viride agri.

Psal. 145. 6.

6. Porrò autem superior narratio factum diem primitus indicat, eumque unum diem deputat, post quem secundum annumerat, quo factum est firmamentum; & tertium, quo species terræ marisque digestæ sunt, & lignum atque herbam terra produxit. An fortè hoc illud est, quod in libro superiore moliebamur ostendere, simul Deum fecisse omnia, quandoquidem narrationis illa contextio, cùm sex dierum ordine creata cuncta & consummata memorasset, nunc ad unum diem omnia rediguntur nomine cæli & terræ, adjuncto etiam fruticum genere? Nimirum propter quod suprà dixi, ut si fortassis ex hac nostra consuetudine intelligeretur dies, corrigeretur lector, cùm recoleret viride agri ante istum solarem diem Deum dixisse ut terra produceret. Ita jam non ex alio Scripturæ sanctæ libro profertur testimonium quòd omnia simul Deus creaverit, sed vicina testificatio paginæ consequentis ex hac re nos admonet, dicens, *cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri:* ut istum diem & septies intelligas repetitum, ut fierent septem dies; & cùm audis tunc facta omnia, cùm factus est dies, illam senariam vel septenariam repetitionem sine intervallis morarum spatiorumque temporalium factam, si possis, apprehendas; si nondum possis, hæc relinquas conspicienda valentibus: tu autem cùm Scriptura non deserente infirmitatem tuam, & materno incessu tecum tardiùs ambulante proficias; quæ SIC LOQUITUR, ut altitudine superbos irrideat, profunditate adtentos terreat, veritate [a] magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.

Eccli. 18. 1.

a

CAPUT IV. Cur fœnũ antequam exorirentur factum fuisse dicitur.

7. QUID sibi ergo vult etiam quod sequitur: nam ita sermo contexitur, *Cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri, antequam esset super terram, & omne fœnum agri, antequam exortum est.* Quid est hoc? Nonne quærendum est ubi ea fecerit, antequam essent super terram, & antequam exorta sunt? Quis enim non procliviùs crederet, tunc ea Deum fecisse, cùm exorta sunt, non antequam exorta sunt, nisi admoneretur hoc divino eloquio, ista Deum fecisse antequam exorirentur, ut si ubi facta sint, invenire non possit, credat tamen ante facta quàm exorta, quisquis huic Scripturæ piè credit; impiè quippe non credit.

8. Quid ergo dicemus? An quod nonnulli putaverunt, in ipso Verbo Dei facta omnia, antequam exorirentur in terra? Sed si hoc modo facta sunt, non cùm factus est dies, sed antequam fieret dies, facta sunt: apertè autem Scriptura dicit, *Cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri antequam esset super terram, & omne fœnum antequam exoriretur.* Si ergo cùm factus est dies, non utique antequam fieret dies: ac per hoc non in Verbo, quod Patri coæternum est antequam dies, antequam omnino aliquid fieret; sed cùm factus est dies. Nam illa quæ in Verbo Dei ante omnem creaturam sunt, non utique, facta sunt: hæc autem facta sunt, cùm factus est dies, sicut Scripturæ verba declarant: sed tamen antequam essent super terram, antequam exorirentur; quod de viridibus & fœno agri dictum est.

9. Ubi ergo? An in ipsa terra caussaliter & rationaliter; sicut in seminibus jam sunt omnia, antequam evolvant quodammodo, atque explicent incrementa & species suas per numeros temporum? Sed ista semina, quæ videmus, jam super terram sunt, jam exorta sunt: an non erant super terram, sed infra terram; & ideo antequam exorta sunt, facta sunt, quia tunc exorta sunt, cùm semina germinarunt, & accessu incrementorum in auras eruperunt, quod per moras temporum nunc fieri videmus suo cuique generi distributas? Num ergo semina tunc facta sunt, cùm factus est dies, & in ipsis erat omne viride agri, & omne fœnum, nondum ea specie qua sunt super terram jam exorta, sed ea vi qua sunt in rationibus seminum? Semina ergo primùm terra produxit? Sed non ita Scriptura loquebatur, cùm diceret, *Et produxit terra herbam pabuli*, vel herbam fœni [b] *seminantem*

[a] Veteres codices optimæ notæ, *agnos pascat.*

[b] MSS. constanter habent, *seminans semen.*

semen secundùm genus, & secundùm similitudinem; & lignum fructuosum faciens fructum, cujus semen suum in se secundùm genus super terram. His enim verbis magis apparet, semina esse orta ex herbis & lignis; non autem illa ex seminibus, sed ex terra: præsertim quia & ipsa verba Dei sic se habent. Non enim ait, Germinent semina in terra herbam fœni, & lignum fructuosum; sed ait, *Germinet terra herbam fœni seminantem semen*; ut semen ex herba, non herbam insinuaret ex semine. *Et sic est factum, & produxit terra*; id est, priùs sic est factum in cognitione illius diei, & produxit terra jam, ut hoc fieret etiam in ipsa creatura, quæ condita est.

10. Quomodo ergo antequam essent super terram, & antequam exorirentur; quasi aliud eis fuerit fieri cum cælo & terra, quando factus est dies ille inusitatus atque incognitus nobis, quem primum Deus fecit; aliud autem exoriri super terram, quod non fit nisi per hos dies, quos circuitus solis facit per temporum moras suo cuique generi accommodatas? Quòd si ita est, diesque ille societas atque unitas supercælestium Angelorum atque Virtutum est; procul dubio longè aliter nota est Angelis creatura Dei, aliter nobis: excepto quòd eam in Verbo Dei noverunt, per quod facta sunt omnia, etiam in seipsa dico longè aliter notam eis esse quàm nobis. Illis enim primordialiter, ut ita dicam, vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit, & post eam conditionem à suis operibus requievit, non condendo aliquid ampliùs: nobis autem secundùm rerum antea conditarum administrationem, jam per ordines temporum, secundùm quam Deus jam illis rebus per senariam perfectionem consummatis, usque modò operatur.

11. Caussaliter ergo tunc dictum est produxisse terram herbam & lignum, id est producendi accepisse virtutem. In ea quippe jam tamquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quæ per tempora futura erant. Nam utique postea plantavit Deus paradisum juxta Orientem, & ejecit ibi de terra omne lignum speciosum ad adspectum, & bonum ad escam: nec tamen dicendum est, eum aliquid tunc addidisse creaturæ, quod antè non fecerat, quod velut illi perfectioni, quâ omnia bona valde sexto die consummavit, pòst esset addendum: sed quia jam omnes naturæ fruticum atque lignorum in prima conditione factæ fuerant, à qua conditione Deus requievit, movens deinde administransque per temporales cursus illa ipsa quæ condidit, & à quibus conditis requievit, non solùm tunc plantavit paradisum, sed etiam nunc omnia quæ nascuntur. Quis enim alius etiam nunc ista creat, nisi qui usque nunc operatur? Sed creat hæc modò ex iis quæ jam sunt: tunc autem ab illo, cùm omnino nulla essent, creata sunt, cùm factus est dies ille, qui etiam ipse omnino [a] non erat, spiritalis videlicet atque intellectualis creatura.

a

CAPUT V. Ordo creationis rerum per sex dies, nõ intervallis temporum, sed connexione caussarum.

12. FACTÆ itaque creaturæ motibus cœperunt currere tempora: unde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri ante [b] tempora tempora. Motus enim si nullus esset vel spiritalis vel corporalis creaturæ, quo per præsens præteritis futura succederent, nullum esset tempus omnino. Moveri autem creatura non utique posset si non esset. Potiùs ergo tempus à creatura, quâm creatura cœpit à tempore, utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Nec sic accipiatur quod dictum est, tempus à creatura cœpit, quasi tempus creatura non sit; cùm sit creaturæ motus ex alio in aliud, consequentibus rebus secundùm ordinationem administrantis Dei cuncta quæ creavit. Quapropter cùm primam conditionem creaturarum cogitamus, à quibus operibus suis Deus in die septimo requievit; nec illos dies sicut istos solares, nec ipsam operationem ita cogitare debemus, quemadmodum nunc aliquid Deus operatur in tempore: sed quemadmodum operatus est unde inciperent tempora, quemadmodum operatus est omnia simul, præstans eis etiam ordinem, non intervallis temporum, sed connexione caussarum, ut ea quæ simul facta sunt, senario quoque illius diei numero præsentato perficerentur.

Rom. 11. 36.

13. Non itaque temporali, sed caussali ordine priùs facta est informis formabilisque materies, & spiritalis & corporalis, de qua fieret quod faciendum esset, cùm & ipsa priusquam instituta est, non fuisset: nec instituta est nisi ab illo utique summo Deo & vero, ex quo sunt omnia; sive cæli & terræ nomine significata sit, quæ in principio fecit Deus ante unum illum diem quem condidit, propterea jam sic appellata, quia inde facta sunt cælum & terra; sive nomine terræ invisibilis & incompositæ atque abyssi tenebrosæ, ut jam in primo libro tractatum est.

14. In his verò quæ jam ex informitate formata sunt, evidentiùsque appellantur creata vel facta vel condita, primùm factus est dies. Oportebat enim ut primatum creaturæ obtineret illa natura, quæ creaturam per Creatorem, non Creatorem per creaturam posset agnoscere. Secundò firmamentum unde corporeus incipit mundus. Tertiò species maris & terræ, atque in terra potentialiter, ut ita dicam, natura herbarum atque lignorum. Sic enim terra ad Dei verbum ea produxit antequam exorta essent, accipiens omnes numeros eorum quos per tempora exsereret secundùm suum genus. Deinde postea quàm hæc velut habitatio rerum condita est, quarto die luminaria & sidera creata sunt, ut priùs pars mundi superior, rebus quæ intra mundum moventur visibilibus ornaretur. Quintò aquarum natura, quia cælo aërique conjungitur, produxit ad Dei verbum indigenas suos, omnia scilicet natatilia & volatilia; & hæc potentialiter in numeris, qui per congruos temporum motus exsererentur. Sextò terrestria similiter animalia, tamquam ex ultimo elemento mundi ultima; nihilo minùs potentialiter, quorum numeros tempus postea visibiliter explicaret.

15. Hunc omnem ordinem creaturæ ordinatæ dies ille cognovit; & per hanc cognitionem sexies quodammodo præsentatus tamquam sex dies exhibuit, cùm sit unus dies, ea quæ facta sunt, in Creatore primitus, & in ipsis consequenter agnoscens, nec in ipsis remanens, sed eorum etiam cognitionem posteriorem ad Dei referens dilectionem, vesperam & manè & meridiem in omnibus præbuit; non per moras temporum, sed propter ordinem conditorum. Postremò quietis sui Creatoris, qua in se requiescit ab omnibus operibus suis, notitiam repræsentans, in qua non habet vesperam, benedici

[a] Editi, *omnino erat spiritalis*: omissa negante particulâ, quam huc ex MSS. revocamus.

[b] Sic MSS. & Am. At Er. & Lov. *ante creaturam tempora.*

& sanctificari ob hoc meruit. Unde ipsum septenarium numerum sancto Spiritui quodammodo dedicatum, commendat Scriptura, & novit Ecclesia.

16. Hic est ergo liber creaturæ cæli & terræ, quia in principio fecit Deus cælum & terram, secundùm materiæ quamdam, ut ita dicam, formabilitatem, quæ consequenter verbo ejus formanda fuerat, præcedens formationem suam, non tempore, sed origine. Nam utique cùm formaretur, primùm factus est dies: cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri antequam esset super terram, & omne fœnum agri antequam exoriretur, sicut tractavimus; vel si quid liquidius & congruentius videri & dici potuit aut potuerit.

CAPUT VI. De vers. *Non enim pluerat* &c. Gen. 2. 5. an inde intelligendũ omnia simul creata esse.

17. QUOD autem sequitur, *Non enim pluerat Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram*; quò pertineat, & quid nobis insinuet, indagare difficile est. Tamquam, ideo antequam exortum est, fecit Deus fœnum agri, quia nondum pluerat super terram: si enim post pluviam fœnum fecisset, pluviâ magis exortum quàm factum ab eo videretur? Quid enim, quod post pluviam exoritur, ab alio fit nisi ab eodem Deo? Cur autem non erat homo qui operaretur terram? Nonne jam sexto die fecerat hominem, & septimo requieverat ab omnibus operibus suis? An hoc recapitulando commemorat, quoniam quando fecit Deus omne viride agri, & omne fœnum, nondum pluerat super terram, & nondum erat homo? Tertio quippe die fecit ista, hominem autem sexto. Sed cùm fecit Deus omne viride atque omne fœnum agri antequam exortum est super terram, non solùm homo non erat qui operaretur terram, sed nec ipsum fœnum erat super terram, quod utique antè dicit factum quàm exortum. An ideo die tertio fecit Deus ista, quia nondum erat homo qui operando terram faceret ea? Quasi verò tam multa ligna & tam multa genera herbarum, non sine ulla opera hominum nascantur ex terra?

18. An ob hoc utrumque positum est, & quia nondum pluerat super terram, & quia nondum erat homo qui operaretur terram? Ubi enim opera humana non est, per pluviam ista nascuntur. Sunt etiam quædam quæ per pluviam non nascuntur, nisi humana opera accedat. Ideò nunc utrumque adjùtorium necessarium est, ut cuncta nascantur: tunc autem utrumque defuit; ideo fecit Deus hæc potentiâ Verbi sui sine pluvia, sine opere humano. Nam etiam nunc ipse facit, sed jam per pluviam & per hominum manus; quamvis neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

1. Cor. 3. 7.

Gen. 2. 6.

19. Quid est ergo quod adjungit, *Fons autem adscendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ?* Ille quippe fons tanta largitate manans, sicut Nilus Ægypto, posset universæ terræ esse pro pluvia. Quid itaque pro magno commendatum est, antequam plueret fecisse Deum illa gignentia, cùm quantum posset adjuvare pluvia, tantum fons irrigans terram? Verùm etsi aliquid minus, minora illa fortasse, non tamen nulla nascerentur. An hinc etiam more suo Scriptura tamquam infirmis infirmiter loquitur, & tamen innuit aliquid quod intelligat qui valuerit? Nimirum enim sicut isto die, paulo superiùs commemorato, significavit unum diem factum à Deo, & tunc Deum fecisse cælum & terram, cùm factus est dies, ut quomodo possemus cogitaremus simul omnia Deum fecisse, quamvis superior sex dierum enumeratio velut temporum intervalla ostendisse videretur: ita cùm dixisset, cum cælo & terra Deum fecisse omne viride agri antequam esset super terram, & omne fœnum agri antequam exortum est, addidit, *Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram:* tamquam diceret, Non ea sic fecit Deus, quemadmodum facit nunc talia, cùm pluit, & cùm operantur homines. Hæc enim jam per moras temporum fiunt, quæ tunc non erant, cùm fecit omnia simul, unde etiam tempora inciperent.

CAPUT VII. De fonte qui rigabat totam terram, Gen. 2. 6.

20. QUOD autem sequitur, *Fons autem adscendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ*; hinc jam, quantum arbitror, intimatur quæ fiant secundùm intervalla temporum ex prima illa conditione creaturarum, ubi facta sunt omnia simul. Et rectè ab eo cœpit elemento, ex quo cuncta genera nascuntur vel animalium, vel herbarum atque lignorum, ut agant temporales numeros suos naturis propriis distributos. Omnia quippe primordia seminum, sive unde omnis caro, sive unde omnia frutecta gignuntur, humida sunt, & ex humore concrescunt. Insunt autem illis efficacissimi numeri, trahentes secum sequaces potentias ex illis perfectis operibus Dei, à quibus in die septimo requievit.

Semina rerum.

21. Verumtamen quis iste sit fons ad irrigandam faciem terræ omnis idoneus, meritò quæritur. Si enim fuit, & obstrusus est vel siccatus, caussa quærenda est. Nunc enim videmus nullum esse fontem, quo irrigetur omnis facies terræ. Fortassis ergo peccatum hominum hanc etiam pœnam commeruit, ut tanta illius fontis repressa largitas facillimam terris auferret fecunditatem, ut incolentium augeretur labor. Posset hoc quamvis nulla id Scriptura narraverit, affirmare humana suspicio, nisi illud occurreret, quod peccatum hominum, cui pœna laboris imposita est, post paradisi delicias exstitit: paradisus autem habebat prægrandem fontem suum, de quo pòst diligentiùs suo loco loquendum est; ex cujus uno capite quatuor magna flumina & nota gentibus manare narrantur. Ubi ergo erat fons iste aut ista flumina, quando ille unus maximus adscendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ? Certè enim tunc non Geon, qui dicitur Nilus, unus ex illis quatuor, rigabat Ægyptum, quando fons adscendebat de terra, & non Ægyptum tantùm, sed omnem faciem terræ satiabat.

22. An primò Deum voluisse credendum est, uno fonte maximo irrigare omnem terram, ut illa quæ in ea principaliter condiderat, accepto humoris adjutorio, jam etiam per temporalia spatia gignerentur, pro suorum generum diversitate etiam diversis numeris dierum; & postea plantato paradiso repressisse illum fontem, multisque fontibus, sicut jam nunc videmus, implevisse terram; de paradisi autem uno fonte quatuor ingentia flumina divisisse; ut & terra cetera creaturarum suarum plena generibus, congruos numeros suorum temporum agentibus, fontes etiam suos haberet ac fluvios; & paradisus loco electiore plantatus, quatuor illa flumina ex capite sui fontis emitteret: aut ex ipso uno fonte paradisi multo largiùs exundante, priùs totam irrigasse terram, atque ad parienda per temporum numeros genera, quæ in ea sine intervallis temporum creaverat, fecundasse; ac postea repressisse in eo loco aquarum eruptionem vastissimam, ut de diversis per omnem terram capitibus fluminum ac fontium jam manarent; ac deinde in regione illius fontis, non jam universam terram rigantis, sed memorabiles solos illos quatuor fluvios emittentis, plantasse paradisum, ubi hominem quem fecerat collocaret.

CAPUT VIII. Quæ Scriptura reticet, quatenus conjectando proferre juvat.

23. QUIA enim non omnia scripta sunt, quemadmodum post illam primam rerum conditionem tempora cucurrerint, seque secutæ sint administrationes creaturarum, quæ primitus factæ sextoque illo die consummatæ sunt, sed quantum satis judicavit Spiritus, qui inerat scribenti ea quæ non solùm ad factarum rerum notitiam, sed etiam ad futurarum præfigurationem valerent; nescientes conjectamus quid fieri potuerit, quod ille non nesciens prætermisit; tantum id conantes pro modulo nostro, quantum adjuvamur, efficere, ne aliqua absurditas vel repugnantia putetur esse in Scripturis sanctis, quæ opinionem lectoris offendat, & dum existimat fieri non potuisse, quæ facta esse Scriptura commemorat, vel resiliat à fide, vel non accedat ad fidem.

CAPUT IX. Difficultas de fonte terram universam irrigante.

24. PROINDE cùm de isto fonte quærimus, quomodo id quod dictum est, *Adscendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ*, non impossibile videatur, si ea quæ diximus, impossibilia cuiquam videantur, quærat ipse aliud, quo tamen verax ista Scriptura monstretur, quæ procul dubio verax est, etiam si non monstretur. Nam si argumentari voluerit, quò eam falsam esse convincat; aut ipse nulla vera de creaturarum conditione atque administratione dicturus est; aut si vera dixerit, istam non intelligendo falsam putabit: velut si contendat ideo non potuisse uno quantolibet fonte omnem terræ faciem irrigari; quia si montes non irrigabat, non omnem terræ faciem irrigabat: si autem etiam montes rigabat, non erat jam impertitio saginæ, sed diluvij inundatio: quòd si terra tunc sic erat, totum mare erat, & nondum discreta erat arida.

CAPUT X. Fons ille terram totam rigans ut intelligendus.

25. CUI respondetur, quia hoc vicibus temporum posset, sicut certo tempore per plana Ægypti Nilus restagnat, & alio tempore ad ripas suas redit: aut si iste nescio cujus ignotæ ac longinquæ partis mundi aquis & pruinis hyemalibus anniversaria creditur incrementa colligere; quid de Oceani alternis æstibus, quid de quibusdam littoribus, quæ latè nudantur fluctibus, vicissimque operiuntur, dici potest? ut omittam quod de quorumdam fontium mira vicissitudine perhibetur, certo annorum intervallo sic eos inundare, ut totam illam regionem rigent, cui alio tempore vix ex altis puteis ad potandum sufficientem præbent aquam. Cur ergo sit incredibile, si ex uno abyssi capite alterna inundatione fluente atque refluente, tunc universa terra rigata est? Quòd si ipsius abyssi magnitudinem, ea parte excepta quod mare dicitur & evidenti amplitudine [a] atque amaris fluctibus terras ambit, in ea sola parte quam reconditis finibus terra continet, unde se omnes fontes amnesque diversis tractibus venisque distribuunt, & suis quique locis erumpunt, fontem voluit appellare Scriptura, non fontes, propter naturæ unitatem; eumque per innumerabiles vias antrorum atque rimarum adscendentem de terra & ubique dispertitis quasi crinibus irrigantem omnem faciem terræ, non continua specie tamquam maris aut stagni, sed sicut videmus ire aquas per alveos fluminum flexusque rivorum, & eorum excessu vicina perfundere: quis non accipiat nisi qui contentioso spiritu laborat? Potest quippe etiam ita dicta intelligi omnis terræ facies irrigata, quemadmodum dicitur, omnis vestis facies colorata, etiamsi non continuatim, sed maculatim fiat: præsertim quia tunc in novitate terrarum, etsi non omnia, plura tamen plana fuisse credibile est, quò latiùs possent erumpentia fluenta dispergi atque distendi.

a

26. Quapropter de istius fontis magnitudine vel multitudine, qui sive unam habuit alicunde eruptionem, sive propter aliquam in terræ occultis finibus unitatem, unde omnes aquæ super terram scatent omnium fontium magnorum atque parvorum, unus fons dictus est, per omnes dispertitiones suas adscendens de terra & irrigans omnem faciem terræ: sive etiam, quod est credibilius, quia non ait, Unus fons adscendebat, sed ait, *Fons autem adscendebat de terra*, pro numero plurali posuit singularem; ut sic intelligamus fontes multos per universam terram loca vel regiones proprias irrigantes, sicut dicitur miles, & multi intelliguntur, sicut dicta est locusta & rana in plagis, quibus Ægyptij percussi sunt, cùm esset innumerabilis locustarum numerus & ranarum; jam non diutiùs laboremus.

Psal. 104. 34.

CAPUT XI. Rerum creationem primam factam esse sine temporis mora: administrationem non ita.

27. SED illud etiam atque etiam consideremus, utrùm possit nobis per omnia constare sententia, qua dicebamus, aliter operatum Deum omnes creaturas prima conditione, à quibus operibus in die septimo requievit; aliter istam earum administrationem, qua usque nunc operatur: id est, tunc omnia simul sine ullis temporalium morarum intervallis; nunc autem per temporum moras, quibus videmus sidera moveri ab ortu ad occasum, cælum mutari ab æstate ad hyemem, germina certis dierum momentis pullulare, grandescere, virescere, arescere. Animalia quoque statutis temporum metis & cursibus & concipi, & perfici, & nasci, & per ætates usque in senium mortemque decurrere, & cetera hujusmodi temporalia. Quis enim operatur ista nisi Deus, etiam sine ullo tali suo motu? non enim & ipsi accidit tempus. Inter illa ergo opera Dei, à quibus requievit in die septimo, & ista quæ usque nunc operatur, quemdam Scriptura interponens suæ narrationis articulum, commendavit se illa explicasse, & cœpit jam ista contexere. Illorum explicatorum commendatio sic facta est: *Hic est liber creaturæ cæli & terræ, cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri antequam esset super terram, & omne fœnum agri antequam exoriretur. Non enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram.* Istorum autem contextio sic cœpit: *Fons autem adscendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ.* Ab hac commemoratione fontis hujus, & deinceps ea quæ narrantur, per moras temporum facta sunt, non omnia simul.

CAPUT XII. Opera Dei sub triplici consideratione.

28. CUM ergo aliter se habeant omnium creaturarum rationes incommutabiles in Verbo Dei, aliter illa ejus opera à quibus in die septimo requievit, aliter ista quæ ex illis usque nunc operatur; horum trium hoc quod extremum posui, nobis utcumque notum est per corporis sensus, & hujus consuetudinem vitæ. Duo verò illa remota à sensibus, & ab usu cogitationis humanæ, priùs ex divina auctoritate credenda sunt; deinde per hæc quæ

[a] Editi, *aqua maris fluctibus &c.* paulò pòst, *fontes & omnes aqua diversis tractibus.* quibus locis MSS. lectionem repræsentamus.

nota sunt, utcumque noscenda, quanto quisque magis minúsve potuerit pro suæ capacitatis modo divinitus adjutus [a] internis æternisque rationibus ut possit.

a

CAPUT XIII. Omnia antequam fierent, in Sapientia Dei.

29. De primis ergo illis divinis incommutabilibus æternisque rationibus, quoniam ipsa Dei Sapientia, per quam facta sunt omnia, priùs quàm fierent noverat, sic Scriptura testatur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quis ergo tam sit demens, ut dicat non ea Deum fecisse, quæ noverat? Porrò si noverat, ubi nisi apud ipsum, apud quem Verbum erat, per quod facta sunt omnia? Nam si extra seipsum ea noverat, quis eum docuerat? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Joham. 1. 1.
Rom. 11. 34.

30. Quamquam & ea quæ sequuntur in Evangelio, satis asserant istam sententiam; adjungit enim Evangelista & dicit, Quod factum est, in illo vita est, & vita erat lux hominum. Quia scilicet rationales mentes, in quo genere homo factus est ad imaginem Dei, non habent veram lucem suam nisi ipsum Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, cujus participes esse poterunt ab omni iniquitate & errore mundatæ.

Joham. 1. 4.

CAPUT XIV. Illud ex Joanne, *Quod factum est* &c. quomodo distinguendum.

31. Non ergo ita pronuntiari oportet, Quod factum est in illo, vita est, ut subdistinguamus, Quod factum est in illo, & deinde inferamus, vita est. Quid enim non in illo factum est, cùm commemoratis multis etiam terrenis creaturis, dicatur in Psalmo, Omnia in sapientia fecisti: dicat & Apostolus, Quoniam in ipso condita sunt omnia in cælo & in terra, visibilia & invisibilia. Consequens ergo erit, si ita distinxerimus, ut & ipsa terra, & quæcumque in ea sunt, vita sint. Quæ cùm absurdè dicantur omnia vivere, quanto absurdiùs ut etiam vita sint? præsertim quia distinguit de quali vita loquatur, cùm addit, Et vita erat lux hominum. Sic ergo distinguendum est, ut cùm dixerimus, Quod factum est, deinde inferamus, in illo vita est: non in se scilicet, hoc est in sua natura, qua factum est ut conditio creaturaque sit; sed in illo vita est, quia omnia quæ per ipsum facta sunt, noverat antequam fierent; ac per hoc [b] non sicut creatura quam fecit, sed sicut vita & lux hominum, quod est ipsa Sapientia, & ipsum Verbum unigenitus Dei Filius. Eo modo ergo in illo vita est quod factum est, quomodo dictum est, Sicut habet pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.

Psal. 103. 24.
Col. 1. 16.
b
Joham. 5. 26.

32. Nec prætermittendum est, quòd emendatiores codices habent, Quod factum est, in illo vita *erat*, [c] ut sic intelligatur, vita *erat*, quomodo In principio *erat* Verbum, & Verbum *erat* apud Deum, & Deus *erat* Verbum. Quod ergo factum est, jam vita *erat* in illo, & vita non qualiscumque; nam & pecora dicuntur vivere, quæ frui non possunt participatione sapientiæ; sed vita erat lux hominum. Mentes quippe rationales purgatæ gratiâ ejus, possunt pervenire ad ejusmodi visionem, qua nec superius quidquam sit, nec beatius.

c

33. Sed etiam si hoc legamus & intelligamus, Quod factum est, in illo vita *est*; [d] manet ista sententia, ut id quod per ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur, in qua vita vidit omnia, quando fecit; & sicut vidit, ita fecit: non præter seipsum videns, sed in seipso ita enumeravit omnia quæ fecit. Nec alia visio ipsius & Patris, sed una, sicut una substantia. Nam & in libro Job ita ipsa Sapientia, per quam facta sunt omnia, prædicatur; Sapientia verò, inquit, unde inventa est, vel quis sit locus scientiæ? Ignorat mortalis viam ejus, nec invenietur in hominibus. Et paulo pòst; Audivimus, inquit, ejus gloriam, Dominus commendavit viam ejus, & ipse novit locum ejus. Ipse enim omne quod est sub cælo perfecit, & novit quæ sunt in terra, omnia quæ fecit: ventorum libramenta, aquæ mensuras quando fecit, sicut vidit enumeravit. His atque hujusmodi testimoniis probatur quòd hæc omnia, priùs quàm fierent, erant in notitia facientis. Et utique ibi meliora, ubi veriora, ubi æterna & incommutabilia. Quamquam sufficere debeat ut quisque noverit, vel inconcussè credat, quòd Deus hæc omnia fecerit; non opinor eum esse tam excordem, ut Deum quæ non noverat fecisse arbitretur. Porrò si noverat ea, priùs quàm faceret ea, profectò priùs quàm fierent, apud illum erant eo modo nota, quo sempiternè atque incommutabiliter vivunt, & vita sunt: facta autem eo modo, quo unaquæque creatura in genere suo est.

CAPUT XV. Omnia qualis vita sunt in Deo.
d
Job. 28. 11.
Ibid. 22.

34. Quamvis ergo illa æterna incommutabilisque natura, quod Deus est, habens in se ut sit, sicut Moysi dictum est, Ego sum qui sum; longè scilicet aliter quàm sunt ista quæ facta sunt: quoniam illud verè ac primitus est, quod eodem modo semper est, nec solùm non commutatur, sed commutari omnino non potest; nihil horum quæ fecit exsistens, & omnia primitus habens, sicut ipse est. Neque enim ea faceret, nisi ea nosset antequam faceret, nec nosset nisi videret, nec videret nisi haberet, nec haberet ea quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus. Quamvis, inquam, illa substantia ineffabilis sit, nec dici utcumque homini per hominem possit, nisi usurpatis quibusdam locorum ac temporum verbis, cùm sit ante omnia tempora & ante omnes locos: tamen propinquior nobis est qui fecit, quàm multa quæ facta sunt. In illo enim vivimus, & movemur, & sumus: istorum autem pleraque remota sunt à mente nostra propter dissimilitudinem sui generis, quoniam corporalia sunt; nec idonea est ipsa mens nostra, in ipsis rationibus quibus facta sunt, ea videre apud Deum, ut per hoc sciamus quot & quanta qualiaque sint, etiamsi non ea videamus per corporis sensus. Remota quippe sunt & à sensibus corporis nostri, quoniam longè sunt, vel interpositis aut oppositis aliis à nostro contuitu [e] tactuque separantur. Ex quo fit, ut major ad illa invenienda sit labor, quàm ad illum à quo facta sunt, cùm sit incomparabili felicitate præstantius illum ex quantulacumque particula pia mente sentire, quàm illa universa comprehendere. Unde rectè culpantur in libro Sapientiæ inquisitores hujus sæculi: Si enim

CAPUT XVI. Deum faciliùs mente percipimus quàm creaturas.
Exod. 3. 14.
Act. 17. 28.
e
Sap. 13. 9.

[a] Sic Editi. At MSS. optimæ notæ carent hisce verbis, *internis æternisque rationibus*: quæ quidem salvo sensu expungi possunt.

[b] Lov. *Ac per hoc in illo erat.* Istud, *in illo erat*, abest ab antiquioribus edit. Am. Er. & à sincerioribus MSS. cujus glossematis loco subaudiendum, *in illo vita est.*

[c] MSS. optimæ notæ & plerique, *in illo vita erat, quomodo In principio erat.* neque habent, *ut sic intelligatur vita erat.*

[d] MSS aliquot *movet.* alij *monet.* ceteri cum editis, *manet.*

[e] MSS. ferè omnes, *attinque.*

tantum,

» tantum, inquit, potuerunt valere, ut possent æstimare sæculum, quomodo ejus Dominum non faciliùs invenerunt? Ignota enim sunt fundamenta terræ oculis nostris, & qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris.

CAPUT XVII. Ante sæcula, à sæculo, in sæculo.

35. Jam nunc consideremus ea quæ fecit Deus omnia simul, à quibus in die sexto consummatis requievit in septimo, postea consideraturi opera ejus, in quibus usque nunc operatur. Ipse enim ante sæcula: à sæculo autem ea dicimus, ex quo cœpit sæculum, sicut ipsum mundum: in sæculo autem, sicut ea quæ nascuntur in mundo. Cùm ergo Scriptura dixisset, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; paulò pòst ait, In hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est. De hoc opere Dei alio loco scriptum est, Qui fecisti mundum de materia informi. Hic mundus plerumque cæli & terræ nomine nuncupatur, sicut jam commemoravimus, quæ Scriptura dicit Deum fecisse, cùm factus est dies: de quibus verbis jam, quantum visum est, disputavimus, quemadmodum congruat conditioni mundi hujus, & quòd sex diebus consummatus est cum omnibus quæ in eo sunt, & quòd tunc factus, cùm factus est dies, ut & illud congruat quòd creavit omnia simul.

Joham. 1. 3.
Sap. 11. 18.
Eccli. 18. 1.

CAPUT XVIII. Creaturæ plures nobis ignotæ. Qua ratione à Deo & ab Angelis noscuntur.

36. Hujus universæ Dei creaturæ multa non novimus, sive quæ in cælis sunt altiùs, quàm ut noster sensus ea possit adtingere; sive quæ in regionibus terrarum fortassis inhabitabilibus; sive quæ deorsum latent, vel in profundo abyssi, vel in occultis sinibus terræ. Hæc igitur antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant quæ non erant? Et rursus quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, & erant, & non erant: erant in Dei scientia, non erant in sua natura. Ac per hoc factus est dies ille, cui utroque modo innotescerent, & in Deo & in seipsis: illâ velut matutinâ sive diurnâ cognitione, hac verò velut vespertinâ. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cùm ea fecisset, quàm illo quo ea noverat ut faceret, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio.

Cognitio matutina & vespertina.
Gen. 1. 17.

CAPUT XIX. Angeli Dei nunc j mysterium regni cælorũ noverunt à sæculis.

37. Non sanè propter inferiorum scientiam nuntiis indiget, quasi per eos fiat scientior: sed illo simplici ac mirabili modo novit omnia stabiliter atque incommutabiliter. Habet autem nuntios propter nos & propter ipsos, quia illo modo Deo parere & adsistere, ut eum de inferioribus consulant, ejusque supernis præceptis & jussis obtemperent, bonum est eis in ordine propriæ naturæ atque substantiæ. Nuntij autem græcè ἄγγελοι adicuntur, quo nomine generali universa illa superna civitas nuncupatur, quem primum diem conditum existimamus.

38. Nam nec illud eos latuit mysterium regni cælorum, quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostra, [a] quòd ex hac peregrinatione liberati, eorum cœtui conjungamur. Neque enim hoc ignorarent, quando quidem ipsum semen, quod opportuno tempore advenit, per ipsos * dispositum est in manu mediatoris, id est in ejus potestate, qui Dominus eorum est, & in forma Dei, & in forma servi. Dicit item Apostolus, Mihi minimo » omnium sanctorum data est gratia hæc, annuntiare » in gentibus investigabiles divitias Christi, & illuminare quæ sit dispensatio sacramenti, quod fuit » absconditum à sæculis in Deo, qui universa creavit, ut innotescceret Principibus & Potestatibus in » cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, » secundùm propositum sæculorum, quam fecit in » Christo Jesu Domino nostro. Sic ergo fuit hoc absconditum à sæculis in Deo, ut tamen innotescceret Principibus & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei; quia ibi primitus Ecclesia, quò post resurrectionem & ista Ecclesia congreganda est, ut simus æquales Angelis Dei. Illis ergo à sæculis innotuit; quia omnis creatura non ante sæcula, sed à sæculis. Ab ipsa enim exorta sunt sæcula, & ipsa à sæculis; quoniam initium ejus initium sæculorum est: Unigenitus autem ante sæcula, per quem facta sunt sæcula. Ideoque ex persona Sapientiæ, Ante sæcula, inquit, fundavit me; ut in ea faceret omnia, cui dictum est, Omnia in Sapientia fecisti.

a
2. Retract. 24.
Gal. 3. 19.
Eph. 3. 8.
Matth. 22. 30.
Heb. 1. 2.
Prov. 8. 23. sec. LXX.
Psal. 103. 24.

39. Quòd autem non in Deo tantùm innotescit Angelis, quod absconditum est, verùm etiam hîc eis apparet, cùm efficitur atque propalatur, idem Apostolus ita testis est: Et sine dubio, inquit, magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria. Et nisi fallor, mirum est si non omnia quæ dicitur Deus tamquam ad præsens tempus cognoscere, ideo dicitur, quia cognosci facit, sive ab Angelis, sive ab hominibus. Modus quippe iste locutionis cùm per efficientem id quod efficitur significatur, creber est in Scripturis sanctis: maximè cùm de Deo aliquid dicitur, quod ei ad proprietatem locutionis non convenire præsidens mentibus nostris ipsa veritas clamat.

1. Tim. 3. 16.

CAPUT XX. Deum adhuc operari.

40. Jam nunc ergo discernamus opera Dei, quæ usque nunc operatur, ab illis operibus à quibus in die septimo requievit. Sunt enim qui arbitrentur tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, & jussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus usque nunc operatur. Et ne quisquam putaret apud se illum aliquid operari, non in hoc mundo; Pater in me manens, inquit, facit opera sua, & sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat. Deinde quia non solùm magna atque præcipua, verùm etiam ista terrena & extrema ipse operatur, ita dicit Apostolus: Stulte tu quod seminas non vivificatur, nisi moriatur; & quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum ferè tritici, aut alicujus ceterorum, Deus autem dat illi corpus quomodo voluerit, & unicuique seminum proprium corpus. Sic ergo credamus, vel si possumus etiam intelligamus usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intercidant.

Joham. 5. 17.
1 Cor. 15. 36.

41. Sed planè si aliquam creaturam sic eum nunc instituere putaverimus, ut genus ejus primæ illi suæ conditioni non inserverit, apertè contradicimus dicenti Scripturæ, quòd consummaverit omnia opera sua in die sexto. Secundùm illa enim genera rerum, quæ primùm condidit, nova eum multa facere, quæ tunc non fecit, manifestum est. Novum autem genus instituere credi rectè non potest, quoniam tunc omnia consummavit. Movet itaque occultâ potentiâ universam creaturam suam,

Gen. 2. 2.

[a] Sic MSS At editi, *nuo.*

eoque motu illa versata, dum angeli jussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus & diversis etiam per aërem conglobationibus agitatur, dum [a] vireta pullulant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui justos exercere permittuntur, explicat sæcula, quæ illi cùm primùm condita [b] est tamquam plicita indiderat: quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, provido motu administrare cessaret.

CAPUT XXI. Omnia gubernari divinâ providentiâ.

42. ADMONERI autem nos oportet iis, quæ in tempore formantur atque nascuntur, quomodo ista considerare debeamus. Non enim frustra de Sapientia scriptum est, quòd amatoribus suis ostendit se in viis hilariter, & in omni providentia occurrit illis. Nec omnino audiendi sunt, qui putaverunt sublimes quidem mundi partes, id est à confinio corpulentioris aëris hujus & suprà, divinâ providentiâ gubernari: hanc autem imam partem terrenam & humidam, aërisque hujus vicinioris qui terrarum & aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubesque consurgunt, casibus potiùs & fortuitis motibus agitari. Contra hos enim loquitur Psalmus, qui cùm explicasset laudem cælestium, se etiam ad ista inferiora convertit, dicens, Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi: » ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, » quæ faciunt verbum ejus. Nihil enim tam videtur casibus volvi, quàm omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cæli hujus inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum est, facies variatur & vertitur. Sed cùm addidit, Quæ faciunt verbum ejus; satis ostendit earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio, latere nos potiùs, quàm universitatis deesse naturæ. Quid autem ore suo Salvator, cùm dicit, unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quod fœnum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat, nonne confirmat non solùm totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divinâ providentiâ regi?

Sap. 6. 17. *Psal. 148. 7.* *Matth. 10. 29.* *Matth. 6. 30.*

CAPUT XXII. Argumenta divinæ providentiæ.

43. ET certè isti qui hoc negant, nec sanctis eloquiis tantæ auctoritatis adquiescunt, si in hac mundi parte, quam putant fortuitis motibus perturbari, potiùs quàm sapientiâ divinæ summitatis regi, & ut hoc quasi probent, gemino abutuntur argumento, vel quod suprà commemoravi de inconstantia tempestatum, vel de felicitatibus atque infelicitatibus hominum, quòd non pro vitæ meritis accidunt, viderent tantum ordinem, quantus in membris carnis cujuslibet animantis apparet, non dico medicis, qui hæc propter artis suæ necessitatem diligenter patefacta & dinumerata rimati sunt, sed cuivis mediocris cordis & considerationis homini; nonne clamarent, ne puncto quidem temporis Deum, à quo est omnis mensurarum modus, omnis parilitas numerorum, omnis ordo ponderum, ab ejus gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentiri potest, quàm eam totam esse vacuam nutu & regimine providentiæ, cujus extrema & exigua videas tantâ dispositione formari, ut aliquanto attentiùs cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem? Et cùm animæ natura naturæ corporis antecellat, quid est dementius quàm putare nullum esse divinæ providentiæ judicium de moribus hominum, cùm in eorum carne tanta ejus sollertiæ clareant & demonstrentur indicia? Sed quia hæc minima in promtu sunt sensibus nostris, & ea facilè investigamus, elucet in eis ordo rerum: at illa quorum ordinem videre non possumus, inordinata arbitrantur qui esse non putant, nisi quod videre possunt, aut si putant, tale aliquid putant, quale videre consueverunt.

44. NOS autem, quorum gressus, ne in illam perversitatem incidamus, eadem divina providentia per sanctam Scripturam regit, ex ipsis quoque operibus Dei eodem adjuvante indagare conemur ubi hæc simul creaverit, cùm à consummatis suis operibus requievit, quorum species per ordinem temporum usque nunc operatur. Consideremus ergo cujuslibet arboris pulcritudinem in robore, ramis, frondibus, pomis: hæc species non utique repentè tanta ac talis est exorta, sed quo etiam ordine novimus. Surrexit enim à radice, quam terræ primum germen infixit; atque inde omnia illa formata & distincta creverunt. Porrò illud germen ex semine: in semine ergo illa omnia fuerunt primitus, non mole corporeæ magnitudinis, sed vi potentiaque caussali. Nam illa magnitudo, copia terræ humorisque congesta est. Sed illa in exiguo grano mirabilior præstantiorque vis est, qua valuit adjacens humor commixtus terræ tamquam materies verti in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem, ac figuram, in fructuum formas & opulentiam, omniumque ordinatissimam distinctionem. Quid enim ex arbore illa surgit aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum atque depromtum est? At illud semen ex arbore, licèt non illa sed altera, atque illa rursus ex altero semine. Aliquando autem & arbor ex arbore, cùm surculus demitur atque plantatur. Ergo & semen ex arbore, & arbor ex semine, & arbor ex arbore. Semen autem ex semine nullo modo, nisi arbor interveniat priùs. Arbor verò ex arbore, etiamsi semen non interveniat. Alternis igitur successionibus alterum ex altero, sed utrumque ex terra, nec ex ipsis terra: prior igitur eorum parens terra. Sic & animalia, potest incertum esse, utrùm ex ipsis semina, an ipsa ex seminibus: quodlibet tamen horum prius, ex terra esse certissimum est.

CAPUT XXIII. Quomodo Deus omnia simul creaverit, & nunc usque operetur.

45. Sicut autem in ipso grano invisibiliter erant omnia simul, quæ per tempora in arborem surgerent: ita ipse mundus cogitandus est, cùm Deus simul omnia creavit, habuisse simul omnia quæ in illo & cum illo facta sunt, quando factus est dies; non solùm cælum cum sole & luna & sideribus, quorum species manet motu rotabili, & terram & abyssos, quæ velut inconstantes motus patiuntur, atque inferiùs adjuncta partem alteram mundo conferunt; sed etiam illa quæ aqua & terra produxit potentialiter atque caussaliter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis jam nota sunt in eis operibus, quæ Deus usque nunc operatur.

46. Quæ cùm ita sint, *Hic est liber creaturæ cæli & terræ; cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne virde agri antequam esset super terram, & omne fœnum agri antequam exortum est*: non sic

Gen. 2. 4.

a In antiquis codicibus constanter scriptum, *vivecta*

b Editi, *condita sunt tamquam implicita*. At MSS. omnes, *condita est*, scilicet universa creatura: tum aliqui prosequuntur, *tamquam placita*: sed alij sinceriùs, *plicita*; à verbo plico.

quomodo facit opere, quo nunc usque operatur per pluviam & hominum agriculturam; ad hoc enim adjunctum est, *Non enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram*: sed illo modo quo creavit omnia simul, senarioque dierum numero consummavit, cùm diem quem fecit, eis quæ fecit, sexies præsentavit, non alternante spatio temporaliter, sed ordinata cognitione caussaliter. A quibus operibus in die septimo requievit, etiam suam requiem ejusdem diei notitiæ gaudioque præbere dignatus: & ideo non eum in quolibet opere suo, sed in sua requie benedixit & sanctificavit. Unde nullam ulteriùs creaturam instituens, sed ea quæ omnia simul fecit, administratorio actu gubernans & movens, sine cessatione operatur, simul & requiescens & operans, sicut jam ista tractata sunt. Quorum operum ejus quæ usque nunc operatur, per volumina temporum explicandorum, velut exordium narrandi sumens, ait Scriptura, *Fons autem adscendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ*. De quo fonte quia diximus quod dicendum putavimus, ea quæ sequuntur ab alio considerabimus exordio.

Gen. 2. 5. *Gen. 2. 6.*

LIBER SEXTUS.

In id Gen. 2. 7. Et finxit Deus hominem pulverem de terra *&c. quomodo seu quando de limo formatus fuerit homo inquiritur: tum dilatâ tantisper consideratione animæ, dicitur de corpore Adami.*

CAPUT I. An istud, *Et finxit Deus* &c. de prima hominis formatione facta die sexto, an de altera posteriùs & per temporis moram facta intelligendum.

1. ET *finxit Deus hominem pulverem de terra, & insufflavit in faciem ejus flatum vitæ: & factus est homo in animam viventem*. Hîc primò videndum est, utrùm ista recapitulatio sit, ut nunc dicatur quomodo factus sit homo, quem sexto illo die factum legimus: an verò tunc quidem cùm fecit omnia simul, in his etiam latenter hominem fecit, sicut fœnum terræ antequam esset exortum; ut eo modo & ipse cùm jam esset in secreto quodam naturæ aliter factus, sicut illa quæ simul creavit cùm factus est dies, accessu temporis etiam isto modo fieret, quo in hac perspicua forma vitam gerit, vel malè vel bene: sicut fœnum quod factum est antequam exoriretur super terram, accedente jam tempore & fontis illius irrigatione exortum est, ut esset super terram.

2. Priùs ergo secundùm recapitulationem id conemur accipere. Fortassis quippe ita homo factus sit in die sexto, sicut dies ipse primitus factus est, sicut firmamentum, sicut terra & mare. Neque enim hæc dicenda sunt antè in quibusdam primordiis jam facta latuisse, ac deinde in hanc faciem, qua mundus exstructus est, accessu temporis tamquam exorta claruisse: sed ab exordio sæculi, cùm factus est dies, conditum mundum, in cujus elementis simul sunt condita, quæ pòst accessu temporis orirentur, vel frutecta, vel animalia quæque secundùm suum genus. Nam nec ipsa sidera credendum est in elementis mundi primitus facta atque recondita, accessu postea temporis exstitisse, atque in has enituisse formas quæ cælitus fulgent; sed illo senario perfectionis numero creata simul omnia, cùm factus est dies. Utrùm ergo sic & homo ista jam specie qua in sua natura vivit, & agit sive bonum sive malum, an & ipse in occulto sicut fœnum agri antequam exortum est, ut hoc ei pòst esset accessu temporis exoriri, quod de pulvere factus est.

CAPUT II. Res explicatur ex contextu Scripturæ Gen. 1. 26. &c.

3. ACCIPIAMUS ergo eum sexto ipso die in hac perspicua visibilique forma de limo finctum, sed tunc non commemoratum quod nunc recapitulando insinuatur, & videamus utrùm nobiscum ipsa Scriptura concordet. Sic certè scriptum est, cùm adhuc diei sexti opera narrarentur: *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris & volatilium cæli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium reptentium, quæ repunt super terram. Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, masculum & feminam fecit eos, & benedixit eos Deus, dicens: Crescite & multiplicamini, & implete terram, & dominamini ejus, & habete potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium reptilium repentium super terram.* Jam ergo de limo formatus erat, & illi jam soporato mulier ex latere jam facta erat, sed hoc tunc commemoratum non erat, quod nunc recapitulando commemoratum est. Neque enim sexto die factus est masculus, & accessu temporis postea facta femina: sed *fecit eum*, inquit, *masculum & feminam fecit eos, & benedixit eos*. Quomodo ergo jam homine in paradiso constituto mulier ei facta est? An & hoc prætermissum Scriptura recoluit? Nam sexto illo die etiam paradisus plantatus est, & ibi homo collocatus est, & soporatus est ut Eva formaretur, & eâ formatâ evigilavit, eique nomen impositum est. Sed hæc nisi per temporales moras fieri non possent. Non itaque ita facta sunt, sicut creata sunt omnia simul.

4. QUANTAMLIBET enim homo cogitet facilitatem, qua Deus etiam hæc simul cum ceteris fecit, verba certè hominis novimus, nisi per temporales morulas emitti voce non posse. Cùm ergo verba hominis audimus, vel cùm animantibus, vel cùm mulieri nomen imposuit, vel cùm secutus etiam dixit, *Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & conjungetur uxori suæ, & erunt* [a] *duo in carne una*; quibuslibet syllabis ista sonuerint, nec duæ quæcumque in his verbis syllabæ simul sonare potuerunt: quanto minùs hæc omnia cum iis, quæ simul creata sunt, simul fieri? Ac per hoc aut & illa omnia non simul ab ipso summo exordio sæculorum, sed per moras atque intervalla temporum facta sunt, diesque ille non spiritali sed corporali substantiâ primùm conditus, vel circuitu lucis nescio quomodo, vel emissione & contractione, manè ac vesperam faciebat. Aut si consideratis omnibus quæ superioribus sermonibus pertractata sunt, probabilis ratio persuasit, illum diem spiritalem sublimiter ac primitus conditum lucem quamdam sapientem vocatum esse diem, cujus præsentia per ordinatam cognitionem conditioni rerum in numero senario

CAPUT III. Eadem quæstio ex aliis locis Scripturæ discutitur.

Gen. 2. 24.

a MSS. propè omnes, *& erunt ambo*.

præberetur; atque huic sententiæ Scripturæ verba A
Gen. 1. 4. congruere quod ait postea, *Cùm factus est dies, fecit Deus cælum & terram, & omne viride agri antequam esset super terram, & omne fœnum agri antequam exoriretur*; adtestari etiam quod alibi scriptum
Eccli. 18. 1. est, Qui vivit in æternum creavit omnia simul: non est dubium hoc quod homo de limo terræ finctus est, eique formata uxor ex latere, jam non ad conditionem, qua simul omnia facta sunt, pertinere, quibus perfectis requievit Deus; sed ad eam operationem, quæ fit jam per volumina sæculorum, qua B usque nunc operatur.

5. Huc accedit quòd ipsa etiam verba, quibus narratur quomodo Deus paradisum plantaverit, in eoque hominem quem fecerat collocarit, ad eumque adduxerit animalia, quibus nomina imponeret, in quibus cùm adjutorium simile illi non fuisset inventum, tunc ei mulierem costâ ejus detractâ formaverit, satis nos admonent hæc non ad illam operationem Dei pertinere, unde requievit in die septimo, sed ad istam potiùs qua per C temporum cursus usque nunc operatur. Cùm enim
Gen. 2. 8. paradisus plantaretur, ita narrat: *Et plantavit Deus paradisum in Eden ad Orientem, & posuit ibi hominem quem finxerat. Et ejecit Deus adhuc de terra omne lignum pulcrum ad adspectum, & bonum ad escam.*
* Caput IV. Idem expeditur ad v. 1. Gen. 2. 8. * Cùm dicit ergo, *Ejecit adhuc de terra omne lignum pulcrum ad adspectum*; manifestat utique, quòd aliter nunc ejecerit de terra lignum, aliter tunc cùm tertio die produxit terra herbam pabuli, seminantem semen secundùm genus suum, & lignum fru- D ctuosum secundùm suum genus. Hoc est enim, *Ejecit adhuc*, super illud scilicet quod jam ejecerat: tunc utique potentialiter & caussaliter in opere pertinente ad creanda omnia simul, à quibus consummatis in die septimo requievit; nunc autem visibiliter in opere pertinente ad temporum cursum, sicut usque nunc operatur.

6. Nisi fortè quis dicat, non omne ligni genus tertio die creatum, sed dilatum aliquid quod sexto crearetur, cùm homo factus est atque in pa- E radiso constitutus. Sed quæ sexto die creata sunt,
Gen. 1. 24. apertissimè Scriptura declarat, anima viva scilicet secundùm unumquodque genus, quadrupedum & repentium & bestiarum, & ipse homo ad imaginem Dei masculus & femina. Proinde potuit prætermittere quomodo sit homo factus, quem tamen ipso die factum esse narravit, ut recapitulando postea, quemadmodum etiam factus fuerit intimaret, hoc est de terræ pulvere, & mulier illi de latere; non tamen aliquod creaturæ genus præter- F mittere, vel in eo quod dixit Deus, *Fiat*, sive *Faciamus*, vel in eo quod dicitur, *Sic est factum*, sive *Fecit Deus*. Alioquin frustra per singulos dies tam diligenter distincta sunt omnia, si permixtionis dierum potest ulla suspicio residere, ut cùm herba & lignum diei tertio sit adtributum, aliqua ligna etiam sexto die creata esse credamus, quæ ipso sexto die Scriptura tacuerit.

Caput V. De eadem re. 7. Postremo quid respondebimus de bestiis agri, & volatilibus cæli, quæ adduxit Deus ad G Adam, ut videret quid ea vocaret? quod ita scrip-
Gen. 2. 18. tum est, *Et dixit Dominus Deus, Non est bonum esse hominem solum, faciamus illi adjutorium secundùm ipsum. Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cæli, & adduxit illa ad Adam, ut videret quid vocaret illa: & omne quodcumque illud vocavit Adam animam vivam, hoc nomen est illius. Et vocavit Adam nomina omnibus pecoribus, & omnibus volatilibus cæli, & omnibus bestiis agri. Adæ autem non est inventus adjutor similis ipsi. Et injecit Deus mentis alienationem super Adam, & obdormivit, & sumsit unam de costis ejus, & adimplevit carnem in locum ejus, & ædificavit Dominus Deus costam, quam sumsit de Adam, in mulierem.* Si ergo consequenter, cùm in pecoribus & bestiis agri & volatilibus cæli non esset inventum adjutorium simile homini, fecit ei Deus adjutorium simi- B le de costa lateris ejus; hoc autem factum est cùm easdem bestias agri & volatilia cæli adhuc de terra finxisset, & ad illum adduxisset; quomodo sexto die, factum hoc potest intelligi, quandoquidem illo die produxit terra animam vivam secundùm verbum Dei, volatilia verò quinto die produxerunt aquæ similiter secundùm verbum Dei? Non itaque hîc diceretur, *Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cæli*, nisi quia jam terra produxerat omnes bestias agri sexto die, & aqua omnia volatilia cæli quinto die. Aliter ergo tunc, id est potentialiter atque caussaliter, sicut illi operi competebat, quo creavit omnia simul, à quibus in die septimo requievit: aliter autem nunc, sicut ea videmus, quæ per temporalia spatia creat, sicut usque nunc operatur. Ac per hos jam per istos notissimos lucis corporalis dies, qui circuitu solis fiunt, Eva facta est de latere viri sui. Tunc enim Deus adhuc finxit de terra bestias & volatilia, in quibus cùm adjutorium simile ipsi Adam non esset inventum, illa formata est. In talibus ergo diebus etiam ipsum de limo finxit Deus.

8. Neque enim dicendum est, masculum quidem sexto die factum, feminam verò posterioribus diebus; cùm ipso sexto die apertissimè dictum sit, *Masculum & feminam fecit eos, & benedixit eos*, & cetera quæ de ambobus & ad ambos dicuntur. Aliter ergo tunc ambo, & nunc aliter ambo: tunc scilicet secundùm potentiam per verbum Dei tamquam seminaliter mundo inditam, cùm creavit omnia simul, à quibus in die septimo requievit, ex quibus omnia suis quæque temporibus jam per sæculorum ordinem fierent: nunc autem secundùm operationem præbendam temporibus, qua usque nunc operatur, & oportebat jam tempore suo fieri Adam de limo terræ, ejusque mulierem ex viri latere.

9. In qua distributione operum Dei, partim Caput VI. Sententiâ suam liquidiùs explicat, ne malè intelligatur. ad illos dies invisibiles pertinentium, in quibus creavit omnia simul, partim ad istos appositos, in quibus operatur quotidie quidquid ex illis tamquam involucris primordialibus in tempore evolvitur, si non importunè atque absurdè Scripturæ verba secuti sumus, quæ nos ad hæc distinguenda duxerunt, cavendum est ne propter ipsarum rerum aliquanto difficilem perceptionem, quam tardiores assequi non sufficiunt, putemur aliquid sentire ac dicere, quod scimus nos nec sentire nec dicere. Quamquam enim præcedentibus sermonibus, quantum potuerim, lectorem præstruxerim; plures tamen arbitror caligare in his locis, & putare ita fuisse priùs hominem in illo Dei opere, quo cuncta simul creata sunt, ut aliquam vitam duceret, ut Dei locutionem ad se directam, cùm dixit Deus, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale*, discerneret, crederet, intelligeret. Noverit ergo qui hoc putat, non hoc me sensisse, neque dixisse.

10. Sed rursus si dixero, non ita fuisse homi-

nem in illa prima rerum conditione, qua creavit A Deus omnia simul, sicuti est non tantùm perfectæ ætatis homo, sed ne infans quidem, nec tantùm infans, sed ne puerperium quidem in utero matris, nec tantùm hoc, sed nec semen quidem visibile hominis, putabit omnino non fuisse. Redeat ergo ad
Gen. 1. 27. Scripturam, inveniet sexto die hominem factum ad imaginem Dei, factos autem masculum & feminam. Item quærat quando facta sit femina, inveniet extra illos sex dies: tunc enim facta est, quando Deus de terra finxit adhuc bestias agri & volatilia cæli, non quando volatilia produxerunt aquæ, & animam vivam, in qua & bestiæ sunt, produxit terra. Tunc autem factus est homo & masculus & femina: ergo & tunc & postea. Neque enim tunc, & non postea: aut verò postea, & non tunc: nec alij postea, sed iidem ipsi aliter tunc, aliter postea. Quæret ex me quomodo. Respondebo, postea visibiliter, sicut species humanæ constitutionis nota nobis est; non tamen parentibus generantibus, sed ille de limo, illa de costa ejus. Quæret tunc quomodo. Respondebo, invisibiliter, potentialiter, caussaliter, quomodo fiunt futura non facta.

11. Hîc fortè non intelliget. Subtrahuntur enim ei cuncta quæ novit, usque ad ipsam seminum corpulentiam. Neque enim vel tale aliquid homo jam erat, cùm in prima illa sex dierum conditione factus erat. Datur quidem de seminibus ad hanc rem nonnulla similitudo, propter illa quæ in eis futura conserta sunt; verumtamen ante omnia visibilia semina sunt illæ caussæ. sed non intelligit. D Quid ergo faciam, nisi quantum possum, salubriter moneam, ut Scripturæ Dei credat & tunc factum hominem, quando Deus cùm factus est dies, fecit cælum & terram, de quo alibi Scriptura di-
Eccli. 18. 1. cit, Qui vivit in æternum creavit omnia simul; & tunc quando jam non simul, sed suis quæque temporibus creans, finxit eum de limo terræ, & ex ejus osse muliere; nam nec isto modo eos illo sexto die factos, nec tamen eos illo sexto die non factos intelligere Scriptura permittit.

Caput VII. Dici non posse animas priùs creatas quàm corpora. 12. Forte ergo animæ eorum sexto die illo factæ erant, ubi & ipsa imago Dei rectè intelligitur in spiritu mentis eorum, ut postea corpora formarentur? Sed neque hoc credere eadem Scriptura permittit. Primò propter illam operum consummationem; quæ non video quomodo possit intelligi, si defuit aliquid tunc non caussaliter conditum, quod postea visibiliter conderetur. Deinde quia sexus ipse masculi & feminæ nisi in corporibus esse non potest. Quòd si quisquam secundùm intellectum & actionem tamquam utrumque sexum in una anima accipiendum putaverit, quid faciet de
Gen. 1. 29. his quæ ad escam Deus ipso die dedit de lignorum fructibus, quæ nisi homini habenti corpus non utique congrua est? Nam si & hanc escam figuratè accipere quisquam voluerit, recedet à proprietate rerum gestarum, quæ primitus in hujusmodi narrationibus omni observatione fundanda est.

Caput VIII. Difficultas de voce Dei ad hominem sexto die directa. 13. Quomodo ergo loquebatur, inquit, eis qui nondum audiebant, nec intelligebant; quia G nec erant qui verba perciperent? Possem respondere sic eos allocutum Deum, quemadmodum Christus nos nondum natos, etiam longè post futuros, nec tantùm nos, sed etiam eos omnes qui futuri sunt post nos. Omnibus enim dicebat, quos suos
Matth. 28. 20. futuros videbat, Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi: sicut Deo notus erat Propheta, cui dixit, Priusquam te formarem in utero
Jer. 1. 5. novi te: sicut decimatus est Levi cùm esset in lum-
Heb. 7. 9. bis Abraham. Cur enim non ita & ipse Abraham in Adam, & ipse Adam in primis operibus mundi, quæ Deus creavit omnia simul? Sed verba Domini per os carnis ejus, & verba Dei per ora Prophetarum temporali corporis voce proferuntur, & omnibus syllabis suis congruas temporum moras sumunt, atque consumunt: cùm verò Deus dicebat,
Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem no- B stram, & habeat potestatem piscium maris & volatilium cæli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium reptilium quæ repunt super terram, & Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini ejus; & habete potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium repentium quæ repunt super terram, &, Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen quod est super omnem terram, & omne lignum fructiferum, quod habet in se fructum seminis seminalis, quod erit vobis ad C escam*; ipse sermo ejus ante omnem aëris sonum, ante omnem carnis & nubis vocem, in illa summa ejus Sapientia, per quam facta sunt omnia, non quasi humanis auribus instrepebat, sed rebus factis rerum faciendarum caussas inserebat, & omnipotenti potentiâ futura faciebat, hominemque suo tempore formandum, in temporum tamquam semine vel tamquam radice condebat, quando condebat unde inciperent sæcula, ab illo condita qui est ante sæcula. Creaturæ quippe aliæ creaturas alias, quædam tempore, quædam caussis præcedunt: ille autem omnia quæ fecit, non solùm excellentiâ, qua etiam caussarum effector est, verùm etiam æternitate præcedit. Sed de hoc oportunioribus deinde Scripturarum locis fortassis plenius differendum est.

14. Nunc de homine quod cœptum est ter- Caput IX. Jeremias quomodo Deo notus antequam formatus. minetur, ea moderatione servata, ut in profundo Scripturæ sensu magis præstemus diligentiam requirendi, quàm affirmandi temeritatem. Quia enim noverat Jeremiam Deus priusquam eum formaret E in utero, dubitare fas non est. Apertissimè quippe
Jer. 1. 5. dicit, Priusquam te formarem in utero, novi te. Ubi autem illum nosset antequam ita formasset, etsi nostræ infirmitati assequi vel difficile vel impossibile est; utrùm in aliquibus propinquioribus caussis, sicut Levi in lumbis Abrahæ decimatus est; an in
Heb. 7. 9. ipso Adam, in quo genus humanum tamquam radicaliter institutum est; & in eo ipso utrùm jam cùm de limo formatus esset, an cùm caussaliter in his operibus factus quæ creavit omnia simul; an F verò ante omnem potiùs creaturam, sicut elegit &
Ephes. 1. 4. prædestinavit sanctos suos ante mundi constitutionem; an potiùs in omnibus præcedentibus caussis, sive quas commemoravi, sive quas non commemoravi, priusquam in utero formaretur; non arbitror scrupulosiùs quæri oportere, dummodo Jeremiam constet, ex quo est in hac luce à parentibus editus, ex illo egisse vitam propriam, qua grandescens ætatis accessu, posset vivere sive malè sive bene; antea verò nullo modo, non solùm priusquam in utero formaretur, sed nec jam ibi formatus antequam natus. Neque enim habet ullam cunctationem
Rom. 9. 11. Apostolica illa sententia de geminis in Rebeccæ Merita nondum natorum. utero nondum agentibus aliquid boni aut mali.

15. Nec tamen frustra scriptum est, nec infan- Job. 14. 4. Sec. LXX. tem mundum esse à peccato, cujus est unius diei Psal. 50. 7. vita super terram: & illud in Psalmo, Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea «

2. Sent. dist. 17. cap. Solet.

fixerat. neque enim contra dispositionem suam faceret. Si autem vim tantùm ibi posuit possibilitatis, ut homo fieret quoquo modo [a] fieret, ut & sic & sic posset, id est ut id quoque ibi esset, quia & sic & sic posset; unum autem ipsum modum quo erat facturus in sua voluntate servavit, non mundi constitutioni contexuit; manifestum est etiam sic non factum esse hominem contra quàm erat in illa prima conditione caussarum; quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamvis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito Creatoris, cujus voluntas rerum necessitas est.

CAPUT XVI. In rei natura est, ut quid esse possit; ut futurum sit, nonnisi in Dei voluntate.

27. NAM & nos pro captu infirmitatis humanæ jam in ipsis rebus tempore exortis possumus nosse quid in cujusque natura sit, quod experimento perceperimus; sed utrùm etiam futurum sit ignoramus. Est quippe in natura hujus, verbi gratiâ, juvenis ut senescat, sed utrùm hoc etiam sit in Dei voluntate, nescimus. Sed nec in natura esset, nisi in Dei voluntate priùs fuisset, qui condidit omnia. Et utique occulta ratio est senectutis in corpore juvenili, vel juventutis in corpore puerili: neque enim oculis cernitur, sicut ipsa in puero pueritia, sicut juventus in juvene; sed aliâ quadam notitiâ colligitur inesse in natura quiddam latens, quo educantur in promtu numeri occulti, vel juventutis à pueritia, vel senectutis à juventute. Occulta est ergo ista ratio, qua fit ut hoc esse possit, sed oculis, menti autem non est occulta: utrùm autem hoc etiam necesse sit, omnino nescimus. Et illam quidem qua fit ut esse possit, esse in natura ipsius corporis novimus: illam verò qua fit ut necesse sit, manifestum est illic non esse.

CAPUT XVII. Ex futuris quænam verè futura.

28. SED fortassis in mundo est, ut necesse sit istum hominem senescere. Si autem nec in mundo est, in Deo est. Hoc enim necessariò futurum est quod ille vult, & ea verè futura sunt quæ ille præscivit. Nam multa secundùm inferiores caussas futura sunt; sed si ita sunt & in præscientia Dei, verè futura sunt: si autem ibi aliter sunt, ita potiùs futura sunt, sicut ibi sunt, ubi [b] qui præscit, falli non potest. Nam futura dicitur senectus in juvene, sed tamen futura non est, si ante moriturus est: hoc autem ita erit, sicut se habent aliæ caussæ, sive mundo contextæ, sive in Dei præscientia reservatæ. Nam secundùm quasdam futurorum caussas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, & in sua voluntate servabat. (*Isa. 38. 5.*) Non ergo id fecit quod futurum non erat: hoc enim magis erat futurum, quod se facturum esse præsciebat. Nec tamen illi anni additi rectè dicerentur, nisi [c] aliquid adderetur, quod se aliter in aliis caussis habuerat. Secundùm aliquas igitur caussas inferiores jam vitam finierat: secundùm illas autem quæ sunt in voluntate & præscientia Dei, qui ex æternitate noverat quid illo tempore facturus erat, (& hoc vere futurum erat,) tunc erat finiturus vitam quando finivit vitam. Quia etsi oranti concessum est, etiam sic eum oraturum ut tali orationi concedi oporteret ille utique præsciebat, cujus præscientia falli non poterat: & ideo quod præsciebat, necessariò futurum erat.

CAPUT XVIII. Colligitur Adamum non formatum fuisse contra quàm erat in primordialibus caussis institutum.

29. QUAPROPTER si omnium futurorum caussæ mundo sunt insitæ, cùm ille factus est dies, quando Deus creavit omnia simul; non aliter Adam factus est, cùm de limo formatus est, sicut est credibilius jam perfectæ virilitatis, quàm erat in illis caussis, ubi Deus hominem in sex dierum operibus fecit. Ibi enim erat non solùm ut ita fieri posset, verùm etiam ut ita eum fieri necesse esset. Tam enim non fecit Deus contra caussam, quam sine dubio volens præstituit, quàm contra voluntatem suam non facit. Si autem non omnes caussas in creatura primitus condita præfixit, sed aliquas in sua voluntate servavit; non sunt quidem illæ quas in sua voluntate servavit, ex istarum quas creavit necessitate pendentes; non tamen possunt esse contrariæ quas in sua voluntate servavit, illis quas sua voluntate instituit: quia Dei voluntas non potest sibi esse contraria. Istas ergo sic condidit, ut ex illis esse illud cujus caussæ sunt possit, sed non necesse sit: illas autem sic abscondit, ut ex eis esse necesse sit hoc, quod ex istis fecit ut esse possit.

CAPUT XIX. Adamo nō spiritale sed animale corpus à Deo formatum esse.

30. SOLET item quæri, utrùm animale corpus priùs homini formatum sit è limo, quale nunc habemus, an spiritale, quale resurgentes habebimus. Quamquam enim hoc in illud mutabitur; seminatur enim corpus animale, surget corpus spiritale: tamen quid priùs homini factum sit, ideo disceptatur, quia si animale factum est, non hoc recipiemus, quod in illo perdidimus, sed tanto melius quanto spiritale animali præponendum est, quando erimus æquales Angelis Dei. (*Matth. 22. 30.*) Sed Angeli possunt aliis & justitiâ præponi, numquid & Domino? De quo tamen dictum est, Minorasti eum paulo minùs ab Angelis. (*Psal. 8. 6.*) Unde nisi propter carnis infirmitatem quam sumsit ex Virgine, formam servi accipiens, (*Phil. 2. 7.*) in qua moriens nos à servitute redimeret? Sed quid hinc diutiùs differamus? Non enim obscura est Apostoli sententia de hac re, qui cùm voluisset adhibere testimonium, quo probaret esse corpus animale, non tam de suo vel de cujusquam hominis corpore, quod in præsenti videbatur, quàm de hoc ipso Scripturæ hujus loco recoluit & adhibuit, dicens, Si est corpus animale, est & spiritale: (*1. Cor. 15. 44.*) sic etenim scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viventem: novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cælestis, tales & cælestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem ejus qui de cælo est. Quid ad hoc dici potest? Imaginem ergo cælestis hominis nunc ex fide portamus, habituri in resurrectione quod credimus: imaginem autem terreni hominis ab ipso exordio humanæ generationis induimus.

CAPUT XX. Difficultas contra superiorem sententiã.

31. HÎC occurrit alia quæstio, quomodo renovemur, si non ad hoc per Christum revocamur, quod in Adam priùs eramus? Quamquam enim multa non in pristinum, sed in melius renoventur, ab inferiore tamen statu, quàm quo erant antea, renovantur. Unde ergo ille filius mortuus erat & revixit, perierat & inventus est, (*Luca 15. 32.*) unde illi profertur stola prima, si non immortalitatem recipit, quam perdidit Adam? Quomodo autem perdidit immortalitatem, si corpus habuit animale? Neque

a Editi, *ut homo fieret quoquo modo, ut & sic posset, id est ut ideo quoque ibi esset.* Pauloque pòst, *in sua voluntate servavit, cùm mundi constitutionem contexuit.* quos locos ad MSS. redintegramus.

b Lov. *qua præsit.* Meliùs editiones Am. Er. & MSS. *qui præscit.*

c MSS. plures probæ notæ, *nisi ad aliquid adderentur.*

enim

enim animale corpus, sed spiritale erit, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. (*1. Cor. 15. 53.*) Nonnulli his angustiis coartati, ut & illa constet sententia, qua exemplum de animali corpore hinc datum est, ut diceretur, Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem; (*Ibid. 45.*) & ista renovatio receptioque immortalitatis, non absurdè dicatur in pristinum futura, in illud scilicet quod Adam perdidit: putaverunt priùs quidem hominem fuisse corporis animalis, sed dum in paradiso constitutus est, eum fuisse mutatum, sicut nos quoque resurrectione mutabimur. Hoc quidem liber Geneseos non commemorat: sed ut possint utraque testimonia Scripturarum inter se consentire, sive illud quod de animali corpore dictum est, sive illa quæ de renovatione nostra plurima in sanctis litteris reperiuntur, hoc tamquam necessariò consequi crediderunt.

Opinio corpus Adami priùs animale, postea spiritale factum fuisse in paradiso.

CAPUT XXI. Exploditur illa opinio.

32. SED si ita est, frustra conamur paradisum & illas arbores earumque fructus, præter figuratam significationem, priùs accipere ad rerum gestarum proprietatem. Quis enim credat jam illius modi cibos ex arborum pomis, immortalibus & spiritalibus corporibus necessarios esse potuisse? Verumtamen si aliud non potest inveniri, meliùs eligimus paradisum spiritaliter intelligere, quàm vel putare non renovari hominem, cùm toties hoc Scriptura commemorat; vel eum existimare recipere, quod non ostenditur amisisse. Huc accedit, quod & ipsa mors hominis, quam eum peccato commeruisse, multa divina testimonia colloquuntur, indicat eum sine morte futurum fuisse, nisi peccasset. Quomodo ergo sine morte mortalis; aut quomodo non mortalis, si corpus animale?

CAPUT XXII. Adamum peccato mortem animæ, non corporis meruisse, quidam nō rectè arbitrantes.

33. UNDE quidam non eum mortem corporis peccato meruisse arbitrantur, sed mortem animæ quam fecit iniquitas. Nam credunt eum, propter corpus animale, exiturum fuisse de hoc corpore, ad requiem scilicet quam nunc habent sancti, qui jam dormierunt, & in fine sæculi eadem membra immortaliter [a] recepturum: ut videlicet mors corporis non de peccato accidisse videatur, sed naturaliter, ut animalium ceterorum. Verùm his rursus Apostolus occurrit & dicit, (*Rom. 8. 10.*) Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Christum à mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ac per hoc mors etiam corporis de peccato est. Si ergo non peccasset Adam, nec corpore moreretur: ideoque immortale haberet & corpus. Quomodo ergo immortale, si animale?

CAPUT XXIII. In eos qui dicunt Adæ corpus ex animali spiritale factum in paradiso.

34. SED rursus non vident, qui ejus corpus in paradiso mutatum putant, ut ex animali fieret spiritale, nihil impedire, si non peccasset, ut post paradisi vitam, quam justè obedienterque vixisset, acciperet eamdem corporis mutationem in vita æterna, ubi jam cibis corporalibus non egeret. Quid ergo necesse est propter hoc jam cogi figuratè, non propriè paradisum intelligere, quia non posset mori corpus nisi peccato? Verum est quidem, quòd non moreretur etiam corpore, nisi peccasset; apertè quippe dicit Apostolus, corpus mortuum propter peccatum: animale tamen posset esse ante peccatum, & post vitam justitiæ, cùm Deus vellet, fieri spiritale.

CAPUT XXIV. In renovatione quomodo id recipimus, quod Adã perdidit.

35. QUOMODO ergo, inquiunt, renovari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc planè recipimus secundùm quemdam modum, & non hoc recipimus secundùm quemdam modum. Non itaque immortalitatem spiritalis corporis recipimus, quam nondum habuit homo; sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. Renovabimur ergo à vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spiritale, cùm efficiemur æquales Angelis Dei, apti cælesti habitationi, (*Matth. 22. 30*) ubi escâ quæ corrumpitur non egebimus. Renovamur ergo spiritu mentis nostræ secundùm imaginem ejus qui creavit nos, (*Ephes. 4. 23.*) quam peccando Adam perdidit. Renovabimur autem etiam carne, cùm hoc corruptibile induetur incorruptione, ut sit spiritale corpus, in quod nondum mutatus, sed mutandus erat Adam, nisi mortem etiam corporis animalis peccando meruisset.

36. Denique non ait Apostolus, Corpus quidem mortale propter peccatum; sed, Corpus mortuum propter peccatum. * Illud quippe ante peccatum, & mortale secundùm aliam, & immortale secundùm aliam caussam dici poterat: id est mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundùm quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: à quo ligno separatus est cùm peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat; quamvis & immortale, ideo quia & non mori poterat. Neque enim immortale quod mori omnino non possit, erit nisi spiritale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur. Ac per hoc illud animale & ob hoc mortale, quod propter justitiam spiritale fieret & ob hoc omni modo [b] immortale, factum est propter peccatum non mortale, quod & antea erat, sed mortuum, quod posset non fieri, si homo non peccasset.

* CAPUT XXV. Adæ corpus mortale simul & immortale.

CAPUT XXVI. Corpus Adæ & nostrum diversa.

37. QUOMODO ergo corpus nostrum dicit Apostolus mortuum, cùm adhuc de viventibus loqueretur, nisi quia jam ipsa conditio moriendi ex peccato parentum hæsit in prole? Animale est enim & hoc corpus, sicut & primi hominis fuit, sed hoc jam in ipso animalis genere multo est deterius: habet enim necessitatem moriendi, quod illud non habuit. Quamvis enim restabat adhuc ut immutaretur, & spiritale factum plenam immortalitatem perciperet, ubi cibo corruptibili non egeret: tamen si justè viveret homo, & in spiritalem habitudinem corpus ejus mutaretur, non iret in mortem. In nobis autem etiam justè viventibus, corpus moriturum est; propter quam necessitatem, ex illius primi hominis peccato venientem, non mortale, sed mortuum corpus nostrum dixit Apostolus, quia omnes in Adam morimur. Item dicit, Sicut est veritas in Jesu deponere vos secundùm priorem conversationem hominem veterem, eum qui corrum- (*Ephes. 4. 21.*)

a In editis, *recepturi.* Reponimus ex MSS. *recepturum.*

b Editi habuerunt hîc, *mortale,* cum hacce interpunctione vocum: *spiritale fieret: & ob hoc mortale omnimodo factum est propter peccatum.* Emendavimus ad MSS. fidem.

2. Sent. dist. 17. cap. Solet.

fixerat. neque enim contra dispositionem suam faceret. Si autem vim tantùm ibi posuit possibilitatis, ut homo fieret quoquo modo [a] fieret, ut & sic & sic posset, id est ut id quoque ibi esset, quia & sic & sic posset; unum autem ipsum modum quo erat facturus in sua voluntate servavit, non mundi constitutioni contexuit; manifestum est etiam sic non factum esse hominem contra quàm erat in illa prima conditione caussarum; quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamvis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito Creatoris, cujus voluntas rerum necessitas est.

Caput XVI. In rei natura est, ut quid esse possit; ut futurum sit, nonnisi in Dei voluntate.

27. Nam & nos pro captu infirmitatis humanæ jam in ipsis rebus tempore exortis possumus nosse quid in cujusque natura sit, quod experimento perceperimus; sed utrùm etiam futurum sit ignoramus. Est quippe in natura hujus, verbi gratiâ, juvenis ut senescat, sed utrùm hoc etiam sit in Dei voluntate, nescimus. Sed nec in natura esset, nisi in Dei voluntate priùs fuisset, qui condidit omnia. Et utique occulta ratio est senectutis in corpore juvenili, vel juventutis in corpore puerili: neque enim oculis cernitur, sicut ipsa in puero pueritia, sicut juventus in juvene; sed aliâ quadam notitiâ colligitur inesse in natura quiddam latens, quo educantur in promtu numeri occulti, vel juventutis à pueritia, vel senectutis à juventute. Occulta est ergo ista ratio, qua fit ut hoc esse possit, sed oculis, menti autem non est occulta: utrùm autem hoc etiam necesse sit, omnino nescimus. Et illam quidem qua fit ut esse possit, esse in natura ipsius corporis novimus: illam verò qua fit ut necesse sit, manifestum est illic non esse.

Caput XVII. Ex futuris quænam verè futura.

28. Sed fortassis in mundo est, ut necesse sit istum hominem senescere. Si autem nec in mundo est, in Deo est. Hoc enim necessariò futurum est quod ille vult, & ea verè futura sunt quæ ille præscivit. Nam multa secundùm inferiores caussas futura sunt; sed si ita sunt & in præscientia Dei, verè futura sunt: si autem ibi aliter sunt, ita potiùs futura sunt, sicut ibi sunt, ubi [b] qui præscit, falli non potest. Nam futura dicitur senectus in juvene, sed tamen futura non est, si ante moriturus est: hoc autem ita erit, sicut se habent aliæ caussæ, sive mundo contextæ, sive in Dei præscientia reservatæ. Nam secundùm quasdam futurorum caussas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, & in sua voluntate servabat. Non ergo id fecit quod futurum non erat: hoc enim magis erat futurum, quod se facturum esse præsciebat. Nec tamen illi anni additi rectè dicerentur, nisi [c] aliquid adderetur, quod se aliter in aliis caussis habuerat. Secundùm aliquas igitur caussas inferiores jam vitam finierat: secundùm illas autem quæ sunt in voluntate & præscientia Dei, qui ex æternitate noverat quid illo tempore facturus erat, (& hoc vere futurum erat,) tunc erat finiturus vitam quando finivit vitam. Quia etsi oranti concessum est, etiam sic eum oraturum ut tali orationi concedi oporteret ille utique præsciebat, cujus præscientia falli non poterat: & ideo quod præsciebat, necessariò futurum erat.

Isa. 38. 5.

Caput XVIII.

29. Quapropter si omnium futurorum caussæ mundo sunt insitæ, cùm ille factus est dies, quando Deus creavit omnia simul; non aliter Adam factus est, cùm de limo formatus est, sicut est credibilius jam perfectæ virilitatis, quàm erat in illis caussis, ubi Deus hominem in sex dierum operibus fecit. Ibi enim erat non solùm ut ita fieri posset, verùm etiam ut ita eum fieri necesse esset. Tam enim non fecit Deus contra caussam, quam sine dubio volens præstituit, quàm contra voluntatem suam non facit. Si autem non omnes caussas in creatura primitus condita præfixit, sed aliquas in sua voluntate servavit; non sunt quidem illæ quas in sua voluntate servavit, ex istarum quas creavit necessitate pendentes; non tamen possunt esse contrariæ quas in sua voluntate servavit, illis quas sua voluntate instituit: quia Dei voluntas non potest sibi esse contraria. Istas ergo sic condidit, ut ex illis esse illud cujus caussæ sunt possit, sed non necesse sit: illas autem sic abscondit, ut ex eis esse necesse sit hoc, quod ex istis fecit ut esse possit.

Colligitur Adamum non formatum fuisse contra quàm erat in primordialibus caussis institutum.

Caput XIX. Adamo nõ spiritale sed animale corpus à Deo formatum esse.

30. Solet item quæri, utrùm animale corpus priùs homini formatum sit è limo, quale nunc habemus, an spiritale, quale resurgentes habebimus. Quamquam enim hoc in illud mutabitur; seminatur enim corpus animale, surget corpus spiritale: tamen quid priùs homini factum sit, ideo disceptatur, quia si animale factum est, non hoc recipiemus, quod in illo perdidimus, sed tanto melius quanto spiritale animali præponendum est, quando erimus æquales Angelis Dei. Sed Angeli possunt aliis & justitiâ præponi, numquid & Domino? De quo tamen dictum est, Minorasti eum paulo minùs ab Angelis. Unde nisi propter carnis infirmitatem quam sumsit ex Virgine, formam servi accipiens, in qua moriens nos à servitute redimeret? Sed quid hinc diutiùs differamus? Non enim obscura est Apostoli sententia de hac re, qui cùm voluisset adhibere testimonium, quo probaret esse corpus animale, non tam de suo vel de cujusquam hominis corpore, quod in præsenti videbatur, quàm de hoc ipso Scripturæ hujus loco recoluit & adhibuit, dicens, Si est corpus animale, est & spiritale: sic etenim scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viventem: novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cælestis, tales & cælestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem ejus qui de cælo est. Quid ad hoc dici potest? Imaginem ergo cælestis hominis nunc ex fide portamus, habituri in resurrectione quod credimus: imaginem autem terreni hominis ab ipso exordio humanæ generationis induimus.

Matth. 22. 30. Psal. 8. 6. Phil. 2. 7. 1. Cor. 15. 44.

Caput XX. Difficultas contra superiorem sententiã.

31. Hîc occurrit alia quæstio, quomodo renovemur, si non ad hoc per Christum revocamur, quod in Adam priùs eramus? Quamquam enim multa non in pristinum, sed in melius renoventur, ab inferiore tamen statu, quàm quo erant antea, renovantur. Unde ergo ille filius mortuus erat & revixit, perierat & inventus est, unde illi profertur stola prima, si non immortalitatem recipit, quam perdidit Adam? Quomodo autem perdidit immortalitatem, si corpus habuit animale? Neque

Luca 15. 32.

[a] Editi, *ut homo fieret quoquo modo, ut & sic posset, id est ut ideo quoque ibi esset.* Pauloque pòst, *in sua voluntate servavit, cùm mundi constitutionem contexuit.* quos locos ad MSS. redintegramus.

[b] Lov. *quæ præsit.* Meliùs editiones Am. Er. & MSS. *qui præscit.*

[c] MSS. plures probæ notæ, *nisi ad aliquid adderentur.*

enim

1. Cor. 15. 53.

enim animale corpus, sed spiritale erit, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Nonnulli his angustiis coartati, ut & illa constet sententia, qua exemplum de animali corpore hinc datum est, ut diceretur, Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem; & ista renovatio receptioque immortalitatis, non absurdè dicatur in pristinum futura, in illud scilicet quod Adam perdidit: putaverunt priùs quidem hominem fuisse corporis animalis, sed dum in paradiso constitutus est, eum fuisse mutatum, sicut nos quoque resurrectione mutabimur. Hoc quidem liber Geneseos non commemorat: sed ut possint utraque testimonia Scripturarum inter se consentire, sive illud quod de animali corpore dictum est, sive illa quæ de renovatione nostra plurima in sanctis litteris reperiuntur, hoc tamquam necessariò consequi crediderunt.

Opinio corpus Adami priùs animale, postea spiritale factum fuisse in paradiso. Ibid. 45.

Caput XXI. Exploditur illa opinio.

32. Sed si ita est, frustra conamur paradisum & illas arbores earumque fructus, præter figuratam significationem, priùs accipere ad rerum gestarum proprietatem. Quis enim credat jam illius modi cibos ex arborum pomis, immortalibus & spiritalibus corporibus necessarios esse potuisse? Verumtamen si aliud non potest inveniri, meliùs eligimus paradisum spiritaliter intelligere, quàm vel putare non renovari hominem, cùm toties hoc Scriptura commemorat; vel eum existimare recipere, quod non ostenditur amisisse. Huc accedit, quod & ipsa mors hominis, quam eum peccato commeruisse, multa divina testimonia colloquuntur, indicat eum sine morte futurum fuisse, nisi peccasset. Quomodo ergo sine morte mortalis; aut quomodo non mortalis, si corpus animale?

Caput XXII. Adamum peccato mortem animæ, non corporis meruisse, quidam nõ rectè arbitrantes.

33. Unde quidam non eum mortem corporis peccato meruisse arbitrantur, sed mortem animæ quam fecit iniquitas. Nam credunt eum, propter corpus animale, exiturum fuisse de hoc corpore, ad requiem scilicet quam nunc habent sancti, qui jam dormierunt, & in fine sæculi eadem membra immortaliter [a] recepturum: ut videlicet mors corporis non de peccato accidisse videatur, sed naturaliter, ut animalium ceterorum. Verùm his rursus Apostolus occurrit & dicit, Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Christum à mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ac per hoc mors etiam corporis de peccato est. Si ergo non peccasset Adam, nec corpore moreretur: ideoque immortale haberet & corpus. Quomodo ergo immortale, si animale?

Rom. 8. 10.

Caput XXIII. In eos qui dicunt Adæ corpus ex animali spiritale factum in paradiso.

34. Sed rursus non vident, qui ejus corpus in paradiso mutatum putant, ut ex animali fieret spiritale, nihil impedire, si non peccasset, ut post paradisi vitam, quam justè obedienterque vixisset, acciperet eamdem corporis mutationem in vita æterna, ubi jam cibis corporalibus non egeret. Quid ergo necesse est propter hoc jam cogi figuratè, non propriè paradisum intelligere, quia non posset mori corpus nisi peccato? Verum est quidem, quòd non moreretur etiam corpore, nisi peccasset; apertè quippe dicit Apostolus, corpus mortuum propter peccatum: animale tamen posset esse ante peccatum, & post vitam justitiæ, cùm Deus vellet, fieri spiritale.

Caput XXIV. In renovatione quomodo id recipimus, quod Adã perdidit.

35. Quomodo ergo, inquiunt, renovari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc planè recipimus secundùm quemdam modum, & non hoc recipimus secundùm quemdam modum. Non itaque immortalitatem spiritalis corporis recipimus, quam nondum habuit homo; sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. Renovabimur ergo à vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spiritale, cùm efficiemur æquales Angelis Dei, apti cælesti habitationi, ubi escâ quæ corrumpitur non egebimus. Renovamur ergo spiritu mentis nostræ secundùm imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit. Renovabimur autem etiam carne, cùm hoc corruptibile induetur incorruptione, ut sit spiritale corpus, in quod nondum mutatus, sed mutandus erat Adam, nisi mortem etiam corporis animalis peccando meruisset.

Matth. 22. 30. Ephes. 4. 23.

36. Denique non ait Apostolus, Corpus quidem mortale propter peccatum; sed, Corpus mortuum propter peccatum. * Illud quippe ante peccatum, & mortale secundùm aliam, & immortale secundùm aliam caussam dici poterat: id est mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundùm quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: à quo ligno separatus est cùm peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat; quamvis & immortale, ideo quia & non mori poterat. Neque enim immortale quod mori omnino non possit, erit nisi spiritale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur. Ac per hoc illud animale & ob hoc mortale, quod propter justitiam spiritale fieret & ob hoc omni modo [b] immortale, factum est propter peccatum non mortale, quod & antea erat, sed mortuum, quod posset non fieri, si homo non peccasset.

*Caput XXV. Adæ corpus mortale simul & immortale.

Caput XXVI. Corpus Adæ & nostrum diversa.

37. Quomodo ergo corpus nostrum dicit Apostolus mortuum, cùm adhuc de viventibus loqueretur, nisi quia jam ipsa conditio moriendi ex peccato parentum hæsit in prole? Animale est enim & hoc corpus, sicut & primi hominis fuit, sed hoc jam in ipso animalis genere multo est deterius: habet enim necessitatem moriendi, quod illud non habuit. Quamvis enim restabat adhuc ut immutaretur, & spiritale factum plenam immortalitatem perciperet, ubi cibo corruptibili non egeret: tamen si justè viveret homo, & in spiritalem habitudinem corpus ejus mutaretur, non iret in mortem. In nobis autem etiam justè viventibus, corpus moriturum est; propter quam necessitatem, ex illius primi hominis peccato venientem, non mortale, sed mortuum corpus nostrum dixit Apostolus, quia omnes in Adam morimur. Item dicit, Sicut est veritas in Jesu deponere vos secundùm priorem conversationem hominem veterem, eum qui corrum-

Ephes. 4. 21.

[a] In editis, *recepturi.* Reponimus ex MSS. *recepturum.*

[b] Editi habuerunt hîc, *mortale*, cum hacce interpunctione vocum: *spiritale fieret: & ob hoc mortale omnimodo factum est propter peccatum.* Emendavimus ad MSS. fidem.

» pitur secundùm concupiscentias deceptionis. hoc est factus Adam per peccatum. Vide ergo quid sequatur: Renovamini autem spiritu mentis vestræ, » & induite novum hominem, eum qui secundùm » Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis. ecce quod perdidit Adam per peccatum. * In hoc ergo renovamur, secundùm id quod amisit Adam, id est secundùm spiritum mentis nostræ: secundùm autem corpus quod seminatur animale, & resurget spiritale, in melius renovabimur, quod nondum fuit Adam.

* Caput XXVII. Quomodo mente & corpore ad id renovamur, quod Adam perdidit.

38. Dicit item Apostolus, Exspoliantes vos » veterem hominem cum actibus ejus, induite novum qui renovatur in agnitionem Dei, secundùm » imaginem ejus, qui creavit eum. Hanc imaginem in spiritu mentis impressam * perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiæ; non spiritale atque immortale corpus, in quo ille nondum fuit, & in quo erunt omnes sancti resurgentes à mortuis. hoc enim præmium est illius meriti, quod amisit. Proinde illa stola prima, aut ipsa justitia est unde lapsus est; aut si indumentum corporalis immortalitatis significat, etiam hanc ille sic amisit, cùm propter peccatum ad eam pervenire non potuit. Dicitur enim & amisisse uxorem, & amisisse honorem, qui speratum non acceperit, illo à quo sperabat offenso.

* 2. Retract. cap. 24. n. 2.

Isai. 15. 22.

Caput XXVIII. Adam licèt spiritalis mente, corpore fuit animalis etiam in paradiso.

39. Secundum hanc ergo sententiam corpus animale habuit Adam, non tantùm ante paradisum, sed etiam in paradiso constitutus: quamvis in interiore homine fuerit spiritalis, secundùm imaginem ejus qui creavit eum; quod amisit peccando, meruitque etiam corporis mortem, qui non peccando mereretur & in corpus spiritale commutationem. Nam si & interiùs animaliter vixit, non possumus dici ad hoc ipsius renovari. Quibus enim dicitur, Renovamini spiritu mentis vestræ, hoc eis dicitur, ut spiritales fiant: quod si ille nec in ipsa mente fuit, quomodo nos renovamur ad id quod homo numquam fuit? Apostoli autem & omnes justi animale utique corpus adhuc habebant, sed tamen spiritaliter interiùs vivebant, renovati scilicet in agnitionem Dei, secundùm imaginem ejus qui creavit eos: non ideo tamen jam peccare non poterant, si consentirent iniquitati. Nam & spiritales posse cadere in [a] tentatione peccati, ostendit Apostolus, ubi ait, Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum ne & tu tenteris. Hoc dixi, ne cuiquam impossibile videatur, quòd peccavit Adam, si spiritalis erat mente, quamvis animalis esset corpore. Quæ cùm ita sint, nihil tamen adhuc præpropere confirmamus, sed exspectamus potiùs, utrùm etiam cetera Scriptura hunc intellectum non impediat. *

a Galat. 6. 1. » » » »

Caput XXIX. De Anima tractandũ in sequenti libro.

40. Sequitur enim quæstio de anima valde difficilis, in qua multi laboraverunt, nobisque ubi laboremus reliquerunt. Sive enim quia non omnium omnia legere potui, qui de hac re secundùm Scripturarum nostrarum veritatem ad aliquid liquidum miniméque dubium pervenire potuerunt; sive quia tanta quæstio est, ut etiam qui eam veraciter solvunt, non facilè intelligantur à talibus, qualis ipse sum: fateor neminem adhuc mihi persuasisse, quod sic habeam de anima, ut nihil amplius quærendum putem. Utrùm autem nunc certum aliquid inventurus sim, & definiturus, ignoro. Quod autem potuero, si conatum meum Dominus adjuverit, sequenti volumine explicare curabo.

a MSS. aliquot, *in tentationem.*

LIBER SEPTIMUS.

In quo illud Gen. 2. 7. Et flavit in faciem ejus flatum vitæ *&c. illustratur uberrima tractatione de Anima.*

Caput I. De anima tractatio suscipitur.

1. Et *finxit Deus hominem pulverem de terra, & flavit in faciem ejus flatum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Hæc verba Scripturæ nobis & in principio superioris libri consideranda proposuimus, & de ipso homine facto, maximéque de ejus corpore, quantum satis duximus, quod secundùm Scripturas visum est, disseruimus. Sed quia de anima humana non parva quæstio est, ad hunc eam librum differendam putavimus, nescientes quantum nos Dominus adjuturus esset rectè loqui cupidos; illud tamen scientes, nisi quantum ipse adjuvaret, rectè non esse locuturos. Rectè est autem veraciter atque congruenter, nihil audacter refellendo, nihil temere affirmando, dum adhuc dubium est, verum falsumne sit, sive fidei, sive scientiæ Christianæ; quod autem doceri potest vel rerum ratione apertissima, vel Scripturarum auctoritate certissima, sine cunctatione asserendo.

2. Ac primùm illud videamus, quod scriptum est, *Flavit* vel *Sufflavit in faciem ejus flatum vitæ.* Nonnulli enim codices habent, *Spiravit* vel *Inspiravit in faciem ejus.* Sed cùm Græci habeant ἐνεφύσησεν, non dubitatur flavit vel sufflavit esse dicendum. Quærebamus autem in superiori sermone de manibus Dei, cùm homo de limo formatus cogitaretur: quid ergo nunc dicendum est in eo quod scriptum est, *Sufflavit Deus*, nisi quia sicut non manibus corporis finxit, ita nec faucibus labiisque sufflavit?

3. Verumtamen hoc verbo Scriptura in quæstione difficillima plurimùm nos, quantum opinor, adjuvat. * Nam cùm quidam ex hoc verbo crediderint aliquid esse animam de ipsa substantia Dei, id est, ejusdem naturæ cujus ille est, hoc ideo putantes, quia cùm homo sufflat, aliquid de seipso ejicit in flatu: hinc potiùs admonendi sumus, hanc inimicam fidei catholicæ reprobare sententiam. Nos enim credimus Dei naturam atque substantiam, quæ in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, omnino esse incommutabilem. Porrò autem animæ naturam vel in deterius vel in melius commutari posse, quis ambigit? Ac per hoc sacrilega opinio est, eam & Deum credere unius esse substantiæ. Quid enim hoc modo aliud quàm & ille commutabilis creditur? Credendum itaque est, & intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse à Deo tamquam rem quam fecerit, non tamquam de natura cujus est ipse, sive genuerit, sive quoquo modo protulerit.

* Caput II. Animam non esse ejusdem naturæ cũ Deo, ex proposito Scripturæ loco arguitur.

Caput III. Urgetur idem argumentum.

4. Et quomodo, inquiunt, scriptum est, *Sufflavit in faciem ejus, & factus est homo in animam vivam*; si non anima Dei pars est, vel Dei omnino substantia? Immo verò ex hoc verbo satis apparet ita non esse. Cùm enim homo sufflat, anima utique ipsa subjacentem sibi naturam corporis movet, & de illa, non de seipsa flatum facit. Nisi isti fortè tam tardi sunt, ut nesciant isto reciproco halitu, quem de hoc aëre circumfuso ducimus & reddimus, fieri etiam flatum, cùm voluntate sufflamus. Quod si etiam non ex hoc aëre, qui forinsecùs adjacet, accepto & reddito, sed ex ipsius nostri corporis natura qua constat, sufflando aliquid ejiceremus, non eadem natura est corporis & animæ, quod & ipsi utique consentiunt. Quapropter etiam sic aliud est animæ substantia, quæ corpus regit & movet; aliud flatus, quem regendo vel movendo facit de corpore sibi subdito, non de seipsa cui corpus est subditum. Cùm itaque longè quidem incomparabili modo, sed tamen anima regat subditum corpus, & Deus subditam creaturam, cur non potiùs intelligatur de subjecta sibi creatura fecisse Deus animam in eo, quod sufflasse dictus est; quandoquidem ipsa anima, quamvis corpori suo non ita dominetur, ut Deus universitati quam condidit, tamen ejus motu, non de sua substantia flatum facit?

5. Possemus quidem dicere, nec ipsum Dei flatum esse animam hominis, sed Deum sufflando fecisse animam in homine: sed ne putentur meliora quæ fecit verbo, quàm quod fecit flatu, quia & in nobis melius est verbum quàm flatus; nihil est interim secundùm supradictam rationem, cur animam ipsam Dei flatum dicere dubitemus, dum intelligatur non esse Dei natura atque substantia, sed hoc ipsum esse sufflare, quod est flatum facere; quod autem flatum facere, hoc animam facere. Cui sententiæ congruit quod per Isaiam dicit Deus, Spiritus enim à me procedet, & flatum omnem ego feci. Nam non quemlibet flatum corporeum eum dicere, sequentia docent. Cùm enim dixisset, Omnem flatum ego feci; Et propter peccatum, inquit, » pusillum quid contristavi eum, & percussi eum. Quid ergo dicit flatum nisi animam, quæ propter peccatum percussa & contristata est? Quid igitur est, Omnem flatum ego feci, nisi Omnem animam ego feci?

Isa. 57. 16. sec. LXX.

Caput IV. Deum sufflando non fecisse de seipso animam, nec de elementis.

6. Si ergo Deum diceremus tamquam corporei mundi hujus animam, cui mundus ipse esset tamquam corpus unius animantis, rectè non eum diceremus sufflando fecisse animam hominis, nisi corpoream, de isto aëre subjacente sibi ex corpore suo: non tamen quod fecisset dedissetque sufflando, de seipso dedisse putare deberemus, sed ita de sibi subjecto aëre corporis sui, sicut anima de hujusmodi re similiter adjacente, hoc est de corpore, non de seipsa flatum facit. Nunc verò quia non tantummodo mundi corpus Deo esse subditum dicimus, sed illum esse supra omnem creaturam sive corporalem sive spiritalem; nec de seipso, nec de corporeis elementis credendus est animam fecisse sufflando.

Caput V. An anima ex nihilo.

7. Utrum autem ex eo quod omnino non erat, id est ex nihilo; an ex aliqua re, quæ jam ab illo facta spiritaliter erat, sed anima nondum erat, meritò quæri potest. Si enim Deum adhuc aliquid ex nihilo creare non credimus, postea quàm creavit omnia simul, & ob hoc à consummatis omnibus operibus requievisse credimus, quæ inchoavit facere, ut quidquid deinde faceret, ex his faceret; non video quemadmodum intelligamus, adhuc eum ex nihilo animas facere. An dicendum est, eum in illis quidem operibus primorum sex dierum fecisse illum diem occultum, ac si hoc potiùs credi oportet, spiritalem atque intellectualem naturam, scilicet unitatis angelicæ, & mundum, id est cælum & terram; atque in illis jam exstantibus naturis rationes creasse futurarum aliarum, non ipsas naturas: alioquin si jam ibi creatæ essent sicut erant futuræ, non adhuc essent futuræ? Quòd si ita est, nondum erat in conditis rebus animæ humanæ ulla natura, & tunc esse cœpit, cùm eam Deus sufflando fecit, atque indidit homini.

8. Sed non ideo quæstio sublata est, qua quæritur adhuc, utrùm eam naturam, quæ anima dicitur, & antea non erat, ex nihilo creaverit, tamquam ipse flatus ejus non ex aliqua substantia subjacente factus sit, sicut de flatu dicebamus, quem facit anima ex corpore suo; sed omnino ex nihilo tunc factus sit flatus, cùm Deus flare voluit, idemque hominis anima factus sit. An verò jam erat aliquid spiritale, quamvis hoc quidquid erat, nondum animæ natura erat, atque ex hoc factus sit flatus Dei quæ natura esset animæ; sicut nec corporis humani natura jam erat, antequam Deus eam de limo terræ vel pulvere formasset. Non enim caro humana erat pulvis aut limus; sed tamen aliquid erat unde illa fieret, quæ nondum erat.

Caput VI. An ut corporis, ita & animæ præcesserit aliqua materies.

9. Num ergo credibile est, in primis illis sex dierum operibus Deum condidisse, non solùm futuri corporis humani caussalem rationem, verùm etiam materiem de qua fieret, id est terram, de cujus limo vel pulvere fingeretur; animæ autem solam ibi condidisse rationem, secundùm quam fieret, non etiam quamdam pro suo genere materiam, de qua fieret? Si enim quiddam incommutabile esset anima, nullo modo ejus quasi materiam quærere deberemus: nunc autem mutabilitas ejus satis indicat eam interim vitiis atque fallaciis deformem reddi, formari autem virtutibus veritatisque doctrinâ, sed in sua jam natura qua est anima; sicut etiam caro in sua natura qua jam caro est, & salute decoratur, & morbis vulneribusque fœdatur. Sed sicut hæc, excepto quòd jam caro est, in qua natura vel proficit ut pulcra, vel deficit ut deformis sit, habuit etiam materiem, id est terram, de qua fieret, ut omnino caro esset: sic fortasse potuit & anima, antequam ea ipsa natura fieret, quæ anima dicitur, cujus vel pulcritudo virtus, vel deformitas vitium est, habere aliquam materiam pro suo genere spiritalem, quæ nondum esset anima; sicut terra de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non erat caro.

10. Sed enim jam terra implebat mundi infimam partem, antequam de illa corpus hominis fieret, conferens universo totum suum, ut etiamsi nulla ex ea caro fieret animantis cujusquam, specie tamen sua mundi fabricam molemque compleret, secundùm quam dicitur mundus cælum & terra: * at verò illa spiritalis materies, si fuit ulla unde anima fieret, vel si est ulla unde animæ fiunt, quid ipsa est? quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit an non? Si vivit, quid agit? quid confert universitatis effectibus? Beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? Vivificat ali-

* Caput VII. Dici non posse qualis fuisset illa materies animæ.

quid, an ab hoc etiam opere vacat, & in quodam secreto universitatis otiosa requiescit, sine vigili sensu motuque vitali? Si enim nulla prorsus adhuc vita erat, quomodo esset vitæ futuræ quædam incorporea nec viva materies? Aut falsum est, aut nimis latet. Si autem jam vivebat nec beatè nec miserè, quomodo rationalis erat? Quòd si tunc rationalis facta est, cùm ex illa materie natura humanæ animæ facta est; irrationalis ergo vita materies erat animæ rationalis, id est humanæ? Quid ergo inter illam pecorisque distabat? An rationalis erat jam possibilitate, nondum facultate? Si enim videmus infantilem animam, jam utique hominis animam, nondum cœpisse uti ratione, & tamen eam rationalem dicimus; cur non credatur sic in illa materie, de qua facta est anima, quietum fuisse motum etiam sentiendi, sicut in ista infantili, quæ jam certè anima est hominis, quietus est adhuc motus ratiocinandi.

Caput VIII. Beatam fuisse materiem illam admitti non potest.

11. Nam si jam beata erat vita, de qua facta est hominis anima; deterius ergo facta est: & ideo non jam illa materies hujus, sed illius ista defluxio est. Nam materies aliqua cùm formatur, præsertim à Deo, in melius sine dubitatione formatur. Sed etiam si cujusquam in aliqua beatitudine factæ à Deo vitæ defluxio anima humana posset intelligi, nec sic credenda erat esse cœpisse in aliquo actu meritorum suorum, nisi ex quo propriam cœpit agere vitam, dum anima facta est animans carnem, & ejus sensibus velut nuntiis utens, atque in seipsa se vivere sentiens sua voluntate, intellectu, memoriâ. Si enim est aliquid, unde istam defluxionem formatæ carni Deus inspiraret, tamquam sufflando animam faciens, idemque beatum est, nullo modo movetur, aut mutatur, aut amittit aliquid, cùm hoc ab eo defluit, unde anima fit. * Non est enim corpus, ut tamquam exhalando minuatur.

* Caput IX. Neque illam materiem esse quamdam irrationalem animam.

12. Si autem anima irrationalis, materies est quodammodo, de qua fit anima rationalis, id est humana, rursus quæritur etiam ipsa irrationalis unde fiat; quia & ipsam non facit nisi creator omnium naturarum. An illa de materie corporali? Cur non ergo & ista? Nisi fortè quod velut gradatim fieri conceditur, compendio posse Deum facere quisquam negabit. Proinde quælibet adhibeatur interpositio, si corpus est materies animæ irrationalis, & anima irrationalis est materies animæ rationalis, procul dubio corpus est materies animæ rationalis. Quod neminem umquam scio ausum esse sentire, nisi qui & ipsam animam nonnisi in genere alicujus corporis ponit.

13. Deinde cavendum est, ne quædam translatio animæ fieri à pecore in hominem posse credatur, (quod veritati fideique catholicæ omnino contrarium est,) si concesserimus irrationalem animam veluti materiem subjacere, unde rationalis anima fiat. Sic enim fiet, ut si hæc in melius commutata, erit hominis; illa quoque in deterius commutata, fit pecoris. De quo ludibrio quorumdam Philosophorum etiam eorum posteri erubuerunt, nec eos hoc sensisse, sed non rectè intellectos esse dixerunt. Et credo ita esse, velut si quisquam etiam de Scripturis nostris hoc sentiat, ubi dictum est, Homo in honore positus non intellexit, comparatus est pecoribus insensatis, & similis factus est eis. (Psal. 48.13.) aut ubi item legitur, Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi. (Psal. 73.19.) Neque enim non omnes hæretici Scripturas catholicas legunt; nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt. Sed quoquo modo se habeat vel non habeat opinio Philosophorum de revolutionibus animarum, catholicæ tamen fidei non convenit credere animas pecorum in homines, aut hominum in pecora transmigrare.

Caput X. Ex morum similitudine non effici ut anima hominis in pecus transeat.

14. Fieri sanè homines vitæ genere pecoribus similes, & ipsæ res humanæ clamant, & Scripturæ testantur. Unde est illud quod commemoravi, Homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insensatis, & similis factus est eis. sed in hac vita utique, non post mortem. Proinde vel talibus bestiis nolebat in potestatem dari animam suam, qui dicebat, Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi; quales cavendos Dominus significat, ubi dicit eos indutos vestitu ovium, intus autem esse lupos rapaces: (Matth. 7. 15.) vel ipsi diabolo & angelis ejus. nam & ille dictus est leo & draco. (Psal. 90.13.)

15. Quid enim afferunt argumenti Philosophi, qui putant hominum animas in pecora, vel pecorum in homines post mortem posse transferri? hoc certè, quòd morum similitudo ad id trahat, velut avaros in formicas, rapaces in miluos, sævos ac superbos in leones, sectatores immundæ voluptatis in sues; & si qua similia. Hæc quippe afferunt, nec adtendunt per hanc rationem nullo modo fieri posse, ut pecoris anima post mortem in hominem transferatur. Nullo modo enim porcus similior erit homini quàm porco; & cùm mansuescunt leones, canibus vel etiam ovibus fiunt similiores quàm hominibus. Cùm igitur à pecorum moribus pecora non recedunt, & quæ aliquantulum ceteris dissimilia fiunt, similiora sunt tamen suo generi quàm humano, longéque plus ab hominibus quàm à pecoribus differunt, numquam erunt hominum animæ istæ, si ea quæ similiora sint trahunt. Si autem hoc argumentum falsum est, quomodo erit illa vera opinio? quandoquidem nihil aliud afferunt, quo etiam si non vera, saltem veri similis habeatur. Unde procliviùs & ipse crediderim, quod etiam eorum posteri sectatores, illos homines qui hæc primitus in suis libris posuerunt, in hac vita potiùs intelligi voluisse, quadam perversitate morum ac turpitudine homines pecorum similes fieri, ac sic quodammodo in pecora commutari, ut hoc dedecore objecto, eos à cupiditatum pravitate revocarent.

Caput XI. Fictitiæ quarumdam animarum transmigrationes.

16. Nam illa quæ feruntur accidisse, ut quidam quasi recordarentur in quorum animalium corporibus fuerint, aut falsa narrantur, aut ludificationibus dæmonum hoc in eorum animis factum est. Si enim contingit in somnis, ut fallaci memoriâ quasi recordetur se homo fuisse quod non fuit, aut egisse quod non egit; quid mirum si quodam Dei justo occultoque judicio, sinuntur dæmones in cordibus etiam vigilantium tale aliquid posse?

Manichæorum deterior quàm Philosophorum opinio.

17. Manichæi autem qui se Christianos vel putant, vel putari volunt, in hac opinione translationis vel revolutionis animarum eo sunt illis gentium Philosophis, vel si qui alij vani homines hoc putent, deteriores & detestabiliores, quòd illi animæ naturam à Dei natura discernunt, isti autem cùm aliud nihil dicant esse animam quàm ipsam Dei substantiam, atque id omnino quod Deus est, non trepidant eam tam turpiter commutabilem dicere, ut nullum sit herbæ seu vermiculi genus, ubi eam non esse permixtam, vel quò revolvi non posse mirabili opinentur insaniâ. Qui tamen si remotis ab animo

suo rerum obscurissimarum quæstionibus, quas carnali corde versantes, necesse est ut in opiniones falsas, noxias monstrosasque labantur & provolvantur, unum illud firmissimè teneant, quod omni animæ rationali sine ullius disputationis ambagibus naturaliter & veraciter insitum est, esse omnino incommutabilem & incorruptibilem Deum; tota eorum mille-formis fabula repentè dilabitur, quam in suis vanis ac sacrilegis mentibus, nonnisi de Dei turpissima mutabilitate finxerunt.

Caput XII. Anima non est ex corporeo elemento.

18. Non est igitur materies animæ humanæ, anima irrationalis. * Quid est ergo, unde anima flatu Dei facta est? An corpus aliquod erat terrenum quidem & humidum? Nullo modo: hinc enim potiùs caro facta est. Nam quid aliud est limus quàm terra humida? Nec de humore solo anima facta credenda est, quasi caro de terra, & anima de aqua. Nimis enim absurdum est, inde factam putare animam hominis, unde facta est caro piscis & volucris.

19. Ergo fortassis ex aëre? Huic enim elemento etiam flatus competit; sed noster, non Dei. Unde suprà diximus, hoc potuisse congruenter putari, si animam mundi tamquam unius maximi animantis Deum crederemus, ut ita eam flaverit de aëre corporis sui, sicut flat nostra de sui. Cùm verò Deum esse constet supra omne mundi corpus, & supra omnem spiritum quem creavit, incomparabili omnino distantiâ, quomodo id rectè dici potest? An fortè quanto magis Deus universæ suæ creaturæ præsens est omnipotentiâ singulari, tanto magis potuit ex aëre flatum facere, quæ anima hominis esset? Sed cùm anima non sit corporea, quidquid autem ex mundi corporeis elementis fit, corporeum sit necesse est, inque mundi elementis etiam aër iste numeretur, nec si de puri illius cælestisque ignis elemento facta anima diceretur, credi oporteret. Omne quippe corpus in omne corpus posse mutari, non defuerunt qui assererent. Corpus autem aliquod sive terrenum sive cæleste, converti in animam, fierique naturam incorpoream, nec quemquam sensisse scio, nec fides hoc habet.

Caput XIII. Medicorum sententia de corpore humano.

20. Deinde si non est contemnendum quod medici non tantùm dicunt, verùm etiam probare se affirmant, quamvis omnis caro terrenam soliditatem in promtu gerat, habet tamen in se & aëris aliquid, quod & pulmonibus continetur, & à corde per venas, quas arterias vocant, diffunditur; & ignis non solùm fervidam qualitatem, cujus sedes in jecore [a] est, verùm etiam luculentam, quam velut eliquari ac subvolare ostendunt in excelsum cerebri locum, tamquam in cælum corporis nostri; unde & radij emicant oculorum, & de cujus medio velut centro quodam, non solùm ad oculos, sed etiam ad sensus ceteros tenues fistulæ deducuntur, ad aures scilicet, ad nares, ad palatum, propter audiendum, olfaciendum, atque gustandum; ipsumque tangendi sensum qui per totum corpus est, ab eodem cerebro dirigi dicunt per medullam cervicis, & eam quæ continetur ossibus, quibus dorsi spina conseritur, ut inde se tenuissimi quidam rivuli, qui tangendi sensum faciunt, per cuncta membra diffundant: * cùm igitur his quasi nuntiis accipiat anima quidquid eam corporalium non latet, ipsa verò usque adeo aliud quiddam sit, ut cùm vult intelligere, vel divina, vel Deum, vel omnino etiam seipsam, suasque considerare virtutes, ut aliquid veri certique comprehendat, ab hac ipsorum quoque oculorum luce se avertat, eamque ad hoc negotium non tantùm nullo adjumento, verùm etiam nonnullo impedimento esse sentiens, se in obtutum mentis adtollat; quomodo ex eo genere aliquid est, cùm ejusdem generis summum non sit nisi lumen, quod ex oculis emicat, quo illa non adjuvatur nisi ad corporeas formas coloresque sentiendos; habetque ipsa innumerabilia longè dissimilia cuncto generi corporum, quæ nonnisi intellectu atque ratione conspiciat, quò nullus carnis sensus adspirat.

* Caput XIV. Animam non esse ex elementis.

[a] In excusis additur, *& in cerebro*. quod abest à MSS.

Caput XV. Anima incorporea.

21. Quapropter non est quidem humanæ animæ natura, nec de terra, nec de aqua, nec de aëre, nec de igne quolibet: sed tamen crassioris corporis sui materiam, hoc est humidam quamdam terram, quæ in carnis versa est qualitatem, per subtilioris naturam corporis administrat, id est per lucem & aërem. Nullus enim sine his duobus vel sensus in corpore est, vel ab anima spontaneus corporis motus. Sicut autem prius esse debet nosse quàm facere, ita prius est sentire quàm movere. Anima ergo quoniam res est incorporea, corpus quod incorporeo vicinum est, sicuti est ignis, vel potiùs lux & aër, primitus agit, & per hæc cetera quæ crassiora sunt corporis, sicuti humor & terra, unde carnis corpulentia solidatur, quæ magis sunt ad patiendum subdita, quàm prædita ad faciendum.

Caput XVI. Cur dictum sit, *Factus est homo in animam vivam*. Gen. 2. 7.

22. Non mihi ergo videtur dictum, *factus est homo in animam vivam*, nisi quia sentire cœpit in corpore; quod est animatæ viventisque carnis certissimum indicium. Nam moventur & arbusta, non tantùm vi extrinsecùs impellente, veluti cùm ventis agitantur, sed illo motu quo intrinsecùs agitur, quidquid ad incrementum speciemque arboris pertinet, quo ducitur succus in radicem, vertiturque in ea quibus constat herbæ natura vel ligni. nihil enim horum sine interno motu. Sed iste motus non est spontaneus, qualis ille qui sensui copulatur ad corporis administrationem, sicut in omnium animalium genere, quam vocat Scriptura animam vivam. (Gen. 1. 20.) Nam & nobis nisi inesset etiam ille motus, nec crescerent nostra corpora, nec ungues capillosque producerent. Sed si hoc solum esset in nobis sine sensu motuque illo spontaneo, non diceretur homo *factus in animam vivam*.

Caput XVII. In faciem hominis cur dicitur Deus sufflasse.

23. Proinde quoniam pars cerebri anterior, unde sensus omnes distribuuntur, ad frontem collocata est, atque in facie sunt ipsa velut organa sentiendi, excepto tangendi sensu qui per totum corpus diffunditur; qui tamen etiam ipse ab eadem anteriori parte cerebri ostenditur habere viam suam, quæ retrorsus per verticem atque cervicem ad medullam spinæ, de qua loquebamur paulò antè, deducitur, unde habet utique sensum in tangendo & facies, sicut totum corpus, exceptis sensibus videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, qui in sola facie prælocati sunt; ideo scriptum arbitror, quòd *in faciem Deus sufflaverit homini flatum vitæ*, (Gen. 2. 7.) cùm *factus est in animam vivam*. Anterior quippe pars posteriori meritò præponitur; quia & ista ducit, illa sequitur, & ab ista sensus, ab illa motus est, sicut consilium præcedit actionem.

Caput XVIII. Tres ventriculi cerebri.

24. Et quoniam corporalis motus, qui sensum sequitur, sine intervallis temporum nullus est, agere autem intervalla temporum spontaneo motu nisi per adjutorium memoriæ non valemus; ideo tres tamquam ventriculi cerebri demonstrantur: unus anterior ad faciem, à quo sensus omnis; alter

posterior ad cervicem, à quo motus omnis; tertius inter utrumque, in quo memoriam vigere demonstrant; ne cùm sensum sequitur motus, non connectat homo quod faciendum est, si fuerit quod fecit oblitus. Hæc illi certis indiciis probata esse dicunt, quando & ipsæ partes aliquo affectæ morbo vel vitio, cùm defecissent officia vel sentiendi, vel movendi membra, vel motus corporis reminiscendi, satis quid valerent singulæ declararunt, eisque adhibita curatio cui rei reparandæ profecerit exploratum est. Sed anima in istis tamquam in organis agit, nihil horum est ipsa; sed vivificat & regit omnia, & per hæc corpori consulit, & huic vitæ, in qua factus est homo in animam vivam.

Caput XIX. Animæ præstantia suprà res corporeas.

25. Unde ergo sit ipsa, id est de qua velut materie Deus hunc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum debet occurrere. Sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit. Per lucem tamen & aërem, quæ in ipso quoque mundo præcellentia sunt corpora, magisque habent faciendi præstantiam, quàm patiendi corpulentiam sicut humor & terra, tamquam per ea quæ spiritui similiora sunt, corpus administrat. Nuntiat enim aliquid lux corporea: cui autem nuntiat, non hoc est quod illa: & hæc est anima cui nuntiat, non illa quæ nuntiat. Et cùm afflictiones corporis molestè sentit, actionem suam, qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento impediri offenditur, & hæc offensio dolor vocatur. Et aër qui nervis infusus est, paret voluntati ut membra moveat, non autem ipse voluntas est. Et illa pars media motum membrorum nuntiat, ut [a] memoriâ teneatur, non ipsa memoria est. Denique dum hæc ejus tamquam ministeria vitio quolibet seu perturbatione omni modo deficiunt, desistentibus nuntiis sentiendi & ministris movendi, tamquam non habens cur adsit, abscedit. Si autem non ita deficiunt, ut in morte assolet, turbatur ejus intentio, tamquam conantis redintegrare labentia nec valentis. Et in quibus rebus turbatur, inde cognoscitur, quæ pars ministeriorum in caussâ sit, ut si potuerit, medicina succurrat.

Caput XX. Aliud anima, aliud organa corporis.

26. Namque aliud esse ipsam, aliud hæc ejus corporalia ministeria, vel vasa, vel organa, vel si quid aptius dici possunt, hinc evidenter elucet, quòd plerumque se vehementi cogitationis intentione avertit ab omnibus, ut præ oculis patentibus rectéque valentibus multa posita nesciat; & si major intentio est, dum ambulabat, repentè subsistat, avertens utique imperandi nutum à ministerio motionis, qua pedes agebantur: si autem non tanta est cogitationis intentio, ut figat ambulantem loco, sed tamen tanta est ut partem illam cerebri mediam nuntiantem corporis motus non vacet advertere, obliviscitur aliquando, & unde veniat, & quò eat, & transit imprudens villam quò tendebat, naturâ sui corporis sanâ, sed suâ [b] in aliud avocatâ. Quapropter istas corporei cæli corporeas quasdam particulas, id est lucis & aëris, quæ primæ excipiunt nutus animæ vivificantis, eo quòd incorporeæ naturæ propinquiores sunt quàm humor & terra, ut ad earum proximum ministerium tota moles administretur, utrùm Deus de hoc circumfuso & superfuso cælo corpori viventis miscuerit, aut adjunxerit, an & ipsas de limo sicut carnem fecerit, non est ad rem pertinens quæstio. Omne quippe corpus in omne corpus mutari posse, credibile est: quodlibet autem corpus mutari posse in animam, credere absurdum est.

Caput XXI. Anima neque ullo ex corpore, neque ullum corpus est.

* Cic. lib. 1. Tusc. q. ἐντελέχεια.

27. Quamobrem nec illud audiendum est, quod quidam putaverunt, quintum * quoddam esse corpus, unde [c] sit anima, quod nec terra, nec aqua sit, nec aër, nec ignis, sive iste turbulentior atque terrenus, sive ille cælestis purus & lucidus; sed nescio quid aliud quod careat usitato nomine, sed tamen corpus sit. Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod & nos, id est naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine, spatium loci occupantem, neque hoc est anima, neque inde facta credenda est. Quidquid enim tale est, ut multa non dicam, in quacumque sui parte lineis dividi vel circumscribi potest: quod anima si pateretur, nullo modo nosse posset tales lineas, quæ per longum secari non queunt, quales in corpore non posse inveniri nihilo minùs novit.

28. Nec ipsa sibi tale aliquid occurrit, cùm se nescire non possit, etiam quando se ut cognoscat inquirit. Cùm enim se quærit, novit quod se quærat; quod nosse non posset, si se non nosset. Neque enim aliunde se quærit, quàm à seipsa. Cùm ergo quærentem se novit, se utique novit; & omne quod novit tota novit: cùm itaque se quærentem novit, tota se novit: ergo & totam se novit: neque enim aliquid aliud, sed seipsam [d] tota novit. Quid ergo adhuc se quærit, si quærentem se novit? Neque enim si nesciret se, posset quærentem se scire se: sed hoc in præsenti; quod autem de se quærit, quid antea fuerit, vel quid futura sit quærit. Desinat ergo nunc interim suspicari se esse corpus; quia si aliquid tale esset, talem se nosset, quæ magis se novit quàm cælum & terram, quæ per sui corporis oculos novit.

29. Omitto dicere, quia illud ejus, quod etiam pecora habere intelliguntur, vel cæli volatilia cùm habitacula sua seu nidos repetunt, quo capiuntur imagines omnium rerum corporalium, nullo modo cuiquam corpori simile est; & utique hoc potiùs corpori simile esse deberet, ubi corporearum rerum similitudines continentur. At si hoc corpus non est, quia certum est, eas similitudines corporum illic non solùm memoriter detineri, verùm etiam innumerabiles pro arbitrio figurari; quanto minùs alia qualibet vi sua corpori esse anima similis potest?

30. Si autem corpus esse dicunt alia qualibet notione omne quod est, id est omnem naturam atque substantiam, non quidem admittenda est ista locutio, ne non inveniamus quomodo loquentes, ea, quæ corpora non sunt, à corporibus distinguamus: non tamen nimis est de nomine laborandum. Nam & nos dicimus, quidquid anima est, non esse horum quatuor notissimorum elementorum, quæ manifesta sunt corpora; sed neque hoc esse quod Deus est. Quid sit autem, non dicitur meliùs quàm anima vel spiritus vitæ. Ideo enim additur, vitæ, quia & iste aër plerumque dicitur spiritus. Quamquam & animam eumdem aërem appellaverunt, ut jam non possit inveniri nomen, quo propriè distinguatur ista natura, quæ nec corpus, nec Deus est, nec vita sine sensu, qualis potest credi in arboribus, nec

a Sic MSS. At editi *memorata teneantur*.
b In editis, *sua vi*. Deest, *vi*, in omnibus propè MSS.
c MSS. plerique, *unde sint animæ*.
d In MSS. paucis, *sed seipsam totam novit*: quod, opinamur, erratum est.

vita sine rationali mente, qualis est in pecoribus; sed vita nunc minor quàm Angelorum, & futura quod Angelorum, si ex præcepto sui creatoris hîc vixerit.

31. Unde sit autem, id est de qua velut materia facta sit, vel de qua perfecta beataque natura defluxerit, vel utrùm omnino ex nihilo facta sit, etiamsi dubitatur, & quæritur; illud tamen minimè dubitandum est, & si aliquid antea fuit, à Deo factum esse quod fuit, & eam nunc à Deo factam, ut anima viva sit: aut enim nihil fuit, aut hoc quod est non fuit. Sed illam partem, qua quærebamus quasi ejus materiem, unde facta sit, jam satis tractavimus.

Caput XXII. An caussalis ratio animæ fuerit condita in diebus Geneseos.

32. Nunc si omnino non fuit, quærendum est quomodo possit intelligi, quod caussalis ejus ratio fuisse dicebatur in primis sex dierum operibus Dei, quando fecit Deus hominem ad imaginem suam, quod nisi secundùm animam non rectè intelligitur. Verendum est autem, ne cùm dicimus non ipsas tunc naturas atque substantias, quæ futuræ fuerant, Deum creasse, dum crearet omnia simul, sed earum futurarum caussales quasdam rationes, putemur inania quædam dicere. Quæ sunt enim istæ caussales rationes, secundùm quas posset jam dici Deus fecisse hominem ad imaginem suam, cujus corpus nondum de limo finxerat, cui nondum animam afflando fecerat? Et corporis quidem humani etiam si fuit aliqua occulta ratio, qua futurum erat ut formaretur, erat & materies de qua formaretur, id est terra, in qua videri potest illa ratio velut in semine latuisse: animæ autem faciendæ, id est flatus faciendi, qui esset anima hominis, quæ ibi ratio caussalis primitus condita est, cùm diceret
Gen. 1. 26. Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, (quod nisi secundùm animam rectè intelligi non potest,) si nulla erat natura [a] ubi conderetur?

33. Si enim hæc ratio in Deo erat, non in creatura; nondum ergo erat condita: quomodo ergo dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei?* Si autem jam in creatura erat, hoc est, in iis quæ simul omnia creaverat Deus, in qua creatura erat? utrùm spiritali, an corporali? Si spiritali, agebatne aliquid in corporibus mundi, seu cælestibus, seu terrestribus: an in ea erat hæc vacans antequam homo in sua natura propria conderetur, sicut in ipso homine jam propriam ducente vitam latenter otiosèque inest ratio generandi, quæ non operatur, nisi per concubitum atque conceptum? An & illa natura creaturæ spiritalis, in qua latenter erat hæc ratio, nihil agebat sui operis? Et ut quid creata erat? An ut contineret rationem futuræ animæ humanæ, vel futurarum animarum, tamquam in seipsis esse non possent, sed in aliqua creatura propria vita jam vivente, sicut generandi ratio non potest esse nisi in aliquibus jam exsistentibus perfectisque naturis? Parens ergo animæ instituta est aliqua creatura spiritalis, in qua sit ratio futuræ animæ, quæ non inde exsistat, nisi cùm eam Deus homini inspirandam facit. Neque enim & ex homine fetum vel seminis vel ipsius jam prolis creat & format nisi
Sap. 7. 24. & 25. Deus, per Sapientiam adtingentem ubique propter suam munditiam, ita ut nihil inquinatum in
Sap. 8. 1. eam incurrat, dum pertendit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Sed nescio quemadmodum possit intelligi, ad hoc tantùm creatam, nescio quam creaturam spiritalem, quæ in Dei conditionibus per illos sex dies factis non commemoraretur, cùm Deus hominem sexto die fecisse dictus est, quem nondum in propria natura fecerat, sed adhuc ratione caussali in illa creatura, quæ commemorata non est. Magis enim debuit ipsa commemorari, quæ sic consummata erat, ut non adhuc esset secundùm suæ caussæ præcedentem rationem facienda.

Caput XXIII. An illa caussalis ratio animæ fuerit inserta in angelica natura.

34. An fortè in illius diei natura, quem primitus condidit, si spiritus intellectualis dies ille rectè accipitur, hanc faciendæ animæ caussalem rationem Deus inseruit, cùm sexto die fecit hominem ad imaginem suam, caussam scilicet rationemque præfigens, secundùm quam eum post illos septem dies faceret, ut videlicet corporis ejus caussalem rationem in natura terræ, animæ autem in natura illius diei creasse credatur? Sed quid aliud dicitur, cùm hoc dicitur, nisi angelicum spiritum quasi parentem esse animæ humanæ, si sic in illo inest animæ humanæ creandæ præcondita ratio, sicut in homine futuræ prolis suæ? ut corporum quidem humanorum parentes homines sint, animarum autem Angeli, creator verò & animarum & corporum Deus; sed corporum ex hominibus, animarum ex Angelis; aut prioris corporis ex terra, & prioris animæ ex angelica natura, ubi rationes eorum caussales præfixerat, quando primitus fecit hominem in iis, quæ simul omnia creavit; deinceps verò jam homines ex hominibus, corpus ex corpore, animam ex anima. Durum est hoc, Angeli aut Angelorum filiam dicere esse animam: sed multo durius cæli corporei, quanto magis ergo maris & terræ? Multo minùs igitur in aliqua corporali creatura, caussalis animæ ratio præcondita est, cùm faceret Deus hominem ad imaginem suam, antequam eum suo tempore de limo formatum flatu animaret, si absurdè creditur animam caussaliter in natura angelica condidisse.

Caput XXIV. Anima an creata sit priùs quàm corpori inserta.

35. Illud ergo videamus, utrùm forsitan verum esse possit, quod certè humanæ opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, quæ simul omnia creavit, animam etiam humanam creasse, quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspiraret, cujus corporis in illis simul conditis rebus rationem creasset caussaliter, secundùm quam fieret, cùm faciendum esset, corpus humanum. Nam neque illud quod dictum est, *ad imaginem suam*, nisi in anima, neque illud quod dictum est, *masculum & feminam*, nisi in corpore rectè intelligimus. Credatur ergo si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio caussalis in elementis mundi, anima verò jam ipsa crearetur, sicut primitus conditus est dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando, formato ex limo corpori insereret.

Caput XXV. Anima si extra corpus exsistebat, an suopte nutu ad corpus venerit.

36. Sed hîc rursus non spernenda oritur quæstio. Si enim jam facta erat anima, & latebat, ubi ei posset esse melius quàm ibi? Quid ergo fuit caussæ, ut anima innocenter vivens insereretur vitæ hujus carnis, in qua peccando, ipsum qui eam creavit offenderet; unde eam meritò sequeretur laboris ærumna damnationisque cruciatus? An illud dicendum est, quòd ad corpus administrandum voluntate propriâ fuerit inclinata, in qua vita corporis, quoniam & justè & iniquè vivi potest, quod eligeret hoc haberet, vel præmium de justitia, vel de

a Er. & Lov. *unde conderetur*. At Am. & MSS. *ubi*.

iniquitate supplicium, ut nec illi Apostolicæ sen-
Rom. 9. 11. tentiæ sit contrarium, qua dicit, nondum natos
nihil egisse boni seu mali? Illa quippe inclinatio vo-
luntatis ad corpus, nondum est actio vel justitiæ
vel iniquitatis, de qua ratio reddenda est in judicio
2. Cor. 5. 10. Dei, recepturo unoquoque secundùm ea quæ per
corpus gessit, sive bonum, sive malum. Cur ergo
non jam & illud credatur, quòd Dei nutu ad cor-
pus venerit; ubi si vellet secundùm præceptum
ejus agere, mercedem acciperet vitæ æternæ, at-
a que Angelorum [a] societatis: si autem contemne-
ret, pœnas justissimas lueret, sive laboris diuturni,
sive ignis æterni? An quia hoc ipsum, Deo volenti
obtemperasse, jam utique actio bona est, & erit
contrarium nondum natos nihil egisse vel boni vel
mali?

Caput XXVI. Anima si proprio nutu corpori inserta, non fuit præscia futuri.

37. Quæ si ita sunt, fatebimur etiam non in
eo rerum genere animam primitus creatam, ut es-
set præscia futuri operis sui, vel justi, vel iniqui.
Nimis quippe incredibile est, eam potuisse propria
voluntate inclinari ad corporis vitam, si se ita in
quibusdam peccaturam præsciret, ut justè supplicio
perpetuo puniretur. Justè sanè Creator laudatur
in omnibus quæ fecit omnia bona valde. Neque
enim ex iis tantùm laudandus est, quibus præscientiam
dedit; cùm rectè laudetur etiam quia pecora
creavit, quibus est natura humana præstantior
etiam in ipsis peccantibus. Natura quippè hominis
ex Deo est, non iniquitas, qua se ipse involvit
Liberum arbitrium. malè utendo libero arbitrio: quod tamen si
non haberet, in natura rerum minùs excelleret.
Cogitandus quippe est homo justè vivens etiam
non præscius futurorum, & ibi videndum est, ex-
cellentia voluntatis bonæ quàm non impediatur ad
rectè vivendum & Deo placendum, quòd ignarus
futuri vivit ex fide. Hujusmodi ergo creaturam quis-
quis esse nollet in rebus, contradicit Dei bonitati.
Quisquis autem pœnas eam non vult luere pro pec-
catis, inimicus est æquitati.

Caput XXVII. Animam naturali appetitu ferri in corpus.

38. Sed si ad hoc fit anima, ut mittatur in cor-
pus, quæri potest utrùm si noluerit, compellatur.
Sed meliùs creditur hoc naturaliter velle, id est in
ea natura creari ut velit, sicut naturale nobis est vel-
le vivere: malè autem vivere jam non est naturæ,
sed perversæ voluntatis, quam justè pœna conse-
quitur.

39. Frustra ergo jam quæritur, ex qua veluti
materie facta sit anima, si rectè intelligi potest in
primis illis operibus facta, cùm factus est dies. Sicut
enim illa quæ non erant, facta sunt, sic & hæc inter
illa. Quòd si & materies aliqua formabilis fuit, &
corporalis & spiritalis, non tamen & ipsa instituta
nisi à Deo, ex quo sunt omnia, quæ quidem for-
mationem suam non tempore, sed origine præce-
deret, sicut vox cantum; quid nisi de materia spi-
ritali facta anima congruentiùs creditur?

Caput XXVIII. Difficultates, cùm dicitur animam Adæ non prius creatam quàm ejus corpori inspiratam fuisse.

40. Si autem aliquis non vult eam existimare
factam, nisi cùm jam formato corpori est in spira-
ta, videat quid respondeat, cùm quæritur unde
facta sit. Aut enim ex nihilo dicturus est Deum ali-
quid fecisse vel facere post illam consummationem
operum suorum; & debet intueri quomodo expli-
cet sexto die factum hominem ad imaginem Dei,
(quod nisi secundùm animam rectè intelligi non
potest,) id est in qua natura caussalis ratio facta
fuerit ejus rei, quæ nondum fuit: aut non de nihilo,
sed de aliquo jam exsistente factam dicet animam;
& laborabit inquirendo, quænam illa natura sit, an
corporalis, an spiritalis, secundùm eas quæstiones
quas superiùs versavimus; manente illa quoque mo-
lestiâ, ut adhuc quæratur in qua substantia creatu-
rarum in sex diebus primitus conditarum, caussa-
lem illam rationem fecerit animæ, quam nondum
de nihilo, vel de aliquo fecerat.

41. Quam si eo modo devitare voluerit, ut di-
cat, sexto die etiam de limo factum esse hominem,
sed hoc recapitulando postea commemoratum; vi-
deat de muliere quid dicat, quia *masculum & femi-
nam*, dixit, *fecit eos, & benedixit eos*. Quòd si & ip-
sam eo die factam esse de viri osse responderit, ad-
tendat quomodo asserat sexto die facta volatilia,
quæ adducta sunt ad Adam, cùm Scriptura omne
genus volatilium quinto die creatum ex aquis insi-
nuet: item sexto die ligna etiam quæ in paradiso
plantata sunt, cùm eadem Scriptura hoc creaturæ
genus tertio diei tribuerit. Ipsa etiam verba consi-
deret quid sit, *Ejecit adhuc de terra omne lignum pul-
crum ad adspectum, & bonum ad escam*: tamquam
illa quæ tertio die terra ejecerat, non erant pulcra
ad adspectum & bona ad escam, cùm in his esset
operibus, quæ fecit Deus omnia bona valde. Quid
sit etiam, *Finxit Deus adhuc de terra omnes bestias
agri, & omnia volatilia cæli*: tamquam illa non fue-
rint omnia, quæ primò producta erant, vel potiùs
nulla antè producta erant. Neque enim dictum
est, *Et finxit Deus adhuc de terra* ceteras bestias
agri, & cetera volatilia cæli, quasi quæ minùs vel
terra sexto, vel aqua quinto die produxerit; sed
omnes bestias, inquit, *& omnia volatilia*. Necnon
& illud cogiter, quemadmodum Deus & sex diebus
fecerit omnia, primo ipsum diem, secundo firma-
mentum, tertio speciem maris & terræ, atque ex
terra herbam & ligna, quarto luminaria & sidera,
quinto aquarum animalia, sexto terræ; & postea
dicatur, *Cùm factus est dies, fecit Deus cælum &
terram, & omne viride agri*: quando quidem cùm
factus est dies, non fecit nisi ipsum diem. Quomo-
do etiam omne viride agri fecerit antequam esset
super terram, & fœnum omne antequam exorire-
tur. Tunc enim factum cùm exortum est, non an-
tequam exoriretur, quis non diceret, nisi Scriptu-
ræ verba revocarent? Meminerit etiam scriptum
esse, Qui vivit in æternum, creavit omnia simul; Eccli. 18. 1.
& videat quemadmodum simul creata dici possint,
quorum creatio spatiis temporalibus distat, non
horarum tantùm, sed etiam dierum. Curet quoque
ostendere quomodo utrumque sit verum, quod
contrarium videri potest, & Deum in die septimo
ab omnibus operibus suis requievisse, quod Gene- Gen. 2. 2.
seos liber dicit, & usque nunc eum operari, quod
Dominus dicit. Respiciat etiam quæ dicta sunt con- Johan. 5. 17.
summata, quomodo eadem dicta sint inchoata.

42. His enim omnibus divinæ Scripturæ testi-
moniis, quam esse veracem nemo dubitat nisi infi-
delis aut impius, ad illam sententiam ducti sumus,
ut diceremus Deum ab exordio sæculi primùm
simul omnia creavisse, quædam conditis jam ipsis
naturis, quædam præconditis caussis, [b] sicut non b
solùm præsentia, verùm etiam futura fecit omnipo-
tens, & ab eis factis requievit, ut eorum deinceps
administratione atque regimine crearet etiam ordi-
nes temporum & temporalium: qui & consumma-

a Editi, *societatem*: cujus loco MSS. *societate*.
b Ita veteres codices. At vulgati ferunt, *sic ut non solùm præsentia, verùm etiam futura fecerit*. Paulòque pòst, *requieverit & earum deinceps* &c.

verat

verat ea propter omnium generum terminationem,
& inchoaverat propter sæculorum propagationem,
ut propter consummata requiesceret, & propter
inchoata usque nunc operetur. Sed si possunt hæc
meliùs intelligi, non solùm non resisto, verùm
etiam faveo.

43. Nunc tamen de anima, quam Deus inspira-
vit homini, sufflando in ejus faciem, nihil confir-
mo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia
Dei; & sit incorporea, id est non sit corpus, sed
spiritus; non de substantia Dei genitus, nec de sub-
stantia Dei procedens, sed factus à Deo; nec ita
factus ut in ejus naturam natura ulla corporis vel ir-
rationalis animæ verteretur, ac per hoc de nihilo:
& quòd sit immortalis secundùm quemdam vitæ
modum, quem nullo modo potest amittere; secun-
dùm quamdam vero mutabilitatem, qua potest
vel deterior vel melior fieri, non immeritò etiam
mortalis possit intelligi; quoniam veram immorta-
litatem solus ille habet, de quo propriè dictum est,
Qui solus habet immortalitatem. Cetera quæ in 1. Tim. 6. 16.
hoc libro disceptando locutus sum, ad hoc valeant
legenti, ut aut noverit quemadmodum sine affir-
mandi temeritate quærenda sint, quæ non apertè
Scriptura loquitur: aut si ei quærendi modus iste
non placet, quemadmodum ipse quæsiverim sciat,
ut si me potest docere non abnuat, si autem non
potest, à quo ambo discamus mecum requirat.

LIBER OCTAVUS.

De eo quod legitur Gen. 2. 8. Et plantavit Deus paradisum in Eden *&c. usque ad illud,* De ligno autem cognoscendi bonum & malum non manducabitis de illo *&c.*

Caput I. Paradisus in Eden plantatus & propriè & figuratè accipiendus.

1. *Et plantavit Deus paradisum in Eden
ad Orientem, & posuit ibi hominem, quem
finxit.* Non ignoro de paradiso multos
multa dixisse, tres tamen de hac re
quasi generales sunt sententiæ. Una eorum, qui
tantummodo corporaliter paradisum intelligi vo-
lunt. Alia eorum, qui spiritaliter tantùm. Tertia
eorum, qui utroque modo paradisum accipiunt,
aliàs corporaliter, aliàs autem spiritaliter. Breviter
ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere senten-
tiam. Secundùm hanc suscepi nunc loqui de para-
diso, quod Dominus donare dignabitur, ut homo
factus è limo, quod utique corpus humanum est,
in paradiso corporali collocatus intelligatur; ut
quemadmodum ipse Adam, etsi aliquid aliud signi-
Rom. 5. 14. ficat secundùm id quod eum formam futuri dixit
esse Apostolus, homo tamen in natura propria ex-
pressus accipitur, qui vixit certo numero annorum,
& propagata numerosa prole mortuus est, sicut
moriuntur ceteri homines, etsi non sicut ceteri ex
parentibus natus, sed sicut primitus oportebat ex
terra factus est: ita & paradisus, in quo eum collo-
cavit Deus, nihil aliud quàm locus quidam intelli-
gatur, terra scilicet ubi habitaret homo terrenus.

2. Narratio quippe in his libris non genere locu-
tionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico can-
ticorum, sed omnino gestarum, sicut in Regnorum
libris & hujuscemodi ceteris. Sed quia illic ea di-
cuntur, quæ vitæ humanæ usus notissimus habet,
non difficilè, immo promtissimè primitus accipiun-
tur ad litteram, ut deinde ex illis quid etiam futu-
rorum res ipsæ gestæ significaverint, exsculpatur:
hîc autem quia ea dicuntur, quæ usitatum naturæ
cursum intuentibus non occurrant, nolunt ea qui-
dam propriè, sed figuratè dicta intelligi; atque ex il-
lo loco volunt incipere historiam, id est rerum pro-
priè gestarum narrationem, ex quo dimissi de para-
diso Adam & Eva convenerunt atque genuerunt.
Quasi verò usitatum nobis sit, vel quod tot annos
vixerunt, vel quod Enoch translatus est, vel quod
& grandæva & sterilis peperit, & cetera hujusmodi.

3. Sed alia est, inquiunt, narratio factorum mi-
rabilium, alia institutarum creaturarum. Illic enim
ea ipsa insolita ostendunt, alios esse tamquam na-
turales modos rerum, alios miraculorum, quæ ma-
gnalia nominantur: hîc autem ipsa insinuatur insti-
tutio naturarum. Quibus respondetur, sed ideo in-
solita & ipsa, quia prima. Nam quid tam sine exem-
plo, & sine pari facto in rerum mundanarum con-
stitutione quàm mundus? Num ideo credendum
non est, Deum fecisse mundum, quia jam non fa-
cit mundos; aut non fecisse solem, quia jam non
facit soles? Et hoc quidem non de paradiso, sed de
ipso homine permotis debuit responderi: nunc ve-
rò cùm ipsum sic credant à Deo factum, sicut alius
nullus factus est; cur paradisum nolunt ita factum
credere, quemadmodum nunc vident silvas fieri?

4. Ad eos quippe loquor, qui auctoritatem ha-
rum litterarum sequuntur; eorum enim quidam
non propriè, sed figuratè paradisum intelligi vo-
lunt. Nam qui omnino adversantur his litteris, aliàs
cum eis atque aliter egimus: quamquam & hæc in Lib. de Gen. cont. Man. c. 19.
hoc ipso opere nostro, quantum valemus, ita de-
fendamus ad litteram, ut qui non rationabiliter
moti, propter animum pervicacem vel hebetem,
credere ista detrectant, nullam tamen inveniant ra-
tionem unde falsa esse convincant. Verùm isti no-
stri qui fidem habent his divinis libris, & nolunt pa-
radisum ad proprietatem litteræ intelligi, locum
scilicet amœnissimum fructuosis nemoribus opaca-
tum, eumdemque magnum & magno fonte fecun-
dum, cùm videant nullâ humanâ operâ tot ac tan-
ta vireta silvescere occulto opere Dei, miror quem-
admodum credunt ipsum hominem ita factum,
quemadmodum numquam viderunt. Aut si & ipse
figuratè intelligendus est, quis genuit Cain & Abel
& Seth? An & ipsi [a] figuratè tantùm fuerunt, non a
etiam homines ex hominibus nati? De proximo er-
go adtendant istam præsumtionem quò tendat, &
conentur nobiscum cuncta primitus quæ gesta nar-
rantur in expressionem proprietatis accipere. Quis
enim eis postea non faveat intelligentibus quid ista
etiam figurata significatione commoneant, sive ip-
sarum spiritalium naturarum vel affectionum, sive
rerum etiam futurarum? Sanè si nullo modo possent
salva fide veritatis ea, quæ corporaliter hîc nomi-
nata sunt, corporaliter etiam accipi, quid aliud re-
maneret, nisi ut ea potiùs figuratè dicta intelligere-

a MSS. nonnulli, *sicut &*.

mus, quàm Scripturam sanctam impiè culparemus? Porrò autem si non solùm non impediunt, verùm etiam solidiùs asserunt divini eloquij narrationem hæc etiam corporaliter intellecta; nemo erit, ut opinor, tam infideliter pertinax, qui cùm ea secundùm regulam fidei exposita propriè viderit, malit in pristina remanere sententia, si fortè illi visa fuerant, nonnisi figuratè posse accipi.

CAPUT II. Genesim aliùs contra Manichæos, cur secundùm allegoriam expositerit.

5. NAM & ego contra Manichæos, qui has litteras veteris Testamenti non aliter quàm oportet accipiendo errant, sed omnino non accipiendo & detestando blasphemant, duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meæ, citò volens eorum vel confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad quærendam in litteris, quas oderunt, Christianam & evangelicam fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia, quemadmodum propriè possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse aut difficilè, ne retardarer, quid figuratè significarent ea, quæ ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate & perspicuitate explicavi, ne vel multa lectione vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent. Memor tamen quid maximè voluerim nec potuerim, ut non figuratè sed propriè primitus cuncta intelligerentur, nec omnino desperans etiam sic posse intelligi, idipsum in prima parte secundi libri ita posui. Sanè, inquam, quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt secundùm litteram accipere, id est non aliter intelligere quàm littera sonat, & potest evitare blasphemias, & omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non solùm ei non est invidendum, sed præcipuus multúmque laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut piè & dignè Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figuratè atque in ænigmatis proposita ista credamus, habentes auctoritatem Apostolicam, à quibus tam multa de libris veteris Testamenti solvuntur ænigmata, modum quem intendimus teneamus, adjuvante illo qui nos petere, quærere & pulsare adhortatur: ut omnes istas figuras rerum secundùm catholicam fidem, sive quæ ad historiam, sive quæ ad prophetiam pertinent, explicemus, non præjudicantes meliori diligentiorique tractatui, sive per nos, sive per alios, quibus Dominus revelare dignatur. Hæc tunc dixi. Nunc autem quia voluit Dominus ut ea diligentiùs intuens atque considerans, non frustra, quantum opinor, existimarem etiam per me posse secundùm propriam, non secundùm allegoricam locutionem hæc scripta esse monstrari, sicut ea quæ superiùs valuimus ostendere, sic etiam quæ sequuntur de paradiso perscrutemur.

Cap. 2.

Matth. 7. 7.

CAPUT III. De vers. 8. & 9. Gen. 2.

6. PLANTAVIT ergo *Deus paradisum in deliciis*, (hoc est enim *in Eden*,) *ad Orientem, & posuit ibi hominem, quem finxerat*. Sic enim scriptum est, quia sic factum est. Deinde recapitulat, ut hoc ipsum quod breviter posuit, ostendat quemadmodum factum sit, hoc est quemadmodum paradisum Deus plantaverit, & illic hominem quem finxerat constituerit. Sic enim sequitur, *Et ejecit adhuc Deus de terra omne lignum pulcrum ad adspectum, & bonum ad escam*. Non dixit, Et ejecit de terra Deus aliud lignum vel ceterum lignum; sed *Ejecit*, inquit, *adhuc de terra omne lignum pulcrum ad adspectum, & bonum ad escam*. Jam ergo tunc produxerat terra omne lignum & pulcrum ad adspectum, & bonum ad escam, hoc est tertio die: nam sexto die dixerat, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen, quod est super omnem terram, & omne lignum fructiferum, quod habet in se fructum seminis seminalis, quod erit vobis ad escam*. Num ergo aliud eis tunc dedit, aliud nunc dare voluit? Non opinor; sed cùm ex his generibus sint ista ligna instituta in paradiso, quæ jam terra tertio die produxerat, adhuc ea produxit in tempore suo: quia tunc scilicet, quod scriptum est, ea produxisse terram, caussaliter factum erat in terra, hoc est quia tunc ea producendi virtutem latenter acceperat, qua virtute fit ut etiam nunc talia terra progignat in manifesto atque in tempore suo.

Gen. 1. 29.

7. Verba ergo Dei sexto die dicentis, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale seminans semen, quod est super omnem terram*, & cetera, non sonabili vel temporali voce prolata verba sunt, sed sicut in ejus Verbo est creandi potentia. Dici autem hominibus, quid sine temporalibus sonis Deus dixerit, nonnisi per temporales sonos potuit. Futurum enim erat ut homo jam de limo formatus, & flatu ejus animatus, & quidquid ex illo humani generis exstitisset, uteretur eis ad escam, quæ super terram exortura erant ex illa virtute generandi, quam terra jam acceperat. Cujus futuri caussales rationes in creatura condens, tamquam jam exstitisset, loquebatur interna atque intima veritate, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, sed Spiritus ejus scribenti utique revelavit.

CAPUT IV. De altera parte vers. 9. Lignum vitæ & verè creatum esse, & sapientiam figurasse.

8. ILLUD planè quod sequitur, *Et lignum vitæ in medio paradisi, & lignum scientiæ dignoscendi bonum & malum*, diligentiùs considerandum est, ne cogat in allegoriam, ut non ista ligna fuerint, sed aliud aliquid nomine ligni significent. Dictum est enim de sapientia, Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam. Verumtamen cùm sit Jerusalem æterna in cælis, etiam in terra civitas qua illa significaretur, condita est; & Sara & Agar quamvis duo Testamenta significarent, erant tamen quædam etiam mulieres duæ; & cùm Christus per ligni passionem fluento spiritali nos irriget, erat tamen & petra, quæ aquam sitienti populo ligno percussa manavit, de qua diceretur, Petra autem erat Christus. Aliud quàm erant illa omnia significaverunt, sed tamen etiam ipsa corporaliter fuerunt. Et quando à narrante commemorata sunt, non erat illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat figurata præcessio. Erat ergo & lignum vitæ, quemadmodum petra Christus; nec sine mysteriis rerum spiritalium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem sacramentum, quid significans nisi sapientiam, de qua dictum est, Lignum vitæ est amplectentibus eam: quemadmodum de Christo diceretur, Petra manans est sitientibus eam? Rectè quippe appellatur quod ad eum significandum præcessit. Ipse est ovis, quæ immolatur in Pascha: tamen & illud non tantùm dicendo figurabatur, sed etiam faciendo. Neque enim ovis illa non erat ovis; planè ovis erat, & occidebatur, & manducabatur; & tamen eo vero facto, aliud etiam quiddam figurabatur. Non sicut ille vitulus saginatus, qui minori filio reverenti in epulas cæsus est. Ibi quippe ipsa narratio figurarum est, non rerum figurata significatio gestarum. Non enim hoc Evangelista, sed Dominus ipse narravit: Evangelista verò hoc Dominum narrasse narravit. Proinde quod narravit Evangelista, etiam factum est, Dominum scilicet talia locutum

1. Cor. 10. 4.

Prov. 3. 18.

Gal. 4. 24.

Exod. 12. 5.

Luca 15. 23.

fuisse: ipsius autem Domini narratio parabola fuit, de qua numquam exigitur, ut etiam ad litteram facta monstrentur, quæ sermone proferuntur. Christus est & lapis unctus à Jacob, & lapis reprobatus ab ædificantibus, qui factus est in caput anguli: sed illud etiam in rebus gestis factum est, hoc autem tantùm in figuris prædictum. Illud quippe scripsit narrator rerum præteritarum, hoc prænuntiator tantummodo futurarum.

Gen. 28. 18. Psal. 117. 22.

CAPUT V. De eodem ligno vitæ, ipsum & figuram & nihilominus rem veram fuisse.

9. SIC & Sapientia, idem ipse Christus, lignum vitæ est in paradiso spiritali, quò * misit de cruce latronem: [a] creatum est autem, quod eam significaret, lignum vitæ etiam in paradiso corporali; quia hoc illa Scriptura dixit, quæ res suis temporibus gestas narrans, & hominem corporaliter factum, & in corpore viventem ibi constitutum esse narravit. Aut si quisquam putat animas, cùm à corpore excesserint, locis corporaliter visibilibus contineri, cùm sint sine corpore, asserat sententiam suam: non deerunt qui sic faveant, ut illum etiam divitem sitientem in loco utique corporali fuisse contendant, ipsamque animam omnino esse corpoream, propter arentem linguam & stillam aquæ de Lazari digito concupitam, pronuntiare non dubitent; cum quibus ego de tam magna quæstione nulla temeritate confligo. MELIUS EST enim dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. Illum quippe divitem in ardore pœnarum & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerij, vix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus numquam invenitur. Citò sanè respondendum est, ne nos profunda ista quæstio, & multis sermonibus indigens tardet, si corporalibus locis animæ continentur, etiam exutæ corporibus, potuit ille latro in eum introduci paradisum, ubi fuerat corpus primi hominis; ut aptiore Scripturarum loco, si ulla necessitas flagitaverit, etiam de hac re quid vel quæramus vel arbitremur, utcumque promamus.

Luca 16. 24.

4. Sent. dist. 50. cap. Si quis.

10. Nunc verò, quòd sapientia non sit corpus, & ideo nec lignum, nec dubito, nec dubitari à quoquam puto: potuisse autem per lignum, id est per corpoream creaturam tamquam sacramento quodam significari sapientiam in paradiso corporali, ille credendum non existimat, qui vel tam multa in Scripturis rerum spiritalium corporalia sacramenta non videt, vel hominem primum cum ejusmodi aliquo sacramento vivere non debuisse contendit; cùm Apostolus dicat etiam hoc quod de muliere dixit, quam ei factam esse de latere credimus, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, sacramentum magnum esse in Christo & in Ecclesia. Mirum est autem, & vix ferendum, quemadmodum velint homines paradisum figuratè dictum, & nolint etiam figuratè factum. Quòd si concedunt sicut de Agar & Sara, sicut de Ismaël & Isaac, hæc quoque & facta, & tamen etiam figurata; cur non admittant etiam lignum vitæ, & verè aliquod lignum fuisse, & tamen sapientiam figurasse, non video.

Ephes. 5. 31.

2. Sent. dist. 19. c. Ideo.

11. Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta. Profectò enim licet usitatus panis, aliquid tamen ampliùs habuit, cujus una collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicavit. An fortè credere dubitabimus, per alicujus arboris cibum, cujusdam altioris significationis gratiâ, homini Deum præstitisse ne corpus ejus vel infirmitate vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur; qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilem statum, ut in fictilibus vasculis farina & oleum deficientes reficeret, nec deficeret? Jam hîc de genere contentiosorum quisquam exsistat, & dicat, Deum in terris nostris miracula talia facere debuisse, in paradiso autem non debuisse: quasi verò non vel de pulvere hominem, vel de latere viri mulierem, majus ibi miraculum fecit, quàm quòd hîc mortuos suscitavit.

3. Reg. 19. 8. Collyride panis subcinericio, quem alio nomine κολλύραν vocant.

3. Reg. 17. 16.

CAPUT VI. Lignum scientiæ boni & mali arbor vera & innoxia.

12. SEQUITUR ut videamus de ligno scientiæ dignoscendi bonum & malum. Prorsus & hoc lignum erat visibile ac corporale, sicut arbores ceteræ. Quòd ergo lignum esset, non est dubitandum; sed cur hoc nomen acceperit, requirendum. Mihi autem etiam atque etiam consideranti dici non potest quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam; neque enim qui fecerat omnia bona valde, in paradiso instituerat aliquid mali: sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Oportebat autem ut homo sub Domino Deo positus alicunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissimè dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate; primúmque esse & maximum vitium tumoris ad ruinam sua potestate velle uti, cujus vitij nomen est inobedientia. Non esset ergo unde se homo Dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi aliquid ei juberetur. Arbor itaque illa non erat mala, sed appellata est scientiæ dignoscendi bonum & malum, quia si post prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura transgressio, in qua homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Proinde & hoc non in figura dictum, sed quoddam verè lignum accipiendum est, cui non de fructu vel pomo, quod inde nasceretur, sed ex ipsa re nomen impositum est, quæ illo contra vetitum tacto fuerat secutura.

Gen. 1. 31.

Obedientia.

Inobedientia.

CAPUT VII. De vers. 10. 11. 13. & 14. Gen. 2. illic accipiēda esse vera flumina.

13. FLUMEN *autem exiit de Eden, quod irrigabat paradisum, & inde divisum est in quatuor partes. Ex his uni nomen est Phison: hoc est quod circuit totam terram Evilath, ubi est aurum; aurum autem terræ illius bonum, & ibi est carbunculus, & lapis prasinus. Et nomen flumini secundo Geon: hoc est quod circuit totam terram Æthiopiæ. Flumen autem tertium Tigris, hoc est quod fluit contra Assyrios. Flumen autem quartum Euphrates.* De his autem fluminibus quid ampliùs iratagam confirmare, quòd vera sint flumina, nec figuratè dicta quæ non sint, quasi tantummodo aliquid nomina ipsa significent, cùm & regionibus per quas fluunt, notissima sint, & omnibus ferè gentibus diffamata? Quin immo ex his, quoniam constat ea prorsus esse; (nam duobus eorum nomina vetustas mutavit, sicut Tiberis dicitur fluvius, qui priùs Albula vocabatur; Geon quippe ipse est, qui nunc dicitur Nilus; Phison autem ille dicebatur, quem nunc Gangen appellant;

Tiberis priùs. Albula. Nilus qui priùs Geon. Ganges qui priùs Phison.

[a] Editi, *certum*. At MSS. decem, *creatum*.

duo verò cetera Tigris & Euphrates antiqua etiam nomina tenuerunt) nos admoneri oportet, cetera quoque primitus ad proprieratem litteræ accipere, non in eis figuratam locutionem putare, sed res ipsas quæ ita narrantur & esse, & aliquid etiam figurare. Non quia non posset parabola locutionis assumere aliquid de re, quam non propriè quoque esse constaret, sicut de illo Dominus loquitur, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones: quis enim non sentiat, & planè videat esse parabolam, locutionemque illam totam esse figuratam? verùm duæ civitates, quæ ibi nominatæ sunt, hodieque in locis propriis demonstrantur. Sed hoc modo acciperemus & quatuor hæc flumina, si cetera quæ de paradiso narrantur, non propriè sed figuratè accipere ulla necessitas cogeret: at nunc cùm primitus propriè res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potiùs auctoritatem Scripturæ simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res verè gestas priùs intelligentes, tum demum quidquid aliud significant perscrutantes?

Lucæ 10. 30.

14. An eo movebimur, quod de his fluminibus dicitur, aliorum esse fontes notos, aliorum autem prorsus incognitos, & ideo non posse accipi ad litteram, quòd ex uno paradisi flumine dividuntur? cùm potius credendum sit, quoniam locus ipse paradisi à cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividi, sicut fidelissima Scriptura testatur; sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi iisse sub terras, & post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse, ubi tamquam in suis fontibus nota esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere, quis ignorat? Sed ibi hoc scitur, ubi non diu sub terris currunt. Exibat ergo flumen de Eden, id est de loco deliciarum, & irrigabat paradisum, id est ligna omnia pulcra atque fructuosa, quæ omnem terram regionis illius opacabant.

CAPUT VIII. De vers. 15. Gen. 2. An homo positus in paradiso ut agriculturæ operam daret.

15. ET *sumsit Dominus Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in paradiso, ut operaretur & custodiret. Et præcepit Dominus Deus Adæ dicens, Ab omni ligno quod est in paradiso escâ edes; de ligno autem cognoscendi bonum & malum, non manducabitis de illo. Quo die autem ederitis ab eo, morte moriemini.* Cùm superiùs breviter dixerit, Deum plantasse paradisum, & constituisse ibi hominem, quem finxerat, recapitulavit ut narraret quomodo sit paradisus constitutus. Nunc ergo & illud recapitulando commemoravit, quomodo ibi Deus posuerit hominem, quem fecit. Videamus itaque quid sit quod dictum est, *ut operaretur & custodiret.* Quid operaretur, & quid custodiret? Numquid fortè agriculturam Dominus voluit operari primum hominem? An non est credibile, quòd eum ante peccatum damnaverit ad laborem? Ita sanè arbitraremur, nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolari quosdam, ut eis magna pœna sit inde ad aliud avocari. Quidquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc utique longe amplius erat, quando nihil accidebat adversi, vel terrâ vel cælo. Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cùm ea quæ Deus creaverat, humani operis adjutorio lætiùs feraciúsque provenirent, unde Creator ipse uberiùs laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi, ac facultatem, quantum animo volenti satis esset, non quantum invitum indigentia corporis cogeret.

16. Quod enim majus mirabiliusque spectaculum est, aut ubi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quàm cùm positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tamquam interrogatur quæque vis radicis & germinis quid possit, quidve non possit; unde possit, unde non possit; quid in ea valeat numerorum invisibilis interiorque potentia, quid extrinsecùs adhibita diligentia: inque ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: quia & illud operis quod accedit extrinsecùs, per illum accedit, quem nihilo minùs creavit, & quem regit atque ordinat invisibiliter Deus?

1. Cor. 3. 7.

CAPUT IX. Agriculturæ opus allegoricè.

17. HINC jam in ipsum mundum, velut in quamdam magnam arborem rerum, oculus cogitationis adtollitur, atque in ipso quoque gemina operatio providentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei administrationem, qua etiam lignis & herbis dat incrementum; voluntaria verò, per Angelorum opera & hominum. Secundùm illam primam cælestia superiùs ordinari, inferiúsque terrestria, luminaria sideraque fulgere, diei noctisque vices agitari, aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aërem altiùs superfundi, arbusta & animalia concipi & nasci, crescere & senescere, occidere, & quidquid aliud in rebus interiore naturalique motu geritur. In hac autem altera signa dari, doceri & disci, agros coli, societates administrari, artes exerceri, & quæque alia sive in superna societate aguntur, sive in hac terrena atque mortali, ita ut bonis consulatur & per nescientes malos. Inque ipso homine eamdem geminam providentiæ vigere potentiam: primò erga corpus naturalem, scilicet eo motu quo fit, quo crescit, quo senescit: voluntariam verò, quo illi ad victum, tegumentum, curationemque consulitur. Similiter erga animam naturaliter agitur ut vivat, ut sentiat; voluntariè verò ut discat, ut consentiat.

18. Sicut autem in arbore id agit agricultura forinsecùs, ut illud proficiat, quod geritur intrinsecùs: sic in homine secundùm corpus, ei quod intrinsecùs agit natura, servit extrinsecùs medicina. Itemque secundùm animam, ut natura beatificetur intrinsecùs, doctrina ministratur extrinsecùs. Quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam discendi segnitia. Et quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam persuasio iniquitatis. Deus itaque super omnia, qui condidit omnia, & regit omnia, omnes naturas bonus creat, omnes voluntates justus ordinat. Quid ergo abhorret à vero, si credamus hominem ita in paradiso constitutum, ut operaretur agriculturam, non labore servili, sed honesta animi voluptate? Quid enim hoc opere innocentius vacantibus, & quid plenius magna consideratione prudentibus?

CAPUT X. Quid sit, *ut operaretur & custodiret.* Gen. 2. 15.

19. UT *custodiret* autem, quid? An ipsum paradisum? Contra quos? Nullus certè vicinus metuebatur invasor, nullus limitis perturbator, nullus fur, nullus aggressor. Quomodo ergo intellecturi sumus corporalem paradisum potuisse ab homine corporaliter custodiri? Sed neque Scriptura dixit, Ut operaretur & custodiret paradisum: dixit autem, *ut operaretur & custodiret.* Quamquam si de græco diligentiùs ad verbum exprimatur, ita scri-

ptum est, *Et accepit Dominus Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eum & custodire.* Sed utrùm ipsum hominem posuit operari, hoc enim sensit qui interpretatus est, *ut operaretur;* an eumdem paradisum operari, id est ut homo paradisum operaretur, ambiguè sonat: & videtur magis exigere locutio, ut non dicatur, operaretur paradisum, sed in paradiso.

20. Verumtamen ne fortè sic dictum sit, *ut operaretur* paradisum, sicut superiùs dictum est, *Nec erat homo, qui operaretur terram;* (eadem quippe locutio est, operari terram, quæ operari paradisum;) ambiguam sententiam ad utrumque tractemus. Si enim non est necesse ut accipiamus paradisum custodire, sed in paradiso, quid ergo in paradiso custodire? Nam quid operari in paradiso, jam ut visum est disseruimus. An ut quod operaretur in terra per agriculturam, in seipso custodiret per disciplinam, id est ut sicut ei ager obtemperaret colenti se, ita & ipse præcipienti Domino suo, ut sumto præcepto obedientiæ fructum, non spinas inobedientiæ redderet? Denique quoniam similitudinem à se culti paradisi in seipso custodire subditus noluit, similem sibi agrum damnatus accepit: *Spinas*, inquit, *& tribulos pariet tibi.*

Gen. 3. 18.

21. Quòd si & illud intelligamus, ut paradisum operaretur, & paradisum custodiret, operari quidem paradisum posset, sicut suprà diximus, per agriculturam; custodire autem non adversùs improbos aut inimicos, qui nulli erant, sed fortassis adversùs bestias. Quomodo istud, aut quare? Numquid enim bestiæ jam in hominem sæviebant, quod nisi peccato non fieret? Ipse quippe bestiis omnibus ad se adductis, sicut post commemoratur, nomina imposuit: ipse etiam sexto die lege verbi Dei cum omnibus communes cibos accepit. Aut si erat jam quod timeretur in bestiis, quonam pacto posset unus homo illum munire paradisum? Neque enim exiguus locus erat, quem tantus fons irrigabat. Custodire quidem ille deberet, si posset paradisum tali & tantâ maceriâ communire, ut eò serpens non posset intrare: sed mirum si priusquam communiret, omnes serpentes inde posset excludere.

22. Proinde intellectum ante oculos cur prætermittimus? Positus est quippe homo in paradiso, ut operaretur eumdem paradisum, sicut suprà disputatum est, per agriculturam non laboriosam, sed deliciosam, & mentem prudentis magna atque utilia commonentem: custodiret autem eumdem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli. Denique accepit & præceptum, ut sit per quod sibi custodiat paradisum, id est quo conservato non inde projiciatur. Rectè enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit ut amitteret eam, etiamsi alteri salva sit, qui eam vel invenit vel accipere meruit.

23. Est alius in his verbis sensus, quem puto non immeritò [a] præponendum, ut ipsum hominem operaretur Deus & custodiret. Sicut enim operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam atque fructuosam: sic Deus hominem multo magis, quem ipse creavit ut homo sit, eum ipse operatur ut justus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat: hoc est enim apostatare à Deo, quod initium superbiæ Scriptura dicit: Initium, inquit, superbiæ hominis apostatare à Deo.

Eccli. 10. 14.

Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem & secundùm animam & secundùm corpus mutabilis res est; nisi ad incommutabile bonum, quod est Deus, conversus substiterit, formari ut justus beatusque sit, non potest. Ac per hoc Deus idem qui creat hominem, ut homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, ut etiam bonus beatusque sit. Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata atque fecunda sit, ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius sapiensque sit, eumque custodire, quòd homo sua potestate in se, quàm illius supra se delectatus, dominationemque ejus contemnens tutus esse non possit.

CAPUT XI. Cur hic addita dictio *Dominus.*

24. PROINDE nullo modo vacare arbitror, sed nos aliquid, & magnum aliquid admonere, quòd ab ipso divini libri hujus exordio, ex quo ita cœptus est, *In principio fecit Deus cælum & terram*, usque ad hunc locum, nusquam positum est, Dominus Deus; sed tammundo, Deus: nunc verò ubi ad id ventum est, ut hominem in paradiso constitueret, eumque per præceptum operaretur & custodiret, ita Scriptura locuta est, *Et sumsit Dominus Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eum & custodire*: non quòd supradictarum creaturarum Dominus non esset Deus, sed quia hoc nec propter Angelos, nec propter alia quæ creata sunt, sed propter hominem scribebatur, ad eum admonendum quantum ei expediat habere Dominum Deum, hoc est sub ejus dominatione obedienter vivere, quàm licentiosè abuti propria potestate, nusquam hoc priùs ponere voluit, nisi ubi perventum est ad eum in paradiso collocandum, operandum & custodiendum: ut non diceret sicut & cetera omnia superiùs, Et sumsit Deus hominem, quem fecit, sed diceret, *Et sumsit Dominus Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eum*, ut justus esset, *& custodire* ut tutus esset, ipsa utique dominatione sua, quæ non est illi sed nobis utilis. Ille quippe nostra servitute non indiget, nos verò dominatione illius indigemus, ut operetur & custodiat nos: & ideo verus solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem salutemque servimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cùm per nos ejus adjuvaretur necessitas, sub qua & ipse serviret. Meritò ille in Psalmo, Dixi, inquit, Domino, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges. Nec ita sentiendum est quod diximus, nos illi ad utilitatem nostram salutemque servire, tamquam aliud aliquid ab illo exspectemus quàm eum ipsum, qui summa utilitas & salus nostra est. Sic enim eum gratis secundùm illam vocem diligimus, Mihi autem adhærere Deo bonum est.

Gen. 2. 15. Dominus verus. *Psal. 15. 2.* *Psal. 72. 28.*

CAPUT XII. Hominem non posse quidquam boni agere sine Deo.

25. NEQUE enim tale aliquid est homo, ut factus deserente eo qui fecit, possit aliquid agere bene tamquam ex seipso: sed tota ejus actio bona, est converti ad eum à quo factus est, & ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri: non fieri & recedere, sicut à corporis medico sanari & abire; quia medicus corporis operarius fuit extrinsecus, serviens naturæ intrinsecùs operanti sub Deo, qui operatur omnem salutem gemino illo opere providentiæ, de quo suprà locuti sumus. Non ergo ita se debet homo ad Dominum convertere, ut cùm ab eo factus fuerit justus

Cap. 9.

[a] Altera tamen expositio aptiùs congruit Hebræo, in quo pronomen *eum*, refertur ad *paradisum*, genere feminino cum ista voce conveniens.

abſcedat, ſed ita ut ab illo ſemper fiat. Eo quippe A ipſo cùm ab illo non diſcedit, ejus ipſe præſentiâ juſtificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante & cuſtodiente Deo dum obedienti ſubjectoque dominatur.

26. Neque enim, ut dicebamus, ſicut operatur homo terram, ut culta atque fecunda ſit, qui cùm fuerit operatus abſcedit, relinquens eam vel aratam, vel ſatam, vel rigatam, vel ſi quid aliud, manente opere quod factum eſt, cùm operator abſceſſerit, ita Deus operatur hominem juſtum, B id eſt juſtificando eum, ut ſi abſceſſerit, maneat in abſcedente quod fecit: ſed potiùs ſicut aër præſente lumine non factus eſt lucidus, ſed fit; quia ſi factus eſſet, non autem fieret, etiam abſente lumine lucidus maneret; ſic HOMO DEO ſibi præſente illuminatur, abſente autem continuò tenebratur; à quo non locorum intervallis, ſed voluntatis averſione diſceditur.

Diſceſſus à Deo.

27. Ille itaque operetur hominem bonum atque cuſtodiat, qui incommutabiliter bonus eſt. C SEMPER AB ILLO FIERI, ſemperque perfici debemus, inhærentes ei, & in ea converſione quæ ad illum eſt permanentes, de quo dicitur, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: & cui dicitur, Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Ipſius enim ſumus figmentum, non tantùm ad hoc ut homines ſimus, ſed ad hoc etiam ut boni ſimus. Nam & Apoſtolus cùm fidelibus ab impietate converſis, gratiam qua „ ſalvi facti ſumus, commendaret, Gratia enim, in- „ quit, ſalvi facti eſtis per fidem; & hoc non ex vo- D „ bis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne forte „ quis extollatur. Ipſius enim ſumus figmentum crea- „ ti in Chriſto Jeſu, in operibus bonis, quæ præparavit „ Deus, ut in illis ambulemus. Et alibi cùm dixiſſet, Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini; ne ſibi putarent tribuendum tamquam ipſi ſe facerent juſtos & bonos, continuò ſubjecit, „ Deus enim eſt qui operatur in vobis. *Sumſit* ergo *Dominus Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in paradiſo operari eum*, hoc eſt, operari in eo, *& cu-* E *ſtodire* eum.

Pſal. 72. 28. *Pſal. 58. 10.* *Epheſ. 2. 8.* *Phil. 2. 12.*

CAPUT XIII. Cur homo prohibitus à ligno ſcientiæ boni & mali. Gen. 2. 16. *Gen. 1. 12.*

28. ET *præcepit Dominus Deus Adæ dicens, Ab omni ligno, quod eſt in paradiſo, edes ad eſcam. De ligno autem cognoſcendi bonum & malum non manducabitis de illo; qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini.* Si aliquid mali eſſet lignum illud, unde prohibuit hominem Deus, ejus ipſius mali naturâ venenatus videretur ad mortem. Quia verò ligna omnia in paradiſo bona plantaverat, qui fecit omnia bona valde, nec ulla ibi natura mali erat, quia nuſquam F eſt mali ulla natura, (quod diligentiùs ſi Dominus voluerit diſſeremus, cùm de illo ſerpente dicere cœperimus:) ab eo ligno quod malum non erat prohibitus eſt, ut ipſa per ſe præcepti conſervatio bonum illi eſſet, & tranſgreſſio malum.

29. Nec potuit meliùs & diligentiùs commendari quantum malum ſit ſola inobedientia, cùm ideo reus iniquitatis factus eſt homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam ſi non prohibitus tetigiſſet, non utique peccaſſet. Nam qui di- G cit, verbi gratiâ, Noli tangere hanc herbam, ſi forte venenoſa eſt mortemque prænuntiat, ſi tetigerit, ſequitur quidem mors contemtorem præcepti; ſed etiam ſi nemo prohibuiſſet, atque ille tetigiſſet, nihilo minùs utique moreretur. Illa quippe res contraria ſaluti vitæque ejus eſſet, ſive inde vetaretur, ſive non vetaretur. Item cùm quiſque prohibet eam rem tangi, quæ non quidem tangenti, ſed illi qui prohibuit obeſſet, velut ſi quiſquam in alienam pecuniam miſiſſet manum, prohibitus ab eo cujus erat pecunia illa; ideo eſſet prohibito peccatum, quia prohibenti poterat eſſe damnoſum. Cùm verò illud tangitur, quod nec tangenti obeſſet ſi non prohiberetur, nec cuiquam alteri quandolibet tangeretur, quare prohibitum eſt, niſi ut ipſius per ſe bonum obedientiæ, & ipſius per ſe malum inobedientiæ monſtraretur?

Inobedientia.

30. Denique à peccante nihil aliud appetitum eſt, niſi non eſſe ſub dominatione Dei, quando illud admiſſum eſt, in quo ne admitteretur, ſola deberet juſſio dominantis adtendi. Quæ ſi ſola adtenderetur, quid aliud quàm Dei voluntas adtenderetur? quid aliud quàm Dei voluntas amaretur? quid aliud quàm Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur? Dominus quidem cur juſſerit, viderit; faciendum eſt à ſerviente quod juſſit, & tunc fortè videndum eſt à promerente cur juſſerit. Sed tamen ut cauſſam juſſionis hujus non diutiùs requiramus, ſi hæc ipſa magna eſt utilitas homini quod Deo ſervit, jubendo Deus utile facit quidquid jubere voluerit, de quo metuendum non eſt, ne jubere quod inutile eſt poſſit.

CAPUT XIV. Ex divini præcepti contemtu experientia mali.

31. NEC fieri poteſt, ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere ſuper hominem cadat, ſi eam voluntati ſuperioris extollendo præponat. Hoc expertus eſt homo contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit, quid intereſſet inter bonum & malum, bonum ſcilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ, id eſt ſuperbiæ & contumaciæ, perverſæ imitationis Dei & noxiæ libertatis. Hoc autem in quo ligno accidere potuit, ex ipſa *Cap. 6.* re, ut jam ſuprà dictum eſt, nomen accepit. Malum enim niſi experimento non ſentiremus, quia nullum eſſet, ſi non feciſſemus. Neque enim ulla natura mali eſt, ſed amiſſio boni hoc nomen accepit. Bonum quippe incommutabile Deus eſt: homo autem quantum ad ejus naturam, in qua eum Deus condidit, pertinet, bonum eſt quidem, ſed non incommutabile ut Deus. Mutabile autem bonum, quod eſt poſt incommutabile bonum, melius bonum fit, cùm bono incommutabili adhæſerit, amando atque ſerviendo rationali & propria voluntate. Ideo quippe & hæc magni boni natura eſt, quia & hoc accepit, ut poſſit ſummi boni adhærere naturæ. Quòd ſi noluerit, bono ſe privat, & hoc ei malum eſt, unde per juſtitiam Dei etiam cruciatus conſequitur. QUID ENIM TAM INIQUUM, F quàm ut bene ſit deſertori boni? Neque ullo modo fieri poteſt, ut ita ſit: ſed aliquando amiſſi ſuperioris boni non ſentitur malum, cùm habetur quod amatum eſt inferius bonum. Sed DIVINA JUSTITIA EST, ut qui voluntate amiſit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum creator ubique laudetur. Adhuc enim eſt bonum, quod dolet amiſſum bonum: nam niſi aliquod bonum remanſiſſet in natura, nullus boni amiſſi dolor eſſet in pœna.

32. Cui autem ſine mali experimento placet G bonum, id eſt ſit antequam boni amiſſionem ſentiat, eligat tenere ne amittat, ſuper omnes homines prædicandus eſt. Sed hoc niſi cujuſdam ſingularis laudis eſſet, non illi puero tribueretur, qui ex *Matth. 1. 23.* genere Iſraël factus Emmanuël nobiſcum Deus, reconciliavit nos Deo, hominum & Dei homo *1. Tim. 2. 5.* mediator, Verbum apud Deum, caro apud nos,

Verbum caro inter Deum & nos. De illo quippe A Propheta dicit, Priuſquam ſciat puer bonum aut malum, contemnet malitiam, ut eligat bonum. Quomodo quod neſcit, aut contemnit aut eligit, niſi quia hæc duo ſciuntur aliter per prudentiam boni, aliter per experientiam mali? Per prudentiam boni malum ſcitur, etſi non ſentitur. Tenetur enim bonum, ne amiſſione ejus ſentiatur malum. Item per experientiam mali ſcitur bonum; quoniam quid amiſerit, ſentit, cui de bono amiſſo malè fuerit. Priuſquam ſciret ergo puer per experien- B tiam, aut bonum quo careret, aut malum quod boni amiſſione ſentiret, contemſit malum ut eligeret bonum, id eſt noluit amittere quod habebat, ne ſentiret amittendo quod amittere non debebat. Singulare exemplum obedientiæ, quippe qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed ejus voluntatem à quo miſſus eſt: non ſicut ille qui elegit facere voluntatem ſuam, non ejus à quo factus eſt. Meritò ſicut per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti C conſtituuntur multi: quia ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur.

Iſai. 7. 16. ſec. LXX. *Johan. 6. 38.* *Rom. 5. 19.* *1. Cor. 15. 22.*

CAPUT XV. Lignum ſcientiæ boni & mali cur ſic appellatum. a

33. FRUSTRA autem nonnulli acutè[a] obtuſi ſunt, cùm requirunt, quomodo potuerit appellari lignum dignoſcentiæ boni & mali, antequam in eo tranſgreſſus eſſet homo præceptum, atque ipsâ experientiâ dignoſceret quid intereſſet inter bonum quod amiſit, & malum quod admiſit. Lignum enim tale nomen accepit, ut eo ſecundùm prohibitionem non tacto caveretur, quod eo con- D tra prohibitionem tacto ſentiretur. Neque enim quia inde contra præceptum manducaverunt, ideo factum eſt illud lignum dignoſcentiæ boni & mali; ſed utique etiamſi obedientes eſſent, & nihil inde contra præceptum uſurpaſſent, id rectè vocaretur, quod ibi eis accideret, ſi uſurpaſſent. Quemadmodum ſi vocaretur arbor ſaturitatis, quòd inde poſſent homines ſaturari, numquid ſi nemo acceſſiſſet, ideo nomen illud eſſet incongruum? quandoquidem cùm accederent & ſaturarentur, tunc E probarent quàm hoc rectè arbor illa vocaretur.

2. Sent. diſt. 17. c. In hoc.

CAPUT XVI. Hominem ante mali experimentum potuiſſe intelligere quid eſſet malum.

34. ET quomodo, inquiunt, intelligeret homo, quod ei dicebatur lignum dignoſcentiæ boni & mali, quando ipſum malum quid eſſet omnino neſciebat? Hoc qui ſapiunt parum adtendunt, quemadmodum à contrariis notis ſic pleraque intelliguntur ignota, ut etiam verba rerum quæ non ſunt, cùm in loquendo interponuntur, nullus caliget auditor. Hoc enim quod omnino non eſt, nihil vocatur: & has duas ſyllabas nemo non intelligit, qui latinè audit & loquitur. Unde niſi cùm ſenſus intuetur id quod eſt, & ejus privatione quid etiam non ſit agnoſcit? Sic & inane cùm dicitur, intuendo corporis plenitudinem, privatione ejus tamquam contrariâ, quid dicatur inane intelligimus: ſicut audiendi ſenſu non ſolùm de vocibus, verùm etiam de ſilentio judicamus: ſic ex vita quæ inerat homini, poſſet ejus cavere contrarium, id eſt vitæ privationem quæ mors vocatur: & ipſam cauſſam qua perderet quod amabat; id eſt quod- G liber factum ſuum, quo fieret ut amitteret vitam, quibuſlibet ſyllabis appellaretur, quemadmodum latinè cum dicitur peccatum vel malum, tamquam ſignum ejus intelligeret, quod mente diſcerneret. Nos enim quomodo intelligimus, cùm dicitur reſurrectio, quam numquam experti ſumus? Nonne quia ſentimus quid ſit vivere, & ejus rei privationem vocamus mortem, unde reditum ad id quod ſentimus, reſurrectionem appellamus? & ſi quo alio nomine in quacumque lingua idipſum appellatur, menti utique ſignum inſinuatur in voce loquentium, quo ſonante agnoſcat, quod etiam ſine ſigno cogitaret. Mirum eſt enim, quemadmodum rerum quas habet amiſſionem, etiam inexpertam natura devitet. Quis enim pecora docuit devitationem mortis, niſi ſenſus vitæ? Quis parvulum puerum adhæreſcere bajulo ſuo, ſi eum fuerit ex alto B jacere minitatus? quod ex quodam tempore incipit, ſed tamen antequam aliquid hujuſmodi expertus ſit.

35. Sic ergo illis primis hominibus jam vita erat dulcis, quam profectò amittere devitabant; idque ipſum quibuſcumque modis vel ſonis ſignificantem Deum intelligere poterant: nec aliter eis poſſet perſuaderi peccatum, niſi priùs perſuaderetur eos ex illo facto non eſſe morituros, id eſt illud quod C habebant, & ſe habere gaudebant, non amiſſuros, unde ſuo loco loquendum eſt. Advertant itaque ſi quos movet, quomodo potuerint intelligere inexperta nominantem vel minantem Deum: & videant nos omnium inexpertorum nomina, nonniſi ex contrariis quæ jam novimus, ſi privationum ſunt, aut ex ſimilibus, ſi ſpecierum ſunt, ſine ullo æſtu dubitationis agnoſcere. Niſi fortè aliquem movet, *1. Sent. diſt. 21. cap. 11. lud.* quemadmodum loqui potuerint, vel loquentem intelligere, qui non didicerant vel creſcendo inter D loquentes, vel aliquo magiſterio: quaſi magnum fuerit Deo loqui eos docere, quos ita fecerat, ut hoc poſſent etiam ab hominibus diſcere, ſi eſſent à quibus.

CAPUT XVII. An utrique Adamo & Evæ datum ſit præceptum.

36. MERITO ſanè quæritur, utrùm hoc præceptum viro tantùm dederit Deus, an etiam feminæ? Sed nondum narratum eſt quemadmodum facta ſit femina. An fortè jam erat facta, ſed hoc quemadmodum geſtum ſit quod priùs erat geſtum, poſtea recapitulando narratum eſt? Verba enim E Scripturæ ſic ſe habent: *Et præcepit Dominus Deus Adæ dicens:* non dixit, præcepit eis, deinde ſequitur, *Ab omni ligno quod eſt in paradiſo eſcâ edes:* non dixit, edetis, deinde adjungit, *De ligno autem cognoſcendi bonum & malum, non manducabitis de illo.* Jam hîc tamquam ad ambos pluraliter loquitur, & pluraliter præceptum terminat dicens, *Qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini.* An ſciens quòd ei facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatiſſimè, ut per virum præceptum Domini ad feminam F perveniret? Quam diſciplinam in Eccleſia ſervat Apoſtolus, dicens, Si quid autem diſcere volunt, domi viros ſuos interrogent.

Gen. 2. 16. *1. Cor. 14. 35.*

CAPUT XVIII. Quomodo Deus locutus ſit homini.

37. ITEM quæri poteſt, quomodo nunc Deus locutus ſit ad hominem, quem fecit, jam certè ſenſu ac mente præditum, ut audire & intelligere loquentem valeret? Neque enim aliter præceptum poſſet accipere, quo tranſgreſſo reus eſſet, niſi hoc acceptum intelligeret. Quomodo ergo illi locutus eſt Deus? Utrùm intus in mente ſecundùm G intellectum, id eſt ut ſapienter intelligeret voluntatem ac præceptum Dei ſine ullis corporalibus ſonis vel corporalium ſimilitudinibus rerum? Sed non ſic exiſtimo primo homini locutum Deum. Talia quippe Scriptura narrat, ut potiùs credamus, ſic eſſe Deum locutum homini in paradiſo, ſicut etiam poſtea locutus eſt Patribus, ſicut Abrahæ, ſicut

[a] Antiqui codices conſtanter, *obtuſi*: uti & in lib. 4. de doctrina Chriſt. n. 7. *obtuſè*.

Moysi, id est in aliqua specie corporali. Hinc est enim quòd audierunt ejus vocem ambulantis in paradiso ad vesperam, & absconderunt se.

Gen. 3. 8.

CAPUT XIX. Ut intelligatur operatio Dei in creaturis, quid in primis de ipso sentiendum.

38. LOCUS itaque magnus neque prætereundus proponitur, ut intueamur quantum possumus, quantum ipse adjuvare & donare dignatur, opus divinæ providentiæ bipertitum, quod superiùs cùm de agricultura loqueremur, transitoria quadam occasione perstrinximus, ut inde jam inciperet legentis animus hoc assuescere contueri, quod adjuvat plurimùm, ne quid indignum de ipsa Dei substantia sentiamus. Dicimus itaque ipsum summum, verum, unum ac solum Deum, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, id est, Deum Verbumque ejus & utriusque Spiritum, Trinitatem ipsam, neque confusam, neque separatam, Deum qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, nec locorum vel finito vel infinito spatio contineri, nec temporum vel finito vel infinito volumine variari. Neque enim est in ejus substantia qua Deus est, quod brevius sit in parte quàm in toto, sicut necesse est esse, quæ in locis sunt; aut fuit in ejus substantia quod jam non est, vel erit quod nondum est, sicut in naturis quæ possunt temporis mutabilitatem pati.

1. Tim. 6. 16.

CAPUT XX. Creatura corporalis loco & tempore, spiritalis tempore tantũ, Creator ipse neutro modo mutabilis.

39. HIC ergo incommutabili æternitate vivens creavit omnia simul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, temporalibusque & localibus rerum motibus sæcula volverentur. In quibus rebus quædam spiritalia, quædam corporalia condidit, formans materiam quam nec alius nec nullus, sed omnino ipse informem ac formabilem instituit, ut formationem suam non tempore, sed origine præveniret. Spiritalem autem creaturam corporali præposuit; quòd spiritalis tantummodo per tempora mutari posset, corporalis autem per tempora & loca. Exempli enim gratiâ, per tempus movetur animus, vel reminiscendo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel volendo quod nolebat: per loca autem corpus, vel à terra in cælum, vel à cælo in terram, vel ab Oriente in Occidentem, vel si quo alio simili modo. Omne autem quod movetur per locum, non potest nisi & per tempus simul moveri: at non omne quod movetur per tempus, necesse est etiam per locum moveri. Sicut ergo substantiam, quæ movetur per tempus & locum, præcedit substantia quæ tantùm per tempus: ita ipsam præcedit illa, quæ nec per locum nec per tempus. Ac per hoc sicut per tempus & locum movet corpus ipse tantùm per tempus motus conditus spiritus; ita per tempus movet conditum spiritum ipse nec per tempus nec per locum motus conditor Spiritus: sed spiritus creatus movet seipsum per tempus, & per tempus ac locum corpus; Spiritus autem creator movet seipsum sine tempore ac loco, movet conditum spiritum per tempus sine loco, movet corpus per tempus & locum.

CAPUT XXI. Quomodo Deus immotus moveat creaturas, exemplo animæ deprehendi.

40. QUOCIRCA quisquis intelligere conatur, quemadmodum verè æternus & verè immortalis atque incommutabilis Deus, ipse nec per tempus nec per locum motus moveat temporaliter & localiter creaturam suam, non eum puto posse assequi, nisi priùs intellexerit quemadmodum anima, hoc est spiritus creatus, non per locum, sed tantùm per tempus motus, moveat corpus per tempus & locum. Si enim quod in seipso agitur capere nondum potest, quanto minùs illud quod supra est?

41. Affecta quippe anima carnalium sensuum consuetudine, etiam seipsam cum corpore per locum moveri putat, dum id per locum movet. Quæ si possit diligenter inspicere, tamquam cardines membrorum corporis sui, quemadmodum articulatim dispositi sunt, à quibus initia motionum nitantur; inveniet ea quæ per spatia locorum moventur, nisi ab eis quæ loco fixa sunt, non moveri. Non enim movetur solus digitus, nisi manus fixa sit, à cujus articulo velut immoto cardine moveatur: sic tota palma ab articulo cubiti, sic cubitus ab articulo humeri, humerus ab scapula cùm movetur, stantibus utique cardinibus quibus motio nitatur, it per loci spatium quod movetur. Sic plantæ in talo est articulus, quo stante moveatur; sic cruris in genu, & totius pedis in coxa: & nullius membri motus omnino est, quem voluntas movet, nisi ab aliquo articuli cardine, quem nutus ejusdem voluntatis primitus figit, ut ab eo quod loci spatio non movetur, agi valeat quod movetur. Denique nec in ambulando pes levatur, nisi alius fixus totum corpus ferat, donec ille qui motus est à loco unde fertur, ad locum quò fertur, immoto articulo sui cardinis innitatur.

42. Porrò si in corpore nullum membrum per locum voluntas movet, nisi ab eo membri articulo quem non movet, cùm & illa pars corporis quæ movetur, & illa quâ fixâ fit ut moveatur, corporeas habeant quantitates suas, quibus occupent spatia locorum suorum; quanto magis ipse animæ nutus, cui membra deserviunt, ut quod placuerit figatur, unde id quod movendum est innitatur; cùm anima non sit natura corporea, nec locali spatio corpus impleat, sicut aqua utrem sive spongiam; sed miris modis ipso incorporeo nutu commixta sit vivificando corpori, quo & imperat corpori, quadam intentione non mole: quanto magis, inquam, nutus ipse voluntatis ejus non per locum movetur, ut corpus per locum moveat, quando totum per partes movet, nec aliquas loco movet nisi per illas, quas loco non movet.

CAPUT XXII. Quomodo Deus moveat, quomodo anima.

43. QUOD si intelligere difficile est, utrumque credatur, & quòd creatura spiritalis non per locum mota moveat corpus per locum, & quòd Deus non per tempus motus moveat creaturam spiritalem per tempus. Quod si de anima quisque non vult hoc credere, quod quidem sine dubio non solùm crederet, verùm etiam intelligeret, si eam posset, sicuti est, incorpoream cogitare. Cui enim non facilè occurrat, quòd per locum non moveatur quod per loci spatia non distenditur? Quidquid autem per loci spatia distenditur corpus est. Ac per hoc consequens est, ut anima per locum moveri non putetur, si corpus non esse credatur. Sed ut dicere cœperam, si de anima hoc quisque non vult credere, non nimis urgendus est. Substantiam verò Dei nisi credat nec per tempus nec per locum moveri, nondum perfectè incommutabilem credit.

CAPUT XXIII. Deus semper quietus, omnia tamen agens.

44. VERUM quia omnino incommutabilis est illa natura Trinitatis, & ob hoc ita æterna, ut ei aliquid coæternum esse non possit, ipsa apud seipsam & in seipsa sine ullo tempore ac loco, movet tamen per tempus & locum sibi subditam creaturam, naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate: ut in naturis nulla sit, quæ non ab illo sit; in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non præsit; nulla mala sit, qua bene uti non possit. Sed quia

quia non omnibus naturis dedit voluntatis arbitrium, illæ autem quibus dedit, potentiores ac superiores sunt; illæ naturæ quæ non habent voluntatem, subditæ sint necesse est illis quæ habent, & hoc ordinatione Creatoris, qui numquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem. Cùm igitur omne corpus & omnis anima irrationalis non habeat voluntatis arbitrium, subdita ista sunt eis naturis, quæ præditæ sunt arbitrio voluntatis, nec omnibus omnia, sed sicut distribuit justitia Creatoris. Ergo Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, & naturas & voluntates, naturas ut sint, voluntates autem ut nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint; subdit primitus omnia sibi, deinde creaturam corporalem creaturæ spiritali, irrationalem rationali, terrestrem cælesti, femineam masculinæ, minùs valentem valentiori, indigentiorem copiosiori. In voluntatibus autem, bonas sibi, ceteras verò ipsis servientibus sibi; ut hoc patiatur voluntas mala, quod ex jussu Dei fecerit bona, sive per seipsam, sive per malam, in rebus dumtaxat quæ naturaliter sunt etiam malis voluntatibus subditæ, id est in corporibus. Nam in seipsis malæ voluntates habent interiorem pœnam suam, eamdem ipsam iniquitatem suam.

CAPUT XXIV. Quænam beatis Angelis subditæ creaturæ.

45. Ac per hoc sublimibus Angelis Deo subditè fruentibus, & Deo beatè servientibus, subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas vel infirma vel prava, ut hoc de subditis vel cùm subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus, jubente illo cui subjecta sunt omnia. Proinde illi in illo veritatem incommutabilem vident, & secundùm eam suas dirigunt voluntates. Fiunt ergo illi participes æternitatis, veritatis, [a] voluntatis ejus semper, sine tempore & loco. Moventur autem ejus imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto. Nec ita ut ab ejus contemplatione resiliant aut defluant: sed simul & illum sine loco ac tempore contemplantur, & ejus in inferioribus jussa perficiunt, movetes se per tempus, corpus autem per tempus & locum, quantum eorum congruit actioni. Et ideo Deus bipertito providentiæ suæ opere præest universæ creaturæ, naturis ut fiant, voluntatibus autem ut sine suo jussu vel permissu nihil faciant.

a

CAPUT XXV. Natura universitatis, partesque ejus quomodo à Deo administrentur. Rom. 11. 36.

46. NATURA igitur universitatis corporalis non adjuvatur extrinsecùs corporaliter. Neque enim est extra eam ullum corpus, alioquin non est universitas. Intrinsecùs autem adjuvatur incorporaliter, Deo id agente ut omnino natura sit; quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Partes verò ejusdem universitatis & intrinsecùs incorporaliter adjuvantur, vel potiùs fiunt, ut naturæ sint; & extrinsecùs corporaliter, quò se meliùs habeant, sicut alimentis, agriculturâ, medicinâ, & quæcumque etiam ad ornatum fiunt, ut non solùm salvæ ac fecundiores, verùm etiam decentiores sint.

47. Spiritalis autem creàta natura si perfecta atque beata est, sicut Angelorum sanctorum, quantum adtinet ad seipsam, quò sit, sapiensque sit, nonnisi intrinsecùs incorporaliter adjuvatur. Intus ei quippe loquitur Deus miro & ineffabili modo, neque per scripturam corporalibus instrumentis affixam, neque per voces corporalibus auribus insonantes, neque per corporum similitudines, quales in spiritu imaginaliter fiunt, sicut in somnis, vel in aliquo excessu spiritus, quod græcè dicitur ἔκστασις, & nos eo verbo jam utimur pro latino: quia & hoc genus visionum, quamvis interiùs fiat quàm sunt ea, quæ animo per sensus corporis nuntiantur; tamen quia simile est eis, ita ut cùm fit, discerni ab eis aut omnino non possit, aut certè vix & rarissimè possit, & quia exterius est quàm illud, quod in ipsa incommutabili veritate mens rationalis & intellectualis intuetur, eaque luce de his omnibus judicat, inter illa quæ extrinsecùs fiunt arbitror esse deputandum. Creatura ergo spiritalis & intellectualis perfecta & beata, qualis Angelorum est, sicut dixi, quantum adtinet ad seipsam quò sit, sapiensque ac beata sit, nonnisi intrinsecùs adjuvatur æternitate, veritate, caritate Creatoris. Extrinsecùs verò si adjuvari dicenda est, eo fortasse solo adjuvatur, quòd invicem vident, & de sua societate gaudent in Deo, & quòd perspectis etiam in eis ipsis omnibus creaturis, undique gratias agit laudatque Creatorem. Quod autem adtinet ad creaturæ angelicæ actionem, per quam universarum rerum generibus, maximéque humano providentiâ Dei prospicitur, ipsa extrinsecùs adjuvat, & per illa visa quæ similia sunt corporalibus, & per ipsa corpora quæ angelicæ subjacent potestati.

CAPUT XXVI. Deus semper idem & immotus administrat omnia.

48. QUÆ cùm ita sint, cùm Deus omnipotens & omnitenens, incommutabili æternitate, veritate, voluntate semper idem, non per tempus nec per locum motus, movet per tempus creaturam spiritalem, movet etiam per tempus & locum creaturam corporalem, ut eo motu naturas quas intrinsecùs substituit, etiam [b] extrinsecùs administret, & per voluntates sibi subditas, quas per tempus, & per corpora sibi atque illis voluntatibus subdita, quæ per tempus & locum movet, eo tempore ac loco cujus ratio in ipso Deo vita est sine tempore ac loco: cùm ergo tale aliquid Deus agit, non debemus opinari ejus substantiam qua Deus est, temporibus locisque mutabilem, aut per tempora & loca mobilem, sed in opere divinæ providentiæ ista cognoscere: non in illo opere quo naturas creat, sed in illo quo intrinsecùs creatas etiam extrinsecùs administrat, cùm sit ipse, nullo locorum vel intervallo vel spatio, incommutabili excellentique potentiâ & interior omni re, quia in ipso sunt omnia, & exterior omni re, quia ipse est super omnia. Item nullo temporum vel intervallo vel spatio, incommutabili æternitate & antiquior est omnibus, quia ipse est ante omnia, & novior omnibus, quia idem ipse post omnia.

b

CAPUT XXVII. Quomodo locutus sit Deus Adæ, ex dictis colligitur. Gen. 2. 16.

49. QUAPROPTER cùm audimus Scripturam dicentem, *Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens, Ab omni ligno quod est in paradiso escâ edes: de ligno autem cognoscendi bonum & malum, non manducabitis de illo: qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini*: si modum quærimus quomodo ista locutus sit Deus, modus quidem ipse à nobis propriè comprehendi non potest; certissimè tamen tenere debemus, Deum aut per suam substantiam loqui, aut per sibi subditam creaturam; sed per substantiam suam non loqui nisi ad creandas omnes naturas, ad spiritales verò atque intellectuales non solùm creandas, sed etiam illuminandas, cùm jam possunt capere locutionem ejus, qualis est in Verbo ejus, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia.

John. 1. 1.

[a] Sic MSS. At editi, *voluntatem ejus semper facientes.*

[b] MSS. aliquot hîc & paulò infrà, *etiam intrinsecùs.*

Illis autem qui eam capere non possunt, cùm loquitur Deus, nonnisi per creaturam loquitur, aut tantummodo spiritalem, sive in somnis, sive in ecstasi in similitudine rerum corporalium; aut etiam per ipsam corporalem, dum sensibus corporis vel aliqua species apparet, vel insonant voces.

50. Si ergo Adam talis erat, ut posset capere illam locutionem Dei, quam mentibus angelicis per suam præbet substantiam; non dubitandum est, quòd ejus mentem per tempus moverit miro & ineffabili modo, non motus ipse per tempus, eique utile ac salubre præceptum veritatis impresserit, & quæ transgressori pœna deberetur, ea ipsa ineffabiliter veritate monstraverit: sicut audiuntur vel videntur omnia bona præcepta in ipsa incommutabili Sapientia, quæ in animas sanctas se transfert ex aliquo tempore, cùm ipsius nullus sit motus in tempore. Si autem ad eum modum Adam justus erat, ut ei adhuc opus esset alterius creaturæ sanctioris & sapientioris auctoritas, per quam cognosceret Dei voluntatem atque jussionem, sicut nobis Prophetæ, sicut ipsis Angeli; cur ambigimus per aliquam hujusmodi creaturam ei esse locutum Deum, talibus vocum signis, quæ intelligere posset? Illud enim quod postea scriptum est, cùm peccassent eos audisse vocem Domini Dei ambulantis in paradiso, quia non per ipsam Dei substantiam, sed per subditam ei creaturam factum est, nullo modo dubitat qui fidem catholicam sapit. Ad hoc enim & aliquanto latiùs de hac re disserere volui, quia nonnulli hæretici * putant substantiam Filij Dei nullo assumto corpore per seipsam esse visibilem, & ideo antequam ex virgine corpus acciperet, ipsum visum esse Patribus opinantur, tamquam de solo Deo Patre dictum sit, Quem nemo hominum vidit, nec videre potest: quia Filius visus sit ante acceptam servi formam, etiam per ipsam substantiam suam. quæ impietas procul à catholicis mentibus repellenda est. Sed de hoc pleniùs aliàs, si Domino placuerit, disseremus: nunc terminato isto volumine, id quod sequitur, quomodo sit mulier ex viri sui latere creata, in consequentibus parandum est.

Sap. 7. 27.
Gen. 3. 8.
* Ariani
1. Tim. 6. 16.

LIBER NONUS.

De eo quod legitur Gen. 2. 18. Et dixit Dominus Deus, Non est bonum hominem esse solum *&c. usque ad illud*, Et erunt duo in carne una.

CAPUT I. Cur dictum sit, *Et finxit Deus adhuc de terra &c. Gen. 2. 18.*

1. ET *dixit Dominus Deus, Non bonum est hominem esse solum; faciamus ei adjutorium secundùm ipsum. Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cæli, & adduxit illa ad Adam, ut videret quid vocaret illa. Et omne quodcumque vocavit illud Adam animam vivam, hoc est nomen ejus. Et vocavit Adam nomina omnibus pecoribus, & omnibus volatilibus cæli, & omnibus bestiis agri. Ipsi autem Adam non est inventus adjutor similis ei. Et immisit Deus ecstasim in Adam, & obdormivit. Et accepit unam costarum ejus, & adimplevit carnem in loco ejus: & ædificavit Dominus Deus costam, quam accepit de Adam, in mulierem; & adduxit eam ad Adam. Et dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro suo sumta est. Et propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & conglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Si aliquid adjuvant lectorem, quæ in libris superioribus considerata atque conscripta sunt, non debemus in hoc diutiùs immorari, quod *finxit adhuc Deus de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cæli*: cur enim dictum sit, *adhuc*, id est propter primam conditionem creaturarum sex diebus consummatam, in qua caussaliter perfecta sunt omnia simul & inchoata, ut deinde ad effectus suos caussæ perducerentur, jam quantum potuimus, in præcedentibus intimavimus. Et si quis hoc aliter enodandum putat, tantùm diligenter adtendat illa omnia, quæ ut hoc sentiremus adtendimus; & si probabiliorem inde potuerit enucleare sententiam, non solùm resistere non debemus, sed debemus etiam gratulari.

Lib. 6. c. 5.

2. Si quem autem movet, quia non dixit, Finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, & de aquis omnia volatilia cæli, sed tamquam utraque genera de terra finxerit, *Et finxit*, inquit, *Deus adhuc de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cæli*: videat duobus modis esse intelligendum, aut tacuisse nunc unde finxerit volatilia cæli, quia & tacitum posset occurrere, ut non de terra utrumque accipiatur Deum finxisse, sed tantummodo bestias agri; ut volatilia cæli etiam tacente Scripturâ intelligamus unde finxerit, velut qui sciamus, in prima caussalium rationum conditione ex aquis ea esse producta: aut terram universaliter sic appellatam simul cum aquis, quemadmodum appellata est in illo Psalmo, ubi cælestium laudibus terminatis, ad terram facta est conversio sermonis, & dictum, Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi, &c. nec postea dictum est, Laudate Dominum de aquis: ibi enim sunt omnes abyssi, quæ tamen de terra laudant Dominum. Ibi etiam reptilia & volatilia pennata, quæ nihilo minùs de terra laudant Dominum. Secundùm istam universalem appellationem terræ, secundùm quam etiam de toto mundo dicitur, Deus qui fecit cælum & terram, sive de arida sive de aquis quæcumque creata sunt, de terra creata veraciter intelliguntur.

Terræ vocabulum.
Psal. 148. 7.

3. NUNC jam videamus, quomodo accipiendum sit quod dixit Deus, *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium secundùm ipsum*: utrùm temporaliter vocibus ac syllabis editis hoc dixerit Deus; an ipsa ratio commemorata est, quæ in Verbo Dei principaliter erat, ut sic femina fieret: quam rationem suscipiebat etiam tunc Scriptura cùm diceret, *Et dixit Deus, Fiat* hoc aut illud, quando primitus omnia condebantur. An fortè in mente ipsius hominis hoc dixit Deus, sicut loquitur quibusdam servis suis in ipsis servis suis? Ex quo genere servorum ejus erat etiam ille, qui dixit in Psalmo, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. An aliqua de hac re ipsi homini in ipso homine per Angelum est facta revelatio in similitudi-

CAPUT II. Quomodo id locutus sit Deus, *Non est bonum &c.*
Psal. 84. 9.

nibus vocum corporalium, quamvis tacuerit Scriptura, utrùm in somnis, an in ecstasi, ita enim fieri hæc solent; an aliquo alio modo, sicut revelatur Prophetis, unde illud est, Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me: an per corporalem creaturam vox ipsa sonuerit, sicut de nube, Hic est filius meus. Quid ergo ex his omnibus factum sit, ad liquidum comprehendere non valemus: verumtamen certissimè teneamus, & dixisse hoc Deum, & si corporali voce vel temporaliter expressa similitudine corporis dixit, non eum per substantiam suam, sed per aliquam imperio suo subditam dixisse creaturam, sicut in libro præcedente tractavimus.

Zach. 2. 3.
Matth. 3. 17.

4. Nam visus est Deus etiam postea sanctis viris, aliàs capite albo sicut lana, aliàs inferiore parte corporis sicut auricalcum, aliàs aliter atque aliter: non tamen illas visiones hominibus per substantiam quæ ipse est, sed per sibi subdita quæ creavit, eum præbuisse, & per similitudines formarum vocumque corporalium, quod voluit, ostendisse ac dixisse, certissimum est eis, qui substantiam Trinitatis incommutabiliter æternam, nec per tempus nec per locum moveri, & per tempus & per locum movere, vel fideliter credunt, vel etiam excellenter intelligunt. Non ergo jam quæramus quomodo istud dixerit, sed potiùs intelligamus quid dixerit. Adjutorium quippe homini secundùm ipsum fuisse faciendum, æterna ipsa veritas habet, per quam creata sunt omnia; & in illa hoc audit, qui potest in ea cognoscere quid quare creatum sit.

CAPUT III. Mulier in adjutorium propter sobolem facta.

5. Si autem quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos, sicut adjutorium femini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur: hoc enim & in prima rerum conditione dictum erat, *Masculum & feminam fecit eos, & benedixit eos Deus, dicens, Crescite, & multiplicamini, & implete terram, & dominamini ejus.* Quæ ratio conditionis & conjunctionis masculi & feminæ atque benedictio, nec post peccatum hominis pœnamque defecit. Ipsa enim est secundùm quam nunc terra hominibus plena est dominantibus ejus.

Gen. 1. 27.
2. Sent. dist. 20. cap. 1.

6. Quamquam enim jam emissi de paradiso convenisse & genuisse commemorentur: tamen non video quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus: hoc Deo præstante fideliter justéque viventibus, eique obedienter sanctéque servientibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi, fetus ex eorum semine gignerentur; non ut morientibus parentibus filij succederent, sed ut illis qui genuissent in aliquo formæ statu manentibus, & ex ligno vitæ, quod ibi plantatum erat, corporalem vigorem sumentibus, & illi qui gignerentur ad eumdem perducerentur statum, donec certo numero impleto, si justè omnes obedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio, ut sine ulla morte animalia corpora conversa in aliam qualitatem, eo quòd ad omnem nutum regenti se spiritui deservirent, & solo spiritu vivificante sine ullis alimentorum corporalium sustentaculis viverent, spiritalia vocarentur. Potuit hoc fieri, si non præcepti transgressio mortis supplicium mereretur.

Heb. 13. 4.
2. Sent. dist. 20. cap. De termino.

7. Qui enim hoc fieri potuisse non credunt, nihil aliud quàm consuetudinem naturæ jam post peccatum pœnamque humanam sic currentis adtendunt: non autem in eorum genere nos esse debemus, qui non credunt nisi quod videre consueverunt. Quis enim dubitet homini obedienter & piè viventi præstari potuisse quod diximus, qui non dubitat vestibus Israëlitarum impertitum esse quemdam in suo genere statum, ut per annos quadraginta nulla vetustatis detrimenta paterentur?

8. CUR ergo non coierunt, nisi cùm exiissent de paradiso? Citò responderi potest, Quia mox creata muliere, priusquam coirent, facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinati, etiam de loco illius felicitatis exierunt. Non enim Scriptura tempus expressit, quantum interfuerit inter eos factos, & ex eis natum Caïn. Potest etiam dici, quia nondum Deus jusserat ut coirent. Cur enim non ad hanc rem divina exspectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia tamquam stimulus inobedientis carnis urgebat? Ideo autem hoc non jusserat Deus, quia secundùm suam præscientiam disponebat omnia, in qua & eorum casum procul dubio præsciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum.

CAPUT IV. Quare non coierint primi parentes in paradiso. *Gen. 3. 1.*

9. AUT si ad hoc adjutorium gignendi filios, non est facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta est? si quæ simul operaretur terram; nondum erat labor ut adjumento indigeret, & si opus esset, melius adjutorium masculus fieret. hoc & de solatio dici potest, si solitudinis fortasse tædebat. Quanto enim congruentiùs ad convivendum & colloquendum duo amici pariter quàm vir & mulier habitarent? Quòd si oportebat alium jubendo, alium obsequendo pariter vivere, ne contrariæ voluntates pacem cohabitantium perturbarent; nec ad hoc retinendum ordo defuisset, quo prior unus, alter posterior, maximè si posterior ex priore crearetur, sicut femina creata est. An aliquis dixerit de costa hominis Deum feminam tantùm, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Quapropter non invenio ad quod adjutorium facta sit mulier viro, si pariendi caussa subtrahitur.

CAPUT V. Mulier facta in adjutorium non aliàquàm sobolis caussâ.

10. NAM si parentes filiis suis cedere ex hac vita oportebat, ut ita omne humanum genus per decessiones & successiones certa numerositate impleretur, potuerunt etiam homines genitis filiis, perfectâque humani officij justitiâ, hinc ad meliora transferri, non per mortem, sed per aliquam commutationem, aut illam summam, qua receptis corporibus fient sancti sicut Angeli in cælis; aut si illam dari non oportet, nisi omnibus simul in sæculi fine, aliquam inferiorem quàm illa erit: quæ tamen haberet meliorem statum, quàm vel hoc corpus habet, vel illa etiam quæ primitus facta sunt, viri ex limo terræ, mulieris ex viri carne.

CAPUT VI. Filiorum successio qualis si Adam non peccasset.

11. Neque enim arbitrandum est, Eliam vel sic esse jam, sicut erunt sancti, quando peracto operis die denarium pariter accepturi sunt; vel sicut quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt, de qua ille tamen non morte, sed translatione migravit. Sic itaque aliquid melius habet, quàm in hac vita posset; quamvis nondum habeat quod ex hac vita rectè gesta in fine habiturus est: pro nobis enim meliora [a] providerunt, ne sine nobis perfecti perficerentur. Aut si quisquam putat hoc Eliam mereri non potuisse, si duxisset uxorem, filiosque procreasset; (creditur enim non habuisse, quia hoc Scriptura non dixit,

Matth. 20. 10.
4. Reg. 2. 11.
a Hebr. 11. 40.

[a] MSS. tres, *provisa sunt.* Alij, *providerunt*: uti passim Augustinus ex Hebr. 11. ad quem locum hîc alludit.

quamvis & de cælibatu ejus nihil dixerit :) quid de Enoch respondebit, qui filiis genitis Deo placens non mortuus, sed [a] translatus est? Cur ergo & Adam & Eva, si justè viventes castè filios procreassent, non eis possent translatione, non morte, succedentibus cedere? Nam si Enoch & Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, & quod tamdiu dilatum est morituri, nunc tamen in alia vita sunt, ubi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo nec senectute deficiunt: quanto justiùs atque probabiliùs primis illis hominibus præstaretur, sine ullo suo parentumve peccato viventibus, ut in meliorem aliquem statum filiis genitis cederent, unde sæculo finito cum omni posteritate sanctorum, in angelicam formam, non per carnis mortem, sed per Dei virtutem multo feliciùs mutarentur?

Gen. 5. 24. *Mal. 4. 5.* *Apoc. 11. 3.*

CAPUT VII. Mulier pariendi caussâ. Unde laudabilis virginitas & nuptiæ.

12. NON itaque video ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro, si generandi caussa subtrahitur: quæ nihilo minùs quare subtrahatur ignoro. Unde enim magnum magnique honoris meritum apud Deum fidelis & pia virginitas habet, nisi quia isto jam tempore continendi ab amplexu, cùm ex omnibus gentibus ad implendum sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido non sibi vindicat, quod jam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat? Denique utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis esse posset officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum : immo verò non propter illud malum culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum veniale est illud malum; quoniam id quod bonum habent nuptiæ, & quo bonæ sunt nuptiæ peccatum esse numquam potest. Hoc autem tripertitum est, fides, proles, sacramentum. In fide adtenditur ne præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autem ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec caussâ prolis alteri conjungatur. Hæc est tamquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Unde quia satis disseruimus in eo libro, quem de bono conjugali nuper edidimus, ubi & continentiam vidualem & excellentiam virginalem pro suorum graduum dignitate distinximus, diutiùs hîc noster stilus non est occupandus.

Matrimonij triplex bonum.

Liber de bono conjugali.

CAPUT VIII. Fuga vitiorum in contraria.

13 NUNC enim quærimus cui adjutorio mulier facta sit viro, si eis ad gignendos filios misceri sibimet in paradiso non licebat. Qui enim hoc sentiunt, fortè peccatum esse omnem concubitum putant. Difficile est namque, ut dum perversè homines vitia devitant, non in eorum contraria perniciter currant. Etenim sicut exhorrens avaritiam, fit profusus; aut exhorrens luxuriam, fit avarus; aut inquietus fit, cujus pigritiam reprehenderis; aut cujus inquietudinem, piger; aut qui reprehensus odisse cœperit audaciam suam, ad timiditatem fugit; aut qui timidus non esse conatur, tamquam abrupto vinculo fit temerarius, dum non ratione, sed opinione crimina metiuntur : ita dum nesciunt homines quid in adulteriis & fornicationibus divino jure damnetur, etiam caussâ procreandi conjugalem concubitum detestantur.

CAPUT IX. Mulier propter gignendos filios, etiamsi ex peccato non fuisset necessitas moriendi.

14. QUOD qui non faciunt, sed tamen fecunditatem carnis propter successionem mortalitatis divinitus datam sentiunt; nec ipsi putant primos illos homines potuisse concumbere, nisi, propter peccatum quod admiserant morituri, gignendo requirerent successores: nec adtendunt, si rectè potuerunt successores quæri morituris, multo rectiùs socios quæri potuisse victuris. Impletâ enim terrâ genere humano, rectè proles nonnisi quæ morientibus succederet, quæreretur: ut autem per duos homines terra impleretur, quomodo ipsi nisi gignendo officium societatis implerent? An verò ita quis cæcus est mente, ut non cernat quanto terris ornamento sit genus humanum, etiam cùm à paucis rectè laudabiliterque vivatur; quantumque valeat ordo reipublicæ in cujusdam pacis terrenæ vinculum coërcens etiam peccatores? Neque enim tantum depravati sunt homines, ut non etiam tales pecoribus & volatilibus antecellant, quorum tamen omnium generibus hanc infimam mundi partem pro sui loci sorte decoratam, quem non considerare delectet? Quis autem ita sit excors, ut putet minùs eam ornari potuisse, si justis non morientibus impleretur?

15. Nam quia numerosissima est superna civitas Angelorum, ideo non rectè connubio copularentur, nisi morerentur. Hanc quippe numerositatem perfectam etiam in resurrectione sanctorum Angelis sociandam Dominus præsciens ait, In resurrectione neque nubent, neque uxores ducent, non enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei: hîc verò cùm implenda esset hominibus terra, & eam, propter cognationis artiorem necessitudinem & unitatis vinculum maximè commendandum, ex uno oporteret impleri, propter quid aliud secundùm ipsum quæsitus est femineus sexus adjutor, nisi ut ferentem genus humanum natura muliebris, tamquam terræ fecunditas, adjuvaret?

Matth. 22. 30.

CAPUT X. Libidinis morbus ex peccato.

16. QUAMVIS honestiùs meliúsque credatur, ita fuisse tunc illorum hominum corpus animale constitutorum in paradiso, nondum mortis lege damnatum, ut non haberent appetitum carnalis voluptatis, qualem nunc habent ista corpora, quæ jam ex mortis propagine ducta sunt. Neque enim nihil est in eis factum, cùm de ligno prohibito edissent: quandoquidem Deus dixerat, non, Si ederitis, morte moriemini; sed, *Quo die ederitis, morte moriemini*: ut hoc ipsum in eis illa faceret dies, quod Apostolus gemit dicens, Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Non enim sufficeret ei, si diceret, Quis me liberabit de hoc mortali corpore? sed de corpore, inquit, mortis hujus. Sicut etiam illud, Corpus quidem, inquit, mortuum est propter peccatum. Nec ibi ait mortale, sed mortuum; quamvis utique & mortale, quia moriturum. Non ita credendum est fuisse illa corpora, sed licèt animalia, nondum spiritalia, non tamen mortua, id est quæ necesse esset ut mo-

Gen. 2. 17. *Rom. 7. 22.* *Rom. 8. 10.*

[a] Editi, *sed vivus translatus est*. Abest, *vivus*, à MSS.

rerentur: quod eo die factum est, quo lignum contra vetitum tetigerunt.

17. Sicut in ipsis nostris corporibus quædam pro suo modo sanitas dicitur, quæ si perturbata sic fuerit, ut lethalis morbus jam viscera depascatur, quo inspecto, medici mortem imminere pronuntient, mortale utique corpus etiam tunc dicitur, sed aliter quàm cùm esset sanum, quamvis quandoque sine dubio moriturum: ita illi homines animalia quidem corpora gerentes, sed non moritura nisi peccassent, acceptura autem angelicam formam, cælestemque qualitatem, mox ubi præceptum transgressi sunt, eorum membris velut aliqua ægritudo lethalis, mors ipsa concepta est; mutavitque illam qualitatem, qua corpori sic dominabantur, ut non dicerent, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; quia etsi nondum spiritale, sed animale corpus erat, nondum tamen erat mortis hujus, de qua & cum qua nati sumus. Quid enim aliud, non dicam nati, sed omnino concepti, nisi ægritudinem quamdam inchoavimus, qua sumus necessariò morituri: neque enim tam necesse est eum ipso morbo mori, qui hydrops, vel dysentericus, vel elephantiosus factus fuerit, quàm eum qui hoc corpus habere cœperit, in quo omnes homines naturâ sunt filij iræ, quia hoc non fecit nisi pœna peccati.

Rom. 7. 23. *Eph. 2. 3.*

18. Quæ cùm ita sint, cur non credamus illos homines ante peccatum ita genitalibus membris ad procreandos filios imperare potuisse, sicut ceteris, quæ in quolibet opere anima sine ulla molestia, & quasi pruritu voluptatis movet? Si enim Creator omnipotens ineffabiliterque laudandus, qui & in minimis suis operibus magnus est, apibus donavit, ut sic operentur generationem filiorum, quemadmodum ceræ speciem liquoremque mellis; cur incredibile videatur primis hominibus talia fecisse corpora, ut si non peccassent, & morbum quemdam, quo morerentur, continuò non concepissent, eo nutu imperarent membris, quibus fetus exoritur, quo pedibus cùm ambulatur, ut neque cum ardore seminaretur, neque cum dolore pareretur. Nunc verò transgrediendo præceptum, motum legis illius, quæ repugnat legi mentis, in membris conceptæ mortis habere meruerunt; quem nuptiæ ordinant, continentia cohibet & refrenat, ut QUEMADMODUM de peccato factum est supplicium, sic de supplicio fiat meritum.

CAPUT XI. Femineus sexus conformatus propter sobolem, non tamen cum libidine, nisi homo peccasset, procreandam. *Gen. 3. 1. & 25.*

19. FACTAM itaque feminam viro, de viro, in eo sexu, in ea forma & distinctione membrorum, qua feminæ notæ sunt, quæ peperit Caïn & Abel, & omnes fratres eorum, ex quibus omnes homines nascerentur, in quibus peperit etiam Seth, per quem ventum est ad Abraham & ad populum Israël, gentemque omnibus jam notissimam gentibus, & per Noë filios omnes gentes, quisquis dubitaverit, omnia cogit nutare quæ credimus, longéque à fidelium mentibus repellendus est. Cùm ergo quæritur ad quod adjutorium factus sit ille sexus viro, diligenter, quantum valeo, cuncta consideranti, nonnisi caussa prolis occurrit, ut per eorum stirpem terra impleretur; sed non eo modo procreatam, quo nunc procreantur homines, cùm inest peccati lex in membris repugnans legi mentis, etiamsi per Dei gratiam virtute superatur. hoc enim esse non potuisse credendum est, nisi in corpore mortis hujus, quod corpus mortuum est propter peccatum. Et quid hac pœnâ justius, quàm ut non ad omnem nutum serviat corpus, id est suus famulus animæ, sicut Domino suo detrectavit ipsa servire; sive utrumque ex parentibus creet Deus, corpus ex corpore, animam ex anima; sive alio modo faciat animas: non utique ad opus impossibile, nec mercede parva, ut cùm anima pietate Deo subdita legem istam peccati, quæ est in membris corporis mortis hujus, quam primus homo accepit in pœnam, vicerit ipsa per gratiam, præmium cæleste percipiat majore gloriâ, demonstrans quanta sit laus obedientiæ, quæ alienæ inobedientiæ pœnam potuit virtute superare.

Rom. 7. 23 *Rom. 8. 10.* Obedientia.

CAPUT XII. Animalia verè adducta esse ad Adam, ut iis nomina imponeret: sed hac re gesta aliquid figurari. *Gen. 3. 19.*

20. SED quoniam cui adjutorio femina facta sit viro, satis, quantum existimo, requisitum est; illud jam videamus, quare sit factum, quòd adductæ sunt ad Adam omnes bestiæ agri, & omnia volatilia cæli, ut eis nomina imponeret; atque ita velut necessitas oriretur creandi ei feminam ex ejus latere, cùm inter illa animalia simile illi adjutorium non fuisset inventum. Videtur enim mihi propter aliquam significationem propheticam factum, sed tamen factum, ut re gestâ confirmatâ figuræ interpretatio libera relinquatur. Quid est enim hoc ipsum quod volatilibus terrestribusque animantibus, non etiam piscibus atque omnibus natatilibus Adam nomina imposuit? Si enim linguæ humanæ consulantur, sic appellantur hæc omnia, quemadmodum eis homines loquendo nomina imposuerunt. Non solùm hæc quæ sunt in aquis & terris, verùm etiam ipsa terra & aqua & cælum, & quæ videntur in cælo, & quæ non videntur sed creduntur, pro diversitate linguarum gentilium, diversis nominibus appellantur. Unam sanè linguam primitus fuisse didicimus, antequam superbia turris illius post diluvium fabricatæ, in diversos signorum sonos humanam divideret societatem. Quæcumque autem illa lingua fuerit, quid attinet quærere? Illâ certè tunc loquebatur Adam, & in ea lingua, si adhuc usque permanet, sunt istæ voces articulatæ, quibus primus homo animalibus terrestribus & volatilibus nomina imposuit. Num igitur ullo modo credibile est, in eadem lingua nomina piscium non ab homine, sed divinitus instituta, quæ Deo docente homo postea disceret? Quod si ita etiam factum esset, quare ita factum esset, procul dubio mystica significatio resonaret. Sed credendum est, paulatim cognitis piscium generibus nomina imposita: tunc autem cùm pecora, & bestiæ, & volatilia ad hominem adducta sunt, ut eis ad se congregatis, generatimque distinctis, nomina imponeret, quibus etiam ipsis paulatim, & multo citiùs quàm piscibus, si hoc factum non esset, posset nomina imponere, quid fuit caussæ, nisi ratio aliquid significandi, quod ad prænuntiationem futurorum valeret? Cui rei maximè ordo narrationis hujus invigilat.

Gen. 11. 1.

21. Deinde numquid ignorabat Deus, nihil tale se creasse in naturis animalium, quod simile adjutorium posset esse homini? An opus erat, ut hoc etiam ipse homo cognosceret, & eo commendatiorem haberet uxorem suam, quòd in omni carne creata sub cælo, & de hoc aëre sicut ipse viventes nihil ejus simile invenerit? Mirum si hoc scire non posset, nisi omnibus ad se adductis atque perspectis. Si enim Deo credebat, posset hoc illi eo modo dicere, quomodo & præceptum dedit, quomodo & peccantem interrogavit, atque judicavit. Si autem non credebat, profectò neque hoc scire poterat, utrùm ad eum omnia ille, cui non credebat,

adduxerit, an fortè in aliquibus ab illo remotiori- A bus terræ partibus aliqua ei similia, quæ non demonstrasset, absconderit. Non itaque arbitror dubitandum hoc alicujus propheticæ significationis gratiâ factum, sed tamen factum.

22. Neque hoc opere suscepimus prophetica ænigmata perscrutari, sed rerum gestarum fidem ad proprietatem historiæ commendare, ut quod impossibile videri vanis atque incredulis potest, aut ipsi auctoritati sanctæ Scripturæ velut testificatione contraria repugnare, id pro meis viribus, quan- B tum Deus adjuvat, differendo demonstrem, neque impossibile esse, neque contrarium; quod autem possibile quidem apparet, nec habet ullam speciem repugnantiæ, sed tamen quasi superfluum, vel etiam stultum quibusdam videri potest, hoc ipsum disputando demonstrem, quòd ideo [a] non tamquam rerum gestarum naturali vel usitato ordine factum est, ut cordibus nostris fidelissima sanctarum Scripturarum auctoritate prælata, quia stultum esse non potest, mysticum esse credatur, C quamvis ejus expositionem vel inquisitionem aut alibi jam exhibuerimus, aut in tempus aliud differamus.

CAPUT XIII. Formatio mulieris eo modo quo narratur facta est, ut quidpiam præsentiaretur. 2. Sent. dist. 18. cap. Cùm autem cum seq.

23. QUID ergo sibi vult etiam illud, quòd mulier viro de latere facta est? Verùm esto propter ipsius conjunctionis vim commendandam hoc ita fieri oportuisse credamus; numquid etiam ut dormienti fieret, eadem ratio vel necessitas flagitabat; ut denique osse detracto, in cujus locum caro suppleretur? Num enim non potuit ipsa caro D detrahi, ut inde congruentiùs, quòd sit sexus infirmior, mulier formaretur? An verò tam multis additis, costam Deus ædificare potuit in mulierem, & carnem pulpamve non potuit, qui de pulvere ipsum hominem fecit? Aut si jam costa fuerat detrahenda, cur non altera pro ea costa reposita est? Cur etiam non dictum est, finxit, aut fecit, sicut

Gen. 2. 22. in omnibus suprà operibus; sed *ædificavit*, inquit, *Dominus Deus illam costam*, non tamquam corpus humanum, sed tamquam domum? Non est itaque E dubitandum, quoniam hæc facta sunt & stulta esse non possunt, ob aliquid significandum esse facta, fructum futuri sæculi ab ipso jam primordio generis humani Deo præscio in ipsis suis operibus misericorditer prædicante; ut certo tempore servis suis, sive per hominum successiones, sive per suum Spiritum vel Angelorum ministerium revelata atque conscripta, & promittendis rebus futuris & recognoscendis impletis testimonium perhiberent: quod magis magisque in consequentibus apparebit.

CAPUT XIV. Quomodo animalia adducta ad Adam.

24. VIDEAMUS ergo, quod isto opere suscepimus, non secundùm præfigurationem rerum futurarum, sed secundùm rerum gestarum non allegoricam, sed propriam significationem, quemadmodum hæc accipi possint: *Et finxit Deus*, inquit, *adhuc de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cœli*: unde jam quod visum est, & quantum visum est, disserimus. *Et adduxit omnia ea ad Adam, ut videret quid ea vocaret.* Quomodo hæc ad- G duxerit Deus ad Adam, ne carnaliter sapiamus, adjuvare nos debet quod de bipertito opere divinæ providentiæ in libro superiore tractavimus. Neque enim sicut indagant atque adigunt venantes vel aucupantes ad retia, quæcumque animantia capiunt, ita hoc factum esse credendum est; aut vox aliqua jussionis de nube facta est eis verbis, quæ rationales animæ audientes, intelligere, atque obedire assolent. Non enim hoc acceperunt ut possint bestiæ, vel aves: in suo tamen genere obtemperant Deo; non rationali voluntatis arbitrio, sed sicut movet ille omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus, per Angelica ministeria, quæ B capiunt in verbo ejus, quid quo tempore fieri debeat: & illo non temporaliter moto, moventur ipsa temporaliter, ut in iis quæ sibi subjecta sunt, jussa ejus efficiant.

25. Omnis enim anima viva, non solùm rationalis, sicut in hominibus, verùm etiam irrationalis sicut in pecoribus, & volatilibus, & piscibus, visis movetur. Sed anima rationalis voluntatis arbitrio vel consentit visis, vel non consentit: irrationalis autem non habet hoc judicium; pro suo tamen genere atque natura viso aliquo tacta propellitur. Nec in potestate ullius animæ est, quæ illi visa veniant, sive in sensum corporis, sive in ipsum spiritum interiùs: quibus visis appetitus moveatur cujuslibet animantis. Ac sic cùm ea visa per Angelorum obedientiam desupèr ministrantur, pervenit jussio Dei non solùm ad homines, nec solùm ad aves & pecora, verùm etiam ad ea quæ sub aquis latent, sicut ad cetum, qui glutivit Jonam. Jona 2. 1. Nec solùm ad ista majora, verùm etiam ad vermiculum: nam & huic legimus divinitus jussum, Jona. 4. 7. ut radicem cucurbitæ roderet, sub cujus umbraculo Propheta requieverat. Si enim homini donavit Deus, sic eum instituens, ut etiam carnem peccati portans, possit non solùm pecora & jumenta suis usibus subdita, nec tantùm domesticas aves, sed etiam liberè [b] volitantes, quaslibet etiam sævas feras & capere, & mansuetas facere, & eis mirabiliter imperare potentiâ rationis, non corporis, cùm earum appetitus & dolores captans, paulatimque illectando, premendo, laxandoque moderans, agresti eas exuit consuetudine, & tamquam humanis moribus induit: quanto magis Angeli hoc possunt, qui jussione Dei in ipsa ejus, quam sempiternè intuentur, incommutabili veritate perspecta, moventes se per tempus, & corpora sibi subdita per tempus & locum, agilitate mirabili, & [c] visa quibus moveatur, & appetitum carnalis indigentiæ, valent efficere omni animæ vivæ, ut quò eam venire opus est, nesciens adducatur?

CAPUT XV. Formatio mulieris non per alium quàm Deum.

26. JAM ergo videamus, ipsa mulieris formatio, quæ mysticè etiam ædificatio dicta est, quemadmodum facta sit. Natura quippe mulieris creata est, quamvis ex virili, quæ jam erat, non [d] aliquo motu jam exsistentium naturarum. Angeli autem nullam omnino possunt creare naturam: solus enim unus cujuslibet naturæ, seu magnæ seu minimæ, creator est Deus, id est ipsa Trinitas, Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Aliter ergo quæritur, quemadmodum sit soporatus Adam, costaque ejus sine G ullo doloris sensu à corporis compage detracta sit. Hæc enim fortasse dicantur potuisse per Angelos fieri: formare autem vel ædificare costam, ut mulier esset, usqueadeo non potuit nisi Deus, à quo

[a] Negationem hîc restituimus ex MSS. quæ quidem in excusis immeritò rejecta fuerat ad marginem.
[b] Sic MSS. At editi, *libera voluntatis.*
[c] Editi, *& jussa quibus moveantur.* MSS. non omnes, *visa*: sed omnes, *moveatur*, scilicet anima viva.
[d] Hîc MSS. magno consensu ferunt, *non aliqui motus.* an fortè sub intelligendum est, erant?

universa natura subsistit, ut ne illud quidem carnis A supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab Angelis factum esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de terræ pulvere: non quòd nulla sit Angelorum opera, ut aliquid creetur, sed non ideo creatores sunt; quia nec agricolas creatores segetum atque arborum dicimus.

1. Cor. 3. 7. Non enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Ad hoc incrementum pertinet etiam in corpore humano, quod osse demto, locus carne suppletus est, illo scilicet opere Dei, quo naturas substituit ut sint, quo ipsos quoque Angelos creavit.

27. Opus itaque agricolæ est, ut aquam ducat cùm rigat: non autem opus ejus est, ut aqua per

Sap. 11. 21. declivia prolabatur, sed illius qui omnia in mensura & numero & pondere disposuit. Item opus agricolæ est, ut surculus avellatur ex arbore, terræque mandetur: at non opus ejus est, ut succum imbibat, ut germen emittat, ut aliud ejus solo figat, quò radicem stabiliat, aliud in auras promoveat, quò robur nutriat, ramosque diffundat; sed illius qui dat incrementum. Medicus etiam ægro corpori alimentum adhibet, & vulnerato medicamentum: primùm non de rebus quas creavit, sed quas creatas opere Creatoris invenit: deinde cibum vel potum præparare potuit & ministrare, emplastrum formare & [a] medicamento inlitum apponere; num etiam ex iis quæ adhibet, operari & creare vires vel carnem potest? Natura id agit interiore motu, nobisque occultissimo. Cui tamen si Deus subtra- D hat operationem intimam, qua eam substituit & facit, continuò tamquam exstincta, nulla remanebit.

28. Quapropter cùm Deus universam creaturam suam bipertito quodammodo opere providen-

Lib. 8. c. 9. 19. &c. tiæ, de quo in superiore libro locuti sumus, & in naturalibus & in voluntariis motibus administret, creare naturam tam nullus Angelus potest, quàm nec seipsum. Voluntas verò Angelica obedienter Deo subdita, ejusque exsecuta jussionem, natura- E libus motibus de rebus subjectis tamquam materiam ministrare, ut secundùm illas principales in verbo Dei non creatas, vel secundùm illas in primis sex dierum operibus caussaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur, more agricolandi vel medendi potest. Quale itaque ministerium Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare? Certissimè tamen dixerim, supplementum illud carnis in costæ locum, ipsiusque feminæ corpus & animam conformationemque F membrorum, omnia viscera, sensus omnes, & quidquid erat quo illa & creatura & homo & femina erat, nonnisi in illo opere Dei factum, quod Deus non per Angelos, sed per semetipsum, non operatus est & dimisit, sed ita continuanter operatur, ut nec ullarum aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum natura subsistat, si non operetur.

CAPUT XVI. Tarditas ingenij humani non assequitur opera Dei.

29. SED quoniam carnem animatam atque sentientem, quantum naturam rerum pro humano G captu experiri potuimus, non novimus nasci, nisi aut ex istis tamquam materialibus elementis, hoc est aquâ & terrâ, aut ex fruticibus vel lignorum fructibus, vel etiam ex carnibus animalium, sicut innumerabilia genera vermium sive reptilium, aut certè ex concubitu parentum, nullam autem carnem natam scimus ex carne cujuslibet animantis, quæ tam esset ei similis, ut sexu tantùm discerneretur; quærimus in rebus creationis hujus similitudinem, qua mulier de viri latere facta est, nec possumus invenire: non ob aliud, nisi quia homines quemadmodum operentur in hac terra novimus, quemadmodum autem Angeli in hoc mundo quodammodo agricolentur, non utique novimus. Nam profectò si remotâ hominum industriâ fruticum genus naturæ cursus operaretur, nihil aliud nossemus quàm ex terra nasci arbores & herbas, & ex earum seminibus, ab eis itidem in terram cadentibus: numquid innotesceret nobis quid valeret insitio, ut alterius generis lignum radice propria, poma portaret aliena, &, coalescente unitate, jam sua? Hæc per agricolarum opera didicimus, cùm ipsi creatores arborum nullo modo essent, sed naturæ cursum Deo creanti suum quoddam officium ministeriumque præberent. Nequaquam enim quidquam per eorum opera exsisteret, si hoc in Dei opere intima naturæ ratio non haberet. Quid C ergo miram, si hominem ex osse hominis factam non novimus, quando creanti Deo quemadmodum Angeli serviant ignoramus: qui nec arborem ex arboris surculo in robore alieno factam nosse possemus, si & ista Deo creanti quemadmodum agricolæ serviant, similiter nesciremus?

30. Nullo modo tamen dubitamus & hominum & arborum nonnisi Deum esse Creatorem, fideliterque credimus factam feminam ex viro, nullo interveniente concubitu, etiamsi fortè costa hominis D ministrata sit per Angelos in opere Creatoris: sicut fideliter credimus etiam virum factum ex femina nullo interveniente concubitu, cùm semen Abrahæ * dispositum est per Angelos in manu mediatoris. Gal. 3. 19. * 2. Retract. cap. 24. n. 2. Utrumque infidelibus incredibile est: fidelibus autem cur ad rei gestæ proprietatem quod de Christo factum est, & tantùm ad figuratam significationem quod de Eva scriptum est, credibile [b] videatur? b An verò sine cujusquam concubitu vir ex femina fieri potuit, femina ex viro non potuit; & virginalis uterus unde vir fieret habebat, virile autem latus unde femina fieret non habebat, cùm hîc Dominus de famula nasceretur, ibi de servo famula formaretur? Poterat & Dominus carnem suam de costa vel de aliquo membro virginis creare: sed qui posset ostendere in corpore suo hoc se iterum fecisse quod factum est, utiliùs in matris corpore ostendit nihil pudendum esse quod castum est.

CAPUT XVII. Mulieris formandæ ratio an in hominis caussali conditione ad sextum diem pertinere præexistabat. Gen. 1. 21. 2. Sent. dist. 18. cap. Sed quæritur.

31. QUOD si quæritur, quomodo se habeat caussalis illa conditio, in qua primùm hominem Deus fecit ad imaginem ac similitudinem suam; (ibi quippe & hoc dictum est, *Masculum & feminam fecit eos:*) utrùm jam illa ratio, quam mundi primis operibus concreavit, atque concrevit Deus, id habebat, ut secundùm eam jam necesse esset ex viri latere feminam fieri; an hoc tantùm habebat ut fieri posset, ut autem ita fieri necesse esset, non ibi jam conditum, sed in Deo erat absconditum: si hoc ergo quæritur, dicam quid mihi videatur sine affirmandi temeritate: quod tamen cùm dixero, fortasse prudenter ista considerantes, quos jam Christiana fides imbuit, etiam si nunc primitus ista cognoscunt, non esse dubitandum judicabunt.

32. Omnis iste naturæ usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundùm quas & spiritus vitæ, qui creatura est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos 2. Sent. dist. 18. cap. Omnium.

[a] Editi, *medicamenta ilico.* At MSS. *medicamento inlitum.*
[b] In editis, *non videatur.* abest, *non*, à MSS.

etiam mala voluntas non possit excedere. Et elementa mundi hujus corporei habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit. Ex his velut primordiis rerum, omnia quæ gignuntur, suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque & decessiones sui cujusque generis. Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem [a] motum cursumque rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quàm eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id, quod [b] non in eis posuit ut de his fieri vel ab ipso possit. Neque enim potentiâ temerariâ, sed sapientiæ virtute omnipotens est: & hoc de unaquaque re in tempore suo facit, quod ante in ea fecit ut possit. Alius ergo est rerum modus, quo illa herba sic germinat, illa sic; illa ætas parit, illa non parit; homo loqui potest, pecus non potest. Horum & talium modorum rationes, non tantùm in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque [c] concreatæ. Ut autem lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine terra & aqua repentè floreat, & fructum gignat, ut per juventam sterilis femina in senecta pariat, ut asina loquatur, & si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis, quas creavit, ut ex eis & hæc fieri possent; (neque enim ex eis vel ille faceret, quod ex eis fieri non posse ipse præfigeret, quoniam seipso non est nec ipse potentior:) verumtamen alio modo dedit, ut non hæc haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori ampliùs subjaceret.

2. Sent. dist. 18 cap. Omnium. Num. 17. 8. Gen. 21. 2. Num. 22. 28.

CAPUT XVIII. Mulieris formandæ ratio sic præexsistebat, uti erat mysterio conveniens.

33. HABET ergo Deus in seipso absconditas quorumdam factorum caussas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non illo opere providentiæ, quo naturas substituit ut sint, sed illo quo eas administrat ut voluerit, quas ut voluit condidit. Ibi est & gratia, per quam salvi fiunt peccatores. Nam quod adtinet ad naturam iniqua sua voluntate depravatam, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, qua adjuvatur, & instauratur. Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est, Omnes qui ambulant in ea, non revertentur. (Prov. 2. 19.) Dictum est enim secundùm pondus iniquitatis suæ, ut quod revertitur, qui revertitur, non sibi tribuat, sed gratiæ Dei, non ex operibus, ne fortè extollatur. (Ephes. 2. 9.)

34. Propterea mysterium gratiæ hujus Apostolus absconditum dixit, (Ephes. 3. 9.) non in mundo, in quo sunt absconditæ caussales rationes omnium rerum naturaliter oriturarum, sicut absconditus erat Levi in (Hebr. 7. 10.) lumbis Abrahæ, quando & ipse decimatus est; sed in Deo, qui universa creavit. Quamobrem omnia etiam quæ ad hanc gratiam significandam, non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt, eorum etiam absconditæ caussæ in Deo fuerant: quorum etiam [d] si unum erat, quod ita mulier facta est de latere viri, & hoc dormientis, quæ per ipsum firma facta est, tamquam ejus osse firmata, ille autem propter ipsam infirmus, quia in locum costæ non costa sed caro suppleta est; non habuit hoc prima rerum conditio, quando sexto die dictum est, *Masculum & feminam fecit eos*, (Gen. 1. 27.) ut femina omnino sic fieret; sed tantùm hoc habuit, quia & sic fieri posset, ne contra caussas, quas voluntate instituit, mutabili voluntate aliquid fieret. Quid autem fieret, ut omnino aliud futurum non esset, absconditum erat in Deo, qui universa creavit.

35. Sed quoniam sic dixit absconditum, ut innotesceret principibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei; (Ephes. 3. 9.) probabiliter creditur, sicut illud semen, cui promissum est, * dispositum est per Angelos in manu mediatoris, (*2. Retract. cap. 24. n. 2.) sic omnia, quæ ad ipsius seminis adventum vel prænuntiandum vel annuntiandum in rerum natura, præter usitatum naturæ cursum mirabiliter facta sunt, ministrantibus Angelis esse facta: ut tamen ubique creator vel reparator creaturarum non sit, nisi qui plantatore & rigatore quolibet solus incrementum dat Deus. (1. Cor. 3. 7.)

CAPUT XIX. Ecstasis Adæ.

36. AC per hoc etiam illa ecstasis quam Deus immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, ut & ipsius mens per ecstasim particeps fieret tamquam Angelicæ curiæ, (Gen. 2. 21.) & intrans in sanctuarium Dei intelligeret [e] in novissima. Denique evigilans tamquam prophetiæ plenus, cùm ad se adductam [f] costam, mulierem suam videret, eructuavit continuò, quod magnum sacramentum commendat Apostolus, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumta est: & propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* (Gen. 2. 23. Ephes. 5. 31.) Quæ verba cùm primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tamen in Evangelio Deum dixisse declaravit. Ait enim, Non legistis, quia qui fecit [g] ab initio, masculum & feminam fecit eos: & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: (Matth. 19. 4.) ut hinc intelligeremus propter ecstasim, quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitus tamquam Prophetam dicere potuisse. Sed jam iste hujus libri terminus placet, ut ea quæ sequuntur, ab alio exordio renovent intentionem legentium.

[a] MSS sex, *modum*.
[b] Sic MSS. omnes. At excusi sublata negatione perperam ferebant: *quod in eis posuit, ut de his fieri vel absque ipso possit*.
[c] MSS. *concreta*.
[d] Sic MSS. Editi verò habent, *etiam summum erat*.
[e] Editi, *intelligeret novissima*. At MSS. *in novissima*: uti passim Augustinus in Psal. 72. 17. juxta græc. interp. LXX. συνῶ εἰς τὰ ἔσχατα.
[f] Nonnulli codices omittunt, *costam*. Et paulò pòst MSS. pervetusti scriptum habent, *eructuavit*.
[g] Vulgata versio in Evangelio addit hìc, *hominem*. quæ vox abest à græco textu, immo & à latino in Germanensibus bibliis MSS. nec non ab omnibus libris in hoc opere Augustini.

LIBER DECIMUS.

In quo tractatur de animarum origine.

CAPUT I. Animam mulieris ex anima viri factam esse quorumdam opinio.

1. JAM quidem ordo ipse videtur exposcere, ut de peccato primi hominis disseramus: sed quia de carne mulieris, quemadmodum facta sit, Scriptura narravit, tacuit autem de anima, multo magis nos fecit intentos, ut de hoc diligentiùs inquiramus, quonam modo refelli possint, sive non possint, qui credunt animam de anima hominis, sicut carnem de carne fieri, à parentibus in filios utriusque rei transfusis seminibus.

Hinc enim primitus ad hoc moventur, ut dicant, quòd unam animam Deus fecerit, sufflando in faciem hominis, quem de pulvere finxerat, ut ex illa jam ceteræ crearentur animæ hominum, sicut ex illius carne omnis etiam caro hominum. Quoniam primò Adam formatus est, deinde Eva: & ille quidem unde habuerit corpus, unde animam, dictum est, corpus videlicet pulverem terræ, animam verò flatum Dei: at illa de illius latere cùm facta dicatur, non dicitur quòd eam Deus flando similiter animaverit, tamquam utrumque de illo ductum sit, qui jam fuerat animatus. Aut enim taceri oportuit, inquiunt, etiam de anima viri, ut eam, sicut possemus, datam divinitus, vel intelligeremus, vel certè crederemus: aut si hoc propterea Scriptura non tacuit, ne animam quoque sicut carnem hominis de terra factam esse putaremus, debuit & de mulieris anima non taceri, ne putaretur ex traduce, si hoc verum non est. Quapropter ideo tacitum est, inquiunt, quòd in ejus faciem flaverit Deus, quia illud verum est, quòd & anima ex homine propagata est.

2. Huic suspicioni facilè occurritur. Si enim propterea putant animam mulieris ex anima viri factam, quia non scriptum est, quòd in mulieris faciem flaverit Deus; cur credunt ex viro animatam feminam, quando ne id quidem scriptum est? Unde si Deus omnes animas hominum nascentium sicut primam facit, propterea Scriptura de aliis tacuit, quoniam posset quod in una factum commemoratum est, etiam de ceteris prudenter intelligi. Itaque si oportuit nos per hanc Scripturam de hac re aliquid admoneri, magis si aliquid aliud fiebat in femina, quod in viro factum non erat, ut ex carne animata ejus anima duceretur, non sicut viri ejus aliunde corpus, aliunde anima; hoc ipsum quod alio modo fiebat, Scriptura potiùs tacere non debuit, ne hoc itidem factum putaremus, quod jam de illo didiceramus. Proinde quia non dixit ex anima viri factam esse animam mulieris, convenientiùs creditur eo ipso nos admonere voluisse, nihil hîc aliud putare, quàm de viri anima noveramus, id est similiter datam esse mulieri: cùm præsertim esset evidentissimæ occasionis locus, ut si non tunc quando formata est, postea certè diceretur, ubi ait Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. (Gen. 2. 23.) Quanto enim cariùs amantiùsque diceret, & anima de anima mea? Non tamen hinc tam magna quæstio jam soluta est, ut unum horum manifestum certumque teneamus.

CAPUT II. Quid in superioribus libris investigatum circa originem animæ.

3. QUAMOBREM primùm videndum est, utrùm sancta Scriptura libri hujus, ab ejus exordio pertractata, hinc nos dubitare permittat: tunc rectè fortasse requiremus, aut quænam sententia potiùs eligenda sit, aut in rei hujus incerto quem modum tenere debeamus. Certè enim sexto die *fecit Deus hominem ad imaginem suam*; (Gen. 1. 27.) ubi etiam dictum est, *Masculum & feminam fecit eos*. Quorum illud superius, ubi imago Dei commemorata est, secundùm animam; hoc autem, ubi sexûs differentia, secundùm carnem accipiebamus. (Lib. 6. & 7.) Et quoniam tot ac tanta testimonia, quæ ibi considerata atque tractata sunt, nos non sinebant eodem ipso sexto die etiam formatum de limo hominem mulieremque de latere ejus accipere, sed hoc postea factum esse post illa primitus opera Dei, in quibus creavit omnia simul; (Eccli. 18. 1.) quæsivimus quid de hominis anima crederemus, discussisque omnibus disceptationis nostræ partibus, illud credibilius vel tolerabilius dici visum est, quod ipsa hominis anima in illis operibus facta est, corporis verò ejus in mundo corporeo tamquam in semine ratio: ne cogeremur contra verba Scripturæ aut sexto die totum factum dicere, id est & de limo virum, & de ejus latere feminam; aut in illis sex dierum operibus nullo modo esse factum hominem; aut corporis humani caussalem rationem tantummodo factam, animæ autem nullam, cùm potiùs secundùm ipsam sit homo ad imaginem Dei: aut certè etsi non contra verba Scripturæ apertè posita, tamen durè atque intolerabiliter diceremus, vel in ea creatura spiritali, quæ ad hoc tantummodo creata esset, factam fuisse animæ humanæ rationem, cùm ipsa creatura, in qua ista ratio facta diceretur, non commemoraretur in operibus Dei; vel in aliqua creatura, quæ in illis commemoraretur operibus, factam rationem animæ, velut in hominibus, qui jam sunt, facta ratio latet generandorum filiorum: ac sic eam vel Angelorum filiam, vel quod est intolerabilius, alicujus elementi corporei crederemus.

CAPUT III. Originis animarum triplex modus.

4. SED nunc si ob hoc mulier non de viro, sed similiter ut ille, à Deo factam animam asseritur accepisse, quia singulas singulis Deus facit, non erat facta in illis primis operibus anima feminæ: aut si generalis omnium animarum ratio facta fuerat, sicut in hominibus ratio gignendi, reditur ad illud durum ac molestum, ut vel Angelorum, vel quod indignissimum est, cæli corporei, vel alicujus etiam inferioris elementi filias animas hominum esse dicamus. Ac per hoc videndum est, etsi latet quid verum sit, quid saltem tolerabilius dici possit, utrùm hoc quod modò dixi; an in illis primis Dei operibus unam animam primi hominis factam, de cujus propagine omnes hominum animæ crearentur; an novas subinde animas fieri, quarum nulla vel ratio facta præcesserit in primis illis sex dierum operibus Dei. Horum autem trium duo priora non repugnant primis illis conditionibus, ubi simul omnia creata sunt. (Eccli. 18. 1.) Sive enim in aliqua creatura tamquam in parente ratio animæ facta sit, ut omnes animæ ab illa generentur, à Deo autem creentur, quando singulis hominibus dantur, sicut à parentibus corpora; sive non ratio animæ velut in parente ratio prolis, sed ipsa omnino cùm factus est dies facta sit anima, sicut ipse dies, sicut cælum & terra, & luminaria cæli; congruenter dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem suam*. (Gen. 1. 27.)

5. Hoc verò tertium quomodo non repugnet ei sententiæ, qua & sexto die factus accipitur homo ad imaginem Dei, & post diem septimum visibiliter creatus, non tam facilè videri potest. Novas quippe animas fieri, quæ neque ipsæ, neque ratio earum, tamquam in parente prolis, sexto illo die facta sit, cum his operibus, à quibus consummatis & inchoatis Deus in die septimo requievit, si dixerimus, cavendum est ne frustra tam diligenter Scriptura commendet sex diebus consummasse Deum omnia opera sua, quæ fecit bona valde, si aliquas adhuc naturas fuerat creaturus, quas nec ipsas nec earum ibi rationes caussaliter fecerit: nisi intelligatur, rationem quidem singillatim faciendarum animarum nascentibus quibusque dandarum in seipso habere, non in creatura aliqua condidisse; sed quia non alterius generis creatura est anima, quàm illius secundùm quam sexto die factus est homo ad imagi-

nem Dei, non rectè [a] dici Deum ea facere nunc, quæ tunc non consummavit. Jam enim tunc animam fecerat, quales & nunc facit; & ideo non aliquod novum creaturæ genus nunc facit, quod tunc in suis consummatis operibus non creavit: nec contra illas caussales rationes rerum futurarum, quas universitati tunc indidit, hæc ejus operatio est, sed potiùs secundùm ipsas; quandoquidem corporibus humanis, quorum ex illis primis operibus propagatio continuatâ successione protenditur, tales congruit animas inseri, quales nunc facit atque inserit.

6. Quapropter jam nihil timentes, ne contra verba libri hujus, quæ de prima illa sex dierum conditione conscripta sunt, quælibet harum trium sententiarum probabilitas vicerit, sentire videamur, suscipiamus diligentiorem quæstionis hujus pertractationem, quantum adjuvat Deus: ne fortè fieri possit, ut si non liquidam, de qua dubitari ultrà non debeat, tam certè acceptabilem de hac re sententiam nanciscamur, ut eam tenere donec certum aliquid elucescat, non sit absurdum. Quòd si ne hoc quidem potuerimus, documentorum momentis undique pariterque nutantibus, saltem non videbitur nostra dubitatio laborem devitasse quærendi, sed affirmandi temeritatem: ut me, si quis rectè jam certus est, docere dignetur; si quem verò nec divini eloquij, nec perspicuæ rationis auctoritas, sed sua præsumtio certum fecerat, dubitare mecum non dedignetur.

CAPUT IV. De animæ natura & origine quid certũ.

7. Ac primùm illud firmissimè teneamus, animæ naturam nec in naturam corporis converti, ut quæ jam fuit anima fiat corpus; nec in naturam animæ irrationalis, ut quæ fuit anima hominis, fiat pecoris; nec in naturam Dei, ut quæ fuit anima, fiat quod est Deus: atque ita vicissim nec corpus, nec animam irrationalem, nec substantiam quæ Deus est, converti & fieri animam humanam. Illud etiam non minùs certum esse debet, animam non esse nisi creaturam Dei. Quapropter si neque de corpore, neque de anima irrationali, neque de seipso Deus animam hominis fecit, restat ut aut de nihilo eam faciat, aut de aliqua spiritali, tamen rationali creatura. Sed de nihilo fieri aliquid consummatis operibus, quibus creavit omnia simul, violentum est velle monstrare; & utrùm perspicuis documentis obtineri possit ignoro. Nec exigendum est à nobis, quod vel comprehendere homo non valet; vel si jam valeat, mirum si persuadere cuiquam potest, nisi tali, qui etiam nullo homine docere conante, potest etiam ipse tale aliquid intelligere. Tutius est igitur de hujusmodi rebus non humanis agere conjecturis, sed divina testimonia perscrutari.

Eccli. 18. 1.

CAPUT V. Anima nec ex Angelis, nec ex elementis, nec ex Dei substantia.

8. Quod ergo ex Angelis, tamquam parentibus Deus creet animas, nulla mihi de canonicis libris occurrit auctoritas. Multo minùs itaque ex mundi corporeis elementis: nisi fortè illud movet, quod apud Ezechielem prophetam, cùm demonstratur resurrectio mortuorum, redintegratis corporibus, ex quatuor ventis cæli advocatur spiritus, quo perflante vivificentur, ut surgant. Sic enim » scriptum est, Et dixit mihi Dominus, Propheta » super spiritum, propheta fili hominis, & dic ad » spiritum, Hæc dicit Dominus, A quatuor parti» bus ventorum cæli veni, & inspira in mortuos hos, » & vivant: Et prophetavi, sicut præcepit mihi Do» minus, & introivit spiritus vitæ in eos, & revixe-

Ezech. 37. 9.

a Editi, *dicimus*. sed concinniùs MSS. *dici*.

runt, & steterunt super pedes suos, congregatio » multa valde. Ubi mihi videtur propheticè significatum, non ex illo tantùm campo ubi res ipsa demonstrabatur, sed ex toto orbe terrarum resurrecturos homines, & hoc per flatum quatuor mundi partium fuisse figuratum. Neque enim etiam flatus ille ex corpore Domini, substantia erat Spiritus-sancti, quando sufflavit & ait, Accipite Spiritum-sanctum: sed utique significatum est, sic etiam ab ipso procedere Spiritum-sanctum, quomodo ab ejus corpore flatus ille processit. Sed quia mundus non ita Deo coaptatur ad unitatem personæ, sicut caro illa Verbo ejus unigenito Filio; non possumus dicere ita esse animam de substantia Dei, quemadmodum flatus ille à quatuor ventis de natura mundi factus est: sed tamen aliud eum fuisse, aliud significasse puto; quod exemplo flatus ex corpore Domini procedentis rectè intelligi potest: etiamsi Ezechiel propheta illo loco non resurrectionem carnis, qualis propriè futura est, sed inopinatam desperati populi reparationem per Spiritum Domini, qui replevit orbem terrarum, figuratâ revelatione prævidit.

Johan. 20. 22.

Sap. 1. 7.

CAPUT VI. Opiniones de anima duæ ad Scripturæ testimonia expendendæ.

9. Illud ergo jam videamus, cuinam potiùs sententiæ divina testimonia suffragentur, ei-ne qua dicitur animam unam Deum fecisse, & dedisse primo homini, unde ceteras faceret, sicut ex ejus corpore cetera hominum corpora; an ei qua dicitur singulas singulis facere, sicut illi unam, non ex illa ceteras. Illud enim quod per Isaiam dicit, Omnem flatum ego feci, cùm hoc eum de anima dicere, quæ sequuntur satis ostendant, ad utrumque accipi potest. Nam sive ex una primi hominis anima, sive ex aliquo suo secreto, omnes procul dubio animas ipse facit.

Isaiæ 57. 16.

10. Et illud quod scriptum est, Qui finxit singillatim corda eorum, si nomine cordium voluerimus animas intelligere, neque hoc repugnat cuiquam duorum, de quibus nunc ambigimus. Sive enim ex una illa, quam flavit in faciem primi hominis, ipse utique singulas fingit, sicut etiam corpora; sive singulas vel fingat & mittat, vel in eis ipsis, quibus miserit, eas fingat: quamquam hoc non mihi videatur dictum, nisi ex eo quòd per gratiam nostræ animæ ad imaginem Dei renovatione formantur. Unde dicit Apostolus, Gratia enim salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed » donum Dei est, non ex operibus, ne fortè quis ex- » tollatur. Ipsius enim sumus figmentum creatum in » Christo Jesu in operibus bonis. Non enim per hanc » gratiam fidei corpora nostra creata vel ficta possumus intelligere, sed sicut in Psalmo dictum est, Cor mundum crea in me Deus.

Psal. 32. 15.

Ephes. 2. 8.

Psal. 50. 12.

11. Hinc etiam illud esse puto, Qui finxit spiritum hominis in ipso; tamquam aliud sit factam animam mittere, aliud in ipso homine facere, id est reficere ac renovare. Sed etiam hoc si non de gratia, in qua renovamur, sed de natura in qua nascimur intelligamus, ad utramque sententiam duci potest: quia vel ex una illa primi hominis tamquam semen animæ adtractum ipse fingit in homine, ut vivificet corpus; sive spiritum vitæ, non ex illa propagine, sed aliunde corpori infusum, ipse itidem fingit per mortales sensus carnis, ut fiat homo in animam vivam.

CAPUT VII. Utri opinioni faveat illud, *Sortitus sum animam bonam, Sap. 8. 19.*

12. Illud sanè de libro Sapientiæ, ubi ait, Sortitus sum animam bonam, & cùm essem magis

bonus, veni ad corpus incoinquinatum; diligentiorem considerationem flagitat. Magis enim videtur adtestari opinioni, qua non ex una propagari, sed desupèr animæ venire creduntur ad corpora. Verumtamen quid est, Sortitus sum animam bonam? quasi aut in illo animarum fonte, si ullus est, aliæ sint animæ bonæ, aliæ non bonæ, quæ sorte quadam exeant, quænam cui homini tribuatur; aut alias Deus ad horam conceptorum vel nascentium faciat bonas, alias non bonas, quarum quisque habeat sorte, quæ acciderit. Mirum si hoc eos saltem adjuvat, qui credunt animas alibi factas, singillatim mitti à Deo singulis quibusque corporibus hominum, ac non illos potiùs, qui pro meritis operum, quæ ante corpus egerunt, in corpora mitti animas dicunt. Secundùm quid enim aliæ bonæ aliæ non bonæ venire ad corpora possunt putari, nisi secundùm opera sua? Neque enim secundùm naturam, in qua fiunt ab illo, qui omnes naturas bonas facit. Sed absit ut contradicamus Apostolo, qui dicit nondum natos nihil egisse boni aut mali, unde confirmat non potuisse ex operibus dici, sed ex vocante, Major serviet minori; cùm de geminis ageret adhuc in Rebeccæ utero constitutis. Sequestremus ergo paululùm hoc de libro Sapientiæ testimonium: neque enim negligendi sunt, seu errent, seu verum sapiant, qui hoc specialiter & singulariter de anima illa dictum putant mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu. Quod, si necesse fuerit, quale sit postea considerabimus, ut si Christo convenire non potuerit, quæramus quemadmodum id accipere debeamus, ne contra Apostolicam veniamus fidem, putantes habere animas aliqua merita operum suorum, priusquam incipiant in corporibus vivere.

Sortitus sum animam bonam, &c.

Rom. 9. 11.

CAPUT VIII. Neutri sententiæ adversari illud Psal. 103. 29. *Auferes spiritum &c.*

13. Nunc illud videamus, quemadmodum dictum sit, Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum convertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & innovabis faciem terræ. Pro illis enim qui arbitrantur animas ex parentibus sicut corpora creari, hoc videtur sonare, cùm sic intelligatur, ut spiritum eorum propterea dixerit, quòd eum homines ex hominibus acceperint: qui cùm mortui fuerint, non eis poterit ab hominibus reddi, ut resurgant; quia non rursus, quemadmodum quando nati sunt, à parentibus ducitur, sed Deus eum reddet, qui resuscitat mortuos. Ac per hoc eumdem spiritum dixit eorum cùm moriuntur, Dei autem cùm resurgunt. Quod possunt illi, qui non ex parentibus, sed Deo mittente, animas venire asserunt, pro sua opinione sic intelligere, ut eorum dixerit spiritum cùm moriuntur, quia in eis erat, & ab eis exit; Dei autem cùm resurgunt, quod ab ipso mittitur, ab ipso redditur. proinde hoc etiam testimonium neutris eorum adversatur.

2. Machab. 7. 23.

14. Ego verò arbitror meliùs intelligi hoc dictum de gratia Dei, qua interiùs renovamur. Omnium enim superborum secundùm terrenum hominem viventium, & de sua vanitate præsumentium, quodammodo aufertur spiritus proprius, cùm exuunt se veterem hominem, & infirmantur, ut perficiantur expulsâ superbiâ, dicentes Domino per humilem confessionem, [a] Memento quia pulvis sumus: quibus dictum erat, Quid superbit terra & cinis? Per oculum quippe fidei contuentes Dei justitiam, ut non velint constituere suam, semetipsos despiciunt, sicut Job dicit, & distabescunt, & æstimant se terram & cinerem: hoc est enim, Et in pulverem suum convertentur. Accepto autem Spiritu Dei, dicunt, Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus. Sic innovatur facies terræ, per novi Testamenti gratiam, numerositate sanctorum.

Psal. 102. 14.

Eccli. 10. 9.

Rom. 10. 3.

Job.

Gal. 2. 20.

CAPUT IX. Item illud Eccle. 12. 7. *Et convertatur &c.* inter utramque opinionem consistere.

15. Illud etiam quod apud Ecclesiasten scriptum est, Et convertatur pulvis in terram, sicut fuit, & spiritus revertatur ad Deum, qui dedit eum, neutri sententiæ contra alteram suffragatur, sed inter utramque consistit. Cùm enim isti dixerint hinc probari non à parentibus, sed à Deo animam dari, quòd converso pulvere in terram suam, id est carne, quæ de pulvere facta est, revertetur spiritus ad Deum, qui dedit illum; Respondent illi, Utique ita est. Redit enim spiritus ad Deum, qui eum dedit homini primo, quando in ejus faciem sufflavit, converso pulvere, id est humano corpore in terram, unde primitus factum est. Neque enim ad parentes erat spiritus rediturus, quamvis inde sit creatus ex illo uno, qui homini primo datus est: sicut nec ipsa caro post mortem ad parentes revertitur, à quibus eam certè constat esse propagatam. Quemadmodum ergo caro non redit ad homines, ex quibus creata est, sed ad terram unde primo homini formata est: ita & spiritus non redit ad homines, à quibus transfusus est, sed ad Deum, à quo primæ illi carni datus est.

Gen. 2. 7.

Gen. 3. 19.

16. Quo testimonio sanè satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra: & ideo cùm redit, non habet quò redeat, nisi ad auctorem qui eam dedit; non ad eam creaturam, ex qua facta est, sicut corpus ad terram. Nulla est enim creatura, ex qua facta est, quia ex nihilo facta est: ac per hoc ad factorem redit quæ redit, à quo ex nihilo facta est. Non enim omnes redeunt, quoniam sunt de quibus dicitur, Spiritus ambulans, & non revertens.

Psal. 77. 39.

CAPUT X. Quæstio de anima non facilè solvitur ex Scripturis.

17. Quocirca difficile est quidem, omnia de hac re Scripturarum sanctarum testimonia colligere; quod & si fieri possit, ut non solùm commemorentur, sed etiam pertractentur, in magnam sermonis longitudinem pergunt: sed tamen nisi aliquid tam certum proferatur, quàm certa proferuntur, quibus ostenditur quòd Deus animam fecerit, vel quòd eam primo homini dederit, quonam modo per divini eloquij testimonium ista quæstio solvatur ignoro? Si enim scriptum esset, quòd similiter sufflaverit Deus in faciem formatæ mulieris, & facta fuerit in animam vivam, jam quidem plurimum lucis accederet, qua cuique formatæ carni hominis non ex parentibus dari animam crederemus: adhuc tamen exspectaretur quid propriè teneretur in prole, qui nobis modus usitatus est hominis ex homine. Prima verò mulier aliter facta est, & ideo adhuc dici posset, animam propterea non ex Adam divinitus Evæ datam, quia non ex illo tamquam proles orta est. Si autem homini, qui primus ex illis natus est, commemoraret Scriptura, non ex parentibus ductam, sed desupèr animam datam, illud jam in ceteris etiam tacente Scripturâ oporteret intelligi.

CAPUT XI. An utrique sententiæ possit ac-

18. Nunc itaque & illud consideremus, utrùm neutram confirmet sententiam, sed utrique possit accommodari, quod scriptum est, Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per

a Juxta græcum μνήσθητι. Sic etiam vetus Psalterium & Romanum, itemque Arabicum & Æthiopicum. At Vulgata, *recordatus est*.

commodari illud Rom. 5. 12. *Per unum hominem &c.*

peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Et paulo pòst, Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi. Ex his enim verbis Apostoli, qui defendunt animarum propaginem, sententiam suam sic adstruere moliuntur: Si secundùm solam carnem, inquiunt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur in his verbis ex parentibus animam credere: si autem quamvis per illecebram carnis, non tamen peccat nisi anima, quomodo accipiendum est quod dictum est, in quo omnes peccaverunt, si non ex Adam etiam anima, sicut caro, propagata est? aut quomodo per illius inobedientiam peccatores constituti sunt, si tantùm secundùm carnem in illo, non etiam secundùm animam fuerunt?

19. Cavendum est enim, ne vel Deus videatur auctor esse peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit; vel possit esse anima, præter ipsius Christi, cui liberandæ à peccato non sit Christiana gratia necessaria, quia non peccavit in Adam, si omnes in eo peccasse secundùm carnem tantùm quæ de illo creata est, non etiam secundùm animam dictum est: quod usque adeo contrarium est Ecclesiasticæ fidei, ut parentes ad percipiendam gratiam sancti baptismi etiam cum parvulis atque infantibus currant: in quibus si hoc vinculum peccati solvitur quod tantummodo carnis, non etiam quod animæ est, meritò quæritur quid eis obesset, si in illa ætate de corpore sine baptismo exirent. Si enim per hoc sacramentum corpori eorum consulitur, non & animæ, deberent & mortui baptizari: at cùm videamus hoc universaliter Ecclesiam retinere, ut cum viventibus curratur, & viventibus succurratur, ne cùm mortui fuerint nihil possit fieri quod prosit, non videmus quid aliud possit intelligi, nisi unumquemque parvulum non esse nisi Adam & corpore & anima, & ideo illi Christi gratiam necessariam. Ætas quippe illa in seipsa nihil egit vel boni vel mali: proinde ibi anima innocentissima est, si ex Adam propagata non est: unde quomodo possit justè ire in condemnationem, si de corpore sine baptismo exierit, quisquis istam sententiam de anima tenens potuerit demonstrare, mirandus est.

Baptismus infantum.

CAPUT XII. Carnalis concupiscentiæ caussam non in carne sola, sed etiam in anima esse.

20. VERISSIME quippe ac veracissimè scriptum est, Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem: sed tamen carnem sine anima concupiscere nihil posse, puto quòd omnis doctus indoctusque non dubitet. Ac per hoc ipsius concupiscentiæ carnalis caussa non est in anima sola, sed multo minùs est in carne sola. Ex utroque enim fit, ex anima scilicet, quòd sine illa delectatio nulla sentitur; ex carne autem, quòd sine illa carnalis delectatio non sentitur. Carnem itaque concupiscentem adversùs spiritum dicit Apostolus carnalem procul dubio delectationem, quam de carne & cum carne spiritus habet adversùs delectationem, quam solus habet. Solus quippe habet, nisi fallor, illud desiderium, non cum carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commixtum, quo desiderat & deficit anima in atria Domini. Solus habet etiam illud, de quo ei dicitur, Concupisti sapientiam, serva mandatum, & Dominus præbet illam tibi. Nam cùm spiritus imperat membris corporis, ut huic desiderio serviant, quo solus accenditur, velut cùm assumitur codex, cùm aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur, cùm denique panis frangitur esurienti, & cetera humanitatis ac misericordiæ præstantur officia; obedientiam caro exhibet, non concupiscentiam movet. His atque hujusmodi bonis desideriis, quibus sola anima concupiscit, cùm adversatur aliquid quod eamdem animam secundùm carnem delectat, tunc dicitur caro concupiscere adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem.

Gal. 5. 17.

Psal. 83. 3.

Eccli. 1. 33.

21. Sic enim dicta est caro in eo quod secundùm ipsam facit anima, cùm ait, Caro concupiscit, quemadmodum dictum est, Auris audit, & oculus videt. Quis enim nescit, quòd anima potiùs & per aurem audiat, & per oculum videat? Ita loquimur, & cùm dicimus, Manus tua subvenit homini, cùm aliquid porrecta manu datur, quo cuiquam subveniatur. Quòd si de ipso etiam fidei oculo, ad quem pertinet credere quæ per carnem non videntur, dictum est, Videbit omnis caro salutare Dei; non utique nisi de anima, qua vivit caro, cùm etiam per ipsam carnem nostram Christum piè videre, id est formam qua indutus est propter nos, non pertineat ad concupiscentiam, sed ad ministerium carnis, ne fortè aliquis ita velit accipere quod dictum est, Videbit omnis caro salutare Dei: quanto congruentiùs dicitur caro concupiscere, quando anima non solùm carni animalem vitam præbet, verùm etiam secundùm ipsam carnem aliquid concupiscit: quod in potestate non est ne concupiscat, quamdiu inest peccatum in membris, id est violenta quædam carnis illecebra in corpore mortis hujus, veniens de vindicta illius peccati, unde propaginem ducimus, secundùm quam omnes ante gratiam filij sunt iræ. Contra quod peccatum militant sub gratia constituti, non ut non sit in eorum corpore, quamdiu ita mortale est, ut & mortuum jure dicatur, sed ut non regnet. Non autem regnat, cùm desideriis ejus, id est his quæ secundùm carnem contra spiritum concupiscuntur, non obeditur. Proinde Apostolus numquid ait, Non sit peccatum in vestro mortali corpore? (sciebat quippe inesse peccati delectationem, quam peccatum vocat, depravatâ scilicet ex prima transgressione naturâ:) sed, Non, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus; nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.

Ephes. 2. 3.

Rom. 6. 12.

CAPUT XIII. Illa sententia de concupiscentia carnis, quàm sit expedita.

22. SECUNDUM hanc sententiam, nec rem absurdissimam dicimus, quòd caro sine anima concupiscat, nec Manichæis consentimus, qui cùm viderent, non posse carnem sine anima concupiscere, aliam quamdam animam suam ex alia natura Deo contraria carnem habere putaverunt, unde concupiscat adversùs spiritum. Nec alicui animæ non esse necessariam Christi gratiam dicere cogimur, cùm dicitur nobis, Quid meruit anima infantis, unde illi perniciosum sit non percepto Christiani baptismi sacramento exire de corpore, si nec proprium aliquod peccatum commisit, nec ex illa est, quæ in Adam prima peccavit?

23. Non enim de pueris grandiusculis agimus, quibus quidem peccatum proprium nolunt adtribuere quidam, nisi ab anni quarti-decimi articulo, cùm pubescere cœperint. Quod meritò crederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris ge-

Peccata puerorum.

nitalibus admittuntur: quis verò audeat affirmare, furta, mendacia, perjuria, non esse peccata, nisi qui talia vult impunè committere? At his plena est puerilis ætas, quamvis in eis non ita ut in majoribus punienda videantur, quòd sperentur annis accedentibus, quibus ratio convalescat, posse præcepta salutaria meliùs intelligere, eisque libentiùs obedire. Sed nunc de pueris non agimus, quorum carnalem ac puerilem voluptatem vel corporis vel animi si veritas & æquitas oppugnaverit, quibus possunt viribus dictorum atque factorum repugnant, pro qua nisi pro falsitate & iniquitate, quæ suffragari videbitur eis, vel ad percipienda quæ alliciunt, vel ad vitanda quæ offendunt. De infantibus loquimur, non quia nascuntur plerumque de [a] adulteriis; (neque enim in pravis moribus naturæ dona culpanda sunt; aut propterea non debuerunt germinare frumenta, quòd ea severit furantis manus; aut verò ipsis parentibus obfutura sit iniquitas sua, si se ad Deum convertendo correxerint, quanto minùs filiis, si rectè vixerint?) *sed illa ætas hîc vehementem quæstionem movet, cujus anima cùm peccatum nullum habeat de proprio voluntatis arbitrio, quæritur quomodo possit justificari per illius unius hominis obedientiam, si per alterius unius inobedientiam rea non est? Hæc vox eorum est, qui animas hominum ex hominibus parentibus creatas volunt, non quidem nisi à creatore Deo, sed sicut etiam corpora. Non enim & hæc parentes creant, ac non ille qui ait, Priusquam te formarem in utero, novi te.

a

*CAPUT XIV. Argumentum pro opinione animarum ex traduce desumptum ex reatu & baptismo parvulorũ discutitur.

*Jer. 1. 5.

24. Quibus respondetur, animas quidem corporibus hominum Deum novas singillatim dare, ad hoc ut in carne peccati de originali peccato veniente rectè vivendo, carnalesque concupiscentias sub Dei gratia subigendo, meritum comparent, quò cum ipso corpore in melius transferantur tempore resurrectionis, & in Christo in æternum cum Angelis vivant. Sed necesse esse, ut cùm membris terrenis atque mortalibus, maximéque de peccati carne propagatis, miro modo coaptantur, ut ea primitus vivificare, pòst etiam ætatis accessu regere possint, tamquam oblivione prægraventur. Quæ si esset quodammodo indigestibilis, Creatori tribueretur: cùm verò paulatim ab hujus oblivionis torpore anima resipiscens possit converti ad Deum suum, ejusque misericordiam & veritatem primò ipsa pietate conversionis, deinde servandi præcepti ejus perseverantiâ promereri, quid ei obest illo velut somno paululùm immergi, unde paulatim evigilans in lucem intelligentiæ, propter quam rationalis anima facta est, potest per voluntatem bonam eligere vitam bonam? quod quidem non poterit, nisi adjuverit gratia Dei per Mediatorem. Hoc si neglexerit homo, non tantùm secundùm carnem, verùm etiam secundùm spiritum erit Adam: si autem curaverit, erit Adam secundùm carnem tantummodo; secundùm spiritum autem rectè vivens, illud etiam quod de Adam culpabile tractum est, mundatum à labe peccati recipere merebitur illa commutatione, quam sanctis resurrectio pollicetur.

25. Sed antequam per ætatem possit secundùm spiritum vivere, necessarium habet Mediatoris sacramentum, ut quod per ejus fidem nondum potest, per eorum qui eum diligunt fiat. Ejus enim sacramento solvitur etiam in ætate infantili originalis pœna peccati; à quo nisi adjutus, etiam juvenis, carnalem concupiscentiam non domabit; nec eâ subjugatâ æternæ vitæ meritum apprehendet, nisi ejus dono, quem promereri studet. Ideo vivus oportet etiam infans baptizetur, ne obsit animæ societas carnis peccati, qua participatâ fit ut nihil possit anima infantis secundùm spiritum sapere. Ipsa quippe affectio gravat etiam corpore exutam, nisi cùm in corpore est, per unicum sacrificium [b] Mediatoris veri sacerdotis expietur.

b

CAPUT XV. Idem argumentum penitiùs examinatur.

26. QUID ergo, ait aliquis, si hoc non curaverint sui, vel infidelitate, vel negligentiâ? Hoc quidem etiam de majoribus dici potest. Possunt enim vel repentè emori, vel apud eos ægrotare, ubi eis quò baptizentur, nemo subveniat. Sed illi, inquit, habent etiam propria peccata, quorum indigeant remissione, quæ si dimissa non fuerint, nemo eos rectè dicet immeritò plecti pro iis, quæ in sua vita sua voluntate commiserint: illa verò anima, cui quædam contagio tracta de carne peccati, si de illa prima anima peccatrice non creata est, nullo modo imputari potest; (neque enim ullo peccato, sed naturâ qua sic facta est, & Deo dante carni data est;) cur alienabitur ab æterna vita, si baptizando infanti nemo subvenerit? An fortè nihil oberit? Quid ergo prodest ei cui subvenitur, si nihil obest cui non subvenitur?

27. Hîc pro sua caussa quid respondere possint, qui secundùm Scripturas sanctas, vel quòd apud eas inveniatur, vel quòd eis non adversetur, conantur asserere, animas novas non de parentibus tractas corporibus dari, nondum me audisse, vel uspiam legisse fateor. Non ideo sanè absentium negotium deserendum est, si quid mihi, quo adjuvari videatur, occurrerit. Possunt enim adhuc dicere, Deum præscium, quomodo quæque anima victura esset, si diutiùs in corpore viveret, ei procurare lavacri salutaris ministrationem, cujus futuram fuisse prævidet pietatem, cùm ad annos fidei capaces veniret, si non eum oporteret propter aliquam occultam caussam morte præveniri. Occultum itaque est, atque ab humano, vel certè ab ingenio meo remotissimum, cur nascatur infans, vel continuò vel citò moriturus: sed hoc ita occultum est, ut neutros adjuvet, de quorum nunc sententiis disceptamus. Illa enim explosa opinione, qua putantur animæ pro anteactæ vitæ meritis in corpora detrudi, ut ea citiùs solvi meruisse videatur, quæ non multa peccaverat, ne contradicamus Apostolo, nihil nondum natos boni vel mali egisse testanti; nec illi qui animæ traducem affirmant, possunt pro se ostendere, cur aliorum mors accelereur, retardetur aliorum, nec qui eas dari novas volunt singulis singulas. Occulta ergo ista caussa est, & utrisque pariter, quantum existimo, nec suffragatur, nec adversatur.

Rom. 9. 11.

CAPUT XVI. De eodem argumento.

28. PROINDE qui de infantium mortibus urgebantur, cur omnibus sit necessarium baptismi sacramentum, quorum animæ non ex illa ductæ sunt, cujus inobedientiâ peccatores constituti sunt multi, cùm respondent, peccatores quidem omnes constitui secundùm carnem, secundùm animam vero nonnisi eos qui eo tempore malè vixerunt, quo & bene potuissent; omnes autem animas, hoc est & infantum, ideo habere necessarium baptismi sacramentum, sine quo ex hac vita etiam in illa ætate emigrare non expedit, quia contagio peccati ex

Rom. 5. 19.

[a] In plurimis MSS. *de adulteris.*

[b] Abest vox, *Mediatoris*, à plerisque MSS. & ab editis Am. & Er.

carne peccati, qua obruitur anima, cùm his inseritur membris, oberit ei post mortem, nisi cùm adhuc in ipsa carne est, sacramento Mediatoris expietur; eique divinitus hoc auxilium procurari, quam Deus præsciit, si usque ad annos fidei congruos hîc viveret, piè fuisse victuram, quam propter aliquid quod ipse novit, & nasci voluit in corpore, & citò extraxit è corpore: cùm ergo hæc respondent, quid eis contradici potest, nisi incertos nos eorum salutis fieri, qui hac vitâ bene gestâ, in Ecclesiæ pace defuncti sunt; si non solùm secundùm id quod quisque vixit, verùm etiam secundùm id quod victurus esset, si ampliùs vivere potuisset, quisque judicandus est? quandoquidem valent apud Deum merita mala, non tantùm præteritorum, sed futurorum etiam delictorum, à quorum reatu nec mors liberat, si antequam fuerint commissa provenerit; nec aliquid ei præstitum est, *Sap. 4.11.* qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Deus enim præscius illius futuræ malitiæ, cur non eum secundùm ipsam potiùs judicaturus est, si morituræ animæ infantis, ne obesset ei ex corpore peccati participata colluvies, ideo subveniendum judicavit per baptismum, quia præscivit eam, si viveret, piè fideliterque fuisse victuram?

29. An ideo potiùs refelli hoc inventum potest, quia meum est: illi autem qui de hac sententia certos se esse confirmant, alia fortasse proferunt vel testimonia Scripturarum, vel documenta rationum, quibus hanc auferant ambiguitatem, vel certè ostendant, non esse contra id quod sentiunt illud Apostoli, quo gratiam, qua salvi efficimur, *1.Cor.15.22.* magna intentione commendans, ait, Sicut in " Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes *Rom. 5.19.* vivificabuntur. &, Sicut per inobedientiam unius " hominis peccatores constituti sunt multi, sic per " obedientiam unius hominis justi constituentur multi. Eosdemque multos peccatores, non quibusdam exceptis, sed omnes intelligi volens, superiùs ait de *Ibid. 12.* Adam, In quo omnes peccaverunt: unde utique infantum animas non posse secerni, & eo quod dictum est, omnes, & eo quod eis per baptismum subvenitur, non absurdè credunt, qui animas ex unius traduce sapiunt, nisi aliqua manifesta & liquida vel ratione, quæ Scripturis sanctis non repugnet, vel earum ipsarum Scripturarum auctoritate redarguantur.

CAPUT XVII. Testimonium ex Sap. 8.19. in utramque partem tractatur.

30. JAM itaque videamus, quantum suscepti hujus operis necessitas patitur, quale etiam illud sit, quod paulò antè distulimus. Scriptum est enim in libro Sapientiæ, Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam; & cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Cùm enim videatur illos adjuvare hoc testimonium, qui non ex parentibus creari, sed venire ad corpus vel descendere Deo mittente animas dicunt; rursus hoc impedit eorum sententiam, quod ait, Sortitus sum animam bonam; cùm procul dubio vel ex uno fonte manare quodammodo tamquam rivulos, vel pari naturâ fieri animas credant, quas Deus mittit in corpora; non autem alias bonas vel magis bonas, & alias non bonas vel minùs bonas. Unde enim bonæ aut magis bonæ, seu non bonæ aut minùs bonæ animæ, nisi vel moribus secundùm liberum voluntatis arbitrium, vel differentiâ temperaturæ corporum, dum aliæ magis, aliæ minùs gravantur *Sap. 9.15.* corpore, quod corrumpitur & aggravat animam? Sed neque actio erat aliqua singularum quarumque animarum, qua earum mores discernerentur, antequam venirent ad corpora; nec ex corpore minùs gravante potuit iste dicere animam suam bonam, qui ait, Sortitus sum animam bonam, & " cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinqui- " natum. Accessisse enim dixit bonitati, quâ bonus erat, sortitus videlicet animam bonam, ut etiam ad corpus incoinquinatum veniret. Aliunde ergo bonus antequam veniret ad corpus: sed utique non differentiâ morum, quia nullum antea vitæ gestæ meritum; non differentiâ corporis, quia priùs bonus quàm veniret ad corpus. Unde igitur?

31. Hoc autem illis, qui ex traduce animæ illius prævaricatricis animas creari asserunt, quamvis pro eis sonare non videatur, quod dictum est, Veni *Sap. 8.20.* ad corpus, tamen in ceteris non incongruè coaptatur; ut cùm dixisset, Puer autem eram ingeniosus, idipsum explicans quibus caussis ingeniosus esset, continuò subjungeret, Et sortitus sum animam bonam, videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento. Deinde, Cùm essem, inquit, ma- " gis bonus, veni ad corpus incoinquinatum: quod " si maternum intelligatur, ne hoc quidem quod dictum est, Veni ad corpus, huic opinioni refragabitur, cùm ex anima & corpore paterno venisse ad maternum corpus accipitur incoinquinatum, videlicet vel à cruore menstruo; dicuntur enim ex hoc ingenia gravari: vel à contaminatione adulterina. Ita & hæc verba libri hujus aut magis eis favent, qui animarum traducem loquuntur; aut si & isti ea possunt pro se interpretari, inter utrosque alternant.

CAPUT XVIII. De anima Christi, an possit in ipsum convenire illud Sap. 8.19. *Puer autem ingeniosus eram &c.*

32. QUÆ si de Domino secundùm humanam, quæ à Verbo assumta est, creaturam velimus accipere, sunt quidem in eadem circumstantia lectionis, quæ illi excellentiæ non conveniant; maximè illud, quia idem ipse qui hæc in eodem libro loquitur, aliquanto superiùs quàm ista verba, de quibus nunc agimus, diceret, * confessus est se ex femine viri in sanguine coagulatum: à quo nascendi modo utique alienus est Virginis partus, quam non ex femine viri carnem concepisse Christi, nullus ambigit Christianus. Sed quia & in Psalmis, ubi ait, *Psal. 21.17.* Foderunt manus meas & pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea, ipsi vero consideraverunt & con- " spexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & " super vestem meam miserunt sortem, quæ propriè illi uni congruunt; ibi etiam dixit, Deus Deus meus respice in me, ut quid me dereliquisti, longè " *Ibid. 2.* à salute mea verba delictorum meorum, quæ rur- " sus ei non conveniunt, nisi transfiguranti in se corpus humilitatis nostræ, quoniam membra sumus corporis ejus: & quia in ipso Evangelio, puer pro- *Luca 2.52.* ficiebat ætate, & sapientiâ: si possunt etiam ista, quæ circùm hanc sententiam in libro Sapientiæ leguntur, propter humilem formam servi & unitatem corporis Ecclesiæ cum capite suo, eidem ipsi Domino coaptari, quid ingeniosius illo puero, cujus in annis duodecim seniores sapientiam mirabantur? & quid illâ animâ melius, quæ, etiamsi vincant non certando, sed probando, qui animarum traducem affirmant, non erit consequens ut etiam ipsa ex illius prævaricatoris traduce venisse credenda sit; ne per illius hominis inobedientiam etiam ipse peccator constituatur, per cujus unius obedientiam ab illo reatu liberati, justi constituuntur multi? Et quid incoinquinatius illo utero Virginis, cujus caro etiamsi de peccati propagine venit, non

tamen de peccati propagine concepit, ut ne ipsum quidem corpus Christi ea lex severit in utero Mariæ, quæ in membris posita corporis mortis, repugnat legi mentis? quam sancti Patres conjugati refrenantes, non quidem nisi quousque licebat in concubitum relaxarunt; nec tamen tantummodo quousque licebat, ejus impetum pertulerunt. Proinde corpus Christi quamvis ex carne feminæ assumtum est, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Non enim accepit inde reatum moriendi, qui apparet in motu carnis non voluntario, quamvis voluntate superando, adversùs quem spiritus concupiscit: sed accepit inde, non quod contagioni prævaricationis, sed quod exsolvendæ indebitæ morti, & ostendendæ promissæ resurrectioni sufficeret: quorum unum nobis ad non timendum, alterum ad sperandum valeret.

33. Denique si à me quæratur, unde acceperit animam Jesus Christus, mallem quidem hinc audire meliores atque doctiores, sed tamen pro meo captu libentiùs responderim, [a] unde Adam, quàm de Adam. Si enim pulvis assumtus ex terra, in qua nullus hominum fuerat operatus, meruit divinitus animari; quanto magis corpus assumtum ex carne, in qua itidem nullus hominum fuerat operatus, fortitum est animam bonam, cùm illic erigeretur casurus, hîc descenderet levaturus? Et fortasse ideo *Sap. 8.19.* ait, Sortitus sum animam bonam, (si tamen hoc de illo oportet intelligi,) quia solent quæ sorte dantur, divinitus dari: aut quod fidenter dicendum est, ne vel illa anima aliquibus operibus præcedentibus ad tantum apicem subvecta putaretur, ut cum *Johan. 1.14.* ea Verbum caro fieret, & habitaret in nobis, ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum sortis nomen accessit.

CAPUT XIX. Anima Christi nõ fuit in lumbis Abrahæ, ideoque non est ex traduce. *Heb. 7.4.*

34. EST in epistola, quæ inscribitur ad Hebræos, locus quidam diligenti consideratione dignissimus. Cùm enim per Melchisedech, in quo hujus rei futuræ figura præcesserat, discerneret sacerdotium Christi à sacerdotio Levi, Videte ergo, inquit, qualis hic est, cui & decimam partem Abraham dedit de primitiis patriarcha. Et ij quidem " qui de filiis sunt Levi, sacerdotium accipientes, " mandatum habent à decimis populi secundùm Le- " gem, hoc est à fratribus suis, quamvis & ipsi ex " lumbis Abrahæ exierint: qui autem non est ex ge- " nere eorum, decimavit Abraham, & habentem " promissionem benedixit. Sine ulla autem contra- " dictione, qui minor est à majore benedicitur: & hîc " quidem decimas morientes homines accipiunt, ibi " autem qui testificatur se vivere, & sicut oportet " dicere, propter Abraham, & Levi accipiens deci- " mam decimatus est: adhuc enim in lumbis patris " sui fuit. Si ergo etiam hoc valet ad istam distantiam, quantum præemineat sacerdotio Levitico sacerdotium Christi, quòd sacerdos Christus per illum præfiguratus est, qui decimavit Abraham, in quo & ipse Levi decimatus est; profectò Christus ab eo non est decimatus. At si propterea decimatus est Levi, quia erat in lumbis Abrahæ; propterea non est decimatus Christus, quia non erat in lumbis Abrahæ. Porrò autem si non secundùm animam, sed tantùm secundùm carnem accipimus Levi fuisse in Abraham; ibi erat & Christus, quia & Christus secundùm carnem ex femine est Abrahæ; & ipse itaque decimatus est. Quid est ergo quod affertur pro magna differentia sacerdotij Christi à sacerdotio Levi, quòd Levi decimatus est à Melchisedech, cùm esset in lumbis Abrahæ, ubi & Christus erat, unde pariter decimati sunt; nisi quia necesse est intelligamus, secundùm aliquem modum ibi Christum non fuisse? Quis autem neget eum secundùm carnem ibi fuisse? Ergo secundùm animam ibi non fuit. Non est igitur anima Christi de traduce prævaricationis Adæ, alioquin etiam ipsa ibi fuisset.

CAPUT XX. Ad argumentum nunc allatum quid respondendum pro defendentibus animarum traducem.

35. HIC exsistunt, illi qui traducem animarum defendunt, & dicunt confirmatam esse sententiam suam, si Levi constat etiam secundùm animam fuisse in lumbis Abrahæ, in quo eum decimavit Melchisedech, ut possit ab eo Christus in ista decimatione discerni: qui quoniam decimatus non est, & tamen in lumbis Abrahæ secundùm carnem fuit, restat ut secundùm animam ibi non fuerit, & ideo sit consequens ut ibi Levi secundùm animam fuerit. Hoc ad me non multùm adtinet, qui utrorumque collationem adhuc audire sum paratior, quàm utrorumlibet jam confirmare sententiam. Interim Christi animam ab origine hujus traducis per hoc testimonium secernere volui. Invenient isti qui eis pro ceteris fortasse respondeant, & dicant, quod etiam me non parum movet, quamvis nullius hominis anima sit in lumbis patris sui, secundùm carnem tamen in lumbis Abrahæ constitutum Levi decimatum, & ibi constitutum secundùm carnem Christum non decimatum. Secundùm ra- *3. Sent. dist. 3. c. Cùm autem.* tionem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundùm quàm rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundùm ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahæ secundùm animam: secundùm carnem verò & Levi, & Christus; sed Levi secundùm concupiscentiam carnalem, Christus autem secundùm solam substantiam corporalem. Cùm enim sit in femine & visibilis corpulentia, & invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariæ; quia & ipsum eo modo conceptum & exortum est; Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumsit, ratio verò conceptionis ejus non à femine viri, sed longè aliter ac desuper venit. Proinde secundùm hoc quod de matre accepit, etiam in lumbis Abrahæ fuit.

36. Ille est igitur decimatus in Abraham, qui licèt secundùm carnem tantùm, sic tamen fuit in lumbis ejus, quemadmodum in sui patris etiam ipse Abraham, id est qui sic est natus de patre Abraham, quemadmodum de suo patre natus est Abraham, per legem scilicet in membris repugnantem legi mentis & invisibilem concupiscentiam, quamvis eam casta & bona jura nuptiarum non sinant valere, nisi quantum ex ea possunt generi substituendo prospicere: non autem & ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cùm ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud unde curabatur. Eadem namque caro non Abrahæ tantùm, sed ipsius primi terrenique hominis, simul habebat & vulnus prævarica-

[a] Editi, *non de Adam.* At omnes MSS. *unde Adam.*

tionis & medicamentum vulneris; vulnus prævari- A cationis in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transscribitur; medicamentum autem vulneris in eo, quod inde sine opere concupiscentiali, in sola materia corporali, per divinam conceptionis formationisque rationem de virgine assumtum est, propter mortis sine iniquitate consortium, & sine falsitate resurrectionis exemplum. Quapropter quòd anima Christi non sit ex traduce animæ illius primæ prævaricatricis, puto quòd B etiam ipsi, qui animarum traducem defendunt, consentiant; per semen quippe concumbentis patris transfundi etiam semen animæ volunt, à quo genere conceptionis Christus alienus est: & quòd in Abraham si secundùm animam fuisset, etiam ipse decimatus esset: non esse autem decimatum, Scri-
Hebr. 7. 6. ptura testatur, quæ hinc quoque sacerdotium ejus à Levitico sacerdotio distinguit.

CAPUT XXI. Christum si in Abrahamo secundùm animam fuisset, non potuisse nõ decimari.

37. AN fortè dicent, Sicut potuit ibi esse secundùm carnem & non decimari, cur non etiam C secundùm animam sine decimatione potuerit? Hîc respondetur, Quia utique simplicem animæ substantiam incrementis augeri corporalibus, nec illi putaverunt, qui eam corpus existimant, quorum in parte sunt maximè, qui eam ex parentibus creari opinantur. Proinde in corporis semine potest esse vis invisibilis, quæ incorporaliter numeros agit, non oculis sed intellectu discernenda ab ea corpulentia, quæ visu tactuque sentitur: & ipsa quantitas corporis humani, quæ utique modulum seminis D incomparabiliter excedit, satis ostendit posse inde aliquid sumi, quod non habeat illam vim seminalem, sed tantùm corporalem substantiam, quæ divinitus, non de propagine concumbentium, in carnem Christi assumta atque formata est. Hoc autem de anima quis valeat affirmare, quòd utrumque habeat, & materiam seminis manifestam, & rationem seminis occultam? Sed quid laborem in re, quæ persuaderi verbis nemini forsitan potest, nisi tantum ac tale ingenium sit, quod possit lo- E quentis prævolare conatum, nec totum exspectare à sermone? Breviter itaque colligam, si potuit & de anima fieri, quod cùm de carne diceremus, forsitan intellectum sit, ita est de traduce anima Christi, ut non secum labem prævaricationis adtraxerit: si autem sine isto reatu non posset inde esse, non est inde. Jam de ceterarum animarum adventu, utrùm ex parentibus an desupèr sit, vincant qui potuerint: ego adhuc inter utrosque ambigo, & moveor, aliquando sic, aliquando autem sic, sal- F vo eo dumtaxat, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem sive coaptationem, si ita dicenda est, quam Græci ἁρμονίαν vocant, non credam, nec quolibet ista garriente me crediturum esse confidam, adjuvante Deo mentem meam.

CAPUT XXII. Utrique opinioni de animæ origine accommodatur locus Johan. 3. 6.

38. EST aliud testimonium non negligendum quod pro se possunt proferre, qui venire desupèr animas credunt, dicente ipso Domino, Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex G spiritu spiritus est. Quid hac, inquiunt, sententiâ determinatius, non posse ex carne animam nasci? Quid est enim aliud anima, quàm spiritus vitæ, creatus utique, non creator? Contra quos illi alij, Quid enim, inquiunt, nos aliud sentimus, qui dicimus carnem ex carne, animam ex anima? Nam ex utroque constat homo, de quo utrumque venire sentimus, carnem de carne operantis, spiritum de spiritu concupiscentis: ut interim omittatur, quòd illud Dominus non de carnali generatione, sed de spiritali regeneratione dicebat.

CAPUT XXIII. Ex duabus de anima sententiis quænam præponderet.

39. HIS igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria vel penè paria ex utroque latere, rationum testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententia qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo parvulorum præponderaret. De quibus quid eis responderi possit, nondum mihi interim occurrit: si quid fortè postea Deus dederit, si quam etiam scribendi concesserit facultatem studiosis talium, non gravabor. Nunc tamen non esse contemnendum testimonium parvulorum, ut quasi refelli, si veritas contra est, negligatur, antè denuntio. Aut enim de hac re nihil quærendum est, ut sufficiat fidei nostræ scire nos, quò piè vivendo venturi sumus, etsi nesciamus unde venerimus: aut si non impudenter æstuat anima rationalis, etiam hoc nosse de seipsa, absit pervicacia contendendi, adsit diligentia requirendi, humilitas petendi, perseverantia pulsan- *Matth. 7. 7.* di; ut si nobis hoc expedire novit, qui melius quàm nos quid nobis expediat utique novit, det etiam hoc, qui dat bona data filiis suis. Consuetudo ta- Consuetudo Ecclesiæ in bapt. parvulor. men matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi apostolica esset traditio. Habet enim & illa parva ætas D magnum testimonij pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere.

CAPUT XXIV. Quid cavendum his qui opinantur animas esse ex traduce.

40. ADMONEO sanè quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas ex parentibus credant propagari, quantum possunt seipsos considerent, & interim sapiant corpora non esse animas suas. Nulla enim propior natura est, qua diligenter inspectâ, possit etiam Deus, qui supra omnem creaturam suam incommutabilis permanet, incorporaliter cogitari, quàm ea quæ ad ipsius imagi- E nem facta est: & nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens, quàm ut credito quòd anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur. Propter hoc enim corporalibus assuefacti & affecti sensibus, nolunt animam credere aliud esse quàm corpus, ne si corpus non fuerit, nihil sit: ac per hoc tanto magis timent etiam de Deo credere quòd corpus non sit, quanto magis timent Deum credere nihil esse. Ita enim feruntur in phantasias vel phantasmata imaginum, quæ cogitatio de corporibus versat, ut F his subtractis tamquam per inane pereundum sit, reformident. Ita necesse est ut & justitiam & sapientiam pingant quodammodo in cordibus suis cum formis & coloribus, quas non possunt incorporeas cogitare: nec tamen dicunt, quando justitiâ vel sapientiâ moventur, ut vel laudent eas, vel secundùm eas aliquid agant, quem colorem, quam staturam, quæ lineamenta vel quales formas conspexerint. Sed de his aliàs & multa jam diximus, & si Deus voluerit, ubi res videbitur postulare, dicemus. Nunc quod dicere cœperamus, si de traduce animarum à parentibus vel non dubitant quidam quòd ita sit, vel dubitant an ita sit, animam tamen corpus esse non audeant credere aut dicere; maximè propter quod dixi, ne Deum quoque ipsum nihil aliud opinentur esse quàm corpus, etsi excellentissimum, etsi naturæ cujusdam propriæ cetera supergredientis, corpus tamen.

41. DENIQUE

CAPUT XXV. Tertulliani error de anima.

41. DENIQUE Tertullianus, quia corpus esse A animam credidit, non ob aliud nisi quòd eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo valuit aliter sapere: qui sanè quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quàm id quod ait quodam loco, Omne corporale passibile est? De- *Tertullianus in lib. de Anima cap. 7.* buit ergo mutare sententiam, qua paulo superiùs dixerat, etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam B passibilem crederet, ut jam Christus non in carne tantùm, neque in carne & anima, sed in ipso Verbo per quod facta sunt omnia, passibilis & commutabilis esse credatur: quod absit à corde Christiano. Item cùm animæ etiam colorem daret aërium ac lucidum, ventum est ad sensus quibus eam mem-
Ibid. cap. 9. bratim quasi corpus instruere conatus est, & ait, „ Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter „ unus, habens & ille oculos & aures suas, quibus „ populus Dominum audire & videre debuerat; ha- C „ bens & ceteros artus, per quos & in cogitationibus „ utitur, & in somnis fungitur.

42. Ecce quibus auribus & quibus oculis debuit audire & videre Deum populus, quibus anima in somnis fungitur: cùm si ipsum Tertullianum quisquam videret in somnis, numquam se diceret ab eo visum, & cum eo locutum, quem vicissim ipse non vidisset. Postremò si anima seipsam videt in somnis, cùm jacentibus utique uno loco membris corporis sui, ipsa per varias imagines evagatur, quas D videt, quis eam vidit aliquando in somnis aërij coloris ac lucidi, nisi fortè ut cetera quæ similiter falsò videt? Nam & hoc potest videre: sed absit ut eam talem, cùm evigilaverit, credat: alioquin quando se aliter viderit, quod magis crebrum est, aut mutata erit anima ejus, aut nec tunc animæ videtur substantia, sed imago corporis incorporea, quæ miro modo sicut in cogitatione formatur. Quis enim Æthiops non penè semper nigrum se vidit in somnis; aut si in alio colore se vidit, non magis miratus est, si fuit cum illo memoria? Aërio tamen colore ac lucido nescio utrùm se umquam vidisset, si numquam istum legisset, vel audisset.

43. Quid quòd ducuntur homines talibus visis, & de Scripturis nobis volunt præscribere, tale aliquid esse, non animam, sed ipsum Deum, qualis figuraliter sanctorum spiritibus demonstratus est, qualis etiam in sermone allegorico ponitur? similia quippe sunt illa visa talibus dictis. Ac sic errant, constituentes in corde suo simulacra vanæ opinionis, nec intelligentes ita sanctos de suis visis talibus judicasse, qualiter judicarent si talia divinitus in figuris dicta legerent, vel audirent: sicut septem
Gen. 41. 2. 6. Act. 10. 11. spicæ & septem boves, septem anni sunt; sicut linteum quatuor lineis alligatum, vel ut discus plenus variis animalibus, orbis terrarum est cum omnibus gentibus: sic omnia cetera, & multo magis quæ de rebus incorporeis, corporalibus significantur non rebus, sed imaginibus.

CAPUT XXVI. De animæ incrementis quid Tertulliano visum.

44. NOLUIT tamen Tertullianus animam crescere substantiâ sicut corpus: afferens etiam timoris sui caussam, Ne etiam decrescere substantiâ dicatur, inquit, atque ita & defectura credatur. Et tamen quia per corpus eam localiter tendit, non invenit exitum incrementorum ejus, quam vult de *Tertul. l. de Anima c.* semine exiguo æquari corporis quantitati; & ait, 37.
„ Sed vis ejus in [a] quo naturalia peculia consita reti- a
„ nentur, salvo substantiæ modulo, quo à primordio
„ inflata est, paulatim cum carne producitur. [b] Hoc b
„ fortè non intelligeremus, nisi adhibita similitudine
„ eorum quæ videmus, planum faceret quod dicebat.
„ Constitue, inquit, certum pondus auri vel argenti
„ rudem adhuc massam: collectus habitus est illi, &
„ futuro interim minor, tamen continens intra li-
„ neam moduli totum quod natura est auri vel argen-
„ ti: dehinc cùm in laminam massa laxatur, major
„ efficitur initio suo, per dilatationem ponderis certi,
„ non per adjectionem, dum extenditur, non dum
„ augetur; etsi sic quoque augetur, dum extendi-
„ tur. Licet enim & habitu augeri, cùm statu non li-
„ cet. Tunc & splendor ipse provehitur auri vel ar-
„ genti, qui priùs fuerat quidem & in massa, sed obs-
„ curior, non tamen nullus: tunc & alij atque alij
„ habitus accedunt pro facilitate materiæ, qua du-
„ xerit eam qui agit, nihil conferens modulo nisi effi-
„ giem. Ita & animæ incrementa reputanda non sub-
„ stantiva, sed provocativa.

45. Quis hunc crederet, cum isto corde tam disertum esse potuisse? sed tremenda ista sunt, non ridenda. Ad hoc enim numquid cogeretur, si aliquid cogitare posset, quod & sit, & corpus non sit? Quid autem absurdius, quàm putare massam cujuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse dum tunditur, nisi decrescat ex altera; vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur? aut ullum esse E corpus manente naturæ suæ quantitate, quod undique crescat, nisi rarescat? Quomodo igitur implebit anima ex illa stilla seminis magnitudinem corporis, quod animat, si & ipsa corpus est, cujus substantia nullo accessu crescat? Quo modo, inquam, implebit carnem, quam vivificat, nisi tanto rarior fuerit, quanto grandius quod animaverit? Timuit videlicet, ne deficeret etiam minuendo, si crescere; & non timuit ne deficeret rarescendo, cùm crescere. Sed quid amplius immorer, quando F & sermo pergit in prolixiorem modum, quàm petit terminandi necessitas, & sententia mea jam satis sit nota, vel quid certum teneam, vel unde adhuc dubitem, & quare dubitem? Proinde & hoc volumen jam concludatur, ut quæ sequuntur deinde videamus.

[a] Apud Tertullianum, *in quæ.*

[b] Editi hîc addunt, *in membris.* quod à MSS. & à Tertulliano abest.

LIBER UNDECIMUS.

In illud Gen. 2. 25. Et erant nudi *&c. & in totum caput tertium, cujus illuſtrandi cauſſâ dicitur de conditione & caſu diaboli.*

CAPUT I. Recitato textu Geneſ. explicatur verſ. 25. cap. 2. * *Gen. 6. apud 3.*

1. *ET erant nudi ambo Adam & mulier ejus, & non pudebat illos.* * *Serpens autem erat prudentiſſimus omnium beſtiarum quæ ſunt ſuper terram, quas fecit Dominus Deus. Et dixit ſerpens mulieri, Quid, quia dixit Deus, Non edetis ab omni ligno paradiſi? Et dixit mulier ſerpenti, A fructu ligni quod eſt in paradiſo edemus, de fructu autem ligni quod eſt in medio paradiſi, dixit Deus, Non edetis ex eo, neque tangetis illud, ne moriamini. Et dixit ſerpens mulieri, Non morte moriemini: ſciebat enim Deus, quoniam quæ die manducaveritis de eo, aperientur vobis oculi, & eritis tamquam dij, ſcientes bonum & malum. Et vidit mulier quia bonum lignum ad eſcam, & quia placet oculis videre, & decorum eſt cognoſcere. Et ſumens de fructu ejus edit, & dedit viro ſuo ſecum, & ederunt. Et aperti ſunt oculi amborum, & agnoverunt quia nudi erant, & conſuerunt folia fici, & fecerunt ſibi campeſtria. Et audierunt vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad veſperam, & abſconderunt ſe Adam & mulier ejus à facie Domini Dei, in medio ligni paradiſi. Et vocavit Dominus Deus C Adam, & dixit illi, Vbi es? Et dixit ei, Vocem tuam audivi deambulantis in paradiſo, & timui, quia nudus ſum, & abſcondi me. Et dixit illi, Quis nuntiavit tibi quia nudus es, niſi à ligno quod præceperam tibi tantùm ne ex eo manducares, ab eo ediſti? Et dixit Adam, Mulier quam dediſti mecum, hæc mihi dedit de ligno, & edi. Et dixit Dominus Deus mulieri, Quid hoc feciſti? Et dixit mulier, Serpens ſeduxit me, & manducavi. Et dixit Dominus Deus ſerpenti, Quia feciſti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, & ab D omnibus beſtiis, quæ ſunt ſuper terram. Super pectus tuum & ventrem tuum ambulabis, & terram edes omnes dies vitæ tuæ. Et inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen ejus: ipſa tibi ſervabit caput, & tu ſervabis ejus calcaneum. Et mulieri dixit, Multiplicans multiplicabo triſtitias tuas & gemitum tuum. In triſtitiis paries filios, & ad virum tuum converſio tua, & ipſe tui dominabitur. Adæ autem dixit, Quia audiſti vocem mulieris tuæ, & ediſti de ligno, de quo præceperam tibi de eo ſolo non edere, E maledicta terra in operibus tuis: in triſtitiis edes illam omnes dies vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi; & edes fœnum agri. In ſudore faciei tuæ edes panem tuum, donec convertaris in terram, ex qua ſumtus es; quia terra es, & in terram ibis. Et vocavit Adam nomen mulieris ſuæ,* [a] *Vita, quoniam hæc eſt mater omnium viventium. Et fecit Dominus Deus Adam & mulieri ejus tunicas pelliceas, & induit eos. Et dixit Dominus Deus, Ecce Adam factus eſt tamquam unus ex nobis in cognoſcendo bonum & malum. Et nunc ne aliquando extendat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & edat, & vivat in æternum. Et dimiſit illum Dominus Deus de paradiſo voluptatis operari terram, ex qua ſumtus eſt. Et ejecit Adam, & collocavit eum contra paradiſum voluptatis: & ordinavit Cherubim, & flammeam rhomphæam quæ vertitur, cuſtodire viam ligni vitæ.*

2. Antequam hujus propoſitæ Scripturæ textum ex ordine pertractemus, admonendum arbitror, quod jam me & alibi in hoc opere memini *Lib. 8. cap. 1. &c.* prælocutum, illud à nobis eſſe flagitandum, ut ad proprietatem litteræ defendatur, quod geſtum narrat ipſe qui ſcripſit. Si autem in verbis Dei, vel cujuſquam perſonæ in officium propheticum aſſumtæ, dicitur aliquid quod ad litteram niſi abſurdè non poſſit intelligi, procul dubio figuratè dictum ob aliquam ſignificationem accipi debet, dictum tamen eſſe dubitare fas non eſt: hoc enim à B fide narratoris & pollicitatione expoſitoris exigitur.

3. *Erant* ergo *ambo nudi:* verum eſt, omnino *Gen. 2. 25.* nuda erant corpora duorum hominum in paradiſo converſantium: *nec pudebat eos.* Quid enim puderet, quando nullam legem ſenſerant in membris ſuis re- *Rom. 7. 23.* pugnantem legi mentis ſuæ? quæ illos pœna peccati poſt perpetrationem prævaricationis ſecuta eſt, uſurpante inobedientiâ prohibitum, & juſtitiâ puniente commiſſum. Quod antequam fieret, nudi erant, ut dictum eſt, & non confundebantur: nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur: nihil putabant velandum, quia nihil ſenſerant refrenandum. Quemadmodum propagaturi eſſent filios, jam antea diſputatum eſt: non tamen eo modo credendum eſt, quo propagaverunt *Suprà lib. 9. c. 3. & 10. &c.* poſteaquam crimen admiſſum prædicta ultio conſecuta eſt; cùm priuſquam morerentur, jam in corpore inobedientium hominum juſtiſſimo reciprocatu inobedientium membrorum tumultum mors concepta verſaret. Nondum erant tales Adam & Eva, cùm ambo nudi eſſent, & non confunderentur.

CAPUT II. Serpentis ſapientia qualis, & unde.

4. SERPENS autem *erat* ibi *prudentiſſimus* quidem, ſed *omnium beſtiarum quæ erant ſuper terram, quas fecerat Dominus Deus.* Tranſlato enim verbo dictum eſt, *prudentiſſimus*, vel ſicut plures latini codices habent, *ſapientiſſimus*, non proprio quo *Gen. 3. 1.* in bonum accipi ſolet ſapientia vel Dei, vel Angelorum, vel animæ rationalis: tamquam ſi ſapientes apes etiam formicaſque dicamus, propter opera velut imitantia ſapientiam. Quamquam iſte ſer- *2. Sent. diſt. 21. cap. 2.* pens non irrationali animâ ſuâ, ſed alieno jam ſpiritu, id eſt diabolico, poſſet ſapientiſſimus dici omnium beſtiarum. Quantumlibet enim prævaricatores angeli de ſupernis ſedibus ſuæ perverſitatis & ſuperbiæ merito dejecti ſint, naturâ tamen excellentiores ſunt omnibus beſtiis propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum ſi ſuo inſtinctu diabolus F jam implens ſerpentem, eique ſpiritum ſuum miſcens, eo more quo vates dæmoniorum [b] implere ſoler, ſapientiſſimum eum reddiderat omnium beſtiarum ſecundùm animam vivam irrationalemque viventium? Abuſione quippe nominis ita ſapientia dicitur in malo, quemadmodum in bono aſtutia; cùm propriè magiſque uſitatè in latina duntaxat lingua ſapientes laudabiliter appellentur, aſtuti autem

[a] Editi, *nomen mulieris ſuæ Evæ, id eſt Vita.* At MSS. omnes carent his verbis, *Eva id eſt*: quæ nec leguntur apud Interpr. LXX.

[b] In pleriſque MSS. *impleri ſolent.*

malè cordati intelligantur. Unde nonnulli, ſicut A in pleriſque codicibus invenimus, ad uſum latinæ locutionis, non verbum, ſed potiùs ſententiam transferentes, aſtutiorem omnibus beſtiis iſtum ſerpentem, quàm ſapientiorem dicere maluerunt. Quid autem habeat Hebræa proprietas, utrùm illic in malo, non abuſivè, ſed propriè poſſint dici & intelligi ſapientes, viderint qui eam probè noverunt. Nos tamen apertè legimus alio Scripturarum ſanctarum loco ſapientes ad malum, non ad bo- *Luca 16. 8.* num. & Dominus dicit ſapientiores eſſe filios ſæculi B filiis lucis, ad conſulendum ſibimet in poſterum, quamvis fraude, non jure.

Jerem. 4. 22.

CAPUT III. Diabolus nonniſi per ſerpentem tentare permiſſus.

5. NEC ſanè debemus opinari, quòd ſerpentem ſibi, per quem tentaret perſuaderetque peccatum, diabolus elegerit: ſed cùm eſſet in illo propter perverſam & invidam voluntatem decipiendi cupiditas, nonniſi per illud animal potuit, per quod poſſe permiſſus eſt. Nocendi enim voluntas poteſt eſſe à ſuo quoque animo prava: non ſed autem poteſtas niſi à Deo, & hoc abditâ altâque C juſtitiâ, quoniam non eſt iniquitas apud Deum.

CAPUT IV. Tentatio hominis quare permiſſa.

6. SI ergo quæritur, cur Deus tentari permiſerit hominem, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat: altitudinem quidem conſilij ejus penetrare non poſſum, & longè ſupra vires meas hoc eſſe confiteor. Eſt ergo aliqua cauſſa fortaſſis occultior, quæ melioribus ſanctioribuſque reſervatur, illius gratiâ potiùs quàm meritis eorum; ſed tamen quantum vel donat ſapere, vel ſinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet bene vivere, quia nemo malè vivere ſuaderet; cùm & in natura poſſe, & in poteſtate [a] haberet velle non conſentire ſuadenti, adjuvante tamen illo qui ſuperbis *Jacobi 4. 6.* reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Cur itaque tentari non ſineret, quem conſenſurum eſſe præſciebat, cùm id facturus eſſet propria voluntate per culpam, & ordinandus eſſet illius æquitate per pœnam: ut etiam ſic oſtenderet animæ ſuperbæ ad eruditionem futurorum ſanctorum, quàm rectè ipſe uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cùm illæ perversè uterentur naturis bonis?

CAPUT V. Homo à tentatore dejectus, quia ſuperbus.

7. NEC arbitrandum eſt, quòd eſſet hominem dejecturus iſte tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quàm de ſe falsò præſumſerit, diſceret. Veriſſimè quippe dictum eſt, *Proverb. 16. 18.* Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Et hujus fortè hominis vox eſt in Pſalmo, *Pſal. 29. 7.* Ego dixi in abundantia mea, non movebor in b æternum. Deinde jam expertus quid mali habeat ſuperba præſumtio propriæ poteſtatis, & quid bo- *Ibid. 8.* ni adjutorium gratiæ Dei, Domine, inquit, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: aver- „ „ tiſti autem faciem tuam, & factus ſum conturbatus. Sed ſive illud de hoc homine, ſive de alio dictum ſit, extollenti ſe tamen animæ, & nimiùm tamquam de propria virtute præſidenti, etiam experimento pœnæ fuerat demonſtrandum, quàm non bene ſe habeat facta natura, ſi à faciente receſſerit. Hinc enim etiam maximè commendatur, quale bonum ſit Deus, quando nulli ab eo recedenti bene eſt: quia & qui gaudent in mortiferis voluptatibus, eſſe ſine dolorum timore non poſſunt; & qui omnino malum deſertionis ſuæ majore ſuperbiæ ſtupore non ſentiunt, aliis qui hæc diſcernere noverunt, miſeriores prorſus apparent; ut ſi nolunt recipere medicinam talia devitandi, valeant ad exemplum, quò poſſint talia devitari. Sicut enim apoſtolus Jacobus dicit, Unuſquiſque tenta- *Jacobi 1. 14.* „ tur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: de- „ inde concupiſcentia cùm conceperit, parit pecca- „ tum: peccatum autem cùm conſummatum fuerit, „ generat mortem. Unde ſanato ſuperbiæ tumore refurgitur, ſi voluntas quæ ante experimentum defuit, ut permaneretur cum Deo, ſaltem poſt experimentum adſit, ut redeatur ad Deum.

CAPUT VI. Cur Deus permiſerit hominem tentari.

8. SIC autem quidam moventur de hac primi hominis tentatione, quòd eam fieri permiſerit Deus, quaſi nunc non videant univerſum genus humanum diaboli inſidiis ſine ceſſatione tentari. Cur & hoc permittit Deus? An quia probatur & exercetur virtus, & eſt palma glorioſior non conſenſiſſe tentatum, quàm non potuiſſe tentari: cùm C etiam ipſi qui deſerto Creatore eunt poſt tentatorem, magis magiſque tentent eos, qui in verbo Dei permanent, præbeantque illis contra cupiditatem devitationis exemplum, & incutiant contra ſuperbiam timorem pium? Unde dicit Apoſtolus, *Gal. 6. 1.* Intendens te ipſum ne & tu tenteris. Mirum eſt enim quantum iſta humilitas, qua ſubdimur Creatori, ne tamquam ejus adjutorio non egentes, de noſtris viribus præſumamus, per Scripturas omnes divinas curâ continuâ commendatur. Cùm ergo D etiam per injuſtos juſti, ac per impios pij proficiant, fruſtra dicitur, Non crearet Deus, quos præſciebat malos futuros. Cur enim non crearet, quos *2. Sent. diſt. 23. cap. 1.* præſciebat bonis profuturos, ut & utiles eorum bonis voluntatibus exercendis admonendiſque naſcantur, & juſtè pro ſua mala voluntate puniantur?

CAPUT VII. Cur homo non talis creatus qui nollet umquam peccare.

9. TALEM, inquiunt, faceret hominem, qui nollet omnino peccare. Ecce nos concedimus meliorem eſſe naturam, quæ omnino peccare nolit: concedant & ipſi non eſſe malam naturam, quæ ſic E facta eſt, ut poſſet non peccare ſi nollet, & juſtam eſſe ſententiam qua punita eſt, quæ voluntate non neceſſitate peccavit. Sicut ergo ratio vera docet meliorem eſſe naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum: ita ratio vera nihilo minùs docet etiam illam bonam eſſe, quæ habet in poteſtate illicitam delectationem, ſi exſtiterit, ita cohibere, ut non ſolùm de ceteris licitis rectéque factis, verùm etiam de ipſius pravæ delectationis cohibitione lætetur. Cùm ergo hæc natura bona ſit, illa melior, F cur illam ſolam, & non utramque potiùs faceret Deus? Ac per hoc qui [c] parati erant de illa ſola Deum laudare, uberiùs eum debent laudare de utraque. Illa quippe eſt in ſanctis Angelis, hæc in ſanctis hominibus. Qui autem ſibi partes iniquitatis elegerunt, laudabilemque naturam culpabili voluntate depravarunt, non quia præſciti ſunt, ideo creari minimè debuerunt. Habent enim & ipſi locum ſuum, quem in rebus impleant pro utilitate ſanctorum. Nam Deus nec juſtitiâ cujuſquam recti G hominis eget, quanto minùs iniquitate perverſi?

CAPUT VIII. Quare creati qui præſciebantur futuri mali.

10. QUIS autem ſobria conſideratione dicat, Meliùs non crearet, quem præſciebat ex alterius iniquitate poſſe corrigi, quàm crearet etiam quem præſciebat pro ſua iniquitate debere damnari? Hoc

[a] MSS. nonnulli, *haberet*. tum quidam proſequuntur, *ſi vellet non conſentire*. Alij plerique, *habeat velle non conſentire*. Sic etiam Am. & Er. At Lov. *habeat velle & non conſentire.*

[b] Veteres codices, *in ſæculum*. Sic interdum Auguſtinus, propter ambiguitatem lectionis græcæ apud LXX: εἰς ἢ αἰῶνα.

[c] MSS. *paravverant.*

est enim dicere, meliùs non esse qui alterius malo bene utendo misericorditer coronaretur, quàm esse etiam malum, qui pro suo merito justè puniretur. Cùm enim ratio certa demonstrat duo quædam non æqualia bona, sed unum superius, alterum inferius, non intelligunt tardi corde cùm dicunt, Utrumque tale esset, nihil se aliud dicere quàm, Solum illud esset. Ac sic cùm æquare volunt genera bonorum, numerum minuunt; & immoderatè augendo unum genus, alterum tollunt. Quis autem hos audiret, si dicerent, Quoniam excellentior sensus est videndi quàm audiendi, quatuor oculi essent, & aures non essent? Ita si excellentior est creatura illa rationalis, quæ sine ullius pœnæ comparatione, sine ulla superbia Deo subditur; aliqua verò in hominibus ita creata est, ut in se Dei beneficium non possit agnoscere, nisi alterius videndo supplicium, ut non altum sapiat, sed timeat; id est non de se præfidat, sed confidat in Deum: quis rectè intelligens dicat, Talis esset ista qualis illa, nec videat se nihil aliud dicere quàm, Non esset ista, sed sola esset illa? Quod si inerudìtè atque insipienter dicitur, cur ergo non crearet Deus, etiam quos malos futuros esse præsciebat, volens ostendere iram & demonstrare potentiam suam, & ob hoc sustinens in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam? Sic enim qui gloriatur, nonnisi in Domino gloriatur, cùm cognoscit non suum, sed illius esse, non solùm ut sit, verùm etiam ut nonnisi ab illo bene sibi sit, à quo habet ut sit.

Rom. 11. 20. *Rom.* 9. 22. 2. *Cor.* 10. 17.

11. Nimis itaque importunè dicitur, Non essent quibus Deus tantam beneficentiam misericordiæ suæ tribueret, si aliter esse non possent, nisi essent & hi, in quibus vindictæ justitiam demonstraret. * Cur enim non utrique potiùs essent, quando in utrisque & bonitas Dei & æquitas jure prædicatur?

* Caput IX. De eadem difficultate. 2. *Sent dist.* 23. *cap.* 1.

12. At enim si Deus vellet, etiam isti boni essent. Quanto melius hoc Deus voluit, ut quod vellent essent: sed boni infructuosè, mali autem impunè non essent, & in eo ipso aliis utiles essent. Sed præsciebat [a] quòd eorum futura esset voluntas mala. Præsciebat sanè, & quia falli non potest ejus præscientia, ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creavit, quos tales futuros esse præsciebat? Quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus. Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret unde & ipsi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. A se quippe habent voluntatem malam, ab illo autem & naturam bonam, & justam pœnam, sibi debitum locum, aliis exercitationis adminiculum & timoris exemplum.

a

Caput X. Malorum voluntate in bonum convertere potest Deus, quare non faciat.

13. Sed posset, inquiunt, etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere quàm oportet sapere. Puto autem paulò antè satis nos ostendisse non parvi boni esse rationalem creaturam, etiam istam quæ malorum comparatione cavet malum: quod genus bonæ creaturæ utique non esset, si omnium malas voluntates in bonum Deus convertisset, & nulli iniquitati pœnam debitam infligeret: ac sic non esset nisi solum illud genus, quod nullâ vel peccati vel supplicij malorum comparatione proficeret. Ita velut aucta numerositate excellentioris generis, ipsorum generum bonorum numerus minueretur.

14. Ergo, inquiunt, est aliquid in operibus Dei, quod alterius malo indigeat, quò proficiat ad bonum? Ita-ne obsurduerunt & excæcati sunt homines, nescio quo studio contentionis, ut non audiant vel videant quibusdam punitis, quàm plurimi corrigantur? Quis enim paganus, quis Judæus, quis hæreticus non hoc in domo sua quotidie probet? Verùm cùm venitur ad disputationem inquisitionemque veritatis, nolunt advertere sensus suos homines, ex quo opere divinæ providentiæ in eos veniat imponendæ commotio disciplinæ: ut si non corriguntur qui puniuntur, eorum tamen exemplo ceteri metuant, valeatque ad eorum salutem justa pernicies aliorum. Num enim malitiæ eorum vel nequitiæ Deus auctor est, de quorum justa pœna consulit, quibus hoc modo consulendum esse constituit? Non utique: sed cùm eos vitiis propriis malos futuros esse præsciret, non eos tamen creare destitit, utilitati deputans eorum, quos in hoc genere creavit, ut ad bonum proficere, nisi malorum [b] comparatione, non possent. Si enim non essent, nulli rei utique prodessent. Parum-ne boni est actum ut sint, qui certè illi generi utiles sunt; quod genus quisquis non vult ut sit, nihil aliud agit, nisi ut ipse in eo non sit?

Caput XI. Malorum pœnis non indiget Deus, sed ex iis consulit bonorum saluti.

b

15. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus: prævidet bonos futuros, & creat; prævidet malos futuros, & creat: seipsum ad fruendum præbens bonis, multa munerum suorum largiens & malis, misericorditer ignoscens, justè ulciscens; itemque misericorditer ulciscens, justè ignoscens: nihil metuens de cujusquam malitia, nihil indigens de cujusquam justitia: nihil sibi consulens nec de operibus bonorum, & bonis consulens etiam de pœnis malorum. Cur ergo non permitteret tentari hominem illa tentatione [c] probandum, convincendum, puniendum, cùm superba concupiscentia propriæ potestatis quod conceperat pareret, suoque fetu confunderetur, justoque supplicio à superbiæ atque inobedientiæ malo posteros deterreret, quibus ea conscribenda & annuntianda parabantur?

Psal 110. 2.

c

16. Si autem quæritur, cur potissimùm per serpentem diabolus tentare permissus sit, jam hoc significandi gratiâ factum esse, quem non admoneat Scriptura tantæ auctoritatis, tantis divinitatis documentis agens in prophetando, quantis effectis jam mundus impletus est? Non quòd diabolus aliquid ad instructionem nostram significare voluerit, sed cùm accedere ad tentandum non posset nisi permissus, num per aliud posset, nisi per quod permittebatur accedere? Quidquid igitur serpens ille significavit, ei providentiæ tribuendum est, sub qua & ipse diabolus suam quidem habet cupiditatem nocendi; facultatem autem nonnisi quæ datur, vel ad subvertenda ac perdenda vasa iræ, vel ad humilianda sive probanda vasa misericordiæ. Natura itaque serpentis unde sit, novimus: produxit enim terra in verbo Dei omnia pecora, & bestias, & serpentes; quæ universa creatura habens in se animam vivam irrationalem, universæ rationali creaturæ sive bonæ sive malæ voluntatis, lege divini ordinis subdita est. Quid ergo mirum si per serpentem aliquid agere permissus est diabolus, cùm dæmonia in porcos intrare Christus ipse permiserit?

Caput XII. Cur tentatio per serpentem fieri permissa.

Gen. 1. 25.

Matth. 8. 32.

Caput XIII. In Manichæos qui diabolum in creaturis Dei censeri nolunt.

17. Magis de ipsa natura diaboli scrupulosius quæri solet, quam totam quidam hæretici, offensi molestiâ malæ voluntatis ejus, alienare conantur à creatura summi & veri Dei, & alterum ei dare principium, quod sit contra Deum. Non enim valent intelligere, omne quod est, in quantum aliqua substantia est, & bonum esse, & nisi ab illo vero Deo, à quo omne bonum est, esse non posse: malam verò voluntatem inordinatè moveri, bona inferiora superioribus præpoznendo; atque ita factum esse, ut rationalis creaturæ spiritus, sua potestate propter excellentiam delectatus, tumesceret superbiâ, per quam caderet à beatitudine spiritalis paradisi, & invidentiâ contabesceret. In quo tamen bonum est hoc ipsum quod vivit, & vivificat corpus, sive aërium, sicut ipsius diaboli vel dæmonum spiritus, sive terrenum, sicut hominis anima, cujusvis etiam maligni atque perversi. Ita dum nolunt aliquid, quod Deus fecerit, propria voluntate peccare, ipsius Dei substantiam dicunt primò necessitate, & post inexpiabiliter voluntate corruptam atque perversam. Sed de istorum dementissimo errore alias jam diximus multa.

Caput XIV. Caussa ruinæ angelicæ.

18. In hoc autem opere quærendum est secùndùm sanctam Scripturam, quid de diabolo dicendum sit. Primò, utrùm ab initio ipsius mundi sua potestate delectatus abstiterit ab illa societate & caritate, qua beati sunt Angeli, qui fruuntur Deo; an aliquo tempore in sancto cœtu fuerit Angelorum, etiam ipse pariter justus, & pariter beatus. Nonnulli enim dicunt ipsum ei fuisse casum à supernis sedibus, quòd inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porrò autem invidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim caussa superbiendi est invidia, sed caussa invidendi superbia. Cùm igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid unde nascatur satis in promtu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quòd eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est.

Superbia. Invidia.

Caput XV. Superbia & Amor privatus fontes malorum. *Eccli.* 10. 15. 1. *Tim.* 6. 10.

19. Merito initium omnis peccati superbiam Scriptura definivit, dicens, Initium omnis peccati superbia. Cui testimonio non inconvenienter aptatur etiam illud, quod Apostolus ait, Radix omnium malorum est avaritia: si avaritiam generalem intelligamus, qua quisque appetit aliquid amplius quàm oportet, propter excellentiam suam, & quemdam propriæ rei amorem: cui sapienter nomen latina lingua indidit, cùm appellavit privatum, quod potiùs à detrimento quàm ab incremento dictum elucet. Omnis enim privatio minuit. Unde itaque vult eminere superbia, inde in angustias egestatemque contruditur, cùm ex communi ad proprium damnoso sui amore redigitur. Specialis est autem avaritia, quæ usitatiùs appellatur amor pecuniæ. Cujus nomine Apostolus per speciem genus significans, universalem avaritiam volebat intelligi dicendo, Radix omnium malorum est avaritia. Hac enim & diabolus cecidit, qui utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem. Proinde perversus sui amor privat sancta societate turgidum spiritum, eumque coartat miseriâ jam per iniquitatem satiari cupientem. Hinc alio loco cùm dixisset, Erunt enim homines seipsos amantes; continuò subjecit, amatores pecuniæ, ab illa generali avaritia cujus superbia caput est, ad hanc specialem descendens quæ propria hominum est. Neque enim essent etiam homines amatores pecuniæ, nisi eo se putarent excellentiores, quo ditiores. Cui morbo contraria caritas non quærit quæ sua sunt, id est non privatâ excellentiâ lætatur. meritò ergo & non inflatur.

2. *Tim.* 3. 2. 1. *Cor.* 13. 5.

Amores duo.

20. Hi duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter privatus; alter communi utilitati consulens propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter subditus, alter æmulus Deo; alter tranquillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter seditiosus; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis avidus; alter [a] amicalis, alter invidus; alter hoc volens proximo quod sibi, alter subjicere proximum sibi; alter propter proximi utilitatem regens proximum, alter propter suam; præcesserunt in angelis, alter in bonis, alter in malis; & distinxerunt conditas in genere humano civitates duas, sub admirabili & ineffabili providentia Dei, cuncta quæ creata sunt administrantis & ordinantis, alteram justorum, alteram iniquorum. Quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur sæculum, donec ultimo judicio separentur, & altera conjuncta Angelis bonis in rege suo vitam consequatur æternam, altera conjuncta angelis malis in ignem cum rege suo mittatur æternum. De quibus duabus civitatibus latiùs fortasse alio loco, si Dominus voluerit, disseremus.

a

Civitates duæ.

Opus de civitate Dei pollicetur.

Caput XVI. Diabolus quandoque lapsus sit.

21. Quando ergo dejecerit superbia diabolum, ut naturam suam bonam prava voluntate perverteret, Scriptura non dicit: antè tamen factum fuisse, & ex hac eum homini invidisse, ratio manifesta declarat. In promtu est enim omnibus hæc intuentibus, non ex invidentia superbiam nasci, sed ex superbia potiùs invidentiam. Non autem frustra putari potest, ab initio temporis diabolum superbiâ cecidisse, nec fuisse ullum antea tempus, quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit & beatus; sed ab ipso primordio creaturæ à suo creatore apostatasse; ut illud quod Dominus ait, Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, utrumque ab initio intelligamus, non solùm quòd homicida fuit, sed etiam quia in veritate non stetit. Et homicida quidem ab illo initio, ex quo homo potuit occidi: non autem potuit occidi, antequam esset, qui occideretur. Ab initio ergo homicida diabolus, quia ipse occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit. In veritate autem non stetit, & hoc ab initio ex quo ipse creatus est, qui staret si stare voluisset.

2. *Sent. dist.* 3. *c.* Putaverunt.

Johan. 8. 44.

Caput XVII. An beatus fuerit diabolus ante peccatum.

22. Quomodo enim duxisse etiam vitam beatam inter beatos Angelos credi potest, qui futuri sui peccati atque supplicij, id est desertionis & ignis æterni præscius non fuit? Si præscius non fuit, meritò quæritur cur non fuerit? Neque enim sancti Angeli æternæ suæ vitæ ac beatitudinis incerti sunt. Nam quomodo beati, si incerti? An dicemus

a Sic MSS. At editi, *quid eorum facturus esset.*

b Editi hic, *cooperatione.* MSS. constanter, *comparatione.*

c In MSS. probæ notæ, *prodendum.*

a Er. & Lov. *amicabilis*, pro quo Am. & MSS. *amicalis.*

hoc Deum diabolo revelare noluisse, cùm adhuc A esset angelus bonus, vel quid facturus, vel quid passurus esset; ceteris verò hoc revelasse quòd essent in æternum in ejus veritate mansuri? Quod si ita est, ideo jam non æqualiter beatus, immò jam nec planè beatus fuit, quandoquidem planè beati de sua beatitudine certi sunt, ut eam nullus perturbet metus. Quo autem malo merito ita discernebatur à ceteris, ut ei Deus nec ea quæ ad ipsum pertinerent, futura revelaret? Numquid ille priùs ultor, quàm iste peccator? absit. Neque enim Deus damnat innocentes. An fortè ex alio genere angelorum fuit, quibus Deus non dedit vel de seipsis præscientiam futurorum? qui quonam modo beati possint esse non video, quibus incerta est ipsa sua beatitudo. Nam & hoc quidam senserunt, non fuisse diabolum in illa sublimi natura Angelorum, quæ supercælestis est; sed in eorum qui aliquanto inferiùs in mundo facti sunt, & per sua officia distributi. Tales enim fortasse posset aliquid etiam illicitum delectare: quam tamen delectationem si peccare C nollent, libero arbitrio cohiberent; sicut homo, maximè ille primus, qui peccati pœnam nondum habebat in membris, quandoquidem & ipsa à sanctis viris Deo subditis per ejus gratiam pietate superatur.

CAPUT XVIII. Homo ante peccatum quomodo beatus fuerit.

23. PORRO ista quæstio de beata vita, utrùm eam quisquam jam habere dicendus sit, [a] cui incertum est utrùm secum permansura sit, an ei miseria quandoque succedat, potest & de ipso primo homine oriri. Nam si futuri sui peccati præscius D erat divinæque vindictæ, beatus esse unde poterat? Ergo erat in paradiso non beatus. Sed enim non erat futuri peccati sui præscius? Ergo per hanc ignorantiam aut ejusdem beatitudinis incertus; & quomodo jam verè beatus? aut falsâ spe certus, non scientiâ; & quomodo non stultus?

24. Sed tamen hominis adhuc in corpore animali constituti, cui obedienter viventi dandum adhuc esset Angelorum consortium, & mutatio corporis ex animali in spiritale, possumus intelligere E beatam vitam secundùm quemdam modum, etiamsi non erat præscius futuri sui peccati. Neque enim & illi præscij fuerunt, quibus Apostolus dicit, Vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in Gal. 6. 1. spiritu lenitatis, intendens teipsum, ne & tu tenteris: non absurdè tamen nec improbè dicimus, beatos jam fuisse hoc ipso, quòd spirituales essent, Rom. 12. 12. non corpore, sed justitiâ fidei, spe gaudentes, in tribulatione patientes. Quanto magis ergo, & ampliore modo beatus erat homo in paradiso ante peccatum, quamvis incertus futuri sui casus, qui spe ita gaudebat propter præmium futuræ commutationis, ut nulla esset tribulatio, cui tolerandæ patientia militaret. Quamvis enim non vana præsumtione de incerto certus velut stultus, sed spe non infidelis; antequam apprehenderet illam vitam, ubi certissimus ipsius æternæ vitæ suæ futurus esset, Psal. 2. 12. posset exsultare, quemadmodum scriptum est, cum tremore; & hac exsultatione, multo abundantiùs in paradiso, quàm sancti in his terris, beatus esse, modo quodam inferiore quàm in illa vita æterna sanctorum supercælestiumque Angelorum, non tamen nullo.

CAPUT XIX.

25. DICERE autem de aliquibus angelis, quòd in suo quodam genere beati esse possint, futuræ suæ iniquitatis & damnationis, vel certè perpetuæ salutis incerti, quibus nec spes subesset, quòd aliquando & ipsi aliqua in melius mutatione certi de hac re futuri essent, vix ferenda præsumtio est: nisi fortè & hoc dicatur, ita creatos istos angelos mundanis ministeriis distributos sub aliis sublimioribus & beatioribus, ut pro rectè gestis præpositurís suis accipiant illam vitam beatam ac sublimiorem, de qua possint esse certissimi, cujus utique spe gaudentes possint non incongruè dici jam beati. Ex quorum numero si diabolus cecidit cum sociis iniquitatis suæ, simile est hoc ei quòd cadunt à justitia fidei etiam homines, simili superbiâ prævaricati, vel seipsos seducentes, vel illi seductori consentientes. Angelorũ conditio.

26. Sed asserant hæc duo genera bonorum angelorum qui potuerint, unum supercælestium, in quibus numquam fuit qui cadendo diabolus factus est; alterum autem mundanorum, in quibus fuit: C mihi autem fateor unde hoc secundùm Scripturas asseram, non interim occurrit, sed coartatus quæstione illa, qua quæritur, utrùm sui casus præscius antequam caderet fuerit, ne suæ beatitudinis incertos esse vel aliquando fuisse angelos dicerem, non sine caussa putari posse dixi, diabolum ab ipso creaturæ, hoc est ab ipso vel temporis vel suæ conditionis initio cecidisse, nec aliquando in veritate stetisse.

CAPUT XX. Opinio de diabolo creato in malitia.

27. UNDE nonnulli eum non in hanc malitiam libero voluntatis arbitrio esse deflexum, sed D in hac omnino creatum putant, quamvis à Domino Deo summo & vero naturarum omnium creatore: adhibentque testimonium de libro Job, quo- Job. 40. 14. niam ibi scriptum est, cùm de illo sermo esset, Hoc Sic. LXX. est initium figmenti Domini, quod fecit ut illudatur ab Angelis ejus: cui sententiæ congruit quod in Psalmo scriptum est, Draco hic quem finxisti Psal. 103. 26. ad illudendum ei; nisi quòd hîc, quem finxisti, dixit; non autem sicut ibi, Hoc est initium figmenti Domini: tamquam in initio eum ita finxisset, ut malus, ut invidus, ut seductor, ut omnino diabolus esset, non voluntate depravatus, sed ita creatus.

CAPUT XXI. Refellitur hæc opinio.

28. HÆC opinio quomodo non sit adversa ei, quod scriptum est, Fecit Deus omnia bona valde, [b] quamvis conentur ostendere; nec insulsè etiam vel inerudirè asseratur, non tantùm conditione prima, sed etiam nunc depravatis tot voluntatibus, in summa tamen omnia quæ creata sunt, id est universam omnino creaturam bonam esse valde, non quòd boni sint in ea mali, sed quòd non efficiant malitiâ suâ, ut sub Dei administratoris imperio, virtute, sapientiâ, decus & ordo universitatis aliqua ex parte turpetur sive turbetur, cùm suis quibusque voluntatibus, etiam malis, tribuantur certi & congrui limites potestatum & pondera meritorum, ut etiam cum ipsis convenienter justéque ordinatis universitas pulcra sit: tamen quia cuilibet occurrit, & verum est atque manifestum, justitiæ ipsi esse contrarium, ut nullo G præcedente merito, hoc ipsum in quoquam Deus damnet quod in eo ipse creaverit, certaque & evidens damnatio diaboli & angelorum ejus ex Evangelio recitatur, ubi se dicturum Dominus prænuntiavit eis, qui à sinistris sunt, Ite in ignem æternum, Matth. 25. 41.

a MSS. *cujus incertus est utrùm* &c.

b Codices editi & MSS. post *bona valde* addunt, *ubi invenitur diabolus non propria voluntate depravatus, sed ab ipso Domino Deo factus malus valde*. quod glossema esse censor quidam nec imprudens nec recens adnotavit in Colbertino MSS. Mox in editis legebatur, *Quamvis conentur ostendere ut insulse*: at in MSS. *nec insulsè*.

qui præparatus est diabolo & angelis ejus; nullo A modo in eo naturam, quam Deus creavit, sed malam propriam voluntatem pœnâ ignis æterni plectendam esse credendum est.

CAPUT XXII. Opinionis ejusdem fundamenta convellunturs.

29. NEC ejus naturam esse significatam quod dictum est, Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit, ut illudatur ab Angelis ejus: sed vel corpus aërium, quod tali voluntati congruenter aptavit; vel ipsam ordinationem, in qua eum fecit etiam nolentem utilem bonis; vel quòd præsciens eum propria voluntate malum futurum, fecit eum B tamen, non abstinens bonitatem suam in præbenda vita atque substantia futuræ etiam noxiæ [a] voluntati, simul prævidens quanta de illo bona esset suâ mirabili bonitate ac potestate facturus. Initium autem figmenti Domini dictus est, quod fecit, ut illudatur ab Angelis ejus, non quia ipsum primitus condidit, vel initio malum condidit; sed quia cùm sciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum ut bonis noceret, creavit eum ad hoc ut de illo bonis ipse prodesset. Hoc est enim, ut illuda- C tur ab Angelis ejus; quoniam sic illuditur, cùm sanctis prosunt tentationes ejus, quibus eos depravare conatur, ut malitia, in qua ipse esse voluit, eo nolente sit utilis servis Dei; quia hoc prævidens eum finxit. Ideo initium ad illudendum, quia & mali homines vasa ejusdem diaboli, & tamquam capitis corpus, quos nihilo minùs Deus malos futuros prævidens, creavit tamen ad utilitatem sanctorum, similiter illuduntur, cùm & ipsis nocere volentibus, præstatur sanctis ex eorum compara- D tione cautela, & pia sub Deo [b] humilitas & intelligentia gratiæ, & exercitatio ad tolerandos malos, & probatio ad diligendos inimicos. Sed ille est initium figmenti, quod sic illuditur, quia præcedit istos & temporis antiquitate, & principatu malitiæ. Hoc autem illi Deus per sanctos Angelos facit, illo opere providentiæ, quo creatas naturas administrat, subdens videlicet angelos malos Angelis bonis, ut malorum improbitas, non quantum nititur, sed quantum finitur possit: nec tantum E angelorum malorum, verùm & hominum, donec Rom. 1. 17. etiam ista justitia, qua vivitur ex fide, quæ nunc Psal. 93. 15. patienter in hominibus exercetur, convertatur in Matth. 19. 28. judicium, ut possint & ipsi non solùm duodecim 1. Cor. 6. 3. tribus Israël, sed etiam angelos judicare.

CAPUT XXIII. Ut intelligendum est diabolum in veritate numquam stetisse.

30. QUOD ergo putatur numquam diabolus in veritate stetisse, numquam cum Angelis beatam Johan. 8. 44. duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed malus à bono Deo crea- F tus putetur; alioquin non ab initio cecidisse diceretur. neque enim cecidit, si talis est factus. Sed factus continuò se à luce veritatis avertit, superbiâ tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus: unde beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non gustavit, quam non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit, & amisit. Proindè nec sui casus præscius esse potuit; quoniam sapientia pietatis est fructus. Ille autem continuò impius, consequenter & mente cæcus, non ex eo G quod acceperat cecidit, sed ex eo quod acciperet, si subdi voluisset Deo: quod profectò quia noluit, & ab eo quod accepturus erat cecidit, & potestatem illius sub quo esse noluit, non evasit: factumque in illo est pondere meritorum, ut nec justitiæ possit lumine delectari, nec ab ejus sententia liberari.

CAPUT XXIV. De corpore mystico diaboli intelligendũ esse illud, *Quomodo cecidit* &c. Isai. 14. 12.

31. QUOD ergo per Isaiam prophetam in eum dicitur, Quomodo cecidit de cælo Lucifer manè oriens, contritus est in terram, qui mittebat ad omnes gentes. Tu autem dixisti sensu tuo, In cælum adscendam, super sidera cæli ponam thronum meum, sedebo in monte excelso super montes excelsos qui sunt ad Aquilonem, adscendam super nubes, ero similis Altissimo: nunc autem ad inferos descendes, & cetera, quæ in figura regis velut Babylonis in diabolum dicta intelliguntur, plura in ejus corpus conveniunt, quod etiam de humano genere congregat: & in eos maximè qui ei per superbiam cohærent, apostatando à mandatis Dei. Sicut enim qui erat diabolus homo dictus est, ut in Evangelio, Inimicus homo hoc fecit: ita qui ho- Matth. 13. 28. mo erat diabolus dictus est, ut rursus in Evangelio, Johan. 6. 70. Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? Et sicut corpus Christi quod est Ec- Corpus Christi. clesia, dicitur Christus, sicut illud est, Vos Abra- Galat. 3. 29. & 16. hæ semen estis, cùm paulo superiùs dixisset, Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus, non dicit, Et seminibus, tamquam in multis, sed tamquam in uno, Et semini tuo quod est Christus. & iterum, Sicut enim corpus unum est, & membra 1. Cor. 12. 12. habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum est corpus, ita & Christus. Eo modo etiam corpus diaboli, cui caput est diabolus, Corpus diaboli. id est ipsa impiorum multitudo, maximéque eorum qui à Christo vel de Ecclesia sicut de cælo decidunt, dicitur diabolus, & in ipsum corpus figuratè multa dicuntur, quæ non tam capiti quàm corpori membrisque conveniant. Itaque Lucifer qui manè oriebatur & cecidit, potest intelligi apostatarum genus vel à Christo vel ab Ecclesia; quod ita convertitur ad tenebras amissa luce, quam portabat, quemadmodum qui convertuntur ad Deum, à tenebris ad lucem transeunt, id est qui fuerunt tenebræ lux fiunt.

CAPUT XXV. De eodem corpore diaboli dictum esse illud, *Tu es signaculum* &c. Ezech. 28. 12.

32. ITEM in figura principis Tyri per Ezechielem prophetam in diabolum dicta intelliguntur, Tu es signaculum similitudinis & corona decoris, in deliciis paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus es, & cetera quæ non tam in ipsum principem spiritum nequitiæ, quàm in corpus ejus dicta conveniunt. Paradisus enim dicta est Ecclesia, sicut Paradisus Ecclesia. legitur in Cantico canticorum, Hortus conclusus, Cant. 4. 12. fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum. Inde ceciderunt vel aperta & corporali separatione omnes hæretici: vel occulta & spiritali, quamvis in ea corporaliter esse videantur, omnes conversi ad vomitum suum, cùm post Prov. 26. 11. remissionem omnium peccatorum paululùm ambu- 2. Pet. 2. 22. lassent in via justitiæ, in quibus facta sunt posteriora deteriora prioribus, & quibus expediebat non cognoscere viam justitiæ, quàm cognoscentibus retrorsum reflecti à tradito sibi sancto mandato. Hanc pessimam generationem Dominus describit, Matth. 12. 44. cùm dicit spiritum nequam exire ab homine, & cum aliis septem redire, & in domo quam mundatam jam invenerat, inhabitare, ut sint novissima hominis illius pejora prioribus. Tali enim generi hominum, quod jam factum est corpus diaboli, possunt hæc verba congruere, A die qua creatus es Ezech. 28. 14. tu cum cherub, id est cum sede Dei, quæ inter-

a MSS. aliquot, *voluntatis*.

b Sic plerique & optimæ notæ MSS. At excusi habent, *humilitatis & intelligentia gratiæ*.

pretatur multiplicata scientia. Et posuit te in monte sancto Dei, hoc est in Ecclesia; unde est, Et exaudivit me de monte sancto suo. Fuisti in medio lapidum flammeorum, id est sanctorum spiritu ferventium lapidum vivorum. Ambulasti sine vitio tu in diebus tuis, ex quo die creatus es tu, donec inventa sunt delicta tua in te. Possunt diligentiùs ista tractari, ut fortassis ostendatur non solum & hunc intellectum esse in his verbis posse, sed omnino alium esse non posse.

Psal. 3. 5.

CAPUT XXVI. Conclusio de diaboli conditione & lapsu.

33. VERUM quia longum est, & alium sermonem exigit eidem tantùm quæstioni deputatum, nunc sufficiat ista complexio, aut ab initio conditionis suæ diabolum à beatitudine, quam si voluisset percepturus fuerat, impiâ superbiâ cecidisse, aut alios esse Angelos inferioris ministerij in hoc mundo, inter quos secundùm eorum quamdam non præsciam beatitudinem vixerat, & à quorum societate cum sibi subditis angelis suis tamquam archangelus cecidit per [a] superbam impietatem; si hoc ullo modo asseri potest, quod mirum si potest: aut certè rationem requirendam, quemadmodum omnes sancti Angeli, si inter illos aliquando pariter beatus cum suis angelis diabolus vixit, nondum habuerint etiam ipsi certam præscientiam perpetuæ felicitatis suæ, sed eam post casum ejus acceperint: aut quo merito ante suum peccatum diabolus cum sociis suis à ceteris Angelis discretus fuerit, ut ipse sui casus futuri esset ignarus, illi autem certi permansionis suæ: dum tamen & peccatores angelos minimè dubitemus detrusos tamquam in carcerem caliginis hujus aëriæ circa terras, secundùm apostolicam fidem, in judicio puniendos servari; & in illa superna beatitudine sanctorum Angelorum non esse incertam vitam æternam, nec nobis secundùm Dei misericordiam & gratiam & fidelissimam pollicitationem incertam futuram, cùm fuerimus eis post resurrectionem & istorum mutationem corporum copulati. Ad hanc enim spem vivimus, & ejus promissionis gratiâ recreamur. Quidquid autem etiam de diabolo dici potest, cur eum Deus creaverit, cùm talem præsciret futurum, & cur omnipotens ejus voluntatem non convertat in bonum, secundùm ea quæ disseruimus cùm de malis hominibus similiter quæreremus, sive intelligatur, sive credatur, sive quid melius inveniri potest, inveniatur.

2. Sent. dist. 6. cap. Non enim. — *2. Petri* 2. 4.

CAPUT XXVII. De tentatione diaboli per serpentem.

34. AB illo ergo cujus super omnia, quæ creavit, summa potestas est, per Angelos sanctos à quibus illuditur diabolus, cùm & de ipsius malevolentia [b] consulitur Ecclesiæ Dei, non est permissus tentare feminam nisi per serpentem, nec virum nisi per feminam: sed in serpente ipse locutus est, utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo quo movere ille, & moveri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. In ipsa verò muliere, quia illa rationalis creatura erat, quæ motu suo posset uti ad verba facienda, non ipse locutus est, sed ejus operatio atque persuasio; quamvis occulto instinctu adjuvaret interiùs, quod exteriùs egerat per serpentem. Quod quidem si solo instinctu occultiùs ageret, sicut egit in Juda ut traderet Christum, posset efficere in anima superbo amore suæ potestatis inducta: sed sicut jam dixi, tentandi voluntatem habet diabolus, in potestate autem nec ut faciat habet, nec quomodo faciat. Quia permissus est ergo, tentavit; & quomodo permissus est, ita tentavit: cui autem generi hominum prodesset quod faciebat, neque sciebat, neque volebat, & eo ipso illudebatur ab Angelis.

Johan. 13. 2.

CAPUT XXVIII. An serpens verba prolata intellexerit.

35. NON itaque serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem. Neque enim conversa credenda est anima ejus in naturam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cùm dæmon in eis loquitur ea passione, cui exorcista requiritur, sciunt quid loquantur: quanto minùs ille intelligeret verborum sonos, quos per eum & ex eo diabolus illo modo faciebat, qui hominem loquentem non intelligeret, si eum à diabolica passione immunis audiret. Nam & quòd putantur audire & intelligere serpentes verba Marsorum, ut eis incantantibus prosiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur, ad cognoscendam ubique providentiam, quam rem cui rei naturali ordine subjiciat, & quid etiam voluntatibus malis sapientissima potestate permitat, ut hoc magis habeat usus, serpentes moveri carminibus hominum, quàm ullum aliud genus animantium. Etiam hæc enim non parva testatio est, naturam primitus humanam serpentis seductam esse colloquio. Gaudent enim dæmones, hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ut quolibet modo fallant quos possunt. Hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quòd sit eis quædam cum hoc genere familiaritas. Porrò ipsum primum factum ad hoc permissum est, ut per naturam serpentis significaretur generi hominum, cui erudiendo hæc gesta conscribi oportebat, omnis diabolicæ tentationis similitudo: quod apparebit, cùm in serpentem proferri cœperit divina sententia.

CAPUT XXIX. Serpens cur dictus prudentissimus.

36. PROINDE *prudentissimus omnium bestiarum*, hoc est astutissimus, ita dictus est serpens propter astutiam diaboli, quæ in illo & de illo agebat dolum, quemadmodum dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens vel astutus movet ad aliquid prudenter astutéque suadendum. Non enim est hæc vis seu virtus membri corporalis, quod vocatur lingua, sed utique mentis quæ utitur eâ. Ita etiam dictus est stilus mendax scribarum: neque enim esse mendacem pertinet, nisi ad viventem atque sentientem; sed stilus mendax dictus est, quòd per eum mendax mendaciter operetur; quemadmodum si & iste serpens mendax diceretur, quòd eo diabolus tamquam stilo mendaciter uteretur.

37. Hoc ideo commendandum putavi, ne quisquam existimans animantia rationis expertia humanum habere intellectum, vel in animal rationale repentè mutari, seducatur in illam opinionem ridiculam & noxiam revolutionis animarum vel hominum in bestias, vel in homines bestiarum. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina, in qua sedebat Balaam, locuta est homini, nisi quòd illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum. Habent enim quædam boni & mali angeli opera similia, sicut Moyses & magi Pharaonis. Verùm in his etiam boni Angeli potentiores sunt, nec mali angeli etiam talium operum quidquam possunt, nisi quod per bonos Angelos permiserit Deus, ut retribuatur unicuique secundùm cor ejus, vel secundùm gratiam Dei, utrumque justè ac benignè per altitudinem divitiarum sapientiæ Dei.

2. Sent. dist. 21. cap. 2. — *Num.* 22. 28. — *Exodi* 7. 10. 11. — *Rom.* 11. 33.

a Er. & Lov. *per superbia impietatem: sed hoc nullo modo asseri potest, illud mirum si potest.* Visum est restituere lectionem MSS.

b Lov. *consolantur.* Alij codices, *consulatur*, vel *consulitur.*

gratiam

CAPUT XXX. Colloquiũ serpentis cum muliere. *Genes.* 3. 1.

38. DIXIT ergo *serpens mulieri, Quid, quia dixit Deus, Non edetis ab omni ligno paradisi? Et dixit mulier serpenti, A fructu ligni quod est in paradiso edemus: de fructu autem ligni, quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non edetis ex eo, neque tangetis illud, ne moriamini.* Ideo priùs interrogavit serpens, & respondit hoc mulier, ut prævaricatio esset inexcusabilis, neque ullo modo dici posset, id quod præceperat Deus oblitam fuisse mulierem. Quamquam & oblivio præcepti, maximè unius & tam necessarij, ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret: verumtamen evidentior ejus transgressio est, cùm memoriâ retinetur, & tamquam in illo Deus assistens præsensque contemnitur. Unde necessarium fuit, cùm in Psalmo diceretur, Et memoria retinentibus mandata ejus, addere, ut faciant ea. Multi enim retinent memoriâ, ut contemnant ea, prævaricationis majore peccato, ubi oblivionis nulla est excusatio.

Oblivio præcepti. — *Psal.* 102. 18.

39. *Dixit* ergo *serpens mulieri, Non morte moriemini. Sciebat enim Deus, quoniam quo die manducaveritis de eo, adaperientur vobis oculi, & eritis sicut dij cognoscentes bonum & malum.* Quando his verbis crederet mulier à bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumtio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda? Denique verbis non contenta serpentis consideravit lignum, *viditque bonum ad escam, & decorum ad adspectum*, & non credens posse inde se mori, arbitror quòd putaverit Deum alicujus significationis causâ dixisse, *Si manducaveritis, morte moriemini*: atque ideo sumsit de fructu ejus, & manducavit, & dedit etiam viro suo secum: fortassis etiam cum verbo suasorio, quod Scriptura tacens intelligendum relinquit. An fortè nec suaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat?

2. Sent. dist. 22. cap. 1.

CAPUT XXXI. Ad quid aperti oculi Adami & Evæ.

40. ERGO *ederunt, & aperti sunt oculi amborum.* [a] Quò nisi ad invicem concupiscendum, ad peccati pœnam carnis ipsius morte conceptam; ut jam esset corpus non animale tantùm, quod poterat, si obedientiam conservarent, in meliorem spiritalemque habitum sine morte mutari, sed jam corpus mortis, in quo lex in membris repugnaret legi mentis. Neque enim clausis oculis facti erant, & in paradiso deliciarum cæci palpantesque oberrabant, ut vetitum lignum etiam nescientes adtingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent. Quomodo autem animalia & volatilia adducta sunt ad Adam, ut videret quid ea vocaret, si non videbat? Et quomodo ipsa mulier ad virum adducta est, quando facta est, ut de illa quam non videbat diceret, *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*, & cetera? Postremò quomodo vidit mulier quia bonum est lignum in escam, & quia placet oculis ad videndum, & decorum est cognoscere, si eorum clausi erant oculi?

Gen 3. 7. — *1. Cor.* 15. 44. — *Rom.* 7. 23. — *Gen.* 2. 19. — *Ibid.* 22. — *Gen.* 3. 6.

41. Nec tamen ideo propter unius verbi translationem totum figuratè accipiendum est. Viderit enim quemadmodum dixerit serpens, *Aperientur vobis oculi.* Hoc enim eum scriptor libri dixisse narravit; in qua verò significatione vel sententia dixerit, lectori considerare permisit. Hoc autem quod scriptum est, *Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt quia nudi erant*, ita scriptum est, quemadmodum omnia quæ gesta narrantur, nec tamen ideo in allegoricam narrationem nos debent ducere. Neque enim & Evangelista narrator dicta cujusquam figurata ex ejus persona inserebat, ac non ex persona sua quæ fuerant gesta narrabat, cùm diceret de illis duobus, quorum unus erat Cleophas, quòd cùm fregisset eis Dominus panem, aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum quem per viam non cognoverant: non utique clausis oculis ambulantes, sed eum cognoscere non valentibus. Sicut ergo ibi, sic nec isto loco narratio figurata est, quamvis translato verbo Scriptura usa sit, ut apertos diceret oculos, qui & antea patebant. Apertos utique ad aliquid intuendum & cogitandum, quod antea numquam adverterant. Ubi enim ad transgrediendum præceptum audax curiositas mota est, avida experiri latentia, quidnam tacto vetito sequeretur, & noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata, probabilius existimans non esse mortem, quàm timuerant, secuturam. Tale quippe pomum credendum est fuisse in illa arbore, cujus generis poma jam in aliis arboribus innoxia senserant: unde magis crediderunt Deum posse peccantibus facilè ignoscere, [b] quàm patienter tulerunt non cognoscere quidnam esset, vel cur eos inde cibum sumere vetuisset. Mox ut ergo præceptum transgressi sunt, intrinsecùs gratiâ deserente omnino nudati, quam typho quodam & superbo amore suæ potestatis offenderant, in sua membra oculos injecerunt, eaque motu eo, quem non noverant, concupiverunt. Ad hoc ergo aperti sunt oculi, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent.

Luca 24. 31.

CAPUT XXXII. Mortalitatis & libidinis origo.

42. HÆC mors eâ die accidit, qua factum est quod Deus vetuit. Amisso quippe statu mirabili, corpus ipsum cui status etiam de ligno vitæ virtute mystica præbebatur, per quem nec morbo tentari, nec mutari ætate potuissent, ut hoc in eorum carne, quamvis adhuc animali & in melius postea commutanda, jam tamen significaretur per escam ligni vitæ, quod ex ipso spiritali alimento sapientiæ, cujus sacramentum illud lignum erat, fit in Angelis per æternitatis participationem, ut in deterius non mutentur: hoc ergo amisso statu corpus eorum duxit morbidam & mortiferam qualitatem, quæ inest etiam pecorum carni, ac per hoc etiam eumdem motum quo fit in pecoribus concumbendi appetitus, ut succedant nascentia morientibus: sed tamen etiam in ipsa jam pœna suæ generositatis [c] index anima rationalis bestialem motum in membris suæ carnis erubuit, eique incussit pudorem, non solùm quia hoc ibi sentiebat, ubi numquam antea tale aliquid senserat, verùm etiam quòd ille pudendus motus de præcepti transgressione veniebat. Ibi enim sensit, qua priùs gratiâ vestiretur, quando in sua nuditate nihil indecens patiebatur. Ibi completum est, Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam, [d] & factus sum conturbatus. Denique illa conturbatione ad folia ficulnea cucurrerunt, succinctoria consuerunt, & quia glorianda deseruerant, pudenda texerunt. Nec arbitror eos cogi-

Psal. 29. 8. — Ficulnea succinctoria.

a Editi, *Quomodo.* At MSS. *Quò.*

b Sic MSS. At Am. *quàm patienter tulerit.* Er. *quàm patienter tulerint.* Lov. *quòd patienter tulerint.*

c Am. & Er. *vindex anima.* Lov. *vindex animæ.* At MSS. magno consensu, *index anima.*

d Editi addunt, *à me.* quod abest à MSS. & à versione LXX.

tasse aliquid in illis foliis, quod talibus congrueret contegi jam membra prurientia, sed occulto instinctu ad hoc illa conturbatione compulsi sunt, ut etiam talis pœnæ suæ significatio à nescientibus fieret, quæ peccatorem [a] facta convinceret, & doceret scripta lectorem.

a

CAPUT XXXIII. Vox Dei ambulantis in paradiso. Gen. 3. 8.

43. ET *audierunt vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad vesperam.* Eâ quippe horâ tales jam convenerat visitare, qui defecerant à luce veritatis. Fortassis enim aliis intrinsecùs vel effabilibus vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, ubi est intellectus nosse simul quæcumque etiam per tempora non fiunt simul. Fortè, inquam, sic cum eis loquebatur, etsi non tanta participatione divinæ sapientiæ, quantam capiunt Angeli; tamen pro humano modulo, quantumlibet minus, sed ipso genere visitationis & locutionis; fortassis etiam illo, qui fit per creaturam, sive in ecstasi spiritus corporalibus imaginibus, sive ipsis sensibus corporis aliqua specie præsentata vel ad videndum, vel ad audiendum, sicut in Angelis suis solet videri Deus vel sonare per nubem. Nunc tamen quòd audierunt vocem Dei ambulantis in paradiso ad vesperam, nonnisi per creaturam visibiliter factum est, ne substantia illa invisibilis & ubique tota, quæ Patris & Filij est & Spiritus-sancti, corporalibus eorum sensibus locali & temporali motu apparuisse credatur.

Ibidem. 44. *Et absconderunt se Adam & mulier ejus à facie Domini in medio ligno, quod est in paradiso.* Cùm Deus avertit intrinsecùs faciem suam, & fit homo conturbatus; non miremur hæc fieri, quæ similia sunt dementiæ, per nimium pudorem ac timorem; illo quoque occulto instinctu non quiescente, ut ea nescientes facerent, quæ aliquid significarent, quandoque scituris posteris, propter quos ista conscripta sunt.

CAPUT XXXIV. Adam ob nuditatem sese abscondens interrogatur à Deo. Gen. 3. 9.

45. ET *vocavit Dominus Deus Adam, & dixit illi, Vbi es?* Increpantis vox est, non ignorantis. Et hoc sanè ad aliquam pertinet significationem, quòd sicut præceptum viro datum est, per quem perveniret ad feminam, ita vir prior interrogatur. Præceptum enim à Domino per virum usque ad feminam: peccatum autem à diabolo per feminam usque ad virum. Hæc mysticis significationibus plena sunt, non id agentibus in quibus facta sunt, sed de his id agente potentissimâ sapientiâ Dei. Non autem nunc significata referamus, sed gesta defendimus.

Ibid. 10. 46. Respondit ergo Adam: *Vocem tuam audivi in paradiso, & timui, quia nudus sum, & abscondi me.* Satis probabile est, solere Deum per creaturam tali actioni congruam in forma humana primis illis hominibus apparere: quos tamen numquam permisit advertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens, nisi cùm post peccatum pudendum in membris motum pœnali membrorum lege sensissent. Sic ergo affecti sunt, ut solent affici homines sub oculis hominum; & talis affectio de peccati pœna erat, eum latere velle, quem latere nihil potest, & ab eo carnem occultare, qui cordis inspector est. Sed quid mirum si [b] superbi volentes esse sicut dij, evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Se quippe dixerunt esse sapientes in abundantia sua, & illo avertente faciem, stulti facti sunt. Quod enim jam ipsos pudebat erga seipsos, unde sibi & succinctoria fecerant, multo vehementiùs ab illo etiam sic succincti videri verebantur, qui tamquam familiari temperamento ad eos videndos per creaturam visibilem velut humanos oculos afferebat. Si enim propterea sic apparebat, ut homines tamquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad quercum Mambre, illa ipsa propè amicitia pudore onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum; nec jam illam nuditatem audebant ostendere talibus oculis, quæ displicebat & suis.

Nuditas carnis.

b

Rom. 1. 21.

Gen. 18. 1.

CAPUT XXXV. Excusationes Adami & Evæ. Gen. 3. 11.

47. DOMINUS ergo volens jam peccatores more justitiæ interrogatos punire amplius quàm erat illa pœna, de qua jam cogebantur erubescere, *Quis nuntiavit*, inquit, *tibi quia nudus es, nisi à ligno quod præceperam tibi tantùm ne ex eo manducares, ab eo edisti?* Hinc enim mors concepta, propter Dei sententiam, qui sic fuerat comminatus, fecit adverti concupiscentialiter membra, ubi dicti sunt aperti oculi, & secutum est quod puderet. *Et dixit Adam, Mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit à ligno, & edi.* [c] Eia superbia: numquid dixit, Peccavi? Habet confusionis deformitatem, & non habet confessionis humilitatem. Ad hoc ista conscripta sunt, quia & ipsæ interrogationes nimirum ad hoc factæ sunt, ut & veraciter & utiliter scriberentur; quia si mendaciter, non utique utiliter: ut advertamus, quo morbo superbiæ laborent homines hodie, nonnisi in Creatorem conantes referre si quid egerint mali, cùm sibi velint tribui si quid egerint boni. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mecum*, id est quam dedisti ut esset mecum, *hæc mihi dedit à ligno, & edi:* quasi ad hoc data sit, ut non ipsa potiùs obediret viro, & ambo Deo.

c

Gen. 3. 12.

Ibid. 13.

48. *Et dixit Dominus Deus mulieri, Quid hoc fecisti? Et dixit mulier, Serpens seduxit me, & manducavi.* Nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu. Ex his tamen natus est, nec eos imitatus est, sed planè pluribus malis exercitatus, qui dixit, & dicet usque ad terminum sæculi, Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Quanto melius sic & isti? Sed adhuc cervices peccatorum non conciderat Dominus. Restabant labores, dolores mortis, & omnis contritio sæculi, & gratia Dei qua tempore opportuno subvenit hominibus, quos afflictos docuit non de seipsis debere præsumere. *Serpens*, inquit, *seduxit me, & manducavi:* quasi cujusquam suasio, præcepto Dei debuerit anteponi.

Psal. 40. 5.

Psal. 128. 4.

CAPUT XXXVI. Maledictio serpentis. Gen. 3. 14.

49. ET *Dominus Deus serpenti, Quia fecisti tu hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, & ab omnibus bestiis, quæ sunt super terram. Super pectus tuum & ventrem tuum ambulabis, & terram edes omnes dies vitæ tuæ. Et inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius. Ipsa tibi servabit caput, & tu servabis ejus calcaneum.* Tota ista sententia figurata est, nec aliud debet ei scriptoris fides narrationisque veritas, nisi ne illam dictam fuisse dubitemus. Quod enim positum est, *Et dixit Dominus Deus serpenti*, verba sola scribentis sunt, hæc exigenda sunt per proprietatem. Hoc ergo ve-

[a] Ita in MSS. ubi in excusis legebatur, *quæ peccatorem factum convinceret, & doceret Scriptura lectorem.*

[b] MSS. *superbè.*

[c] Sic in prolæ notæ MSS. In aliis verò codicibus, *& edi. Numquid dixit, Peccavi. Superbia habet &c.*

rum est, dictum est serpenti. Jam cetera verba Dei sunt, quæ libero lectoris intellectui relinquuntur, utrùm propriè an figuratè accipi debeant, sicut in exordio voluminis hujus nostri prælocuti sumus. Proinde quòd serpens, cur hoc fecerit, non est interrogatus, potest videri, quòd non ipse utique id in suâ naturâ & voluntate fecerat; sed diabolus de illo & per illum & in illo fuerat operatus: qui jam ex peccato impietatis ac superbiæ suæ igni destinatus fuerat sempiterno. Nunc ergo quod serpenti dicitur, & ad eum qui per serpentem operatus est utique refertur, procul dubio figuratum est: nam in his verbis tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset: quod genus humanum propagari tunc cœpit, quando hæc in diabolum est tamquam in serpentem prolata sententia. Hæc itaque verba quomodo figuris expositis accipienda sint, & in illis duobus adversùs Manichæos editis libris de Genesi, quantum potuimus disseruimus, & si quid diligentius & congruentius aliàs potuerimus, Deus aderit, ut efficiamus: nunc tamen nostra intentio in aliud quàm suscepimus, nullo exigente avertenda est.

CAPUT XXXVII. Pœna mulieris. Gen. 3. 16.

50. ET *mulieri dixit, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas & gemitum tuum: in tristitiis paries filios, & ad virum tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur.* Hæc quoque in mulierem Dei verba, figuratè ac propheticè multo commodiùs intelliguntur: verumtamen quia nondum pepererat femina, nec dolor & gemitus parientis nisi ex corpore mortis est, quæ illa præcepti transgressione concepta est, animalibus quidem etiam tunc membris, sed si homo non peccasset, non utique morituris, & alio quodam statu feliciore victuris, donec post vitam bene gestam in melius mutari mererentur, sicut jam supra pluribus locis insinuavimus, refertur hæc pœna & ad proprietatem litteræ: nisi quia id quod dictum est, *Et ad virum tuum conversio tua, & ipse dominabitur tui*, videndum est quemadmodum propriè possit accipi. Neque enim & ante peccatum, aliter factam fuisse decet credere mulierem, nisi ut vir ei dominaretur, & ad eum ipsa serviendo converteretur. Sed rectè accipi potest hanc servitutem significatam, quæ cujusdam conditionis est potiùs quàm dilectionis, ut etiam ipsa talis servitus, qua homines hominibus postea esse servi cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta. Dixit quidem Apostolus, Per caritatem servite invicem: sed nequaquam diceret, Invicem dominamini. Possunt itaque conjuges per caritatem servire invicem: sed mulierem non permittit Apostolus dominari in virum. Hoc enim viro potiùs Dei sententia detulit, & maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa: quod tamen nisi servetur, depravabitur amplius natura, & augebitur culpa.

Gal. 5. 13.

1. *Tim.* 2. 12.

Dominium mariti.

CAPUT XXXVIII. Pœna Adami & nomen mulieri impositum. Gen. 3. 17.

51. DIXIT ergo & ad virum ejus, *Quia audisti vocem mulieris tuæ, & edisti de ligno, dequo præceperam tibi de eo solo non edere; maledicta terra in operibus tuis: in tristitiis edes illam omnes dies vitæ tuæ: spinas & tribulos edet tibi, & edes fœnum agri. In sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec convertaris in terram ex qua sumtus es; quia terra es, & in terram ibis.* Hos esse in terra labores humani generis, quis ignorat? Et quia non essent, si felicitas, quæ in paradiso fuerat, teneretur, non est utique dubitandum; ac per hoc etiam propriè verba hæc primitus accipere ne pigeat. Servanda tamen est & exspectanda significatio prophetiæ, quam maximè hîc intuetur Dei loquentis intentio. Neque enim frustra & ipse Adam miro quodam instinctu tunc vocavit nomen mulieris suæ *Vitam*; subjiciens etiam, *quoniam ipsa est mater omnium viventium* Nam & hæc non scriptoris narrantis vel affirmantis, sed ipsius primi hominis verba intelligenda sunt, ut diceret, *quoniam hæc est mater omnium viventium*, tamquam nominis à se impositi caussam inferens, cur eam vocaverit *Vitam*.

Ibid. 20.

CAPUT XXXIX. Tunicæ pellicæ. Gen. 3. 21.

52. ET *fecit Dominus Deus Adæ & mulieri ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Et hoc significationis gratiâ factum est, sed tamen factum, sicut illa quæ significationis gratiâ dicta sunt, sed tamen dicta sunt. Hoc enim, quod sæpe dixi, nec me sæpius piget dicere, à narratore rerum propriè gestarum exigendum est, ut ea narret facta esse quæ facta sunt, & dicta esse quæ dicta sunt. Sicut autem in factis quæritur quid factum sit, & quid significet: ita in verbis & quid dictum sit, & quid significet. Sive enim figuratè sive propriè dictum sit, quod dictum esse narratur, dictum tamen esse non debet putari figuratum.

Exprobratio superbiæ. *Ibid.* 22.

53. *Et dixit Deus, Ecce Adam factus est tamquam unus ex nobis in cognoscendo bonum & malum.* Quoniam hoc, per quodlibet & quomodolibet dictum sit, Deus tamen dixit, non aliter intelligendum est quod ait, *unus ex nobis*, nisi propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur; sicut dictum erat, *Faciamus hominem*; sicut etiam Dominus de se & de Patre, Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Replicatum est igitur in caput superbi, quo exitu concupiverit quod à serpente suggestum est, *Eritis sicut dij. Ecce*, inquit, *Adam factus est tamquam unus ex nobis.* Verba enim sunt hæc Dei, non tam huic insultantis, quàm ceteros ne ita superbiant deterrentis, propter quos ista conscripta sunt. *Factus est*, inquit, *tamquam unus ex nobis in cognoscendo bonum & malum.* Quid aliud intelligendum nisi exemplum timoris incutiendi esse propositum, quòd non solùm non fuerit factus qualis fieri voluit, sed nec illud quod factus fuerat, conservavit.

Gen. 1. 26.

Johan. 14. 23.

Gen. 3. 5.

CAPUT XL. Expulsio è paradiso. Gen. 3. 22.

54. ET *nunc*, inquit Deus, *ne aliquando extendat manum, & sumat de ligno vitæ, & edat, & vivat in æternum. Et dimisit illum Dominus Deus de paradiso voluptatis operari terram, ex qua sumtus est.* Superiora verba Dei sunt: hoc autem factum propter ipsa verba secutum est. Alienatus enim à vita, non solùm quam fuerat, si præceptum servasset, cum Angelis accepturus, sed ab illa etiam quam ducebat in paradiso, felici quodam corporis statu, separari utique debuit à ligno vitæ: sive quòd ex ipso illi subsisteret felix ille ipse status corporis, ex re visibili, virtute invisibili, sive quòd in eo esset & sacramentum visibile invisibilis sapientiæ; alienandus inde utique fuerat, vel jam moriturus, vel etiam tamquam excommunicatus: sicut etiam in hoc paradiso, id est Ecclesia, solent à sacramentis altaris visibilibus homines disciplinâ ecclesiasticâ removeri.

Excommunicatio.

Ibid. 24.

55. *Et ejecit Adam, & collocavit eum contra paradisum voluptatis.* Et hoc significandi gratiâ factum est, sed tamen factum, ut contra paradisum, quo beata vita etiam spiritaliter significabatur, habitaret peccator utique in miseria. *Et ordinavit Cherubim, & flammeam rhomphæam quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ.* Hoc per cælestes utique potestates etiam in paradiso visibili factum esse cre-

2. *Sent. d. st.* 29 *cap.* Nec verò.

Gen. 3. 24.

se, quod de incorporea corporeaque natura nos ut sciamus utcumque, conamur. Si ergo sciebat, spiritalia per corpus, corporalia extra corpus videri omnino non posse, cur non per ea ipsa quæ vidit, quomodo etiam potuerit videre, discrevit? Si enim certus erat illa esse spiritalia, cur non consequenter extra corpus ea se vidisse certus nihilo minùs erat? Si autem corporalia esse noverat, nonnisi per corpus videri potuisse cur non etiam noverat? Unde ergo dubitat utrùm in corpore an extra corpus ea viderit, nisi fortè ita etiam dubitat, utrùm illa corpora ar similitudines corporum fuerint? Priùs itaque videamus quid sit in verborum istorum contextione unde non dubitet, atque ita cùm remanserit unde dubitet, fortassis ex his de quibus non dubitat, quomodo etiam illud dubitet apparebit.

2. Cor. 12. 2. 8. Scio, inquit, hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum ejusmodi usque in tertium cælum. Scit ergo ante annos quatuordecim in Christo raptum hominem usque ad tertium cælum, hoc omnino non dubitat; nec nos ergo dubitemus: sed utrùm in corpore an extra corpus, dubitat; unde illo dubitante, quis nostrùm certus esse audeat? Num fortè hinc etiam illud consequens erit, ut tertium cælum fuisse dubitemus, quò raptum hominem dixit? Si enim res ipsa demonstrata est, tertium cælum demonstratum est: si autem imago aliqua corporalium similis facta est, non erat illud tertium cælum, sed illa ostensio sic ordinata est, ut videretur. sibi adscendere primum cælum, super quod videret alterum, quò rursus adscendens iterum alterum videret superius, quò cùm pervenisset, posset dicere se in tertium cælum raptum. Sed illud quod tertium cælum esset, quò raptus est, neque dubitavit, neque dubitare nos voluit: ad hoc enim præmisit, Scio, & inde cœpit, ut id quod se scire Apostolus dicit, solus ille non credat verum esse, qui non credit Apostolo.

Caput IV. Verè tertium cælum fuisse illud quò raptus est Apostolus.

9. Scit ergo hominem raptum esse usque in tertium cælum: proinde illud quò raptus est, verè tertium cælum est; non signum aliquod corporale, quod cùm ostenderetur Moysi, usque adeo sentiebat aliud esse ipsam Dei substantiam, aliud visibilem creaturam, in qua se Deus humanis & corporalibus sensibus præsentabat, ut diceret, Ostende mihi temetipsum; nec aliqua imago rei corporalis, quam cùm Johannes videret in spiritu, quærebat quid esset, eique respondebatur, vel civitas est, vel populi sunt, vel aliquid aliud, cùm videret ille bestiam, sive mulierem, sive aquas, sive quid ejusmodi: sed Scio, inquit, hominem raptum usque in tertium cælum.

Exodi 33. 13. Apoc. 13. 1. & 17. 3.

10. Quòd si spiritalem imaginem corporali similem cælum appellare voluisset, sic erat etiam imago corporis ejus, in qua illuc raptus adscenderat: sic ergo & suum corpus appellaret, quamvis imaginem corporis, quomodo illud cælum, quamvis imaginem cæli; neque curaret discernere quid sciret & quid nesciret, id est quia sciret raptum hominem usque ad tertium cælum, nesciret autem utrùm in corpore an extra corpus; sed simpliciter narraret visionem, earum rerum nominibus appellans illa quæ vidit, quarum erant similia. Nam & nos dicimus, cùm somnia nostra narramus vel aliquam in eis revelationem, Vidi montem, vidi fluvium, vidi tres homines, & si quid ejusmodi, ea nomina tribuentes illis imaginibus, quæ habent res ipsæ, quarum similes erant: Apostolus autem, Illud, inquit, scio, illud nescio.

11. At si utrumque imaginaliter apparuit, utrumque pariter scitur, pariterve nescitur: si autem propriè cælum, & ideo scitur; quomodo potuit imaginaliter corpus illius hominis apparere?

Difficultas quomodo Apostolus certus sit de cælo viso, & incertus de modo quo visum fuit.

12. Nam si cælum corporeum videbatur, quare latebat utrùm corporeis oculis videretur? Si autem incertum erat, utrùm oculis corporeis an spiritu videretur, & ideo dictum est, Sive in corpore, sive extra corpus, nescio; quomodo non incertum erat & illud, utrùm verè cælum corporeum videretur, an imaginaliter ostenderetur? Itemque si substantia incorporea videbatur, non in aliqua imagine corporis, sed sicut videtur justitia, sapientia, & si quid ejusmodi, & hoc erat cælum; id quoque manifestum est, oculis hujus corporis videri aliquid tale non posse: ac per hoc si aliquid tale se vidisse sciebat, non per corpus se vidisse dubitare non poterat. Scio, inquit, hominem in Christo ante annos quatuordecim: hoc scio, nemo dubitet, qui mihi credit; sed utrùm in corpore an extra corpus, nescio, Deus scit.

Caput V. Eadem difficultas enodatur.

13. Quid ergo scis, quod discernis ab eo quod nescis, ne credentes fallantur? Raptum, inquit, eumdem hominem usque in tertium cælum. At illud cælum aut corpus erat, aut spiritus: si corpus erat, & corporeis oculis visum est; cur illud cælum esse scitur, & in corpore visum esse nescitur? Si autem spiritus erat; aut corporis imaginem præbuit, & tam incertum est utrùm corpus fuerit, quàm incertum est utrùm in corpore visum sit; aut sic visum est, quomodo videtur mente sapientia, sine ullis imaginibus corporum, & nihilo minùs certum est videri non potuisse per corpus: aut ergo utrumque certum est, aut utrumque incertum; aut quomodo certum quod visum est, incertum autem per quod visum est? Manifestum est enim, incorpoream naturam ab eo videri non potuisse per corpus. Corpora verò etiam si possunt videri sine corpore, non utique sic videntur per corpus, sed longè ille dispar modus est si quis est; unde mirum si posset Apostolum tamquam simillimus fallere, aut ad dubitationem cogere, ut si corporeum cælum non corporeis oculis vidit, incertum sibi esse diceret, utrùm in corpore an extra corpus id viderit.

14. Restat ergo fortasse, ut quoniam mentiri non posset Apostolus, qui tantâ curâ egit, ut discerneret quid sciret, & quid nesciret, hoc ipsum eum intelligamus ignorasse, utrùm quando in tertium cælum raptus est, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cùm corpus vivere dicitur, sive vigilantis, sive dormientis, sive in ecstasi â sensibus corporis alienata; an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus jaceret, donec peracta illa demonstratione membris mortuis anima redderetur, & non quasi dormiens evigilaret, aut ecstasi alienatus denuo rediret in sensus, sed mortuus omnino revivisceret. Proinde quod vidit raptus usque in tertium cælum, quod etiam se scire confirmat, propriè vidit, non imaginaliter. Sed quia ipsa à corpore alienata, utrùm omnino mortuum corpus reliquerit, an secundùm modum quemdam viventis corporis ibi anima fuerit, sed mens ejus ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis arrepta sit, hoc incertum erat, ideo forsitan dixit, Sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit.

Caput VI. Visionum genera tria.

15. Quod autem non imaginaliter, sed propriè videtur, & non per corpus videtur, hoc ea visione videtur, quæ omnes ceteras superat. Harum species atque differentias, quantum me Dominus adjuverit, explicare curabo. Ecce in hoc uno præcepto cùm legitur, Diliges proximum tuum tamquam teipsum, tria genera visionum occurrunt: unum per oculos, quibus ipsæ litteræ videntur; alterum per spiritum hominis, quo proximus & absens cogitatur; tertium per contuitum mentis, quo ipsa dilectio intellecta conspicitur. In his tribus generibus, illud primam manifestum est omnibus: in hoc enim videtur cælum & terra, & omnia quæ in eis conspicua sunt oculis nostris. Nec illud alterum, quo absentia corporalia cogitantur, insinuare difficile est: ipsum quippe cælum & terram, & ea quæ in eis videre possumus, etiam in tenebris constituti cogitamus; ubi nihil videntes oculis corporis, animo tamen corporales imagines intuemur, seu veras, sicut ipsa corpora videmus, & memoriâ retinemus; seu fictas, sicut cogitatio formare potuerit. Aliter enim cogitamus Carthaginem quam novimus, aliter Alexandriam quam non novimus. Tertium verò illud, quo dilectio intellecta conspicitur, eas res continet, quæ non habent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ. Nam homo vel arbor vel sol, & quæcumque alia corpora, sive cælestia sive terrestria, & præsentia videntur in suis formis, & absentia cogitantur imaginibus animo impressis, & faciunt duo genera visorum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum, quo illæ imagines continentur. Dilectio autem numquid aliter videtur præsens in specie qua est, & aliter absens in aliqua imagine sui simili? Non utique, sed quantum mente cerni potest, ab alio magis, ab alio minùs ipsa cernitur: si autem aliquid corporalis imaginis cogitatur, non ipsa cernitur.

Matth. 22. 39.

Caput VII. Genera visionum, corporale, spiritale, intellectuale.

16. Hæc sunt tria genera visionum, de quibus & in superioribus libris aliquid diximus, sicut res postulare videbatur, non tamen eorum numerum commemoravimus; & nunc breviter eis insinuatis, quoniam suscepta quæstio flagitat, ut de his aliquanto uberiùs disseramus, debemus ea certis & congruis signare nominibus, ne assiduè circumloquendo moras faciamus. Primum ergo appellemus corporale, quia per corpus percipitur & corporis sensibus exhibetur. Secundum spiritale, quidquid enim corpus non est, & tamen aliquid est, jam rectè spiritus dicitur; & utique non est corpus, quamvis corpori similis sit, imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur. Tertium verò intellectuale, ab intellectu; quia mentale, à mente, ipsa vocabuli novitate nimis absurdum est, ut dicamus.

17. Horum vocabulorum rationem si subtiliùs reddam, & prolixior & perplexior sermo erit, cùm hoc vel nulla, vel certè non tanta necessitas exigat. Saris est ergo scire corporale aliquid vel propriè dici, cùm de corporibus agitur, vel etiam translato vocabulo, sicut dictum est, Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Neque enim divinitas corpus est, sed quia sacramenta veteris Testamenti appellat umbras futuri, propter umbrarum comparationem corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, quòd in illo impleantur omnia, quæ in illis umbris figurata sunt, ac sic quodammodo umbrarum illarum ipse sit corpus, hoc est figurarum & significationum illarum ipse sit veritas. Sicut ergo ipsæ figuræ significativè, translato utique vocabulo, non propriè dictæ sunt umbræ: ita & quod ait plenitudinem divinitatis corporaliter habitare, translato verbo usus est.

Corporale propriè & translatè. Coloss. 2. 9.

Ibid. 17.

18. Spiritale autem pluribus modis dicitur. Nam & corpus, quod futurum est in resurrectione sanctorum, spiritale appellat Apostolus, ubi ait, Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale; eo quòd miris modis ad omnem facilitatem & incorruptionem spiritui subdatur, & sine ulla indigentia corporalium alimentorum solo vivificetur spiritu, non quòd incorpoream substantiam sit habiturum: neque enim & hoc corpus, quale nunc habemus, animæ habet substantiam, & hoc est quod anima, quia dictum est animale. Item spiritus dicitur, vel aër iste, vel flatus ejus, id est motus ejus, sicut dictum est, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis. Dicitur etiam spiritus anima, sive pecoris, sive hominis, sicut scriptum est, Et quis scit, spiritus filiorum hominis si adscendat ipse sursum, & spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram? Dicitur spiritus & ipsa mens rationalis, ubi est quidam tamquam oculus animæ, ad quem pertinet imago & agnitio Dei. Unde dicit Apostolus, Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est: cùm & alibi dicat de interiore homine, Qui renovatur in agnitione Dei, secundùm imaginem ejus, qui creavit eum. Item cùm dixisset, Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati: alio loco eamdem sententiam commemorans, Caro, inquit, concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, ut non ea quæ vultis faciatis: quam dixit mentem, hanc etiam spiritum appellavit. Dicitur spiritus etiam Deus, sicut ait Dominus in Evangelio, Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

Spiritale pluribus modis. 1. Cor. 15. 44.

Psal. 148. 8.

Eccle. 3. 21.

Ephes. 4. 23.

Coloss. 3. 10.

Rom. 7. 25.

Gal. 5. 17.

Johan. 4. 24.

Caput VIII. Unde spiritale dicitur visionum genus secundum.

19. Ex his omnibus modis, quos commemoravimus, quibus appellatur spiritus, non traximus hoc vocabulum, quo appellavimus spiritale hoc visionis genus, de quo nunc agimus; sed ex illo uno modo, quem invenimus in epistola ad Corinthios, quo spiritus à mente distinguitur evidentissimo testimonio. Si enim oravero, inquit, linguâ, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est. Cùm ergo linguam intelligatur hoc loco dicere obscuras & mysticas significationes, à quibus si intellectum mentis removeas, nemo ædificatur, audiendo quod non intelligit: unde etiam dicit, Qui enim loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed Deo; nemo enim audit, spiritus autem loquitur mysteria: satis indicat eam se linguam hoc loco appellare, ubi sunt significationes velut imagines rerum ac similitudines, quæ ut intelligantur, indigent mentis obtutu. Cùm autem non intelliguntur, in spiritu eas dicit esse, non in mente: unde apertiùs ait, Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet amen super tuam benedictionem, quandoquidem nescit quid dicas? Quia ergo etiam linguâ, id est membro corporis quod movemus in ore cùm loquimur, signa utique rerum dantur, non res ipsæ proferuntur; propterea translato verbo linguam appellavit quamlibet signorum prolationem priusquam intelligantur: quò cùm intellectus

1. Cor. 14. 14.

Ibidem 2.

Ibidem 16.

accesserit, qui mentis est proprius, fit revelatio, vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina. Proinde
1 Cor. 14. 6. ait, Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis
» prodero, nisi loquar vobis in revelatione, aut in
» agnitione, aut in prophetia, aut in doctrina? id est cùm signis, hoc est linguæ accesserit intellectus, ut non spiritu tantùm, sed etiam mente agatur quod agitur.

CAPUT IX. Prophetiæ ad mentem pertinere.

20. PROINDE quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia; magisque propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quàm ipse qui vidisset. Unde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam, quàm ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaque magis Joseph propheta, qui intellexit quid
Gen. 41. 26. significarent septem spicæ & septem boves, quàm Pharao qui eas vidit in somnis. Illius enim spiritus informatus est, ut videret; hujus mens illuminata, ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia; quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minùs ergo propheta, qui rerum, quæ significantur, sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt, & magis propheta, qui solo earum intellectu præditus est: sed & maximè propheta, qui utroque præcellit, ut & videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, & eas vivacitate men-
Dan. 2. 31. & 4. 17. tis intelligat, sicut Danielis excellentia tentata est & probata, qui regi & somnium quod viderat dixit, & quid significaret aperuit. Et ipsæ quippe imagines corporales in spiritu ejus expressæ sunt, & earum intellectus revelatus in mente. Ex hoc ergo modo, quo appellatur in ista distinctione spiritus
1. Cor. 14. 15. secundùm quem dixit Apostolus, Orabo spiritu, orabo autem & mente, ut & signa rerum formarentur in spiritu, & eorum refulgeret intellectus in mente, secundùm hanc, inquam, distinctionem spiritale nunc appellavimus tale genus visorum, quali etiam corporum absentium imagines cogitamus.

CAPUT X. Intellectuale genus visionis.

21. INTELLECTUALE autem illud excellentius, quod mentis est proprium. Nec mihi occurrit omnino, ita pluribus modis dici posse intellectum, sicut spiritum multis modis appellatum esse comperimus. Sive autem intellectuale dicamus, sive intelligibile, hoc idem significamus. Quamquam nonnihil interesse nonnulli voluerunt, ut intelligibilis sit res ipsa, quæ solo intellectu percipi potest; intellectualis autem, mens quæ intelligit: sed esse aliquam rem, quæ solo intellectu cerni possit, ac non etiam intelligat, magna & difficilis quæstio est. Esse autem rem, quæ intellectu percipiat, & non etiam intellectu percipi possit, non arbitror quemquam vel putare, vel dicere; mens quippe non videtur nisi mente. Quia ergo videri potest, intelligibilis; quia & videre, intellectualis est, secundùm illam distinctionem. Quapropter sequestrata illa difficillima quæstione, utrùm sit aliquid quod tantùm intelligatur nec intelligat, nunc intellectuale & intelligibile sub eadem significatione appellamus.

CAPUT XI. Corporalé visionem.

22. TRIA igitur ista genera visionum, corporale, spiritale, & intellectuale, singillatim consideranda sunt, ut ab inferioribus ratio ad superiora conscendat. Jam quidem superiùs exemplum proposuimus, quo in una sententia omnia tria videantur genera. Cùm enim legitur, Diliges proximum tuum tamquam teipsum, corporaliter litteræ videntur, spiritaliter proximus cogitatur, intellectualiter dilectio conspicitur. Sed & litteræ absentes possunt spiritaliter cogitari, & proximus præsens potest corporaliter videri; dilectio autem nec per substantiam suam potest oculis corporis cerni, nec per imaginem corporis similem spiritu cogitari, sed sola mente, id est intellectu cognosci & percipi. Corporalis sanè visio nulli horum generi præsidet, sed quod per eam sentitur, illi spiritali tamquam præsidenti nuntiatur. Nam cùm aliquid oculis cernitur, continuò fit imago ejus in spiritu, sed non dignoscitur facta, nisi cùm ablatis oculis ab eo quod per oculos videbamus, imaginem ejus in animo invenerimus. Et siquidem spiritus irrationalis est, veluti pecoris, hoc usque oculi nuntiant. Si autem anima rationalis est, etiam intellectui nuntiatur, qui & spiritui præsidet, ut si illud quod hauserunt oculi, atque id spiritui, ut ejus illic imago fieret, nuntiaverunt, alicujus rei signum est, aut intelligatur continuò quid significet, aut quæratur; quoniam nec intelligi nec requiri nisi officio mentis potest.

referri ad spiritalem, hanc verò ad intellectualem. Matth. 22. 39.

23. Vidit rex Balthasar articulos manus scri- Dan. 5. 5.
bentis in pariete, continuóque per corporis sensum imago rei corporaliter factæ spiritui ejus impressa est, atque ipso viso facto ac præterito illa in cogitatione permansit: videbatur in spiritu, & nondum intelligebatur, nec tunc intellectum erat hoc signum, cùm corporaliter fieret, atque oculis corporalibus appareret; jam tamen signum esse intelligebatur, id habens ex mentis officio. Et quia requirebatur quid significaret, etiam ipsam inquisitionem utique mens agebat. Quo non comperto Daniel accessit, & spiritu prophetico mente illu- Ibid. 25. & 26.
strata, perturbato regi quid illo signo portenderetur aperuit, ipse potiùs propheta per hoc genus visionis, quod mentis est proprium, quàm ille qui & signum corporaliter factum corporaliter viderat, & transacti ejus imaginem in spiritu cogitando cernebat, nec aliquid intellectu poterat, nisi nosse signum esse, & quid significaret inquirere.

24. Vidit Petrus in alienatione mentis vas qua- Act. 10. 11.
tuor lineis alligatum submitti de cælo plenum variis animalibus, cùm audivit & vocem, Macta & manduca. Qui cùm redditus sensibus de visu disceptaret, ecce quos Cornelius miserat, nuntiavit ei spiritus dicens, Ecce viri quærunt te: sed surge descende, & vade cum illis, quia ego misi eos. Qui cùm venisset ad Cornelium, quid in illa visione intellexerit, ubi audierat, Quæ Deus mundavit, tu ne communia dixeris, ipse indicavit dicens, Sed mihi Deus ostendit neminem communem aut immundum hominem dicere. Cùm ergo illum discum videret alienatus à corporis sensibus, & illas voces, Macta & manduca, &, Quæ Deus mundavit, tu communia ne dixeris, in spiritu audiebat. Redditus autem corporis sensibus, idipsum quod visum atque auditum memoriâ tenuerat, in eodem spiritu cogitando cernebat. Quæ omnia non corporalia, sed corporalium imagines erant, sive cùm primùm in ipsa alienatione visæ sunt, sive cùm postea recordatæ atque cogitatæ. Cùm verò disceptabatur, & requirebatur ut illa signa intelligerentur, mentis erat actio conantis, sed deerat

[a] effectus

[a] effectus donec nuntiati sunt, qui venerant à Cornelio, hac verò corporali etiam accedente visione, cùm & Spiritus-sanctus rursus in spiritu ei diceret, Vade cum eis, ubi & illud signum ostenderat, & impresserat voces, adjuta divinitus mens intellexit, quid illis signis omnibus ageretur. His atque hujusmodi rebus diligenter consideratis, satis apparet corporalem visionem referri ad spiritalem, eamque spiritalem referri ad intellectualem.

CAPUT XII. Corporalis & spiritalis visio.

25. SED cùm vigilantes, neque mente à sensibus corporis alienata, in visione corporali sumus, discernimus ab ea visionem spiritalem, qua corpora absentia imaginaliter cogitamus, sive memoriter recordantes quæ novimus, sive quæ non novimus & tamen sunt, in ipsa spiritus cogitatione utcumque formantes, sive quæ omnino nusquam sunt, pro arbitrio vel opinatione fingentes. Ab his omnibus ita discernimus illa corporalia, quæ videmus, & in quibus præsentibus sunt sensus corporis nostri, ut non dubitemus hæc esse corpora, illas verò imagines corporum. Cùm autem vel nimia cogitationis intentione, vel aliqua vi morbi, ut phreneticis per febrem accidere solet, vel commixtione cujusquam alterius spiritus seu mali seu boni, ita corporalium rerum in spiritu exprimuntur imagines, tamquam ipsis corporis sensibus corpora præsententur, manente tamen etiam in sensibus corporis intentione, sic videntur quæ in spiritu fiunt imagines corporum, quemadmodum corpora ipsa per corpus; ita ut simul cernatur & homo aliquis præsens oculis, & absens alius spiritu tamquam oculis. Nam experti sumus sic affectos, & cum eis locutos qui verè aderant, & cum aliis qui non aderant, tamquam adessent. Respiscentes autem aliqui referunt quod vidissent, aliqui non possunt. Sic enim & somnia quidam obliviscuntur, quidam meminerunt. Quando autem penitus avertitur atque abripitur animi intentio à sensibus corporis, tunc magis ecstasis dici solet. Tunc omnino quæcumque sint præsentia corpora, etiam patentibus oculis non videntur, nec ullæ voces prorsus audiuntur: totus animi contuitus aut in corporum imaginibus est per spiritalem, aut in rebus incorporeis nulla corporis imagine figuratis per intellectualem visionem.

26. Sed cùm spiritalis visio, penitus alienato à sensibus corporis animo, imaginibus corporalium detinetur, sive in somnis sive in ecstasi, si nihil significant quæ videntur, ipsius animæ sunt imaginationes: sicut etiam vigilantes & sani, & nulla alienatione moti, multorum corporum quæ non adsunt sensibus corporis, cogitatione imagines versant. Verùm hoc interest, quòd eas à præsentibus verisque corporibus constanti affectione discernunt. Si autem aliquid significant, sive dormientibus exhibeantur, sive vigilantibus, cùm & oculis vident præsentia corpora, & absentium imagines cernunt spiritu, tamquam oculis præstò sint, sive illâ quæ ecstasis dicitur alienato prorsus animo à
b sensibus corporis, mirus modus est [b]: sed commixtione alterius spiritus fieri potest, ut ea quæ ipse scit, per hujusmodi imagines ei cui miscetur ostendat, sive intelligenti, sive ut ab alio intellecta pandantur. Si enim demonstrantur hæc, nec utique à corpore demonstrari possunt, quid restat nisi ut ab aliquo spiritu demonstrentur?

CAPUT XIII. An insit in anima vis divinationis.

27. NONNULLI quidem volunt animam humanam habere vim quamdam divinationis in seipsa. Sed si ita est, cur non semper potest, cùm semper velit? An quia non semper adjuvatur ut possit? Cùm ergo adjuvatur, numquid à nullo aut à corpore ad hoc adjuvari potest? Proinde restat ut à spiritu adjuvetur. Deinde quomodo adjuvatur? Utrùm in corpore fit aliquid, ut inde quasi relaxetur & emicet ejus intentio, quò in id veniat, ubi in seipsa videat significantes similitudines, quæ ibi jam erant, nec videbantur; sicut multa habemus & in memoria, quæ non semper intuemur? An fiunt illic, quæ ante non fuerant, vel in aliquo spiritu sunt, quò illa erumpens & emergens ibi eas videat? Sed si jam in illa erant quasi propriè, cur eas non etiam consequenter intelligit? Aliquando enim, immo plerumque non intelligit. An sicut spiritus ejus adjutus est, ut eas in se videret, ita & mens nisi adjuvetur, ea quæ habet spiritus, intelligere non potest? An fortè non corporea removentur, vel quasi relaxantur impedimenta, ut suo impetu anima in ea quæ videnda sunt, exseratur, sed ipsa prorsus in hæc assumitur, sive tantùm spiritaliter cernenda, sive etiam intellectualiter cognoscenda? An aliquando in seipsa videt ista, aliquando per alterius spiritus commixtionem? Quidquid horum est, temere affirmari non oportet. Illud tamen dubium esse non debet, corporales imagines, quæ spiritu cernuntur, non semper signa esse aliarum rerum, sive in vigilantibus, sive in dormientibus, sive in ægrotantibus: mirum est autem, si aliquando ecstasis fieri potest, ut non illæ corporalium rerum similitudines aliquid significent.

28. Non sanè mirum est si & dæmonium habentes aliquando vera dicunt, quæ absunt à præsentium sensibus; quod certè nescio quâ occultâ mixturâ ejusdem spiritus fit, ut tamquam unus sit patientis atque vexantis. Cùm autem spiritus bonus in hæc visa humanum spiritum assumit, aut rapit, nullo modo illas imagines signa rerum aliarum esse dubitandum est, & earum quas nosse utile est: Dei enim munus est. Discretio sanè difficillima est, cùm spiritus malignus quasi tranquillus agit, ac sine aliqua vexatione corporis assumto humano spiritu dicit quod potest; quando etiam vera dicit, & utilia prædicat, transfigurans se, sicut scriptum est, 2. Cor. 11. 14.
velut Angelum lucis, ad hoc ut cùm illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua. Hunc discerni non arbitror, nisi dono illo, de quo ait Apostolus, cùm de diversis Dei muneribus loque-
F retur, Alij dijudicatio spirituum. * Non enim ma- 1. Cor. 12. 10.
gnum est, tunc eum dignoscere, cùm ad aliqua pervenerit vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores vel regulam fidei: tunc enim à multis discernitur. Illo autem dono, in ipso primordio quo multis adhuc bonus apparet, continuò dijudicatur an malus sit.

* CAPUT XIV. Intellectualis visio non fallit. In aliis falli non semper est perniciosum.

29. Tamen & per corporalem visionem, & per imagines corporalium quæ demonstrantur in spiritu, & boni instruunt, & mali fallunt. Intellectualis autem visio non fallitur. Aut enim non intelligit, qui aliud opinatur quàm est; aut si intelligit, continuò verum est. Quid enim faciant oculi non habent, cùm simile corpus viderint, quod ab alio discernere non possint: aut quid faciat animi intentio, cùm in spiritu facta fuerit corporis similitudo, quam

[a] MSS. magno consensu, *affectus*. fortè meliùs, eo videlicet significatu, quo postea n. 26. *affectionis* vocabulum usurpatur.

[b] Editi, *Si commixtione*. Ita etiam MSS. excepto Martinensi; cujus auctoritate reponimus, *sed*.

non valeat distinguere à corpore? Sed adhibetur intellectus, quærens quid illa significent vel utile doceant; & aut inveniens ad fructum suum pervenit, aut non inveniens in disceptatione se tenet, ne aliqua perniciosa temeritate prolabatur in exitiabilem errorem.

30. Judicat autem sobrius intellectus divinitus adjutus, quæ vel quanta sint, in quibus etiam aliud putare quàm est, non sit animæ perniciosum. Nec enim putantium periculo, & non potiùs exitio suo, quisque à bonis putatur bonus, etiamsi occultus sit malus, si in rebus ipsis, id est in ipso bono quo sit quisque bonus, non erretur: aut aliquid obest omnibus hominibus, quòd cùm dormiunt, vera corpora esse arbitrantur, quorum similitudines in somnis vident: aut aliquid obfuit Petro, quòd soluto se à vinculis, seque Angelo deducente factum est repentino miraculo, ut putaret se visum videre: vel cùm in illa ecstasi respondit, Nequaquam domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum; putans ea ipsa, quæ in disco demonstrabantur, tamquam vera animalia. Hæc quando aliter inventa fuerint, quàm putata sunt, cùm viderentur, non nos pænitet ita nobis fuisse visa, si non arguatur vel infidelitas dura, vel opinatio vana sive sacrilega. Quapropter & cùm visis corporalibus diabolus fallit, nihil obest quod ludificantur oculi, si non erratur in veritate fidei, & intelligentiæ sanitate, qua docet Deus subjectos sibi. Aut si ludificet animam spiritali visione imaginibus corporum, ut putet corpus esse quod non est, non aliquid obest animæ, si perniciosæ suasioni non consentiat.

Act. 12. 9.

Act. 10. 14.

CAPUT XV. Somnia Veneris sine peccato contingere.

31. UNDE aliquando fit quæstio de consensionibus somniantium, cùm etiam concumbere sibi videntur, vel contra propositum suum, vel contra etiam licitos mores. Quod non contingit, nisi cùm ea quæ vigilantes etiam cogitamus, non cum placito consensionis, sed sicut etiam talia propter aliquid loquimur, sic admoventur in somnis, & exprimuntur, ut eis naturaliter etiam caro moveatur, & quod naturaliter colligit, per genitales vias emittat; sicut hoc ipsum dicere utique non possem, nisi etiam cogitarem. Porrò imagines rerum corporalium, quas necessariò cogitavi, ut hoc dicerem, si tanta expressione præsentarentur in somnis, quantâ præsentantur corpora vigilantibus, fieret illud quod sine peccato fieri à vigilante non posset. Quis enim vel cùm loquitur, & postulante necessitate sermonis de suo concubitu aliquid dicit, possit non cogitare quod dicit. Porrò ipsa phantasia, quæ fit in cogitatione sermocinantis, cùm ita expressa fuerit in visione somniantis, ut inter illam & veram commixtionem corporum non discernatur, continuò movetur caro, & sequitur quod eum motum sequi solet, cùm hoc tam sine peccato fiat, quàm sine peccato à vigilante dicitur, quod ut diceretur, sine dubio cogitatum est. Verumtamen propter animæ affectionem bonam, quæ desiderio meliore mundata multas interficit cupiditates, quæ ad naturalem carnis motum non pertinent, quem casti vigilantes cohibent & refrenant, dormientes autem ideo non possunt, quia non habent in potestate quæ admoveatur expressio corporalis imaginis, quæ discerni non possit à corpore: propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in somnis quædam ejus merita clarent. Nam etiam dormiens Salomon sapientiam præposuit omnibus rebus, eamque neglectis ceteris est precatus à Domino: & sicut Scriptura testatur, placuit hoc coram Domino, nec distulit retributionem bonam pro desiderio bono.

3. Reg. 3. 9. & 10.

CAPUT XVI. Corporalium similitudines à spiritu in seipso formari.

32. QUÆ cùm ita sint, pertinet corporis sensus ad visa corporalia, qui per quinque quasi rivulos distanter valentes distribuitur: cùm illud quod est subtilissimum in corpore, & ob hoc animæ vicinius quàm cetera, id est lux, primùm per oculos sola diffunditur, emicatque in radiis oculorum ad visibilia contuenda: deinde mixturâ quadam, primùm cum aëre puro, secundò cum aëre caliginoso atque nebuloso, tertiò cum corpulentiore humore, quartò cum terrena crassitudine, quinque sensus cum ipso, ubi sola excellit, oculorum sensu efficit: sicut in libro quarto, itemque in septimo disseruisse me recolo. Est autem hoc cælum oculis conspicuum, unde luminaria & sidera effulgent, excellentius utique omnibus corporeis elementis, sicut oculorum sensus excellit in corpore. Quia verò spiritus omnis omni est corpore sine dubitatione præstantior, sequitur ut non loci positione, sed naturæ dignitate præstantior sit natura spiritalis isto corporeo cælo, etiam illa ubi rerum corporalium exprimuntur imagines.

33. Hic exsistit quiddam mirabile, ut cùm prior sit corpore spiritus, & posterior corporis imago quàm corpus, tamen quia illud quod tempore posterius est, fit in eo quod natura prius est, præstantior sit imago corporis in spiritu, quàm ipsum corpus in substantia sua. Nec sanè putandum est facere aliquid corpus in spiritu, tamquam spiritus corpori facienti, materiæ vice subdatur. Omni enim modo præstantior est qui facit, ea re de qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu præstantius est corpus; immo perspicuo modo spiritus corpore. Quamvis ergo priùs videamus aliquod corpus, quod antea non videramus, atque inde incipiat imago ejus esse in spiritu nostro, quò illud cùm absens fuerit recordemur: tamen eamdem ejus imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili, quæ ineffabiliter longè est à corporis tarditate; cujus imago mox ut oculis visum fuerit, in spiritu videntis nullius puncti temporalis interpositione formatur. Itemque in auditu, nisi auribus perceptæ vocis imaginem continuò spiritus in seipso formaret, ac memoria retineret, ignoraretur secunda syllaba utrùm secunda esset, cùm jam prima utique nulla esset, quæ percussa aure transiisset: ac sic omnis locutionis usus, omnis cantandi suavitas, omnis postremò in actibus nostris corporalis motus dilapsus occideret, neque ullum progressum nancisceretur, si transactos corporis motus memoriter spiritus non teneret, quibus consequentes in agendo connecteret. Quos utique non tenet, nisi imaginaliter à se factos in se. Ipsarum etiam futurarum motionum imagines præveniunt fines actuum nostrorum. Quid enim agimus per corpus, quod non cogitando præoccupaverit spiritus, omniumque visibilium operum similitudines in seipso primitus viderit, & quodammodo disposuerit?

CAPUT XVII. Similitudines animo expressæ unde innotescant dæmonibus.

34. QUÆ spiritales corporalium similitudines in animo nostro, quemadmodum innotescant spiritibus etiam immundis, vel quid obstaculi patiatur anima nostra ex isto terreno corpore, ut eas invicem in nostro spiritu videre nequeamus, invenire & explicare difficile est. Certissimis tamen indi-

Visiones quædam miræ.

ciis apud nos constitit * enuntiatas à dæmonibus cogitationes hominum, qui tamen si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent: sicut illam in Job nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio, si posset diabolus cernere, nollet à tentato utique superari. Ceterum alicubi longè jam facta quod nuntiant, quæ post aliquot dies vera esse firmentur, non est mirandum. Possunt enim hoc efficere, non solùm acrimoniâ cernendi etiam corporalia incomparabiliter præstantiore quàm nostra est, sed etiam corporum ipsorum, longè utique subtiliorum, mira velocitate.

** Vide lib. 8. conf. Academicos cap. 6. & 7. Job. 1. 10.*

35. Comperimus etiam in domo constitutum patientem spiritum immundum, dicere solere quando ad eum venire cœpisset ex duodecim millibus presbyter, & per omnia loca itineris ubi esset, & quàm propinquaret, & quando ingrederetur & fundum & domum & cubiculum, donec in conspectu ejus adstaret. Quæ omnia etsi non oculis patiens ille cernebat, tamen nisi aliquo modo cerneret, non tam veraciter enuntiaret. Erat autem iste febriens, & tamquam in phrenesi ista dicebat. Et fortè re vera phreneticus erat, sed propter ista dæmonium pati putabatur. Nullum refectionis cibum accipiebat à suis, sed à solo presbytero. Resistebat etiam suis violenter quantum valebat; illo solo presbytero veniente quiescebat, illi tantùm subditus erat, & subditè respondebat. Nec tamen eidem saltem presbytero illa cessit mentis alienatio sive dæmonium, nisi cùm sanus esset à febribus, sicut phrenetici sanari solent; nec aliquando postea tale aliquid passus est.

Phrenetici.

36. Novimus etiam sine dubitatione phreneticum futuram mortem cujusdam feminæ prædixisse; non sanè specie divinandi, sed tamquam factum ac præteritum recolentem. Nam cùm ejus apud eum commemoratio fieret, Mortua est, inquit, ego eam vidi efferri, hàc cum ejus corpore transierunt; cùm illa incolumis viveret: post paucos autem dies repentè defuncta, & per eum locum elata est, quà ille prædixerat.

Puer ægrotans.

37. Fuit item apud nos puer, qui in exordio pubertatis dolorem acerrimum genitalium patiebatur, medicis nequaquam valentibus quid illud esset agnoscere, nisi quòd nervus ipse introrsum reconditus erat, ita ut nec præciso præputio, quod immoderata longitudine propendebat, apparere potuerit, sed postea vix esset inventus. Humor autem viscosus & acer exsudans testes & inguina urebat. Sed acutum dolorem non continuum patiebatur, & cùm patiebatur, ejulabat vehementer cum jactatione membrorum mente sanissima, sicut in cruciatibus corporalium dolorum fieri solet. Deinde inter voces suas abripiebatur ab omnibus sensibus, & jacebat patentibus oculis neminem circumstantium videns, ad nullam vellicationem se movens. Post aliquantum tamquam evigilans, nec jam dolens, quæ viderat indicabat. Tum interpositis paucis diebus, eadem patiebatur. In omnibus sanè vel penè omnibus visionibus suis, duos se dicebat videre, unum provectioris ætatis, alterum puerum, à quibus ei vel dicebantur, vel demonstrabantur, quæ se audisse & vidisse narrabat.

38. Vidit quodam die chorum piorum psallentium, lætantium in luce mirabili, & impiorum in tenebris diversas & atrocissimas pœnas, illis ducentibus & ostendentibus, & felicitatis aliorum aliorumque infelicitatis meritum insinuantibus. Hoc autem vidit die Dominico Paschæ, cùm per totam Quadragesimam nihil doluisset, cui vix intervallo tridui antea parcebatur. Viderat autem in ipso ingressu Quadragesimæ illos promittentes sibi quòd per quadraginta dies nullum sensurus esset dolorem, postea ipsi ei dederunt tamquam medicinale consilium, ut ei præputij longitudo præcideretur, quo facto diu non doluit. Cùm verò iterum similiter doleret, & similia videre cœpisset, accepit ab eis rursus consilium, ut in mare pube tenus intraret, ac post aliquantam moram inde discederet, promittentibus sanè quòd jam deinceps vehementem illum dolorem non esset passurus, sed solius illius viscosi humoris molestiam: atque ita secutum est; nec umquam talem aliquam postea passus est aversionem mentis à sensibus, nec tale aliquid vidit quale antea cùm in mediis doloribus & horrendis vocibus repentè obmutescens abriperetur. Postea tamen medicis cetera curantibus & sanantibus, non permansit in proposito sanctitatis.

CAPUT XVIII. De visionum caussis.

39. ISTARUM visionum & divinationum caussas & modos vestigare si quis potest, certóque comprehendere, eum magis audire vellem, quàm de me exspectari ut ipse differerem. Quid tamen putem, ita ut nec docti me tamquam confirmantem derideant, nec indocti tamquam docentem accipiant, sed utrique disceptantem & quærentem potiùs quàm scientem, non occultabo. Ego visa ista omnia visis comparo somniantium. Sicut enim aliquando & hæc falsa, aliquando autem vera sunt, aliquando perturbata, aliquando tranquilla; ipsa autem vera aliquando futuris omnino similia, vel apertè dicta, aliquando obscuris significationibus & quasi figuratis locutionibus prænuntiata: sic etiam illa omnia. Sed amant homines inexperta rimari, & caussas insolitorum requirere, cùm quotidiana plerumque talia sæpe etiam latentioris originis nosse non curent. Nam quemadmodum in vocibus, hoc est signis quibus loquendo utimur, audito verbo inusitato, quærunt primò quid sit, hoc est quid significet; quo cognito deinde quærunt unde ita dictum sit, cùm tam multa sine cura nesciant, quæ in usu sermonis habent, unde ita sint dicta: sic cùm aliquid inusitatum in rebus acciderit, sive corporalibus, sive spiritalibus, caussas rationemque sollicitè inquirunt, & sibi reddi à doctoribus flagitant.

40. Soleo autem cùm me quisque interrogat, verbi gratiâ, quid sit catus, & respondeo, prudens vel acutus, nec ei sufficit, sed pergit quærere unde dictus sit catus, vicissim referre & quærere unde dictus sit acutus; quod nihilo minùs utique ignorabat, sed quia usitatum nomen erat, patienter ejus originem nesciebat: quod autem novum insonuit auribus, parum putat nosse quid significando valeat, nisi etiam unde dicatur exquirat. Quisquis ergo mecum quærit unde visa corporalibus similia in ecstasi appareant, quæ rarò accidit animæ, vicissim quæro, unde appareant dormientibus, quæ quotidie sentit anima, & nemo istud aut non multùm curat inquirere. Quasi verò ideo minùs mira sit talium natura visorum, quia quotidiana est; aut ideo minùs curanda, quia omnium est; aut si rectè faciunt qui ista non quærunt, non rectiùs fecerint si nec in illa curiosi sint. Ego verò multo ampliùs admiror, multóque maximè stupeo quanta celeritate ac facilitate in se anima fabricetur imagines corporum, quæ per corporis oculos vi-

derit, quàm somniantium vel etiam in ecstasi visiones. Quæcumque tamen illa natura visorum est, procul dubio corpus non est. Hoc nosse cui non sufficit, unde etiam exsistant, inquirat ab aliis, me ignorare confiteor.

CAPUT XIX. Unde nascantur visiones.

41. ILLUD planè exemplorum experimentis colligi datur, sicut corporum pallor, rubor, tremor, vel etiam morbus aliquando à corpore habet caussas, aliquando ab anima; & à corpore quidem, cùm vel humor suffunditur, vel cibus vel aliquid aliud corpori injectum extrinsecùs; ab anima verò, cùm vel timore turbatur, vel pudore confunditur, vel irascitur, vel amat, vel si quid ejusmodi; nec immeritò, si id quod animat & regit, etiam cùm vehementiùs movetur, vehementiùs exagitat: ita & ipsi animæ ut in ea visa pergat, quæ non ei per sensus corporis nuntiantur, sed per incorporalem substantiam, & ita pergat ut non discernat utrùm corpora sint an similitudines corporum, aliquando à corpore accidit, aliquando à spiritu; & à corpore quidem, sive naturali vicissitudine, ut sunt visa somniantium, dormire quippe à corpore est homini; sive aliqua mala valetudine sensibus perturbatis, ut cùm à phreneticis simul & corpora videntur, & visa similia corporibus tamquam & ipsa præ oculis adsint; aut penitus intercclusis, sicut sæpe malè affecti morbo aliquo ingravescente, præsente corpore diu absentes, deinde hominibus redditi, multa se vidisse dixerunt: à spiritu verò, cùm omnino sano atque integro corpore in alienationem rapiuntur, sive ita ut & per sensus corporis corpora videant, & in spiritu quædam similia quæ à corporibus non discernant; sive penitus avertantur à sensibus carnis, & nihil per eos omnino sentientes, illa spiritali visione habitent in similitudinibus corporum. Sed cùm malus in hæc arripit spiritus, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas: cùm autem bonus, fideles mysteria loquentes, aut accedente etiam intelligentiâ veros prophetas, aut ad tempus quod per eos oportet ostendi, videntes atque narrantes.

CAPUT XX. Visa quæ à corpore occasionem habent, nõ tamen exhiberi à corpore.

42. SED cùm à corpore caussa est ut talia visa cernantur, non ea corpus exhibet; neque enim habet eam vim, ut formet aliquid spiritale: sed sopito, aut perturbato, aut etiam intercluso itinere intentionis à cerebro, quà dirigitur sentiendi motus, animi ipsa quæ motu proprio cessare ab hoc opere non potest, quia per corpus non finitur, vel non plenè finitur corporalia sentire, vel ad corporalia vim suæ intentionis dirigere, spiritu corporalium similitudines agit, aut intuetur objectas. Et siquidem eas ipsa agit, phantasiæ tantùm sunt; si autem objectas intuetur, ostensiones sunt. Denique cùm oculi dolent vel extincti sunt, quia non est caussa in sede cerebri, unde ipsa dirigitur intentio sentiendi, non fiunt hujusmodi visiones, quamvis cernendis corporalibus obstaculum exsistat à corpore. Magis enim cæci aliquid dormientes quàm vigilantes vident. Dormientibus quippe in cerebro consopitur via sentiendi, quæ intentionem ad oculos ducit, ideoque ipsa intentio in aliud aversa, cernit visa somniorum tamquam species corporales adsint, ut sibi dormiens vigilare videatur, & non similia corporibus, sed ipsa corpora intueri se putet: cùm autem vigilant cæci, ducitur per illa itinera intentio cernendi, quæ cùm ad loca venerit oculorum, non exseritur foras, sed ibi remanet, ut vigilare se sentiant, potiùsque esse in tenebris vigilando etiam per diem, quàm dormiendo, sive per diem sive per noctem. Nam & qui cæci non sunt, plerique patentibus oculis dormiunt nihil per eos videntes, sed non ideo nihil videntes, cùm spiritu cernant visa somniorum: si autem clausis oculis vigilent, neque dormientium præstò sunt visionibus neque vigilantium. Tantum tamen valet, quòd usque ad oculos eorum nec sopita nec perturbata nec intercluſa pervenit à cerebro via sentiendi, & animæ intentionem usque ad ipsas quamvis clausas fores corporis ducit, ut cogitentur quidem imagines corporum, sed nullo modo pro eis habeantur corporibus, quæ per oculos sentiuntur.

43. Tantum interest, ubi fiat impedimentum sentiendi corporalia, cùm fit in corpore. Si enim non fit nisi in ipsis aditibus, & quasi januis sensuum, velut in oculis, in auribus, ceterisque sensibus corporalibus, sola impeditur perceptio corporalium; non autem animæ intentio in aliud sic avertitur, ut pro corporibus habeat imagines corporum: si autem caussa est intus in cerebro, unde diriguntur viæ ad ea, quæ foris sunt, sentienda; ipsius intentionis vasa sopiuntur, vel turbantur, vel intercluduntur, quibus nititur anima in ea quæ foris sunt, intuenda vel sentienda. Quem nisum quoniam non amittit, tanta expressione format similia, ut imagines corporalium à corporibus discernere non valens, utrùm in illis an in istis sit nesciat; & cùm scit, longè alio modo sciat, quàm dum in cogitando versantur sive occurrunt similitudines corporum. Qui modus nisi ab expertis capi utcumque non potest. Hinc enim erat, quòd me dormiens in somnis videre sciebam, nec tamen illas corporalium rerum similitudines, quas videbam, sic ab ipsis corporalibus discernebam, quemadmodum eas cogitantes etiam clausis oculis vel in tenebris constituti discernere solemus. Tantum valet ipsa animi intentio utrùm perducatur usque ad sensus licèt clausos, an in ipso cerebro, unde in hæc nititur, aliqua caussa exsistente in aliud avertatur, ut quamvis aliquando se noverit non corpora, sed corporum similitudines cernere, vel minùs erudita etiam ipsa esse corpora existimans, sentiat se non ea corpore, sed spiritu videre, longè sit tamen ab affectione, qua suo corpori præsentatur: unde se norunt & cæci vigilare, cùm similitudines corporum cogitatas à corporibus, quæ videre non possunt, certa notione discernunt.

CAPUT XXI. Visa corporalibus similia in quæ anima rapitur, nõ ideo esse naturæ diversæ.

44. CUM autem sano corpore, nec somno sensibus consopitis, aliquo occulto opere spiritali in ea visa, quæ similia sunt corporalibus anima rapitur, non quia modus diversus est, ideo est etiam diversa natura visorum; cùm & in illis caussis, quæ de corpore exsistunt, sit utique differentia, & aliquando à contrario. Nam phrenetici non dormiendo potiùs perturbatas habent sentiendi vias in capite, ut talia videant, qualia somniantes vident, quorum dormiendo avertitur intentio à sensu vigilandi, & in ea videnda convertitur. Cùm ergo illud fiat non dormiendo, hoc autem dormiendo, non tamen ea quæ videntur ex alio genere sunt, quàm ex natura spiritus, de quo vel in quo fiunt similitudines corporum. Ita quamvis diversa sit caussa intentionis alienatæ, quando sano corpore vigilantis occulta quadam vi spiritali anima rapitur, ut vice corporum expressas corporalium rerum similitudines in spiritu videat, eadem tamen est natura visorum. Neque enim dici potest, cùm caussa

in corpore est, tunc anima sine ulla præsensione futurorum ex seipsa versare imagines corporum, sicut etiam cogitando eas solet; cùm verò in ea videnda spiritu assumitur, divinitus hæc demonstrari: quandoquidem apertè Scriptura dicit, Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & juvenes visa videbunt, & senes somnia somniabunt, divinæ operationi utrumque tribuens. &, Angelus Domini apparuit Joseph in somnis dicens, Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. & iterum, Tolle puerum & vade in Ægyptum.

Johel. 2. 28.

Matth. 1. 20. & 2. 13.

CAPUT XXII. Quomodo contingant visa illa, ex quibus divinationes occulto instinctu seu casu fiant.

45. ITAQUE bono quidem spiritu assumi spiritum hominis ad has videndas imagines, nisi aliquid significent, non puto: cùm verò in corpore caussa est, ut in eas expressiùs intuendas humanus intendatur spiritus, non semper aliquid significare credendum est: sed tunc significant, cùm inspirantur à demonstrante spiritu, sive dormienti, sive aliquid aliud ex corpore, ut à carnis sensibus alienaretur, patienti. Vigilantibus etiam neque ullo morbo afflictis nec furore exagitatis, occulto quodam instinctu ingestas esse cogitationes, quas promendo divinarent, non solùm aliud agentes, sicut Caiphas pontifex prophetavit, cùm ejus intentio non haberet voluntatem prophetandi, verùm etiam id suscipientes, ut divinandi modo aliquid dicerent, novimus.

Johan. 11. 51.

46. Nam quidam juvenes jocando ut fallerent, ubi peregrini iter agebant, mathematicos se esse finxerunt, ignorantes omnino utrùm duodecim signa dicerentur. Qui cùm hospitem suum mirari cernerent quæ dicebant, & adtestari esse verissima, audaciùs in plura progressi sunt. At ille adtestans ad omnia mirabatur. Postremò ab eis de filij salute quæsivit, quem diu absentem desiderabat, & quod inopinatè tardaret, ne quid ei accidisset sollicitus erat. At illi non curantes quid post eorum abscessum veri cognosceretur, dum tamen in præsentia lætum hominem redderent, mox profecturi responderunt salvum ac propinquantem, & eo ipso die quo hæc loquebantur, esse venturum: neque enim metuebant, ne cùm totus dies peractus esset, eos ille redarguendos postridie sequeretur. Quid multa? dum jam abire disponerent, ecce subitò adhuc eis illic positis venit.

47. Item alius ante symphoniacum saltabat, ubi erant multa idola per quamdam Paganorum sollemnitatem, non aliquo spiritu arreptus, sed imitatione ludicra arreptitios æmulatus, scientibus, circumstantibus & spectantibus. Moris enim erat ut ante prandium peractis sacrificiis agitatisque phanaticis, si qui adolescentes post prandium vellent eo more ludere, nullus prohiberetur. Ille ergo inter saltandum, facto sibi silentio, jocabundus, & ridente multitudine circumseptus, ea nocte quæ impendebat, in ea silva, quæ juxta erat, hominem à leone interemtum iri, ad cujus cadaver spectandum illucescente die confluxuram turbam, & illius sollemnitatis locum deserturam, prædixit. Et factum est, cùm satis cunctis qui aderant in omnibus ejus motibus claruisset, hoc eum ludendo & jocando nusquam perturbata vel alienata mente dixisse: ipso etiam tanto ampliùs mirante quod accidit, quanto magis nosset quo id animo atque ore protulerit.

48. Quonam modo hæc visa in spiritum hominis veniant, utrùm ibi primitus formentur, an formata ingerantur, & quadam conjunctione cernantur, ut sic hominibus angeli ostendant cogitationes suas, & corporalium rerum similitudines, quas in suo spiritu futurorum cognitione præformant, quemadmodum & ipsi nostras cogitationes, non utique oculis, quia non corpore, sed spiritu vident; verùm hoc intersit, quòd illi nostras, etiam si nolimus, noverunt, nos autem ipsorum, nisi ostendantur, nosse non possumus; quia sic eas, ut opinor, habent in potestate occultare spiritalibus modis, quemadmodum nos quibusdam interjectis obstaculis, nostra corpora ne aliorum oculis videantur, abscondimus: & quid fiat in spiritu nostro, ut aliquando cernantur tantummodo significantes imagines, & utrùm aliquid significent ignoretur; aliquando autem aliquid significare sentiantur, sed quid significent nesciatur; aliquando verò tamquam pleniore demonstratione anima humana & spiritu ipsas & mente quid significent videat, & scire difficillimum est, & si jam sciamus, disserere atque explicare operosissimum.

CAPUT XXIII. Spiritalem naturam, ubi tam multis caussis similitudines corporalium formentur, in nobis exsistere.

49. QUOD autem nunc insinuare satis arbitror, certum est esse spiritalem quamdam naturam in nobis, ubi corporalium rerum formantur similitudines; sive cùm aliquod corpus sensu corporis tangimus, & continuò formatur ejus similitudo in spiritu, memoriâque reconditur; sive cùm absentia corpora jam nota cogitamus, ut ex eis formetur quidam spiritalis adspectus, quæ jam erant in spiritu & antequam ea cogitaremus; sive cùm eorum corporum, quæ non novimus, sed tamen esse non dubitamus, similitudines, non ita ut sunt illa, sed ut occurrit intuemur; sive cùm alia, quæ vel non sunt, vel esse nesciuntur, pro arbitrio vel opinatione cogitamus; sive unde unde, neque id agentibus, neque volentibus nobis variæ formæ corporalium similitudinum versantur in animo; sive cùm aliquid corporaliter acturi, ea ipsa disponimus quæ in illa actione futura sunt, & omnia cogitatione antecedimus; sive jam in ipso actu, vel cùm loquimur, vel cùm facimus, omnes corporales motus, ut exseri possint, præveniuntur similitudinibus suis intus in spiritu; neque enim ulla vel brevissima syllaba in ordine suo nisi prospecta sonuisset: sive cùm à dormientibus somnia videntur, vel nihil vel aliquid significantia; sive cùm valetudine corporali turbatis intrinsecùs itineribus sentiendi, imagines corporum spiritus veris corporibus ita miscet, ut internosci vel vix possint, vel omnino non possint; & aut significent aliquid, aut sine ulla significatione oboriantur; sive prorsus ingravescente aliquo morbo vel dolore corporis, & intercludente intus vias quibus animæ, ut per carnem sentiret, exserebatur ac nitebatur intentio, altiùs quàm somno absentato spiritu, corporalium rerum exsistunt aut monstrantur imagines, vel significantes aliquid vel sine ulla significatione apparentes; sive nullâ ex corpore caussâ exsistente, sed assumente atque rapiente aliquo spiritu tollitur anima in hujusmodi videndas similitudines corporum, miscens eis visa corporalia, cùm simul etiam corporis sensibus utitur; sive ita spiritu assumente alienatur ab omni corporis sensu, & avertitur, ut solis similitudinibus corporum spiritali visione teneatur, ubi nescio utrùm possint aliqua nihil significantia videri.

CAPUT XXIV. Visionem intellectualē spi-

50. HÆC igitur natura spiritalis, in qua non corpora, sed corporum similitudines exprimuntur, inferioris generis visiones habet, quàm illud mentis atque intelligentiæ lumen, quo & ista inferiora di-

ritali, spiritalem corporali præstare.

judicantur, & ea cernuntur, quæ neque sunt corpora, neque ullas gerunt formas similes corporum, velut ipsa mens & omnis animæ affectio bona, cui contraria sunt ejus vitia, quæ rectè culpantur atque damnantur in hominibus. Quo enim alio modo ipse intellectus nisi intelligendo conspicitur? Ita & caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, & cetera hujusmodi, quibus propinquatur Deo: & ipse Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

51. Quamquam itaque in eadem anima fiant visiones sive quæ sentiuntur per corpus, sicut hoc corporeum cælum, terra, & quæcumque in eis nota esse possunt, quemadmodum possunt; sive quæ spiritu videntur similia corporum, de quibus multa jam diximus; sive cùm mente intelliguntur, quæ nec corpora sunt, nec similitudines corporum; habent utique ordinem suum, & est aliud alio præcellentius. Præstantior est enim visio spiritalis quàm corporalis, & rursus præstantior intellectualis quàm spiritalis. Corporalis enim sine spiritali esse non potest; quandoquidem momento eodem, quo corpus sensu corporis tangitur, fit etiam in animo tale aliquid, non quod hoc sit, sed quod simile sit; quod si non fieret nec sensus ille esset, quo ea quæ extrinsecùs adjacent, sentiuntur. Neque enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa quod extrinsecùs nuntiatur. Non potest itaque fieri visio corporalis, nisi etiam spiritalis simul fiat: sed non discernitur, nisi cùm fuerit sensus ablatus à corpore, ut id quod per corpus videbatur, inveniatur in spiritu. At verò spiritalis visio etiam sine corporali fieri potest, cùm absentium corporum similitudines in spiritu apparent, & finguntur multæ pro arbitrio, vel præter arbitrium demonstrantur. Item spiritalis visio indiget intellectuali ut dijudicetur, intellectualis autem ista spiritali inferiore non indiget, ac per hoc spiritali corporalis, intellectuali autem utra-
1. Cor. 2.15. que subjecta est. Cùm ergo legimus, Spiritalis omnia judicat, ipse autem à nemine dijudicatur: non secundùm spiritum, à quo mens discernitur, sicut
1. Cor. 14. 15. illud quod dictum est, Orabo spiritu, orabo & mente, sed ex illa notione debemus accipere qua
Ephes. 4.23. dictum est, Renovamini autem spiritu mentis vestræ. Jam enim suprà docuimus alio modo & ipsam mentem spiritum dici, secundùm quam spiritalis omnia dijudicat. Quapropter non absurdè neque inconvenienter arbitror spiritalem visionem inter intellectualem & corporalem tamquam medietatem quamdam obtinere. Puto enim non incongruenter medium dici, quod corpus quidem non est, sed simile est corporis, inter illud quod verè corpus est, & illud quod nec corpus est, nec simile corporis.

Caput XXV. Solam intellectualem visionem non fallere.

52. Illuditur autem anima similitudinibus rerum, non earum vitio, sed opinionis suæ, cùm approbat quæ similia sunt pro iis quibus similia sunt, ab intelligentia deficiens. Fallitur ergo in visione corporali, cùm in ipsis corporibus fieri putat, quod fit in corporis sensibus: sicut navigantibus videntur in terra moveri quæ stant, & intuentibus cælum stare sidera quæ moventur, & divaricatis radiis oculorum duas lucernæ species apparere, & in aqua remus infractus, & multa hujusmodi: aut cùm putat aliquid hoc esse, quod similiter coloratum est, vel similiter sonat, vel olet, vel sapit, vel tangitur: hinc enim & medicamentum aliquod ceratum coctum in cacabo putatur legumen, & sonitus transeuntis vehiculi putatur ex tonitruo, & si nullis aliis sensibus exploretur, sed soli adjaceat olfactui, citrium putatur herba, quæ vocatur apiaria, & cibus aliquo dulciculo succo affectus putatur melle conditus; & ignotus anulus contrectatus in tenebris, putatur aureus, cùm sit æreus aut argenteus; aut cùm repentinis inopinatisque corporalibus visis anima turbata vel in somnis videre se putat, vel aliquo hujusmodi spiritali viso affici: unde in omnibus corporalibus visis, & aliorum sensuum contestatio, & maximè ipsius mentis atque rationis adhibetur, ut quod in hoc rerum genere verum est, inveniatur quantum inveniri potest. In visione autem spiritali, id est in corporum similitudinibus, quæ spiritu videntur, fallitur anima, cùm ea quæ sic videt, ipsa corpora esse arbitratur; vel quod sibi suspicione falsâque conjecturâ finxerit, hoc etiam in corporibus putat, quæ non visa conjectat. At verò in illis intellectualibus visis non fallitur: aut enim intelligit, & verum est; aut si verum non est, non intelligit: unde aliud est in his errare quæ videt, aliud ideo errare quia non videt.

Caput XXVI. Raptus animæ duplex, spiritali visione & intellectuali.

53. Quapropter cùm rapitur anima in ea visa, quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, ita ut omnino à sensibus corporis avertatur ampliùs quàm in somno solet, sed minùs quàm in morte; jam divinæ admonitionis est & adjutorij, ut se non corpora, sed visa corporum similia spiritaliter noverit cernere, sicuti quæ se in somnis videre etiam antequam evigilent sciunt. Ibi si etiam videntur futura, ita ut omnino futura noscantur, quorum imagines præsentes videntur, sive ipsa hominis mente divinitus adjuta, sive aliquo inter ipsa visa quid significent exponente, sicut in Apocalypsi Johanni ex- Apoc. 1.10.
ponebatur, magna revelatio est: etiamsi fortè ignoret ille, cui hæc demonstrantur, utrùm è corpore exierit, an adhuc sit in corpore, sed spiritu à sensibus corporis alienato ista videat: potest enim sic raptus id ignorare, si ei & hoc non ostendatur.

54. Porrò autem si quemadmodum raptus est à sensibus corporis, ut esset in istis similitudinibus corporum, quæ spiritu videntur, ita & ab ipsis rapiatur, ut in illam quasi regionem intellectualium vel intelligibilium subvehatur, ubi sine ulla corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis obfuscatur: ibi virtutes animæ non sunt operosæ ac laboriosæ. Neque enim opere temperantiæ libido frenatur, aut opere fortitudinis tolerantur adversa, aut opere justitiæ iniqua puniuntur, aut opere prudentiæ mala devitantur. Una ibi & tota virtus est amare quod videas, & summa felicitas habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur, inde adspergitur aliquid huic humanæ vitæ, ut in tentationibus hujus sæculi, temperanter, fortiter, justè, prudenterque vivatur. Propter illud quippe adipiscendum, ubi secura quies erit & ineffabilis visio veritatis, labor suscipitur, & continendi à voluptate, & sustinendi adversitates, & subveniendi indigentibus, & resistendi decipientibus. Ibi videtur claritas Domini, non per visionem significantem, sive corpo- Exodi 19. 18.
ralem, sicut visa est in monte Sina, sive spiritalem, Isaia 6. 1.
sicut vidit Isaias vel Johannes in Apocalypsi: sed Apoc. 1.10.
per speciem, non per ænigmata, quantum eam capere mens humana potest, secundùm assumentis Dei gratiam, ut os ad os loquatur ei, quem dignum

Num. 12.8. tali Deus colloquio fecerit; non os corporis, sed mentis, * sicut intelligendum arbitror quod de Moyse scriptum est.

* Caput XVII. Quo genere visionis Deus à Moyse visus.

55. Concupiverat enim, sicut in Exodo legimus, videre Deum; non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo, sed in ea substantia qua Deus est, nullâ assumtâ corporali
Exodi 19. 18. & 33. 9. creaturâ, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur: neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum; sed per speciem suam, quantum eam capere creatura rationalis & intellectualis potest, sevocata ab omni corporis sensu, & ab omni significativo ænigmate
Exodi 33.13. spiritus. Sic enim scriptum est, Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè, ut videam te: cùm paulo superiùs legatur locutus Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum. Sentiebat ergo quid videbat, & quod non videbat desiderabat.
Ibid. 17. » Nam & paulo pòst cùm dixisset ei Deus, Invenisti
» enim gratiam in conspectu meo, & scio te præ omnibus. Respondit ei, Ostende mihi claritatem tuam. Et tunc quidem responsum accepit à Domino figuratum, de quo nunc longum est disputare, quando
» ei dixit, Non poteris videre faciem meam, & vi-
» vere. Non enim videbit homo faciem meam, &
» vivet. Deinde subjecit & ait illi, Ecce locus penes
» me, & stabis super petram, statim ut transiet mea
» majestas, & ponam te in spelunca petræ, & tegam
» manu mea super te donec transeam; & auferam
» manum, & tunc videbis posteriora mea: nam fa-
» cies mea non apparebit tibi. Nec tamen secuta Scriptura hoc etiam corporaliter factum esse narravit, satisque per hoc demonstratum est figuratè dictum esse in Ecclesiæ significatione. Ipse est enim locus penes Dominum, quia Ecclesia est templum ejus, & ipsa ædificata est super petram, & cetera quæ ibi dicta sunt, eidem intelligentiæ congruunt. Nisi tamen concupitam & desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in libro Numerorum diceret Deus ad Aaron & Mariam fra-
Num. 12. 6. a » tres ejus, Audite verba mea, Si fuerit propheta
» [a] inter vos Domino, in visione illi cognoscar, & in
» somno loquar illi, non ita quomodo famulus meus
» Moyses in tota domo mea fidelis est. Os ad os lo-
» quar ad illum in specie, & non per ænigmata, &
» claritatem Domini vidit. Neque enim hoc secundùm substantiam corporis, quæ carnis sensibus præsentatur, intelligendum est; nam utique sic
Exodi 33.11. loquebatur ad Moysen facie ad faciem, contra in contra: quando tamen dixit ei, Ostende mihi temetipsum; & nunc etiam ad ipsos quos objurgabat, & quibus Moysi meritum ita præferebat, sic loquebatur per creaturam corporalem præsentatam sensibus carnis. Illo ergo modo, in illa specie qua Deus est, longè ineffabiliter secretiùs & præsentiùs loquitur locutione ineffabili, ubi eum nemo
b [b] videns vivet vitâ istâ, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis: sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus & alienatus à carnalibus
2. Cor. 12.3. sensibus, ut meritò nesciat, sicut Apostolus ait, utrùm in corpore an extra corpus sit, cùm in illam rapitur & subvehitur visionem.

Caput XXVIII. Tertium cælum &

56. Quapropter si hoc tertium visionis genus, quod superius est, non solùm omni corporali, quo per corporis sensus corpora sentiuntur, verùm etiam omni illo spiritali, quo similitudines corporum spiritu & non mente cernuntur, tertium cælum appellavit Apostolus; in hoc videtur claritas Dei, cui videndæ corda mundantur, unde dictum est, Beati mundo corde, quia ipsi Deum vi- Matth. 5.8.
debunt: non per aliquam corporaliter vel spirita- 1. Cor. 13.12.
liter figuratam significationem tamquam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, quod de Num. 12.8.
Moyse dictum est, os ad os; per speciem scilicet, qua est Deus quidquid est, quantulumcumque eum mens, quæ non est quod ipse, etiam ab omni terrena labe mundata, & ab omni corpore & similitudine corporis alienata & abrepta capere potest: à quo peregrinamur mortali & corruptibili onere 2. Cor. 5.8.
gravati, quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem, & cùm hîc justè vivimus. Cur autem non credamus, quod tanto Apostolo doctori gentium, rapto usque ad istam excellentissimam visionem, voluerit Deus, demonstrare vitam, in qua post hanc vitam vivendum est in æternum? Et cur non dicatur iste paradisus, excepto illo in quo corporaliter vixit Adam inter ligna nemorosa atque fructuosa? Quandoquidem & Ecclesia, quæ nos congregat in caritatis sinum, paradisus dicta est cum fru- Cant. 4.13.
ctu pomorum. Sed hoc figuratè dictum est, tamquam illo paradiso, ubi propriè fuit Adam, Ecclesia significata sit per formam futuri. Quamquam diligentiùs considerantibus fortassis occurrat illo paradiso corporali, in quo Adam corporaliter fuit, & istam vitam sanctorum significatam, quæ nunc agitur in Ecclesia, & illam quæ post hanc erit in æternum: sicut Jerusalem, quæ interpretatur visio pacis, & tamen quædam terrena civitas demonstratur, significat Jerusalem matrem nostram æternam in cælis, sive in iis qui spe salvi facti sunt, Rom. 8.24.
& quod non vident sperantes per patientiam exspectant, secundùm quos multi filij desertæ magis Galat. 4.
quàm ejus quæ habet virum; sive in ipsis Angelis 27.
sanctis per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei, Ephes. 3.10.
cum quibus post hanc peregrinationem sine labore & sine fine vivendum est.

paradisum de quo Apostolus, posse intelligi tertium genus visionis.

Caput XXIX. An ut plures cæli, ita in spiritali & intellectuali visione plures gradus.

57. Si autem sic accipimus tertium cælum, quò Apostolus raptus est, ut quartum etiam, & aliquot ultra superiùs cælos esse credamus, infra quos est hoc tertium cælum, sicut eos alij septem, alij octo, alij novem vel etiam decem perhibent, & in ipso uno quod dicitur firmamentum, multos gradatim esse confirmant; ac per hoc corporeos esse vel ratiocinantur vel opinantur, de quorum ratione sive opinione nunc differere longum est: potest etiam fieri, ut etiam in spiritalibus vel intellectualibus multos quosdam gradus quisquam esse contendat, aut si possit ostendat, eosque distinctos juxta aliquem provectum magis minusve illustrium revelationum. Sed utcumque se ista habeant, & accipiantur ut libet, ab alio sic, ab alio autem sic, ego visorum vel visionum præter ista tria genera, aut corpore, aut spiritu, aut mente, usque adhuc vel nosse vel docere non possum. Sed quot & quantæ singulorum generum sint differentiæ, ut in unoquoque aliud alio gradatim superferatur, ignorare me fateor.

Caput XXX. In spiritali genere visionis, alia

58. Sicut autem in ista luce corporea est cælum, quod super terras suspicimus, unde luminaria clarent & sidera, quæ corpora longè sunt meliora terrestribus: sic in illo genere spiritali, in

[a] MSS. aliquot probæ notæ, *Si fuerit propheta vester, in visione illi Dominus cognoscar.*

[b] In plerisque MSS. *vivens videt.*

visionis, alia visa quasi divina, alia humana.

quo videntur corporum similitudines luce quadam incorporali ac sua, sunt quædam excellentia & merito divina, quæ demonstrant Angeli miris modis; utrùm visa sua facili quadam & præpotenti junctione vel commixtione etiam nostra esse facientes, an scientes nescio quomodo nostram in spiritu nostro informare visionem, difficilis perceptu, & difficilior dictu res est. Sunt autem alia visa usitata & humana, quæ sive ex ipso spiritu nostro multipliciter exsistunt, sive ex corpore spiritui quodammodo suggeruntur, sicut fuerimus affecti vel carne vel animo. Non solùm enim vigilantes homines curas suas cogitando versant in similitudinibus corporum, verùm etiam dormientes hoc sæpe somniant, quo indigent: nam & negotia sua gerunt ex animi cupiditate, & epulis poculisque inhiantes insistunt, si fortè esurientes sitientesque dormierunt. Quæ omnia puto comparata illis angelicis demonstrationibus sic habenda, ac si in ista natura corporum terrena cælestibus comparentur.

CAPUT XXXI. In intellectuali visione alia sunt quæ in anima videntur, aliud lumen quo ipsa illustratur.

59. SIC etiam in illo genere intellectualium visorum alia sunt, quæ in ipsa anima videntur, velut virtutes quibus vitia sunt contraria; sive permansuræ, ut pietas, sive utiles huic vitæ, & postea non futuræ, sicut fides qua credimus ea quæ nondum videmus, & spes qua futura cum patientia exspectamus, & ipsa patientia qua omnia toleramus adversa, donec quò volumus veniamus. Istæ quippe & hujusmodi virtutes, quæ nunc propter transigendam istam peregrinationem valde necessariæ sunt, non erunt in illa vita, propter quam adipiscendam sunt necessariæ: & tamen etiam ipsæ intellectualiter videntur; neque enim aut corpora sunt, aut species habent similes corporum. Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat: nam illud jam ipse Deus est, hæc autem creatura, quamvis rationalis & intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cùm conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, & minùs valet. Inde est tamen quidquid intelligit sicut valet. Cùm ergo illuc rapitur, & à carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressiùs præsentatur non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt illud, quo adjuta videt quidquid etiam in se intelligendo videt.

Lumen animæ Deus.

CAPUT XXXII. Anima corpore exuta, quò feratur.

60. SI autem quæritur cùm anima de corpore exierit, utrùm ad aliqua loca corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus similia, an verò nec ad ipsa, sed ad illud quod & corporibus & similitudinibus corporum est excellentius; citò quidem responderim, ad corporalia loca eam vel non ferri nisi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri. Jam utrùm habeat aliquod corpus, cùm de hoc corpore exierit, ostendat qui potest, ego autem non puto: [a] spiritalem enim arbitror esse, non corporalem. Ad spiritalia verò pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporibus: qualia sæpe demonstrata sunt iis qui rapti sunt à corporis sensibus, & mortuis similes jacuerunt, & infernales pœnas viderunt, cùm & ipsi in seipsis gererent quamdam similitudinem corporis sui, per quam possent ad illa ferri, & talia similitudinibus sensuum experiri. Neque enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui, cùm jacente sine sensu ipso corpore, nondum tamen penitus mortuo, videt talia, qualia multi ex illa subductione vivis redditi narraverunt, & non habeat cùm perfecta morte penitus de corpore exierit. Aut ergo ad illa fertur pœnalia, aut ad illa itidem similia corporalibus, nec tamen pœnarum, sed quietis atque gaudiorum.

a

61. Neque enim rectè dici potest, vel illas falsas esse pœnas, vel illam falsam requiem atque lætitiam: tunc enim hæc falsa sunt, quando per opinationis errorem alia pro aliis putantur. Nam Petrus non solùm cùm discum illum videbat, & in eo non similitudines corporum, sed corpora putabat, in hoc utique fallebatur: verùm etiam cùm alio tempore ab Angelo solutus è vinculis ibat in corpore ambulans, & præsentatus corporalibus formis, & putabat se visum videre, nihilo minùs fallebatur. Nam & illæ in disco erant spiritales formæ corporalibus similes; & ista corporalis expressio soluti de vinculis, propter miraculum spiritali similis erat. Fallebatur autem anima in utrisque, nonnisi cùm alia pro aliis approbaret. Quamvis ergo non sint corporalia, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene seu malè, cùm & ipsæ corporibus suis similes sibimet appareant: sunt tamen & vera lætitia & vera molestia facta de substantia spiritali. Nam & in somnis magni interest utrùm in lætis an in tristibus simus. Unde quidam in rebus quas concupiverant constituti, se evigilasse doluerunt; & rursus gravibus terroribus atque cruciatibus exagitati atque vexati, cùm expergefacti essent, dormire timuerunt, ne in eadem mala revocarentur. Et utique dubitandum non est, quòd expressiora sint illa quæ infernа dicuntur, atque ob hoc vehementiùs sentiantur. Nam & qui subtracti sunt sensibus corporis, minùs quidem quàm si omni modo morerentur, sed tamen ampliùs quàm si dormirent, expressiora se vidisse narraverunt, quàm si somnia narravissent. Est ergo prorsus inferorum substantia, sed eam spiritalem arbitror esse, non corporalem.

Act. 10. 11.

Act. 12. 9.

CAPUT XXXIII. De inferis quæstio.

62. NEC audiendi sunt, qui affirmant inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem. Viderint enim quemadmodum poëtica figmenta interpretentur, nos ab auctoritate divinarum Scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est, recedere non debemus. Quamquam possimus ostendere, illorum quoque sapientes de inferorum substantia minimè dubitasse, quæ post hanc vitam excipit animas mortuorum. Unde autem sub terris esse dicantur inferi, si corporalia loca non sunt, aut unde inferi appellentur, si sub terris non sunt, meritò quæritur. Animam verò non esse corpoream non me putare, sed planè scire, audeo profiteri: tamen habere posse similitudinem corporis & corporalium omnino membrorum quisquis negat, potest negare animam esse, quæ in somnis videt vel se ambulare, vel sedere, vel hàc atque illac gressu aut etiam volatu ferri ac referri, quod sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem; ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, sive in requie, sive in doloribus.

2. Retract. 24. n. 2.

Animam esse incorpoream. 4. Sent. dist. 44. cap. Cũ autem.

63. Quamquam & illud me nondum invenisse confiteor, inferos appellatos, ubi justorum animæ requiescunt. Et Christi quidem animam venisse

[a] MSS. aliquot optimæ notæ carent his verbis: *Spiritalem enim arbitror esse, non corporalem.* quæ rursus habentur in fine n. 61. quo fortè ex loco huc translata sunt: nam & in pluribus MSS. insignis hîc transpositio versuum ferè 50. commissa est.

usque

usque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret à tormentis, quos esse solvendos occultâ nobis suâ justitiâ judicabat, non immeritò creditur. Quomodo enim aliter accipiendum sit quod dictum est, Quem Deus suscitavit ex mortuis, solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis, non video, nisi ut quorumdam dolores apud inferos eum solvisse accipiamus, ea potestate qua Dominus est, cui omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, per quam potestatem etiam illis doloribus, quos solvit, non potuit adtineri. Neque enim Abraham, vel ille pauper in sinu ejus, hoc est in secreto quietis ejus, in doloribus erat, inter quorum requiem & illa inferni tormenta legimus magnum chaos firmatum: sed nec apud inferos esse dicti sunt. Contigit enim, inquit, mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinum Abrahæ: mortuus est autem & dives, & sepultus est; & cùm apud inferos in tormentis esset, & cetera. Videmus itaque inferorum mentionem non esse factam in requie pauperis, sed in supplicio divitis.

Act. 2. 24.

Philip. 2. 10.

Sinus Abrahæ.

Luca 16. 23.

64. Illud etiam quod Jacob dicit ad filios suos, Deducetis senectam meam cum tristitia ad inferos, videtur hoc magis timuisse, ne nimiâ tristitiâ sic perturbaretur, ut non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum. Neque enim parvum animæ malum est tristitia, cùm & Apostolus cuidam tam sollicitè timuerit, ne majore tristitiâ absorberetur. Proinde, ut dixi, nondum inveni, & adhuc quæro, nec mihi occurrit inferos alicubi in bono posuisse Scripturam dumtaxat canonicam: non autem in bono accipiendum sinum Abrahæ, & illam requiem quò ab Angelis pius pauper ablatus est, nescio utrùm quisquam possit audire: & ideo quomodo eam apud inferos credamus esse, non video.

Gen. 44. 29.

2. Cor. 2. 7.

CAPUT XXXIV. De Paradiso & tertio cælo quò raptus est Paulus.

65. VERUM hoc dum quærimus, & aut invenimus, aut non invenimus, urget nos longitudo libri hujus eam aliquando concludere. Quapropter quoniam de paradiso sermonem instituimus, propter illud quod Apostolus ait, scire se raptum hominem usque in tertium cælum, nescire autem sive in corpore sive extra corpus, & quia raptus est in paradisum, & audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; non temerè affirmamus, utrùm in tertio cælo sit paradisus, an etiam in tertium cælum, & inde rursus in paradisum raptus sit. Si enim propriè quidem nemorosus locus, translato autem verbo, omnis etiam spiritalis quasi regio, ubi animæ bene est, meritò paradisus dici potest, non solùm tertium cælum, quidquid illud est, quod profectò magnum sublimiterque præclarum est, verùm etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. Unde & Ecclesia in sanctis temperanter & justè & piè viventibus paradisus rectè dicitur, pollens affluentiâ gratiarum, castisque deliciis: quandoquidem & in tribulationibus gloriatur de ipsa patientia plurimùm gaudens, quia secundùm multitudinem dolorum in corde consolationes Dei jocundant animam ejus. Quanto magis ergo post hanc vitam etiam sinus ille Abrahæ paradisus dici potest, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta requies post omnes dolores vitæ hujus? Neque enim & lux ibi non est propria quædam & sui generis, & profectò magna, quam dives ille de tormentis & tenebris inferorum, tam utique de longinquo, cùm magnum chasma esset in medio, sic tamen vidit, ut ibi illum quondam contemtum pauperem agnosceret.

Eccli. 40. 28.

Psal. 93. 19.

Luca 16. 23.

66. Quæ si ita sunt, ideo sub terris dicuntur inferi vel creduntur, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines sic demonstrantur, ut quoniam defunctorum animæ inferis dignæ, carnis amore peccaverunt, hoc eis per illas corporalium similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet, ut sub terram recondatur. Denique inferi eo quòd infrà sint, latinè appellantur: sicut autem secundùm corpus si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora: ita secundùm spiritum inferiora sunt omnia tristiora. unde & in græca lingua origo nominis, quo appellantur inferi, ex eo quod nihil suave habeant, resonare perhibetur. Nec ipsam tamen rerum partem noster Salvator mortuus pro nobis visitare contemsit, ut inde solveret quos esse solvendos secundùm divinam secretamque justitiam ignorare non potuit. Quapropter animæ illius latronis cui dixit, Hodie mecum eris in paradiso, non utique inferos præstitit, ubi pœnæ sunt peccatorum: sed aut illam requiem sinûs Abrahæ; non enim alicubi non est Christus, cùm ipse sit Sapientia Dei adtingens ubique propter suam munditiam: aut illum paradisum, sive in tertio cælo, sive ubicumque alibi est, quò post tertium cælum est raptus Apostolus: si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animæ beatorum.

addivis.

Luca 23. 43.

Sap. 7. 24.

67. Si ergo cælum primum rectè accipimus hoc omne corporeum generali nomine quidquid est super aquas & terram; secundum autem, in similitudine corporali quod spiritu cernitur, sicut illud unde animalibus plenus in ecstasi Petro discus ille submissus est; tertium verò, quod mente conspicitur ita secretâ & remotâ & omnino abreptâ à sensibus carnis atque mundatâ, ut ea quæ in illo cælo sunt, & ipsam Dei substantiam, Verbumque Deum per quod facta sunt omnia, in caritate Spiritus sancti ineffabiliter valeat videre & audire: non incongruenter arbitramur, & illuc esse Apostolum raptum, & ibi fortassis esse paradisum omnibus meliorem, & si dici oportet, paradisum paradisorum. Si enim animæ bonæ lætitia in rebus bonis est in omni creatura, quid eâ lætitiâ præstantius quæ in Verbo Dei est per quod facta sunt omnia?

Act. 10. 11.

Johan. 3. 5.

2. Cor. 12. 4.

CAPUT XXXV. Resurrectio corporum ad perfectam beatitudinem animæ cur sit necessaria.

68. SED si quem movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo præberi; difficilior quidem quæstio est, quam ut perfectè possit hoc sermone finiri: sed tamen minimè dubitandum est, & raptam hominis à carnis sensibus mentem, & post mortem ipsa carne deposita, transcensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident; sive alia latentiore caussâ, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi; quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud summum cælum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. Porrò autem si tale sit corpus, cujus sit difficilis & gravis administratio, sicut hæc caro quæ corrumpitur, & aggravat animam, de propagine transgressionis exsistens, multo magis avertitur mens ab illa visione summi cæli: unde necessariò abripienda erat ab ejusdem carnis sensibus, ut

ei quomodo capere posset illud ostenderetur. Proinde cùm hoc corpus jam non animale, sed per futuram commutationem spiritale receperit Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens & imperans, vivificata & vivificans, tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriæ quod sarcinæ fuit.

CAPUT XXXVI. Tria visionum genera quomodo erunt in beatis.

69. NIMIRUM enim erunt & tunc ista tria genera visionum, sed nulla falsitate aliud pro alio approbabitur, nec in corporalibus, nec in spiritalibus visis; multo minùs in intellectualibus, quibus ita præsentatis & perspicuis [a] perfruetur, ut longè minore evidentiâ nunc nobis adjaceant istæ species corporales, quas sensu carnis adtingimus, & eis multi ita sunt dediti, ut solas esse arbitrentur, & quidquid tale non est, putent omnino non esse. Sapientes autem ita sunt in his corporalibus visis, ut quamvis ea præsentiora videantur, certiores sint tamen in illis quæ præter corporis speciem præterque corporis similitudinem intelligendo utcumque perspiciunt; quamvis ea non valeant ita mente conspicere, ut hæc sensu corporis intuentur. Sancti verò Angeli & his corporalibus judicandis atque administrandis præsunt, nec eis tamquam præsentioribus familiariùs inclinantur; & eorum significativas similitudines in spiritu ita discernunt, & tantâ potentiâ quodammodo tractant, ut eas possint etiam hominum spiritibus revelando miscere; & illam incommutabilem substantiam Creatoris ita conspiciunt, ut visione atque amore & eam præponant omnibus, & secundùm eam judicent de omnibus, & in eam dirigantur ut agantur, & ex ea dirigant quidquid agunt. Denique quamvis abrepto Apostolo à carnis sensibus in tertium cælum & paradisum, hoc ipsum certè defuit ad plenam perfectamque cognitionem rerum, quæ Angelis inest, quòd sive in corpore sive extra corpus esset, nesciebat. Hoc utique non deerit, cùm receptis corporibus in resurrectione mortuorum corruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induetur immortalitate. Omnia enim evidentia erunt sine ulla falsitate, sine ulla ignorantia, suis ordinibus distributa & corporalia & spiritalia & intellectualia, in natura integra & beatitate perfecta. *1. Cor. 15. 53.*

CAPUT XXXVII. Sententia quorumdam de tertio cælo.

70. SCIO quidem nonnullos eorum, qui Scripturas sanctas ante nos in fide catholica tractasse laudantur, etiam sic exposuisse quod ait Apostolus, tertium cælum, ut corporalis & animalis & spiritalis hominis hîc differentias accipi vellent, atque ad illud incorporearum rerum genus excellenti evidentiâ contemplandum esse Apostolum raptum: quod genus etiam in hac vita spiritales homines præ ceteris rebus diligunt, eoque perfrui concupiscunt. Ego autem cur maluerim spiritale & intellectuale dicere, quod illi fortasse animale & spiritale dixerunt, ut earumdem rerum alia tantummodo nomina ponerem, jam in primis hujus libri partibus me disseruisse sufficerit. Quæ si ritè pro modulo nostro disputavimus, aut spiritalis lector hæc approbabit, aut etiam ut sit spiritalis, adjuvante Spiritu sancto aliquid ex ista lectione proficiet. Sed jam universum hoc opus, quod duodecim voluminibus continetur, isto tandem fine concludimus.

[a] Editi. *perfruetur.* At MSS. omnes, *perfruitur.*

DE SUBSEQUENTI LOCUTIONUM OPERE.

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT LIV.

SEPTEM libros de septem libris divinarum Scripturarum, id est Moysi quinque, & uno Jesu Nave, & altero Judicum feci, notatis locutionibus singulorum quæ minùs usitatæ sunt linguæ nostræ, quas parum, advertendo sensum quærunt, qui legunt, divinorum eloquiorum, cùm sit locutionis genus, & nonnumquam exsculpunt aliquid quod à veritate quidem non abhorreat; non tamen id sensisse auctor à quo hoc scriptum est invenitur, sed genere locutionis hoc dixisse credibilius apparet. Multa autem in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere dilucescunt. Propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum ubi sententiæ patent, ut etiam ubi latent cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat. Hujus operis titulus est, *Locutiones de Genesi.* atque ita de singulis libris. Quod autem in libro primo posui scriptum esse: *Et fecit Noë omnia verba quæcumque præcepit illi Dominus, sic fecit*, eamque locutionem dixi esse similem ei, quod in conditione creaturæ posteaquam dicitur, *Et sic est factum*, additur, *& fecit Deus:* non omni modo simile hoc eidem mihi videtur. Denique ibi etiam sensus latet; hîc sola locutio est. Hoc opus sic incipit: *Locutiones Scripturarum.*

Gen. 6. 22. *Locut. 18.* *Gen. 1.*

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI LOCUTIONUM LIBRI SEPTEM.*

* Scripti circiter annum Christi 419.

LIBER PRIMUS.

Locutiones de Genesi.

LOCUTIONES Scripturarum, quæ videntur secundùm proprietates, quæ idiomata Græcè vocantur, linguæ Hebraicæ vel Græcæ.

Gen. 1. 14. 1. *Et dividant inter medium diei, & inter medium noctis.*

v. 20. 2. *Volatilia volantia super terram secundùm firmamentum cæli.* Quæritur quomodo accipiendum *v. 26.* sit, *secundùm firmamentum.* Sic etiam, *Faciamus hominem secundùm imaginem & secundùm similitudinem:* quod multi Latini codices habent, *ad imaginem & similitudinem.*

v. 28. 3. *Implete terram, & dominamini ejus:* Latina enim locutio est, *Dominamini ei.*

Gen. 2. 5. 4. *Et homo non erat operari terram:* quod Latini codices habent, *qui operaretur terram.*

v. 8. 5. *Plantavit Deus paradisum secundùm Orientem:* quod Latini habent, *ad Orientem.*

v. 9. 6. Quod habent multi Latini codices, *Et lignum sciendi bonum & malum*, vel *lignum scientiæ boni & mali*, vel *lignum sciendi boni & mali:* & si quæ sunt aliæ varietates de hac re interpretum, Græcus habet, *& lignum ad sciendum cognoscibile boni & mali:* quod nescio utrùm locutionis sit, & non magis certum sensum aliquem insinuet.

v. 16. 7. Quod habent Latini codices, *Ex omni ligno quod est in paradiso, escæ edes:* non, *in paradiso escæ*, distinguendum est; sed, *escæ edes:* nam *escâ edes* dici admittit Latina locutio, quoniam pro dativo casu Græco, ablativum vel quem appellant septimum, in hujusmodi locutionibus solent ponere. Aut certè ordo verborum est, *Ex omni ligno escæ.*

Gen. 3. 1. 8. *Serpens erat prudentissimus omnium bestiarum*, quod multi Latini habent: in Græco scriptum est [a] φρονιμώτατος, non σοφώτατος.

v. 7. 9. Quod scriptum est de Adam & Eva, *Aperti sunt oculi eorum*; cùm absurdè credatur eos in paradiso cæcos, vel oculis clausis priùs oberrasse, lo- *Gen. 21. 19.* cutionis est, qua etiam de Agar scriptum est, *Aperuit oculos suos, & vidit puteum*: neque enim clausis prius oculis sedebat: & quod in fractione panis aperti sunt oculi eorum, qui cognoverunt Dominum post resurrectionem; neque enim per viam cum illo clausis oculis ambulabant. *Luca 24. 31.*

10. Quod habent multi codices, *Inimicitiam ponam inter te & mulierem*; Græci habent, *in medio tui & in medio mulieris:* quod locutionis est; nam tantumdem valet quantum cùm dicitur, inter te & mulierem: hoc & in eo quod sequitur, *in medio seminis tui, & in medio seminis ejus.* *Gen. 3. 15.*

11. Quod habent multi Latini codices, *Quia audisti vocem mulieris tuæ, & edisti de ligno, de quo præceperam tibi de eo solo non edere:* Græci habent, *edisti de ligno de quo præceperam tibi, eo solo non edere ex eo:* alij autem interpretes Græci habent, *manducasti*, vel *edisti:* ut ita sit sensus secundùm ipsos, Quia audisti vocem mulieris tuæ, & edisti de ligno de quo præceperam tibi eo solo non edere, ex eo edisti. *v. 17.*

12. *Et apposuit parere fratrem ejus Abel:* locutio est frequens in Scripturis, *apposuit dicere.* *Gen. 4. 2.*

13. *Et factum est, dum essent in campo insurrexit Cain super Abel, & occidit eum:* locutio est; nam etsi non haberet, *Et factum est*, posset integer sensus esse, *& cùm essent in campo.* *v. 8.*

14. Quod scriptum est in quibusdam Latinis codicibus, *Et pænituit, & dixit Deus, Deleam hominem, quem feci à facie terræ:* in Græco invenitur διενοήθη, quod magis *recogitavit*, quàm *pænituit*; significare perhibetur; quod verbum etiam nonnulli Latini codices habent. *Gen. 6. 6.*

15. Quod habent Latini codices plurimi, *Nidos facies in arcam:* cùm Latina locutio sit non in arcam, sed in arca: Græci nec in arcam, nec in arca habent; sed, *Nidos facies arcam:* quod intelligitur, ut ipsa arca nidi essent. *v. 14.*

16. Quod habent plerique codices, *Facies ostium arcæ à latere*; nonnulli habent, *ex transverso:* sic enim voluerunt interpretari quod Græcè dicitur, ἐκ πλαγίων. *v. 16.*

* Hoc opus ad annum circiter 419. referre idcirco visum est, quia in Retractationibus locum habet proximum post libros de Nuptiis & concupiscentia, quos eo ferè tempore scriptos fuisse liquet.

[a] Omnes MSS. *scriptum est* εὐφρόνιμος.

Gen. 7. 4. 17. Quod scriptum est, *Adhuc enim septem dies, ego inducam diluvium aquæ super terram*, quod nonnulli Latini codices habent: in Græco invenitur, *ego inducam pluviam super terram*: Græca locutio genitivum casum habet, non accusativum, ut si hoc in Latinum exprimamus, ita dicatur, Adhuc enim septem dierum inducam pluviam super terram.

v. 5. 18. Quod scriptum est, *Et fecit Noë omnia quæcumque præcepit illi Dominus Deus, sic fecit*, locutio est similis ei quod in conditione creaturæ posteaquam dicitur, *Et sic est factum*, additur *Et fecit Deus.*

v. 4. 19. Quod scriptum est, *Delebo omnem suscitationem*, non creationem dictam notandum est: ἀνάστασιν, enim Græcè scriptum est, quod nomen etiam resurrectionis assiduè ponitur in scripturis Græcis, cùm posset ἐξανάστασις dici, ut suscitatio sit ἀνάστασις, resurrectio ἐξανάστασις, Quo verbo & Philip. 3. 11. Apostolus usus est, Si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum: ibi enim Græci non ἀνάστασιν, sed ἐξανάστασιν habent.

Gen. 7. 14. 20. Quod scriptum est, *Et omnes bestiæ secundùm genus, & omnia pecora secundùm genus, & omne repens quod movetur super terram secundùm genus, & omne volatile secundùm genus intrarunt ad Noë in arcam, bina ab omni carne in quo est spiritus vitæ*: non refertur *in quo*, nisi genus subaudias, id est, in quo genere: nam si carne subaudiremus, in qua fuerat dicendum; quod solus interpres Symmachus dixit.

v. 23. 21. Quod iterum scriptum est, *Et deleta est omnis suscitatio*, notandum locutionis esse, pro eo ac si diceret, conditionem vel creaturam carnis.

22. Cùm dixisset, *Et deleta est omnis suscitatio, quæ erat super faciem omnis terræ ab homine usque ad* a *pecudem & repentium & volatilium cæli*; deinde addidit, *Et deleta sunt de terra*; locutionem illam esse repetitionis, qua familiariter utatur Scriptura, notandum est.

Gen. 8. 7. 23. Quod scriptum est, *Dimisit corvum videre si cessavit aqua, & exiens reversus non est, donec siccavit aqua à terra*, locutio est usitata in Scripturis, quæ jam nunc incipiat adverti: non enim postea reversus est, quia dictum est, non reversum donec siccavit aqua.

v. 9. 24. Quod scriptum est, *Et extendit manum suam, accepit eam, & induxit eam ad semetipsum in arcam*, locutio est, quam propterea Hebræam puto, quia & Punicæ linguæ familiarissima est, in qua multa invenimus Hebræis verbis consonantia: nam utique sufficeret, *Et extendit manum*; etsi non adderet, *suam.* Tale est etiam quod paulò post dicit, *Habebat olivæ folia, surculum in ore suo.*

v. 12. 25. *Et non apposuit reverti ad eum amplius*; locutio est familiarissima in Scripturis.

v. 21. 26. Quod scriptum est, *Et non adjiciam adhuc maledicere super terram*, simile est superiori, *Et non apposuit reverti ad eum.*

Ibidem. 27. *Et non adjiciam percutere omnem carnem vivam*; ipsa locutio est.

Gen. 9. 5. 28. *Etenim sanguinem vestrum animarum vestrarum*: cùm sufficeret aut *sanguinem vestrum* aut *sanguinem animarum vestrarum.*

v. 12. 29. *Hoc signum testamenti, quod ego ponam inter medium meum & vestrum*; quod est inter me & vos.

30. *Hic erat* b *gigas venator contra Dominum Deum*; incertum est utrùm possit accipi, coram Domino Deo: quia & sic solet intelligi quod Græcè dicitur, ἐναντίον. Gen. 10. 9. b

31. *Vnde exiit inde Philisthiim*: cùm sufficeret, *Vnde exiit Philisthiim.* v. 14.

32. *Et erat omnis terra labium unum*; quod usitatè nos dicimus, lingua una. *Et erat omnis terra labium unum*; notandum, omnem terram appellatam omnes homines qui tunc erant, quamvis nondum in omni terra. Gen. 11. 1.

33. *Et facti sunt illis lateres pro lapide*: Græcus habet, *Et facti sunt illis lateres in lapidem*; quod si Latinè diceretur, locutio minùs intelligeretur. v. 3.

34. *Venite ædificemus nobis civitatem & turrim, cujus caput erit usque ad cælum*; secundùm hyperbolen dictum est, si locutionis genus hîc accipiendum est: si autem, *usque ad cælum*, propriè dictum accipitur, inter quæstiones consideretur. v. 4.

35. Quod quidam Latini codices habent, *Sem filius Noë erat annorum centum cùm genuit Arphaxad*: Græci habent, *Sem filius centum annorum cùm genuit Arphaxat*: ubi ellipsis est, quia deest, erat. Sed quòd non habent *filius Noë*, sed *filius* tantùm, nova locutio est. v. 10.

36. *Et erat Sara sterilis, & non generabat*: cùm posset sufficere, *Et erat Sara sterilis.* v. 30.

37. *Erit ergo cùm te viderint Ægyptij, dicent, Quia uxor illius hæc*: genere locutionis adjunctum est, *Quia*; nam sufficere potuit, *uxor illius hæc.* Gen. 12. 12.

38. Quod ait Scriptura, *Factum est autem statim ut intravit Abram in Ægyptum*: sufficeret, *Statim autem ut intravit Abram in Ægyptum.* v. 14.

39. *Quid hoc fecisti mihi, quia non annuntiasti mihi, quia uxor tua est?* cùm sufficeret, *non annuntiasti.* Et ipsum, *annuntiasti*, more Scripturarum dictum est; nam Latini habent plerique, *non dixisti.* v. 18.

40. *Adscendit autem Abram de Ægypto, ipse & uxor ejus & omnia ejus, & Loth cum eo in desertum*; subauditur, adscenderunt. Nec tamen propriè dicitur adscendisse cum eo quod habebat exanime, sicut aurum & argentum & omnis supellex: ac per hoc intelligitur hîc locutio, quæ vocatur Græcè ζεῦγμα κατ' ἔλλειψιν. Gen. 13. 1.

41. *Et facta est rixa inter medium pastorum pecorum Abram & pecorum Loth*: unde Latini codices penè omnes non transtulerunt istam locutionem, sed ita loquuntur ut consuetudo nostra habet, & nobis deinceps eam notare non placuit: ipsa est enim per omnia in Græca Scriptura, ubi tale aliquid dicitur. v. 7.

42. *Quoniam homines fratres nos sumus*, Abram dixit ad Loth: unde intelligitur morem esse Scripturæ ita loqui, ut fratres appellentur unius cognationis, etiamsi gradu sanguinis differant, ut alter sit in superiore, alter in inferiore, sicut hoc loco: nam patruus c ejus erat Abram. v. 8. c

43. *Factum est autem in regno Amarphal regis Sennaar*: secundùm nostræ locutionis consuetudinem sic incipere sufficeret, *in regno autem Amarphal*: ergo quod ait Scriptura, *Factum est autem*, more suo locuta est. Gen. 14. 1.

44. *Quartodecimo autem anno Chodollogomor & reges qui cum eo*; subauditur, erant: unde à quibusdam Latinis etiam additum est. v. 5.

a Editi *pecudum*. At MSS. *pecudem*: juxta græc. LXX. ἕως κτήνους.
b In antiquis codicibus constanter, *gigas*.
c In editis omissum fuerat, *ejus*: quod ex Corbeiensi aliisque optimæ notæ MSS. restituimus.

v. 6. 45. *Et Chorræos qui in montibus Seir*; subauditur, erant.

v. 13. 46. *Adveniens autem eorum qui evaserunt quidam, nuntiavit Abram transfluviali, ipse autem habitabat ad quercum Mambre, Amorrhis fratris Eschol, & fratris Aunan; qui erant conjurati Abram*: obscurum hyperbaton: ordo est enim, Adveniens eorum qui evaserunt quidam Amorrhis fratris Eschol & fratris Aunan, qui erant conjurati, nuntiavit Abram transfluviali, ipse autem habitabat ad quercum. Hoc hyperbaton obscurius fit etiam per ellipsin: cùm enim dictum esset, *quidam Amorrhis fratris Aunan*; non dictum est, quid fratris, sed intelligitur, filius: sicut cùm dicitur Jacobus Alphei, quamvis non dicatur filius, nihil aliud intelligitur: & multæ sunt tales locutiones Scripturarum ubi filius tacetur & intelligitur.

v. 22. 47. Quod habent quidam Latini codices, *Et dixit Abram ad regem Sodomorum, Extendo manum meam ad Deum altissimum, qui creavit cælum & terram, si à sparto usque ad corrigiam calceamenti*: fefellit interpretem, quod Græcus habet σπαρτίου, quod Latinè filum intelligitur, ut ista Scripturarum locutio sit, Extendo manum meam ad Deum altissimum, qui creavit cælum & terram, si accipiam de omnibus tuis: si enim pro eo dixit, *Extendo manum meam ad Deum altissimum*, ac si diceret, juro, non est in Latino usitata locutio, nisi ita dicatur, Extendo manum meam ad Deum altissimum, me non accipere de omnibus tuis.

Gen. 15. 13. 48. *Sciendo scies quia peregrinum erit semen tuum in terra*: locutio quidem Scripturarum est usitatissima: sed Græci habent, *Sciens scies*, quod penè tantumdem est.

Gen. 16. 3. 49. *Et dedit eam Abram viro suo ipse uxorem*: plus habet, *ipse.*

v. 4. 50. *Cùm autem vidit se conceptum habere, spreta sum coram illa*: Græci habent hoc loco participium, quod Latina lingua non habet, hoc est ἰδοῦσα: sed tamquam si diceretur, Videns autem se conceptum habere, spreta sum coram illa: quasi solœcismus sonat. sic etiam per illud participium quod dictum est, ἰδοῦσα, pro quo nos dicimus videns.

Gen. 17. 6. 51. Quod Latini habent, *Augeam te nimis valde*: Græci habent, *valde valde.*

v. 8. 52. *Et dabo tibi & semini tuo post te terram in qua habitas, omnem terram Chanaan in possessionem æternam*: videndum utrùm locutio sit quod dicit, *æternam*, Græci habent διάνιον. Et quod ait, *& semini tuo post te*: ibi enim voluit intelligi quod dixerat, *tibi.*

v. 9. 53. *Tu autem testamentum meum conservabis, & semen tuum post te in progenies suas: conservabis*, pro conserva; promissivum pro imperativo modo posuit.

v. 12. 54. *Et puer octo dierum circumcidetur, omne masculinum*: pro omnis masculus; quasi posset circumcidi nisi masculus.

v. 17. 55. *Et procidit Abraham in faciem, & dixit in animo suo dicens, Si mihi centum annos habenti nascetur, & si Sara annorum nonaginta pariet?* Admirantis esse istam locutionem, non dubitantis, dubitandum non est.

v. 24. 56. *Abraham autem erat annorum nonaginta novem cùm circumcisus est carnem præputij sui*: non dixit carne, aut in carne.

Gen. 18. 7. 57. *Et in boves adcucurrit Abraham*: non dixit ad boves.

58. *Abraham autem & Sara seniores progressi in diebus*: quod Græci habent, *progressi dierum.* v. 12.

59. *Dixit autem Dominus, Clamor Sodomorum & Gomorrhæ impletus est, & delicta eorum magna valde.* Clamorem Scriptura solet ponere pro tanta impudentia & libertate iniquitatis, ut nec verecundiâ, nec timore abscondatur. v. 20.

60. *Et dixit, Quia non perdam si invenero ibi quadraginta quinque*: superfluum videtur, *quia*, & ideò in codicibus nonnullis Latinis non legitur. v. 28.

61. *Numquid Domine si loquar*: subauditur, iraseris, aut aliquid hujusmodi. v. 30.

62. *Cùm everteret Dominus civitates, in quibus habitabat in eis.* Gen. 19. 29.

63. *In omni loco ubi intraverimus ibi.* Gen. 20. 13.

64. *Et aperuit Deus oculos ejus, & vidit puteum aquæ vivæ*: locutio est, non enim clausis oculis erat: unde jam in principio libri locuti sumus, ubi scriptum est, *Et aperti sunt oculi eorum.* Gen. 21. 19.

65. *Et terra quam inhabitasti in ea.* v. 23.

66. *Et disposuerunt ambo testamentum*, vel testati sunt ambo: amat Scriptura testamenti nomine pactum appellare. v. 27.

67. *Accipe filium tuum dilectum*: illa locutione dictum est, *Accipe*, qua etiam ad Agar de filio ejus. Gen. 22. 2.

68. *Et respiciens Abraham oculis*: cùm sufficeret, *respiciens.* v. 4.

69. *Per memetipsum juravi, nisi benedicens benedicam te*: ac si diceret, Per memetipsum juravi quòd benedicens benedicam te; aut nullo verbo addito simpliciter, Per memetipsum juravi, benedicens benedicam te. v. 16.

70. *Et multiplicans multiplicabo semen tuum*: cùm sufficere posset, *multiplicabo.* v. 17.

71. *Et nuntiatum est Abrahæ, dicentes*: cùm consuetudo loquendi habeat, nuntiaverunt Abrahæ dicentes, aut nuntiatum est à dicentibus. v. 20.

72. *Et surrexit Abraham à mortuo suo*: non dixit, à mortua sua. Et iterum de eadem: *Et sepeliam*, inquit, *mortuum meum*: quod non neutro quasi corpus mortuum, sed masculino genere dictum Græca Scriptura demonstrat. Gen. 23. 3. Ibid. 4.

73. *Et adjurabo te per Dominum Deum cæli & Deum terræ*: Græci non habent, *per*, sed, *adjurabo Dominum Deum cæli.* Gen. 24. 3.

74. *Cum quibus ego habito in eis.* Ibidem.

75. *Ne quando noluerit mulier ire mecum*: mulierem feminam appellare proprium est illius linguæ. v. 5.

76. *In terram de qua existi inde.* Ibidem.

77. *Adtende tibi ne revoces filium meum illuc*: his verbis solet comminatio declarari. v. 6.

78. *Et posuit puer manum suam sub femore Abrahæ, & juravit ei de verbo hoc*: ergo locutio est qua dixerat Abraham, *adjuro te*, ac si dixisset, jura mihi: non autem solemus sic loqui, sed observandum est utrùm sint in Scripturis aliæ similes locutiones; nam quod dixit Abraham, *Si noluerit mulier venire tecum, puru. eris à juramento hoc*: manifestavit ita se dixisse, *adjuro te*, tamquam diceret, jura mihi. v. 9. v. 8.

79. Quod scriptum est de Rebecca, *Virgo autem erat speciosa valde, virgo erat, vir non cognoverat eam*, istâ repetitio commendationem virginitatis insinuat. Sed cur additum sit, *vir non cognoverat eam*, nisi locutionis sit, mirum si possit ita accipi ut virgo nomen sit ætatis, non integritatis. Græci autem non habent, *cognoverat*, sed *cognovit*: quod videtur inconsequens. v. 16.

v. 26. 80. *Adoravit Domino:* quod nobis usitatum est dicere, Adoravit Dominum.

v. 27. 81. *Quoniam non dereliquit justitiam & veritatem à Domino meo:* id est justitiam & veritatem quæ est à Domino meo, ac si diceret, quam fecit Dominus meus.

v. 28. 82. *Et currens puella nuntiavit in domum matris suæ:* quasi non ipsa esset & patris domus.

v. 32. 83. *Et aquam lavare pedibus ipsius, & pedibus virorum qui cum eo erant.*

v. 40. 84. *Dominus cui placui ante ipsum, ipse mittet Angelum suum tecum:* quasi non sufficeret, *cui placui:* an poterat ei placere nisi ante ipsum?

v. 42. 85. *Si tu prosperas viam meam, quæ ego nunc ingredior in eam.*

86. Cùm verba sua narraret servus Abrahæ,

v. 43. quæ dixit accessurus ad fontem, ita narravit: *Et erit virgo cui ego dixero, Da mihi bibere pusillum aquæ de hydria tua, & dicet mihi: Et tu bibe & camelis tuis hauriam: hæc mulier est quam paravit Dominus famulo suo Isaac.* Quibus verbis satis evidenter expressum est, etiam mulieres appellatas locutione Hebraica quæ virgines essent.

v. 48. 87. *Et benedixi Dominum Deum domini mei Abraham:* honorificentiæ locutio est, & familiarissima scripturis, sicut Deus Heliæ.

v. 49. 88. *Renuntiate mihi ut redeam in dextram aut sinistram:* per dextram prosperitatem, per sinistram adversitatem significavit, id est dextram si concesserint, sinistram si non concesserint; nam utique eâ viâ rediturus fuerat qua venerat: quam locutionem Scripturarum etiam cetera earum loca indicabunt: quia dextra nominatur in omnibus bonis, sinistra in malis, sive felicitas & infelicitas, sive justitia & injustitia, & aliquando dextra in æternis, sinistra in temporalibus.

Gen. 25 13. 89. *Hæc sunt nomina filiorum Ismaël secundùm nomina generationum eorum:* tamquam dixisset, secundùm quæ nomina generationes eorum appellatæ sunt.

v. 20. 90. *Accepit Rebeccam filiam Bathuel Syri de Mesopotamia, sororem Laban Syri, sibi in uxorem:* cùm posset dici tantummodo *uxorem*, aut *sibi uxorem.*

v. 24. 91. *Et ei erant gemini in utero ejus:* cùm posset non addi quod dictum est, *ejus.*

v. 27. 92. *Creverunt autem juvenes.* Est talis locutio & apud auctores sæculares, sicuti est, Et scuta latentia condunt: id est, condendo latentia faciunt. Sic & hîc, *Creverunt juvenes*, cùm infantes essent, intelligitur crescendo facti sunt juvenes.

Virgil. Æneid 3.

Gen. 25. 31. 93. Jacob ad Esaü, *Vende mihi hodie primogenita tua mihi:* sic enim habent codices Græci.

Gen 26. 28. 94. *Videntes vidimus quia est Dominus tecum.*

Ibidem. 95. *Et disponemus tecum testamentum:* amant Scripturæ pro pacto ponere testamentum, id est διαθήκλιν. Quod Latini habent, *Et disponemus tecum testamentum ne facias nobiscum malum:* tamquam diceretur, ut paciscaris non facere nobiscum malum.

Gen. 27. 1. 96. *Et vocavit filium suum seniorem Esaü, & dixit:* hoc loco senioris nomen non significat ætatem gravem, sed ex comparatione majorem.

v. 3. 97. *Nunc ergo sume vas tuum pharetramque & arcum:* non dixit vasa, sed *vas:* quod autem intelligi voluit, non apparet, nisi fortè locutio est, ut vas pharetram voluerit intelligi, & exponendo quid dixerit vas, adjunxerit *pharetramque & arcum*, tamquam dixerit, sume vas tuum & pharetram; veluti si diceret, sume vas tuum, id est pharetram: deinde aliud, & arcum, quod non ad illud vas pertineret quod est pharetra: aut certè pharetram & arcum vas voluit appellare, singularem ponens numerum pro plurali; tamquam si diceret, accipe vestem tuam, quo nomine intelligeremus plures vestes, sicuti intelligimus militem pro militibus, & multa sunt talia.

98. *Exi in campum, & venare mihi venationem.* Ibidem.

99. *Et vade ad oves, & sume mihi duos hœdos teneros & bonos:* nomine ovium utriusque pecoris genus significavit, quòd in eisdem pascuis simul erant. v. 9.

100. *Et det tibi benedictionem patris tui Abraham:* Isaac dicit filio suo de avo ejus patre suo. Gen. 28. 4.

101. *Et exiit in Mesopotamiam Syriæ:* quasi Mesopotamia dicatur nisi Syriæ, quamvis hoc Septuaginta non habere perhibeantur *Syriæ*, sed cum asterisco scriptum est. v. 5.

102. Deus ad Jacob, *Non derelinquam te, donec faciam omnia quæ tecum locutus sum:* quasi dimissurus cùm fecerit; non utique, sed locutio est. v. 15.

103. *Surrexit Iacob de somno suo, & dixit, Quia est Dominus in loco hoc, ego autem ignorabam:* plenus sensus est, etsi non habeat, *quia. Est Dominus in loco hoc:* ac si diceret, est hîc demonstratio Domini. non enim Dominus in loco est. v. 16.

104. Jacob interrogans quod ait, *Nostis Laban filium Nachor*, cùm esset filius Bathuel; intelligendum est nobiliorem fuisse Nachor, & merito dignitatis ejus factum esse, ut de ipso interrogaret. Filium autem dici & avi & proavi & ultra majoris alicujus eum qui ex illo propagatur, usitatissimæ locutionis est. Hinc est quod & Isaac patrem filij sui appellavit Abraham, sicut paulò ante commemoravi. Gen. 29. 5.

105. *Adhuc est dies multa, nondum est hora congregandi pecora.* v. 7.

106. *Et dedit illi Ballam ancillam suam ipsi uxorem:* plenum esset, etsi *ipsi* non adderetur. Gen. 30. 4.

107. *Si inveni gratiam ante te, auguratus essem, benedixit enim me Deus in introitu tuo:* non videtur consequens, quia hîc dicendum fuit, Si invenissem gratiam ante te, auguratus essem, nunc autem *Si inveni:* ordo est, Si inveni gratiam ante te, permitte me augurari: ita enim dixit, *auguratus essem*, tamquam diceret, ô si auguratus essem, id est, ad bonum augurium te in domo mea haberem. v. 27.

108. *Et exaudiet me justitia mea in die crastino:* id est, exaudiri me faciet. v. 33.

109. *Et vidit Iacob faciem Laban, & ecce non erat ad eum sicut hesterna & nudiustertiana die;* familiarissima in Scripturis locutio, hesterna & nudiustertiana die, pro tempore præterito posuit. Gen. 31. 2.

110. *Et vidi oculis meis in somno:* cùm clausi sint in somno oculi corporis. v. 10.

111. *Ego sum Deus, qui apparui tibi in loco Dei*, locutio est: an Deus in loco Dei sic accipiendum est, quomodo *pluit Dominus à Domino*, filius à Patre?

112. *Respondens autem Iacob dixit ad Laban, Dixi enim ne fortè auferas filias tuas à me, & omnia mea.* v. 31. 3

113. *Intravit autem Laban & inscrutatus est in domo Liæ:* advertendum est quomodo dicatur domus uxoris, cùm in itinere comprehensi sint à Laban: nisi fortè consuetudo Scripturarum dicit domum pro cubiculo vel tentorio, quomodo etiam ancillarum domos dicit. v. 33.

114. *Iacob dicit ad Laban, quia scrutatus es omnia vasa domus meæ:* nunc unam domum dicit, cujus membra erant domus uxorum ejus & concubinarum; ut intelligatur domos appellatas, cùm essent cubicula aut tentoria, quos etiam papiliones vocant. v. 37.

v. 42. 115. *Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac* [a] *adfuisset mihi:* patrem suum appellat avum suum, sicut ei dixerat Isaac pater ejus.

a

Gen. 32. 3. 116. *Misit autem Iacob nuntios ante se ad Esaü fratrem suum in terram Seir in regionem Edom, & mandavit illis dicens, Sic dicetis Domino meo Esaü, Sic dicit puer tuus Iacob, Cum Laban habitavi & demoratus sum usque modò, & facti sunt mihi boves & asini & oves & pueri & puellæ, & misi nuntiare Domino meo Esaü:* non dixit, misi nuntiare tibi.

v. 17. 117. *Si interrogaverit te Esaü dicens, Cujus es? & quò vadis? & cujus hæc quæ antecedunt te? & dices, Pueri tui Iacob:* plenum esset & integrum, etiam si & non haberet.

v. 18. 118. *Munera misit Domino meo Esaü, & ecce ipse post nos:* dicendum autem fuerat usitata locutione, Domino meo tibi, aut Domino suo tibi.

v. 22. 119. *Surrexit autem eadem nocte, & accepit uxores duas & duas ancillas:* hîc distinguuntur ab uxoribus, quas priùs uxores Scriptura dixerat. *Et accepit duas uxores & duas ancillas:* notandum est quemadmodum dicatur consuetudine Scripturarum, *accepit:* non enim tunc eas duxit, aut tunc à socero accepit.

Gen. 33. 13. 120. Quod habent Latini codices, *Et oves & boves fetantur:* Græci habent, *fetantur super me:* quod ea significatione dictum est, ut intelligatur super sollicitudinem vel curam meam: quomodo solemus loqui, cùm dicimus, super caput nostrum esse aliquid, cujus maximam curam gerimus.

Gen. 34. 7. 121. *Et filij Iacob venerunt de campo, & cùm audissent, compuncti sunt viri, & triste erat illis valde quod turpe fecerat in Israël, quòd dormisset cum filia Iacob, & non sic erit:* difficilè talis locutio reperitur in Scripturis, non inductâ personâ loquentium scriptorem verba eorum interposuisse: non enim ait, & dixerunt; sed hoc tacito verba dixit eorum: nam qui alij dicere potuerunt, *& non sic erit*, nisi qui graviter indignati vindictam moliebantur?

122. Notandum quòd Emmor loquens de Dina ad Jacob & filios ejus, *filiam* dicit *vestram*, non dicit filiam tuam sororem istorum. v. 8.

v. 15. 123. *In hoc similes erimus vobis, & habitabimus in vobis:* id est, inter vos.

v. 19. 124. *Appositus enim erat filiæ Iacob:* id est, amabat eam.

v. 26. 125. *Et filium ejus Sichem interfecerunt in ore gladij:* ac si diceret, gladio.

126. Quæ abstulerunt filij Jacob de civitate Sichimorum Salem, cùm eam expugnassent, sic enumerantur: *Oves eorum, & boves eorum, & asinos eorum, quæcumque erant in civitate, & quæcumque erant in campo tulerunt, & omnia corpora eorum captivaverunt, & diripuerunt quæcumque erant in civitate, & quæcumque erant in domibus.* Inter hæc omnia non satis intelligitur quid dixit, *& corpora eorum:* neque enim suspicandum est, quòd corpora abstulerunt peremtorum; sed rerum intelligenda sunt, quæ corporaliter possidentur: ut eorum sit executio quod sequitur, *& supellectilem*, & cetera, sicut in jure dicitur, traditio corporum: quamquam Græci σωμάτια servos appellant usitatissima locutione, sed quia non σωμάτια, sed σώματα; hîc dictum est, non est temerè confirmandum, servos significatos: fieri tamen potest, ut hoc magis sit. v. 28.

127. Cùm gentem Edom, id est Idumæorum, commemoret Scriptura, & qui in ea regnassent, postea dicit, *Hæc nomina principum Esaü, secundùm loca eorum in regionibus eorum, & in gentibus eorum:* gentes appellans unius gentis, propter familiarum multiplicatas generationes, cùm etiam ipse Edom vocaretur; unde & gens quam propagavit cognominata est, cujus utique pater fuit. Gen. 36. 40.

128. *Cùm audisset autem Ruben, liberavit eum de manibus eorum, & dixit, Non feriamus eum in animam.* Non ergo liberavit eum, & inde hoc dixit: sed hoc dicendo eum liberavit. Priùs ergo dixit, *liberavit eum*, & deinde brevi recapitulatione quomodo eum liberaverit, insinuat. Gen. 37. 21.

129. *Non feriamus eum in animam:* hoc loco nomine animæ vitam corporis animati significat, per efficientem id quod efficitur. Secundùm hoc videri potest etiam ad diabolum dictum esse de Job, Animam ejus ne tangas: id est, ne occidas eum. Nam secundùm illam significationem qua natura animæ commemoratur, illud à Domino dicitur, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. v. 22. Job 2. 6. Matth. 10. 28.

130. Quod Judas dicit, *Manus autem nostræ non sint super eum*, hoc est quod dici à nobis solet, Manus ei non inferamus. Gen. 37. 27.

131. *Quoniam frater noster & caro nostra est:* non aliud, sed bis hoc idem dictum est, tamquam exponendo quid sit frater noster, id est caro nostra, quòd ex eadem carne fuerant procreati. Ibidem.

132. *Occiderunt hœdum caprarum:* sic solet loqui Scriptura, quemadmodum in Psalmo, Sicut agni ovium; quasi possit esse aut hœdus nisi caprarum, aut agni nisi ovium. v. 32. Psal. 113. 4.

133. *Et nuntiatum est nurui ejus Thamar, dicentes:* dicendum autem fuit, Nuntiaverunt dicentes. Gen. 38. 13.

134. *Et depositis vestimentis viduitatis suæ à se:* quid minùs esset, si non adderetur, *à se?* v. 14.

135. *Et non apposuit ampliùs scire eam*, pro eo quod est, misceri ei. v. 26.

136. *Et invenit Ioseph gratiam in conspectu domini sui:* hæc locutio nulli est ignota in Scripturis. Gen. 39. 4.

137. *Et nesciebat quæ circa eum erant nihil:* apud Græcos usitata est vulgò locutio, apud nos recta non est, sed nesciebat aliquid dicimus. v. 6.

138. *Prætor panem quem ipse edebat:* per panem utique omnia intelligi voluit ad victum ejus pertinentia: unde pro quotidiano victu, panis solus positus intelligitur in oratione Dominica. Ibidem.

139. *Et misit uxor domini ejus oculos suos in Ioseph:* solet & apud nos vulgò esse usitata locutio, pro eo quod est, amavit eum. v. 7.

140. *Et ait, Dormi mecum:* & ista usitata est locutio, pro eo quod est, Concumbe mecum. Ibidem.

141. *Et dedit carceris custos carcerem per manum Ioseph:* pro eo quod est, in manus Joseph, per quod significat in potestate. v. 22.

142. *Et dixerunt, Somnium vidimus, & non est qui interpretetur illud:* cùm somnium suum unusquisque vidisset, non dixerunt Somnia vidimus, sed *Somnium vidimus.* Gen. 40. 8.

143. *Tres fundi, tres dies sunt:* non dixit, tres dies significant. Et multùm hæc locutio notanda est, ubi aliqua significantia, earum rerum quas v. 12.

a In MSS. *esset.* juxta græc. LXX. λοῦ μοι.

significant, nomine appellantur: inde est quod ait A
1. Cor. 10. 4. Apostolus, Petra autem erat Christus, non ait, Petra significabat Christum.

Gen. 40. 13. 144. *Et dabis calicem Pharaoni in manum ejus:* cùm plenum esset, etiamsi non adderetur, *in manum ejus.*

v. 19. 145. *Et auferet Pharao caput tuum abs te:* plenum esset, etiam si non haberet, *abs te.*

Ibidem. 146. *Et manducabunt aves cæli carnes tuas abs te:* similis superiori locutioni.

Gen. 41. 1. 147. *Et factum est post biennium dierum:* quid minùs esset si non haberet, *dierum?*

v. 7. 148. *Surrexit autem Pharao, & erat somnium:* amant Scripturæ sic loqui de somniis, cùm fuerit evigilatum, tamquam reddita homini veritate vigilantium, tunc illud appareat somnium, quod cùm videretur, quasi veritas fuit.

v. 9. 149. *Peccatum meum recordor hodie. Pharao iratus fuit pueris suis, & posuit nos in carcere:* illi loquebatur tamquam de altero.

v. 11. 150. *Et vidimus somnium ambo nocte una, ego & ille:* quasi non sufficeret, quod *ambo*, dixerat. Deinde & hîc *vidimus somnium* dicit; non, vidimus somnia: tamquam unum ambo vidissent.

v. 13. 151. *Factum est autem sicut comparavit nobis, ita & contigit: Factum est autem*, sic solet Scriptura ponere: nam plenum esset, *sicut enim comparavit nobis, ita & contigit.*

v. 19. 152. *Quales numquam vidi tales in tota terra Ægypti turpiores:* dici autem posset more nostro, quibus numquam vidi turpiores, aut quales numquam vidi, aut numquam vidi tales. *Exsurgens autem dormivi: exsurgens* ait, pro expergiscens.

v. 25. 153. *Quanta Deus fecit, ostendit Pharaoni:* cùm illi loqueretur, tamquam de altero dicit.

v. 30. 154. *Et consumet fames terram:* pro, homines qui sunt in terra.

v. 33. 155. *Nunc ergo vide hominem prudentem & intelligentem, & constitue eum super terram Ægypti, & faciat Pharao & constituat locorum principes super terram:* quasi alius sit cui dixit, *Provide hominem prudentem*, & alius de quo dixit, *constituat Pharao.*

v. 35. 156. *Et congregetur triticum sub manu Pharaonis:* id est, sub potestate.

v. 40. 157. *Tamen thronum præcedam tui ego:* sic se habent verba in Græco, quæ dixit Pharao ad Joseph. sed præcedam tui, usitata est apud Græcos locutio, apud nos autem dicitur præcedam te: illud verò, præcedam te thronum, nec apud Græcos usitata perhibetur, sed præcedam te throno, id est honore sedis, quod intelligitur præcedam te regno, hoc enim illi & postea dicit.

v. 44. 158. *Ego Pharao, sine te nemo extollet manum suam super omnem terram Ægypti:* tamquam diceret, ego sum rex, tu autem princeps vel præpositus Ægypti. Pharao quippe non hominis nomen est, sed regiæ potestatis.

Gen. 42. 1. 159. *Videns autem Iacob quia est venditio in Ægypto, dixit filiis suis, quare segnes estis? Ecce audivi quod est venditio in Ægypto:* notandum quia id quod audisse se dicit, vidisse eum Scriptura dixerat.

v. 2. 160. *Emite nobis pusillas escas, ut vivamus, & non moriamur:* unum horum sufficeret, aut *vivamus*, aut *non moriamur.*

v. 11. 161. *Pacati sumus, non sunt pueri tui exploratores:* quasi de aliis dixerint, *non sunt pueri tui exploratores*, cùm possent dicere, non sumus: honorificentiæ autem more maximè ita loquebantur.

v. 13. 162. *Duodecim sumus pueri tui fratres in terra Chanaan:* cùm posteriùs dicant, quòd unus eorum non sit, ipsum scilicet Joseph non esse existimantes, id est periisse. Hac locutione dictum est etiam illud, *Hi filij Iacob qui facti sunt ei in Mesopotamia*; cùm ibi non fuerit natus Benjamin. Gen. 35. 26.
Quod autem dixerunt, *sumus in terra Chanaan*, cùm eo tempore quo loquebantur, in Ægypto essent, *sumus* dictum est, pro habitamus: inde enim B venerant illico redituri, ibi commorantes.

163. *Hoc est quod dixi vobis, dicens quod exploratores estis:* quid deesset, etiam si non adderet, *dicens?* Gen. 42. 14.

164. *Ipsi verò ite & ducite emtionem tritici vestri: ducite*, pro eo quod est ferte; quia enim ducuntur jumenta in quibus fertur, etiam hoc duci dictum est. v. 19.

165. *Nonne locutus sum vobis, dicens, Ne noceatis puero, & non exaudistis me?* Notandum exaudi- v. 22.
C tionem non eam solam dici, qua exaudit Deus.

166. *Ipsi autem ignorabant, quia audit Joseph:* v. 23.
audit, pro intelligit; nam voces audit utique aure etiam qui non intelligit linguam. Repetitur illa locutio quando narrant patri suo quid eis acciderit in Ægypto, & quid dixerint ad Joseph.

167. *Duodecim sumus fratres filij patris nostri, unus* v. 32.
non est, pusillus autem cum patre nostro hodie in terra Chanaan. Multa in his paucis verbis genera locutionum sunt, & illud quod paulo antè memoravi, D *duodecim sumus*, cùm ipsi dicant, *unus non est:* &, *filij sumus patris nostri*, quasi possent esse filij non patris sui. *Pusillus autem cum patre nostro hodie in terra Chanaan*, nec dixerunt, est, aut aliquid hujusmodi. Deinde notandum est, quod maximè necessarium videtur propter Evangelistarum narrationes, quomodo cùm ea quæ dicta sunt, dicta esse narrantur, non omnino eodem modo repetuntur, cùm tamen in diversitate verborum nihil sententiæ depereat veritatis. Nam quod dixerunt dictum E sibi esse à Joseph, *& in terra mercamini* non invenitur ab illo dictum. Sine mendacio autem dixerunt, quod ex verbis quæ dixerat, in ejus voluntate cognoverant: neque enim verba sunt necessaria nisi ad expromendam, & in audientium notitiam perferendam, quantum possumus, voluntatem.

168. *Et erat uniuscujusque alligatura argenti in* v. 35.
sacco eorum: non dixit, in sacco ejus, aut in saccis eorum, sed quasi unus saccus omnium esset.

169. *Super me facta sunt omnia hæc:* id est, me v. 36.
F miseriâ onerant.

170. *Ait autem illi Iudas, dicens.* Potuit plenum esse, etsi non haberet, *dicens.* Gen. 43. 3.

171. *Interrogans interrogavit nos homo:* assidua Ibidem.
est talis locutio in Scripturis, *interrogans interrogavit nos homo*, aut interrogando interrogavit, & si qua similia.

172. *Mecum enim manducabunt homines panes* v. 16.
meridie: numquid panes tantum? sed ab eo quod excellit & cetera est complexa locutio. *Mecum enim*
G *manducabunt homines panes meridie:* quod dicit *meridie*, prandium significat quod fit medio die, hoc est enim meridies.

173. *Vt accipias nos in servos & asinos nostros:* non v. 18.
utique subauditur, servos: nam quod Latini codices *servos* habent, in Græcis παῖδας legitur, quod nullo modo asini possunt esse. Ergo *asinos nostros* tantummodo accipias, subauditur.

173. Aperuimus

v. 21. 174. *Aperuimus saccos nostros, & hoc argentum* A
uniuscujusque in sacco suo: non addidit, inventum est, aut apparuit, aut erat, aut aliquid hujusmodi.

v. 23. 175. *Propitius vobis, nolite timere:* in his verbis quibus dictum est, *Propitius vobis*, duo verba sunt quæ subaudiuntur, & sit, & Deus. Plenum est enim, Propitius sit vobis Deus, quod omnino in Græco usitatissimum est.

v. 28. 176. *Salvus est puer tuus pater noster, adhuc vivit:* hîc expressiùs ostenditur pueri nomine servum solere significari: non enim in illo sene posset hoc B esse nomen ætatis.

v. 32. 177. *Non enim poterant Ægyptij manducare cum Hebræis panes: abominatio est enim Ægyptiis.* Illa locutio frequentatur, ut in panibus omnes escæ intelligantur.

v. 34. 178. *Magnificata facta est autem pars Benjamin præ partibus omnium quincupliciter ad illorum:* jam quia dictum erat *præ partibus omnium*, potuit non dici *ad illorum.*

Gen. 44. 6. 179. *Inveniens autem eos, dixit secundùm verba* C
hæc: potuit dicere, dixit eis verba hæc. An fortè non locutionis genus est, sed interest etiam sententiæ? Aliud enim est ipsa verba dicere, aliud secundùm ipsa, ut quæcumque alia dicta fuerint eadem sententia teneatur, quæ illis verbis comprehensa est: hoc est secundùm ipsa, etiam si non ipsa. Sed

v. 7. quia sequitur illis respondentibus, *Vt quid loquitur Dominus secundùm verba hæc*, qui utique dicere debuerunt usitato more, Ut quid loquitur Dominus verba hæc, constat esse locutionis genus.

Ibidem. 180. *Absit à pueris tuis facere secundùm verbum hoc:* potuerunt dicere, Absit à nobis; sed illa honorificentia est usitata in Scripturis sic dicere, tamquam de aliis: *pueris* autem, pro servis dictum est.

v. 9. 181. *Et nos autem erimus servi Domino nostro.* Etiam hîc παῖδες Græci habent, hoc est *pueri*, quod tam assiduè Scriptura pro servis ponit, ut difficilè inveniatur non isto nomine appellare servos.

v. 34. 182. *Quomodo autem adscendam ad patrem, cùm* E
puer non sit nobiscum, ut non videam mala quæ invenient patrem meum? Magis consuetudo loquendi exigebat dici, ut videam mala quæ invenient patrem meum, hoc est, Quomodo adscendam ut videam? Novo itaque loquendi more id quod dixit, pro eo dixit ac si dixisset, non. Sic enim usitatus ordo iste verborum est: Non adscendam ad patrem, cùm puer non sit nobiscum, ut non videam mala quæ invenient patrem meum.

183. Quando flevit Joseph cùm recognoscere- F
Gen. 45. 2. tur à fratribus suis, ait Scriptura, *Audierunt autem omnes Ægyptij, & auditum est in domo Pharaonis.*

v. 4. Deinde sequitur quod narrabat, *Dixit autem Joseph ad fratres suos:* priùs itaque Scriptura dixit quod postea factum est; hoc enim famæ celebritate accidit, ut omnibus Ægyptiis notum fieret: & postea reversa est narratio ad id quod dicebatur brevi recapitulatione.

v. 16. 184. *Et divulgata est vox in domo Pharaonis, dicentes, Venerunt fratres Ioseph: dicentes*, posuit pro dicentium: vox enim dicentium divulgata est, *Ve-* G
nerunt fratres Ioseph.

Gen. 46. 3. 185. *At ille respondit, Quid est, dicens:* ordo est, At ille respondit dicens, Quid est.

v. 4. 186. Deus ad Jacob dicit, *Ego descendam tecum in Ægyptum, & ego adscendere te faciam in finem:* sic habent Græci; quod Latini habent, *& ego deducam te in finem.*

187. *Iudam autem misit ante se ad Ioseph, ut ve-* v. 28.
niret sibi obviàm juxta Heroum civitatem: nescio utrùm Heroum nomen facilè in Scripturis reperiatur.

188. In verbis Joseph, quibus ait ad fratres suos, v. 31.
Adscendens nuntiabo Pharaoni, & dicam ei: Fratres mei & domus patris mei qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me: viri autem sunt pastores, (Viri enim pecorum nutritores erant) & jumenta & oves & omnia sua adduxerunt, quod interpositum est, *Viri enim pecorum nutritores erant*, ex persona sua scriptor interposuit, & redit ad verba Joseph, adjungendo *& jumenta & omnia sua adduxerunt*, ut ordo sit in verbis Joseph: Viri autem sunt pastores, & jumenta & oves & omnia sua adduxerunt.

189. *Dixit autem Pharao ad Iacob, Quot anni* Gen. 47. 8.
dierum vitæ tuæ? subauditur, sunt.

190. *Pusilli & mali fuerunt dies annorum vitæ* v. 9.
meæ. Pusilli, pro paucis, positum est. Neque enim vitæ alicujus quàm ceterorum dies possunt C esse horarum spatio breviores. Hoc autem Jacob ex comparatione dixit vitæ majorum suorum. Nam utique centum triginta annos, quos ille jam agebat, nemo nunc vivit.

191. *Triticum secundùm corpus:* id est, secundùm v. 12.
numerum corporum. Per corpus etenim, numerum corporum; per numerum corporum, numerum hominum significat.

192. *Invaluerat autem fames valde, & defecit ter-* v. 13.
ra Ægypti: terram posuit pro hominibus qui erant D in terra.

193. *Venerunt autem omnes Ægyptij ad Ioseph* v. 15.
dicentes, Da nobis panes: per *panes* triticum significat, locutione per id quod efficitur, id quod efficit.

194. *Et facta est terra Pharaoni:* non ait, Pha- v. 20.
raonis. Amat sic loqui Scriptura, sicut in Psalmo Psal. 118.
dictum est, Et custodivi legem tuam, hæc facta est 56.
mihi, quia justificationes tuas exquisivi: de lege Dei dixit, hæc facta est mihi, id est in meam utilitatem.

195. *Præter terram sacerdotum tantùm non possedit* Gen. 47. 22.
Ioseph: quasi dixisset, Præter terram sacerdotum tantùm, omnem terram possedit Joseph.

196. *Et posuit illis Ioseph in præceptum usque in ho-* v. 26.
diernum diem in terra Ægypti, ut præstent quintas Pharaoni: hinc intelligitur Pharaonis nomen potestatis fuisse regalis, quòd dixit *usque in hodiernum diem.* Non enim illi qui tunc fuit, præstare poterant Ægyptij usque ad illum diem, quo ista scribebantur, quando ille jam non vivebat.

197. *Et fuerunt dies Iacob annorum vitæ ejus:* dies v. 28.
annorum sæpe dicit Scriptura, cùm semel posset annos dicere.

198. Quod scriptum est, *Nuntiatum est Ioseph,* Gen. 48. 1.
quia pater tuus turbatur: aliqui codices habent *vexatur*, aliqui *æstuatur*, & aliud alij, sicut interpretari Latini potuerunt, quod Græcè scriptum est ἀνοχλεῖται. Ideo autem *turbatur*, accommodatiùs dici videtur, quia hoc dici solet de iis qui afflictatione corporis morte propinquante jactantur. Et ex hoc etiam, turba ὄχλος dicitur: est enim turba, multitudo inordinata, non sicut populus, quod δῆμος dicitur, nec sicut plebs, quod λαὸς dicitur, sed sicut ὄχλος, quod turba dicitur.

199. Jacob benedicens nepotes suos filios Joseph, v. 16.
ait inter cetera, *Et invocabitur in his nomen meum, & nomen patrum meorum:* unde notandum est, non solum exauditionem, sed etiam invocationem dici

aliquando quæ non Dei, sed hominum sit.

v.18. 200. *Hic enim primitivus:* minùs habet, est, secundùm codices Græcos.

Gen.49.24. 201. In benedictione Joseph ait inter cetera Jacob, *Inde qui confortavit Israël:* mirum si non subauditur, est, ut plenum sit, Inde est qui confortavit Israël.

Gen.50.2. 202. Quod scriptum est, *Dixit Ioseph servis suis sepultoribus, ut sepelirent patrem ejus:* non invenit lingua Latina quemadmodum appellaret ἐνταφιαστάς: non enim ipsi sepeliunt, id est terræ mandant corpora mortuorum, quod non est Græcè ἐνταφιάσαι, B sed θάψαι. Illi ergo ἐνταφιασταὶ, id agunt quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo vel siccando vel involvendo & alligando, in quo opere maximè Ægyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit, *Etiam sepelierunt*, curaverunt in-
v.3 telligere debemus. Et quod dicit, *quadraginta dies sepulturæ*, ipsius curationis accipiendi sunt. Sepultus enim ille non est, nisi ubi se mandaverat sepeliri.

v.4. 203. *Loquimini in aures Pharaonis:* locutio est usitata in Scripturis.

v.6. 204. *Et dixit Pharao ad Ioseph, Descende & sepeli patrem tuum:* etiam si per potentes illos per quos Joseph mandaverat, Pharao dixit quod perferrent ad Joseph, non utique dixit nisi ipsi Joseph.
Matth.8.5. Unde illud est in Evangelio, quod unus Evangeli-
A starum dicit, centurionem venisse ad Dominum & dixisse illi, Puer meus jacet in domo paralyticus: alius autem totum diligentiùs narrans, amicos eum Luca 7.3.
ad Dominum misisse commemorat, qui hoc ei dicerent: in quibus amicis utique ipse venit, cujus in eis voluntas præsens fuit: unde est, Qui vos reci- Matth. 10. 40.
pit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.

205. *Planxerunt eum planctum magnum & vali-* Gen.50.10.
dum: planxerunt planctum, non planxerunt planctu; locutio est in Latina lingua non ignota, sicut dicitur, servitutem servivit, militiam militavit, & similia.

206. *Et redditione reddet nobis omnia mala, quæ* v.15.
ostendimus ei. Ex hac locutione ait & Apostolus, Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: *osten-* 2. Timoth. 4.14.
dimus enim dictum est, vel ostendit, pro eo quod est fecimus, vel fecit.

207. *Accipe iniquitatem servorum Dei patris tui:* Gen.50.17.
nova locutio est, *Accipe iniquitatem*, pro ignosce, C aut remitte, aut obliviscere: sed puto inde esse dictum *Accipe*, ac si diceretur, æquo animo accipe, hoc est, noli indignè ferre.

208. *Et venientes ad eum dixerunt:* non iterum v.18.
venerunt, sed quod dictum fuit iterum dictum est: solet hoc facere Scriptura.

LIBER SECUNDUS.

Locutiones de Exodo.

Exodi 1.7. & 12. 1. ET *invalescebant valde valde.*

v.21. 2. Quid est quod dictum est de obstetricibus, *Et fecerunt sibi domos, quoniam timuerunt Deum?* Prædictum est enim, *Benefaciebat Deus cum obstetricibus.* Et ad hoc videtur pertinere, quod fecerunt sibi domos timendo Deum, tamquam beneficia Dei ad hoc eis profuerint ut facerent sibi domos. Numquid antea non eas habuisse domos intelligendum est? An ad divitias hoc verbum pertinet, vel potiùs ad aliquas rei familiaris idoneas facultates? Huic enim simile videtur, quod ait etiam Jacob post quatuordecim annos servitutis suæ socero suo volenti eum
Gen.30.31. adhuc apud se tenere, Nunc ergo quando faciam & ego mihi domum? dixerat enim quòd creverint pecora Laban sub illo: sicut & ipse Laban confessus fuerat dicens, Benedixit me Deus in introitu tuo: cùm ergo dicit, quando faciam & ego mihi domum, subintelligitur, sicut & tu. Hoc videtur enim valere quod ait, & ego, ut ad ipsam domum faciendam videatur pertinere quod consequenter ad Laban merces ipsa statuenda proponitur.

Exodi 1.22. 3. *Et omne femininum vivificate illud:* sic enim habent Græci: Latini non habent, *illud.*

Exodi 2.1. 4. *Erat autem quidam de tribu Levi, & sumsit sibi de filiabus Levi:* intelligitur uxorem, quod quidam Latini interpretes etiam addendum putaverunt: sequitur autem, Et habuit eam, & concepit.

v.3. θίβιν 5. Quid sit *thibin*, ideo difficile est nosse, quia nec Græcus interpres ex Hebræo, nec Latinus ex Græco vertit hoc nomen, sed sic transtulit ut invenit.

v.14. 6. *Timuit autem Moyses & dixit, Si sic divulga-*
D *tum est verbum hoc.* Duo sunt in hac locutione adtendenda: primò, quia pendet sententia, & sic dimissa est: deinde, quia verbum pro facto posuit.

7. *Et respexit filios Israël, & innotuit illis:* pro v.25.
eo positum est *innotuit*, quod egit in eis, quibus Dei curam erga se intelligerent.

8. *Videns vidi vexationem populi mei, qui est in* Exodi 3.7.
Ægypto.

9. *Et dixit Moyses ad Deum, Quis sum, quia ibo* v.11. & 12.
ad Pharaonem regem Ægypti; & quia educam filios E *Israel de terra Ægypti? Dixit autem, quoniam ero tecum:* sic habet Græcus; Latinus autem, *Et quis ego*, dixit: & non dixit, *quia ibo, & quia educam*, sed *ut eam & educam.* Et quod in Græco habet, *Dixit autem quia ero tecum*, intelligitur utique quòd dixerit ad Moysen: totum autem hoc Latinus addidit, & ait, *Dixit autem Deus ad Moysen.*

10. Deus dicit quòd dicat Moyses filiis Israël: v.16.
Visitans visitavi vos, & quæcumque contigerunt vobis in Ægypto: Græcus habet, *Visitatione visitavi* F *vos.*

11. Deus dicit ad Moysen de filiis Israël, *Et au-* v.18.
dient vocem tuam: Græcus habet, *Et exaudient vocem tuam*, quia & exauditio dicitur hominis.

12. Quod habet Latinus, *Poscet mulier à vicina, &* v.22.
ab inquilina sua vasa argentea & aurea & vestem: Græcus habet *à cohabitatrice sua*, hoc est [a] συσκήνου, quod Latini aliqui interpretati sunt, *à concellaria sua.*

13. Moyses dicit, *Quid si non crediderint mihi,* Exodi 4.1.
neque exaudierint vocem meam: quod Latinus, *au-* G *dierint* interpretatus est.

14. *Extende manum, & apprehende caudam,* Græ- v.4.
cus habet: Latinus autem, *manum tuam & caudam*

[a] Editi, συνοίκου. At MSS. uti apud LXX. συσκήνου.

ejus, interpretatus est. *Et extendens manum apprehendit caudam, & facta est virga in manu ejus.*

v.5. 15. *Et dixit illi: Vt credant tibi quoniam apparuit tibi Dominus Deus patrum ipsorum:* Græcus non habet, *Et dixit illi:* sed continuò adjunxit, *ut credant tibi:* id est verba Dei, post illud factum miraculum: tamquam adhuc loqueretur, & modò sententiam verborum impleverit. Nam ordo est verborum, Extende manum & apprehende caudam, ut credant tibi: sed interposita est facti narratio, & postea redditum, *ut credant tibi.*

v.6. 16. Quod Latinus habet, *Et facta est manus ejus leprosa tamquam nix:* Græcus non habet *leprosa*, sed tantùm, *facta est tamquam nix.*

v.8. 17. *Quòd si non audierint vocem signi primi:* Græcus sic habet: Latinus autem, *vocem tuam signi primi*: sic & sequitur, *credent tibi in voce signi sequentis.*

v.9. 18. *Et erit aqua, quam sumes de flumine, sanguis super aridam:* vel potiùs *super aridum*, id est, super id quod aridum est: quod Latinus dixit, *sanguis super terram.*

v.10. 19. Moyses dicit, *Precor Domine, non sum eloquens ante hesternam & nudiustertianam diem.*

v.17. 20. *Et virgam hanc sumes in manum tuam, in qua facies in ea signa:* cùm dici posset, in qua facies signa: aut certè, Virgam hanc sumes in manum tuam, & facies in ea signa: nunc verò utrumque dictum est solita locutione Scripturarum.

v.18. & 19. 21. *Post dies autem illos multos, mortuus est rex Ægypti: dixit autem Dominus ad Moysen in Madian, Vade, perge in Ægyptum, mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.* Multa in his verbis genera locutionum notanda sunt, primò, *Vade, perge in Ægyptum*, tamquam non sufficeret tantùm *Vade*, vel tantùm *perge*: deinde *mortui sunt omnes qui quærebant animam tuam;* cùm solum regem Ægypti Scriptura dixerit mortuum, & de solo antea dictum fuerit quòd Moysen quærebat occidere. An ipse post alios inimicos ultimus mortuus est? Quod si ita est, non locutio, sed sensus est. Item, *qui quærebant animam tuam*, non in malo tantùm, sed etiam in bono dici solet in Scripturis: nam sicut
Psal.39.15. hîc, in malo dictum est etiam in Psalmis, Confundantur & revereantur qui quærunt animam meam.
Psal.141.5. In bono, Periit fuga à me, & non est qui requirat animam meam: nisi fortè aliquid distare dicitur inter quærentes & requirentes, ut illud in malo, hoc in bono intelligendum sit.

Exodi 5.10. 22. *Et dicebant ad populum dicentes, Hæc dicit Pharao:* quam locutionem piguit Latinum interpretari.

v.21. 23. *Videat Deus vos & judicet, quoniam exsecrabilem fecistis odorem nostrum palam Pharaone, & palam servis ejus, dare gladium in manus ejus, ut occidat nos:* sic enim habet Græcus: Latinus autem ait quem pro optimo legebamus, *ut daretis gladium in manibus ejus*, qui solœcismus, nulla interpretationis necessitate factus est, quia in Græco non est.

Exodi 6.4. 24. *Statui testamentum meum ad illos, ita ut darem illis terram Chananæorum, & terram quam incoluerunt, in qua & incoluerunt in ea:* sic enim habet Græcus, quod utique & in Græca lingua absurdè videtur sonare; & tamen Septuaginta interpretum auctoritas tanta est, quos ita loqui non piguit. Quid enim, & sensus hîc latet? quòd si nullus est, ipsa locutio notanda est, ne alibi inventa sensum impediat, vel
A aliquid quærere ubi quærendum non est, compellat.

25. Quod habet Latinus, *Exaudivi gemitum* v.5.
filiorum Israël, quemadmodum Ægyptii affligerent eos: Græcus habet καταδουλοῦνται, quod interpretari posset, *in servitutem redigunt eos:* nam uno verbo non potest.

26. *Et locutus est Moyses sic ad filios Israël, & non* v.9.
exaudierunt Moysen à defectione animi & ab operibus duris: exaudierunt ait, non audierunt.

27. *Ego enim ineloquens sum*, quod ait Moyses v.12.
B ad Dominum, ἄλογος dixit Græcus, non imperitus, quasi ἀμαθὴς vel ἀπαίδευτος.

28. *Hi sunt Aaron & Moyses, quibus dixit eis Deus* v.26.
ut educant filios Israël de terra Ægypti: sic enim habet Græcus.

29. *Ecce ego gracili voce sum, & quomodo exau-* v.30.
diet me Pharao? Notandum quod *exaudiet* dixit, non audiet.

30. *Fecit autem Moyses & Aaron, sicut præcepit il-* Exodi 7.6.
lis Dominus, ita fecerunt: quid deesset, si non dice- C retur *ita fecerunt?*

31. *Si loquetur vobis Pharao dicens, Date nobis* v.9.
signum aut portentum, & dices Aaron fratri tuo, Sume virgam: nonne locutionis nostræ consuetudo poscebat & quædam ejus integritas, ut ita diceretur, Si loquetur vobis Pharao dicens, Date nobis signum aut portentum, dices Aaron fratri tuo, Sume virgam: quid ergo ibi additum est, &, nisi aliqua proprietate locutionis Hebraicæ: nam neque Græca esse perhibetur..

D 32. Non mihi videntur satis commodè inter- v.11.
pretati Latini σοφιστὰς Pharaonis, ut dicerent *sapientes:* σοφοὶ enim sapientes dicuntur. Potuit enim Latinus interpres sophistas dicere, quoniam non est quemadmodum id Latinè dicatur, & ideo isto verbo jam utimur pro Latino, sicut philosophiam dicimus non solùm Græcè, verùm etiam Latinè, [a] sophistas appellarunt Latinarum litterarum eloquentissimi auctores.

33. *Et absorbuit virga Aaron virgas illorum:* ac si v.12.
E diceret, draco Aaron.

34. Quod dictum est de Pharaone, *Ecce ipse exiit* v.15.
ad aquam: Græcus habet, *super aquam.*

35. *Dimitte populum meum ut serviat mihi in de-* v.16.
serto, & ecce non exaudisti usque adhuc: quoties dicitur *exaudisti*, cùm homini dicatur.

36. *Fecerunt autem similiter & incantatores Ægyptio-* v.22.
rum veneficiis suis. Et induratum est cor Pharaonis, & non exaudivit eos, sicut dixit Dominus: quia in usu Scripturæ est, *exaudivit*, cùm etiam de homine F loquitur.

37. *Dimitte populum meum ut serviant mihi:* non Exodi 8.1.
ut serviat, qui loquendi modus non ferè invenitur nisi ubi res ipsa singularis pluribus constat. Populus enim singulari nomine dicitur, sed constat ex multis. Sic etiam est, Omnis terra adorent te; quia Psal. 65.4.
omnis terra dictum est, pro hominibus qui sunt in terra.

38. *Ecce ego ferio omnes fines tuos ranis:* sic enim Exodi 8.2.
habet Græcus elegantissima locutione, ut ranæ ip- G sæ, plaga intelligatur, qua feritur terra Ægypti.

39. *Et eructuabit flumen ranas, & adscendentes* v.3.
intrabunt in domos tuas & in promtuaria cubiculorum tuorum super lectos tuos, & in domos servorum tuorum, & populi tui, & in conspersis tuis, & in clibanis tuis: & super te & super populum tuum & super servos tuos adscendent ranæ. Notandum quòd *in*

[a] Sic MSS. At editi, *sophistæ autem appellantur.*

domos, &c. cùm dixisset, accusativum casum tenuit; *& super lectos*, &c. ubi dixit, *super*, accusativum similiter servavit: *in conspersis* autem & *in clibanis* ad ablativum se transtulit: nam & Græcus mutavit præpositionem, quam non mutat Latinus. Ille enim habet εἰς σοῦ οἴκους, *in domos: in conspersis* autem, ἐν τοῖς φυράμασιν: ubi mirum si non etiam sensus est, non locutio, ut in conspersionibus & in clibanis exortas ranas forsitan velit intelligi, non extrinsecùs adscendisse vel irruisse, & quia eas fluvium eructaturum prædicit, inde implere omnia.

v. 6. 40. *Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti & eduxit ranas, & educta est rana & operuit terram*: repetitio à plurali ad singularem numerum trajecta est; nam utique rana, pro multitudine ranarum positum est: nescio quo autem modo per loquendi consuetudinem imbutis sensibus hominum, sæpe plus videtur quod singulariter, quàm quod pluraliter dicitur: nam plus accipitur cùm dicitur, verbi causâ, est illic miles, quàm sunt illic milites; est illic piscis, quàm sunt illic pisces.

v. 14. 41. *Et congerebant eas acervos acervos*: hæc repetitio multitudinem acervorum significat, & Scripturis est familiaris.

v. 16. 42. Quod habent Latini, *Extende manu virgam tuam, & percute terra*: non percute terram: Græcus habet *aggerem terræ*, si tamen hoc verbo rectè interpretatur quod dictum est τὸ χῶμα τῆς γῆς.

v. 18. 43. *Fecerunt autem similiter & incantatores veneficiis suis, ut educerent cyniphes, & non poterant.* Notandum est, *fecerunt* dictum pro eo quod est, conati sunt facere. Nam utique si fecerunt similiter, procul dubio eduxerunt cyniphes: sed quia sequitur, *ut educerent, & non poterant*; non ergo similiter fecerunt, sed similiter facere conati sunt. Aut si fortè & ipsi quamvis veneficiis agerent, eadem tamen agendi specie virgam extendebant, quod Scriptura non expressit, ad hoc referendum est, *fecerunt similiter*.

v. 21. & 22. 44. *Et in terram super quam sunt super eam. Et gloriosam faciam in die illa terram Gessin, in qua populus meus inest super eam.*

v. 29. 45. *Et dixit Moyses, Ego exeam à te, & orabo ad Deum, & exibit cynomyia à Pharaone & à servis ejus*: quasi alteri diceret & *exeam à te*, & de altero Pharaone subsequeretur à quo esset exitura cynomyia.

Exodi 9. 2. 46. *Dimitte populum meum ut mihi serviant.*

v. 18. v. 24. 47. *Ecce ego pluam hanc horam crastinam diem grandinem multam. Grando autem multa valde valde.*

v. 29. 48. *Et desinent voces & grando.* Notandum est Scripturam, *voces* solere appellare tonitrua, quas voces Dei etiam Pharao superiùs appellavit dicens, v. 28 *Orate pro me ad Dominum, ut desinant fieri voces Dei*: ubi & illa locutio est quod dixit, *desinant fieri voces.*

Exodi 10. 2. 49. *Ut narretis in aures filiis vestris & filiis filiorum vestrorum quæcumque illusi Ægyptiis*: notandum quemadmodum dicatur *illusi*, ne fortè ita sit Psal. 103. 26. dictum, Draco hic quem finxisti ad illudendum ei. Job. 40. 14. & illud in Job, Hoc est initium figmenti Domini quod fecit ad illudendum ab Angelis ejus.

Exodi 10. 4. 50. *Ecce ego induco hanc horam crastino die locustam multam.* Ecce quemadmodum superiùs dixit ranam, ubi diximus plerumque plus intelligi cùm aliquod hujusmodi singulariter dicitur, quàm si pluraliter diceretur. Manifestum est enim plus sonare, *locustam multam*, quàm si diceret locustas multas.

A 51. *Qui autem & qui sunt qui ibunt*: quotidie v. 8. dicimus consuetudine familiariore, quàm qui & qui ibunt.

52. *Non est relictum viride nihil in lignis*: dicendum fuit more locutionis nostræ, Non est relictum viride aliquid in lignis. v. 15.

53. Pharao ad Moysen, *Peccavi ante Dominum Deum vestrum & in vobis, suscipite ergo delictum meum*: hac locutione & ad Joseph usi sunt fratres ejus ubi dixerunt, Accipe iniquitatem servorum B Dei patris tui. v. 16. & 17. Gen. 50. 17.

54. Quod Latini habent, *Et nemo vidit fratrem suum tribus diebus*: Græcus habet, *Et non vidit nemo fratrem suum*: notandum etiam fratrem hominis quemlibet hominem dici. Exodi 10. 23.

55. Pharao dicit ad Moysen & Aaron, *Ite & servite Domino Deo vestro, præter oves & boves, relinquite*: sic enim habet Græcus: valde inusitata locutio est, nisi post distinctionem inferatur, *relinquite*, & subaudiatur, ista: ut sit sensus, Ite præter C oves & boves, & relinquite ista: solet enim talis ellipsis fieri crebrò in locutionibus Scripturarum. v. 24.

56. *Et non relinquemus ungulam*: quasi abductis pecoribus posset ungula remanere: quid est enim aliud, *non relinquemus ungulam*, nisi, nec ungulam relinquemus? v. 26.

57. Pharao ad Moysen, *Adtende tibi ultra apponere videre faciem meam*: pro eo quod est, adtende tibi ne ultra videas faciem meam. v. 28.

58. *Et petat unusquisque à proximo suo & mulier à* D *proxima vasa argentea & aurea & vestem*: notandum & Ægyptios Hebræis proximos dictos. Exodi 11. 2.

59. *Et erit clamor magnus per omnem terram Ægypti, qualis non fuit, & talis non adhuc apponetur: in filiis autem Israël non mutiet canis linguâ suâ ab homine usque ad pecus.* Elegantissima locutio est, per canem quippe extremum significavit vel hominum vel pecorum, ita commendans quanta in Hebræis quies futura esset, Ægyptiis acerba orbitate clamantibus. v. 6. & 7.

E 60. *Accipiant singuli ovem per domos patriarum.* Quas dicat patrias, non facile est intelligere, utrùm civitates in quibus commanebant, an potiùs numerosas familias à cujusque velut paternitate propagatas: hoc enim magis in Græco significari perhibetur. Exodi 12. 3.

61. *Si autem pauci sint qui in domo, ita ut non sint idonei ad ovem*, id est, ut ipsa paucitas non sit idonea ad ovem consumendam, *assumet secum vicinum proximum suum*, hoc est ipsa domus assumet F vicinum: hominem proximum pro homine posuit, singularem autem pro plurali: non enim unum, sed quot sufficiunt; cùm de ove consumenda Scriptura loqueretur, *secundùm numerum*, inquit, *animarum unusquisque quod sufficiat*: animas pro hominibus à parte totum. v. 4.

62. *Sument à sanguine, & ponent super duos postes, & super limen in domibus in quibus manducabunt illas in eis.* Cùm dixerit, *in quibus*, dixit etiam *in eis*, more usitatissimo: sed *manducabunt illas*, quæritur G quas, & intelligitur carnes; hoc enim sequitur, *Et manducabunt carnes hac nocte assatas igni*; quòd habent Latini codices, *qui manducabunt carnem*, Græci autem habent κρέας, id est carnem, sed genere neutro; ideo in Græco est, *in domibus, in quibus manducabunt illa in eis.* Est verò illa locutio, ut priùs diceret illas, quàm prædiceret quid in consequentibus intelligeretur quas dixerit, similis ei v. 7.

* Lib. 1. quæstionum de Exodo q. 11. locutioni quam de filio Moysi* exposuimus, cùm A eum vellet Angelus occidere, & exemplum adhibuimus de Psalmo, Fundamenta ejus in montibus Psal. 86. 1. sanctis, diligit Dominus portas Sion: cujus enim fundamenta non intelligimus, nisi ex consequentibus: sic & hîc, *in quibus manducabunt illas in eis*, id est in quibus domibus manducabunt illas, intelligitur carnes, de quibus consequenter loquitur.

Exodi 12. 22. 63. *Sumetis autem vobis fasciculum hyssopi, & tinguetis ex sanguine qui est juxta ostium, & linietis super limen & super ambos postes de sanguine.* B Etiam hîc fasciculus hyssopi plures utique fasciculos significat, sicut rana plures ranas, & locusta, plures locustas: tropus autem iste quando fit in rebus, quæ à nobis non ita dici solent, obscuritatem facit.

v. 26. & 27. 64. *Et erit cùm dicent ad vos filij vestri, Quæ est servitus ista? Et dicetis eis, Immolatio paschæ hoc Domino*: etiam si non haberet, &, plenum esset, *dicetis eis.*

v. 28. 65. *Et advenientes fecerunt filij Israël sicut præcepit Dominus Moysi & Aaron, ita fecerunt*: non adderet, *ita fecerunt*, nisi mos esset Scripturarum. C

v. 51. 66. *Et factum est, in die illa eduxit Dominus filios Israël de terra Ægypti.*

Exodi 13. 1. 67. *Ait autem Dominus ad Moysen dicens.*

v. 11. 68. *Omne adaperiens vulvam masculina*: pluralem numerum intulit singulari, quia ipsum quod dictum est, *omne adaperiens*, non utique in uno, sed Psal. 77. 1. in multis accipitur. Similis est locutio, Adtendite popule meus. Tale est & quod paulò pòst sequi- D Exodi 13. 12 tur, *Omne quod adaperit vulvam de armentis & de pecoribus quæcumque tibi nata erunt: omne quæcumque tibi nata erunt*, ipse modus est locutionis.

v. 13. 69. *Omne adaperiens vulvam asinæ*: Græcus habet, *asini*: modo illo locutionis, quem jam in Genesi notavimus, ubi masculinum pro feminino po- Gen. 23. 8. situm est, de morte Saræ dicente Scriptura, Surgens Abraham à mortuo, &, Sepeliam mortuum meum, & talia ibi sæpe dicuntur de mortua.

Exodi 13. 15. 70. *Propter hoc ego immolo Domino omne quod aperit vulvam masculina*: similis locutio superiori.

v. 16. 71. *Et erit in signum super manum tuam*: id est, super opera tua: ubi magis sensus est forsitan quàm locutio.

Exodi 14. 27. 72. *Et excussit Dominus Ægyptios in medium maris*: Græcus habet, *Et excussit Dominus Ægyptios medium maris.*

v. 32. 73. *Vidit autem Israël manum magnam, quæ fecit Dominus Ægyptiis.*

Exodi 15. 1. 74. *Tunc cantavit Moyses & filij Israël canticum hoc Domino, & dixerunt dicere*: sic enim habet Græcus, ὃ εἶπαν λέγειν.

v. 22. 75. *Et non inveniebant aquam, ut biberent*: poterat non habere, *ut biberent.*

v. 24. 76. *Et murmuravit populus adversùs Moysen, dicentes*: non dicens, sed *dicentes*: ex pluribus enim populus constat.

Exodi 16. 1. 77. *Et venerunt omnis synagoga filiorum Israël in eremum*: non dixit, venit, quia synagoga ex pluribus constat.

v. 2. 78. *Murmurabant omnis synagoga filiorum Israël adversùs Moysen & Aaron*: eadem est ista locutio.

v. 4. 79. *Dixit autem Dominus ad Moysen, Ecce ego pluam vobis panes de cælo.* Manna pluiturus, panes promisit: locutio est qua panis pro alimento ponitur: amat autem Scriptura pluraliter magis panes quàm singulariter dicere.

80. *Manè videbitis*, inquit, *gloriam, dum exaudiet murmurationem vestram super Deum*: id est, quia murmuratis super Deum, quod tantum valet ac si diceret, adversùs Deum. Deinde notandum novo modo hîc exauditionem dictam non precantium, sed murmurantium, cùm reprehendat utique Scriptura murmurationem: tamquam hoc dixerit, quòd cognoverit Deus murmurationem eorum, & ipsam Dei cognitionem dixit exauditionem. v. 7.

81. *Accedite ante Deum; exaudivit enim murmur vestrum*: iterum exauditionem, non precum significat & petitionum, sed etiam murmuris malorum: hoc & postea dicit Deus, *Exaudivi murmur filiorum Israël.* v. 9. v. 12.

82. *Et ecce in facie eremi minutum tamquam coriandrum.* Cùm toties Deus dicat, *faciem terræ*, sicut hîc *faciem eremi*, mirum est, unde homines ita errent cùm faciem audierint, ut aliquid tale opinentur, qualis hominis facies est, vel alicujus animantis. v. 14.

83. *Secundùm numerum animarum vestrarum unusquisque cum commanentibus vobis colligite.* Quàm sæpe Scriptura animas, homines appellat, à parte totum: non facilè autem carnes pro hominibus, sed carnem, sicuti est, Non timebo quid mihi fa- Psal. 55. 5. ciat caro: quod apertiùs in eodem Psalmo ait, Ibid. 11. Quid mihi faciet homo. Non autem diceret, secundùm numerum carnium vestrarum, sicut dixit, *secundùm numerum animarum vestrarum.* v. 16.

84. *Et collegerunt illud manè manè*: quomodo puteos puteos, acervos acervos, sic dictum est *manè manè.* v. 21.

85. *Nullus vestrûm egrediatur unusquisque de loco suo die septimo*: quod interpositum est, *unusquisque*, potuit & non dici. v. 29.

86. *Non erat autem populo aqua bibere*: id est ad bibendum. Exodi 17. 1.

87. *Et maledicebat populus ad Moysen*: id est maledictis agebat Moysen, hoc est maledicebant illi: E nam hoc in consequentibus ipse dixit, *Quid maledicitis mihi?* v. 2.

88. *Murmuravit populus ad Moysen dicentes.* v. 3.

89. *Et virgam in qua percussisti flumen accipe in manu tua: in qua percussisti*, dixit pro eo quod dicimus, de qua percussisti; & est ista locutio creberrima in Scripturis. v. 5.

90. *Et sumsit Iothor socer Moysi holocaustomata & sacrificia Deo: sumsit*, pro eo quod est obtulit. An fortè sensus est, non locutio, ut ea sumsisse intel- F ligatur, quæ Moyses obtulisset? quamquam Moyses non legatur superiùs sacrificasse, nec Aaron nec quisquam Hebræorum qui educti sunt de terra Ægypti; sed tantùm superiùs scriptum est, quòd Exodi 17. 15. altare constituerit Moyses, & appellaverit illud, *Dominus meum refugium.* Istum autem Jothor legimus sacerdotem fuisse Madian, id est gentis Madian. Mirum est autem, si ejus adventu cœpit sacrificare Moyses, & non potiùs ipse Jothor qui jam sacerdos erat. Exodi 18. 12.

G 91. *Grave tibi verbum hoc*: subauditur, est. Exodi 18. 18.

92. *Et demonstrabis illis viam, in quibus ambulabunt in eis.* v. 20.

93. *Verbum autem grave referebant super Moysen*: sic enim habet Græcus, quod Latini interpretati sunt, *ad Moysen.* Illa sanè locutione ipsa etiam cura significatur, qua dictum est, *super Moysen*: vel ut onus ei significaretur impositum. *Verbum autem gra-* v. 26.

ve dictum est, pro quæstione gravi. Unde sequitur, *Omne autem verbum leve judicabunt ipsi.*

Exodi 20. 24. 94. Quod Græcus habet ἐπονομάσω, *supernominavero* aut *adnominavero* expressiùs dicitur, quod usitatiùs *cognominavero* nonnulli interpretati sunt: sed non habet necessariam significationem *cognominavero*: propinquiùs autem dicitur *cognominavero* quàm *nominavero*: nam & hoc aliqui interpretes dixerunt.

Ibidem. 95. *Et veniam ad te, & benedicam te*: cùm superiùs pluraliter loqueretur, *facietis & immolabitis*, dicit, *veniam ad te*, tamquam ipsi Israël, id est populo.

Exodi 21. 1. 96. *Et hæ justificationes quas pones coram illis, Si emeris servum Hebræum*, &c. Notanda locutio, quemadmodum cùm illud dictum sit ad Moysen, hoc est, *hæ sunt justificationes quas appones coram illis*; jam ad populum ipsum cetera dicuntur quasi ad Moysen, *Si emeris servum Hebræum.* Non enim hoc Moysi dictum est, sed quod populo diceret, tantùm ipsi populo dicebat.

v. 6. 97. *Pertundet ei Dominus auriculam de subula, & serviet ei in sempiternum*, vel *in æternum*: quod Græcus habet, εἰς τὸν αἰῶνα. Ecce quemadmodum Scriptura multis locis dicit secundùm hoc verbum Græcum *sempiternum* vel *æternum*. Ubi non intelligitur æternitas illa, secundùm quam nobis æterna promittuntur, vel secundùm quam à contrario igne æterno mali cremabuntur: neque enim servus iste qui vivere in æternum non posset, posset servire in æternum? sed intelligitur *æternum* dictum, cujus temporis finis non est: aut certè aliquid hoc sacramento significatur æternum.

v. 13. 98. *Dabo tibi locum, in quem fugiat ibi qui occiderit.*

v. 20. 99. *Si quis percusserit servum suum aut ancillam suam in virga*: quod est, de virga.

v. 28. 100. *Lapidibus lapidabitur taurus*: quasi possit lapidari nisi lapidibus. Differt aliquid ista locutio ab illa qua diceret more Scripturarum, *lapidatione lapidabitur*, sed tamen similis est.

v. 29. 101. *Si autem taurus cornupeta erat ante hesternam & nudiustertianam*: pro tempore præterito posuit partem pro toto, quantumcumque illud fuisset, more Scripturarum.

v. 33. 102. *Si quis autem aperuerit lacum, aut exciderit lacum, & non operuerit eum, & ceciderit illuc vitulus aut asinus, Dominus laci reddet.* Et hæc locutio à parte totum intelligenda est: non enim si equus ceciderit in lacum aut ovis, ideo non reddet, quia hoc scriptum non est.

v. 34. 103. *Quod autem mortuum fuerit, ipsi erit*: pro, ipsius erit.

Exodi 22. 5. 104. *Si autem depaverit quis agrum aut vineam, & admiserit pecus suum depascere agrum alium*, id est, alienum.

v. 26. 105. *Si autem pignus acceperis vestem proximi, ante solis occasum reddes ei*: genus pro specie posuit; sic enim dictum est, ac si de omni veste pignus dederit, cùm de illo specialiter se dicere ex consequentibus Scriptura testetur, qui non habet nisi eam vestem unde se nocte cooperiat.

Exodi 23. 20. 106. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via, & inducat te in terram quam*
v. 21. *paravi tibi.* [a] *Ante te ibit, & exaudi eum.* Angelum suum jubet Deus exaudiri à populo, non utique petentem, sed jubentem.

v. 28. 107. *Et mittam vespas ante te, & ejiciet Amorrhæos*: à plurali ad singularem numerum se convertit. Intelligitur autem, Ejiciet Amorrhæos vespâ, sicut ranâ, sicut locustâ, non quòd una sit, sed quòd per singularem pluralis numerus intelligatur.

v. 30. 108. *Per partes ejiciam illos à te.*

v. 32. & 33. 109. *Non dispones illis & diis eorum pactum, & non consident in terra tua, ne peccare te faciant ad me*: non dixit in me, idem tamen significat.

Exodi 24. 3. 110. *Respondit autem omnis populus voce una, dicentes.*

v. 10. 111. *Et viderunt locum ubi steterat ibi Deus Israël*: *ubi steterat*, posset sufficere, sed Hebraicæ dicuntur istæ locutiones.

Exodi 25. 13. 112. *Et inaurabis illa auro*: similis est locutio, Lapidibus lapidabitur.

v. 29. 113. *Cyathos in quibus immolabunt in eis.*

Exodi 26. 19. &c. 114. *Duas bases columnæ uni in ambas partes ejus, & duas bases columnæ uni in ambas partes ejus.* Ne de omnibus diceret, de duabus dicit more suo geminando: sicut puteos puteos, acervos acervos, generationes & generationes, & similia.

v. 29. 115. *Et columnas inaurabis auro, & inaurabis seras auro.*

Exodi 27. 6. 116. *Et inærabis ea æramento*: talis locutio est, *inaurabis auro.*

v. 21. 117. *Extra velum, quod est super Testamentum*: de lucerna accendenda cùm diceret, hoc ait, id est quòd foris accenderetur ubi est sanctum, non intra velamen quod est super Testamentum, hoc est Sanctum sanctorum. Ergo *super* non sic ait, tamquam est tectum vel camera vel firmamentum cæli vel arcæ cooperculum; sed etiam quod vice parietis oppositum esset, *super* dixit: sicut dicimus superiorem discumbere aut stare, non utique alterum portari ab altero.

Ibidem. 118. *Legitimum sempiternum in progenies vestras*: eo modo sempiternum, quo multa superiùs diximus.

Exodi 28. 22. apud LXX. 119. *Et sumet Aaron nomina filiorum Israël super rationale judicij super pectus* [b] *introeunti sanctum.* Consequens erat ut diceret, *introiens in sanctum*, hoc est sumet Aaron introiens, quod aliqui Latini, solœcismum vitantes, interpretati sunt. Sed quia & Græcus *introeunti* habet, & Latini aliqui consonant, locutionem potiùs notandam credidi quàm corrigendam.

v. 24. apud LXX. 120. *Et pones superrationale judicij fimbrias catenata.* Et hîc Latini nonnulli solœcismum caventes, *fimbrias catenatas*, interpretati sunt: Græcus autem habet τοὺς κρωσσοὺς τὰ ἀλυσιδωτά. Hanc solemus dicere absolutam locutionem, cùm generi masculino vel feminino neutrum infertur: quemadmodum si dicamus, Justitiæ terrenæ non sunt stabilia.

v. 35. 121. *Et Aaron cùm cœperit fungi sacerdotio, audietur vox ejus intranti in sanctum in conspectu Domini, & exeunti.* Vocem ejus ex tintinnabulis dixit, qui magis sonus est ejus. *Intranti & exeunti*, pro intrantis & exeuntis posuit, dativum pro genitivo.

Exodi 29. 13. 122. *Et duos renes & adipem quæ super eos*: subauditur, est, quod nonnulli interpretes addiderunt.

v. 26. 123. *Et separabis illud separatione.*

Exodi 30. 8. 124. *Et cùm accendet Aaron lucernas, serò incendet super illud*: serò dixit pro vespere, & ideo notanda locutio est; ὀψὲ quippe Græcus habet. Serò autem propriè non solet dici, nisi cùm tempus transierit quo fieri debuit, quod serò dicitur factum.

v. 12. 125. *Si acceperis computationem filiorum Israël in visitatione eorum, & dabunt singuli redemtionem animæ suæ Domino, & non erit in eis ruina in visitatione eorum, & hoc est quod dabunt tibi.* Pendet ista locutio, quia interposita est conjunctio copulativa, quæ si non interponeretur, non penderet. Tribus autem locis est posita, quorum undelibet detracta, plenam facit esse sententiam. Rursus ubi dictum est, *Si acceperis computationem filiorum Israël in visitatione eorum, & dabunt singuli redemtionem animæ suæ Domino*: si enim non dixisset *& dabunt*, sed tantummodo dixisset, *dabunt*, finiretur sententia nec penderet: ita enim diceretur, *Si acceperis computationem filiorum Israël in visitatione eorum, dabunt singuli redemtionem animæ suæ Domino.* Si autem hîc ponitur hæc conjunctio, deorsum tollenda est, ut ita dicatur, *Si acceperis computationem filiorum Israël in visitatione eorum, & dabunt singuli redemtionem animæ suæ Domino, & non erit in eis ruina in visitatione eorum, hoc est quod dabunt.* Aut certè in medio ubi dictum est, *& non erit in eis ruina*, si detrahas conjunctionem, non pendebit sententia: erit enim sensus, *Si acceperis computationem filiorum Israël in visitatione eorum, & dabunt singuli redemtionem animæ suæ Domino, non erit in eis ruina.* Cùm verò ubique posita est eadem conjunctio, pendere facit locutionem: ideo eam notandam putavimus.

Exodi 32. 1. 126. *Consurrexit populus in Aaron, & dixerunt ei*: usitata locutio est, quia ex multis populus constat. Deinde notandum, totum pro parte positum.
1. Cor. 10. 7. Apostolus enim sicut re vera erat, quosdam eorum dixit hoc fecisse, non totum populum, ubi ait, Neque idolis serviamus, sicut quidam illorum.

Exodi 32. 1. 127. *Surge, & fac nobis deos qui nos præcedant.* Sedenti loquebantur, an potiùs locutio est notanda?
Psal. 43. 26. propter quod sæpe dicitur, Exsurge Domine, aut,
Psal. 81. 8. Surge Deus, judica terram.

Exodi 32. 10. 128. *Et nunc si ne me, & iratus irâ*: quomodo morte morietur: amat ita loqui Scriptura.

v. 24. 129. *Cui sunt aurea demite*: non dixit quid aurea, unde Latini interpretes dixerunt, *Qui habet aurum demat.*

v. 26. 130. *Quis ad Dominum, veniat ad me.*

v. 31. 131. *Fecerunt sibi deos aureos*: de uno vitulo; pluralem ergo numerum pro singulari posuit. Inde est & illud, *Hi dij tui Israël qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Non sanè locutiones istæ reperiuntur ubi pluralis pro singlari ponitur, nisi in eo rerum genere in quo etiam de pluribus fieri vel intelligi potest. Non enim quia unus ille vitulus erat, ideo non & plures fieri poterant, aut ideo non multis idolis
Matth. 27. 44. Luc. 23. 39. similis fuerat. Hac locutione dictum est latrones insultasse Domino, cùm hoc unum fecisse Scriptura testetur, sed non solus fuerat latro. Quin etiam cùm ista locutio fit per nomina propria, qualiter eam in Scripturis factam nondum comperimus, plures illic intelliguntur, sicut Phædras & Medeas quidam dixerunt, cùm fuerit una Phædra & una Medea, sed Phædras & Medeas appellaverunt omnes similes Phædræ & Medeæ. Ita non sine caussa nec utcumque ac passim sicut ab imperitis vitiosè fit, sed certo modo certisque regulis istæ locutiones interponuntur.

Exodi 33. 1. 132. *Vade, adscende hinc tu, & populus tuus, quos eduxisti de terra Ægypto*: non, quem eduxisti, quod ita usitatum est ut rariùs aliter dicatur.

v. 5. 133. *Et dixit Dominus, Deponite stolas gloriarum vestrarum & cultum, & ostendam quæ facturus sum tibi.* A plurali ad singularem numerum locutionem terminavit, quia multi erant & populus erat, sicut
Ibidem. eis dixerat, *Vos populus durà cervice*: non dixit, tu populus, sed *Vos populus*, cùm vos, numeri sit pluralis, populus autem numeri singularis.

Exodi 34. 9. 134. *Si inveni gratiam in conspectu tuo, simul ambulet Dominus meus nobiscum*: tamquam de alio dicat. Assiduæ sunt hæ locutiones, sed cùm dicitur ad Deum, putatur Patri dici de Filio. Cùm autem talia dicerentur ad Pharaonem & ad Joseph & ad alios multis locis, genus locutionis intelligebatur.

v. 15. 135. *Nequando ponas Testamentum iis qui sedent super terram*: ac si diceret, sedes habent, quod est habitant.

v. 17. 136. *Et deos fusiles ne feceris tibi*: locutio est à parte totum significans: non enim quia fusiles tantummodo nominavit, fieri sculptiles, ductiles, fictilesque permisit, vel ullum genus simulacrorum, aut qualiumcumque factitiorum deorum.

v. 19. 137. *Omne adaperiens vulvam masculina*: id est, omne adaperiens vulvam mihi erit, ex iis quæ sunt masculina.

v. 20. 138. *Primitivum subjugalis redimes ove*: & hoc à parte totum est; neque enim si subjugale non sit jumentum quodlibet, cujus caro tamquam immunda respuitur, ideo non est redimendum, aut alio quàm ove redimendum.

v. 25. 139. *Non occides super fermentum sanguinem immolatorum meorum*: locutio est utique, occides sanguinem, pro eo quod est, occidendo effundes.

Ibidem. 140. *Et non dormiet usque in manè immolatio sollemnitatis Paschæ*: *dormiet* dixit, manebit: nam caro pecudis occisæ & coctæ quomodo dormiet?
Psal. 43. 23. Quod ergo dicitur, Quare obdormis Domine, hoc genere locutionis dicitur, & intelligitur Quare cessas, id est non vindicas.

Exodi 34. 28. 141. De quadraginta dierum jejunio Moysi Scriptura sic loquitur, *Panem non manducavit, & aquam non bibit*: à parte totum, pane omnem cibum, & aquâ omnem potum significans.

v. 1. 142. *Excide tibi duas tabulas, sicut & primæ*: subauditur, fuerunt: unde hoc verbum nostri interpretes etiam addendum putaverunt, quoniam inusitata est in lingua Latina talis ellipsis.

Exodi 35. 4. 143. *Et ait Moyses ad omnem synagogam filiorum Israël, dicens*: plenum esset, etsi non haberet *dicens.*

v. 21. 144. *Et adtulerunt unusquisque quod afferebat cor eorum.* Poterat usitatiùs dici, Et adtulit unusquisque quod afferebat cor ejus.

Ibidem. [a] 145. *Et quibus visum est animæ eorum, adtulerunt* [a] *demtionem Domino*: non dixit, & sicut visum est animæ eorum.

v. 23. 146. *Et omnis cui inventum est apud eum coria arietum rubricata*: quod diceretur usitatè, omnes apud quos inventa sunt coria arietum rubricata.

v. 24. 147. *Omnis afferens demtionem argentum & æs adtulerunt demtiones Domino*: usitatiùs diceretur, Omnis adtulit, quàm Omnis adtulerunt.

Ibidem. 148. *Et apud quos inventa sunt apud eos ligna imputribilia*: *apud eos* more Scripturarum additum est, nam sine hoc esset plena sententia.

[a] Vetus codex Corbeiensis optimæ notæ, *antè ibi.* forte interpres in Græco legerat, πρὸ ἐκεῖ. Nunc porrò apud LXX. habetur, πρόσεχε σεαυτῷ, *Adtende tibi.* In Vulgata, *Observa eum.*

[b] Sic melioris notæ MSS. At excusi, *introeunti in sanctuarium, hoc est* &c.

[a] Editi hîc & infrà, *redemtionem*: pro quo MSS. constanter, *demtionem* juxta græc. LXX. ἀφαίρεμα.

v. 25. 149. *Et omnis mulier sapiens mente, manibus nere*: quasi nere posset non manibus: & *sapiens nere*, elegans atque inusitata locutio est. Deinde, *Omnis mulier adtulerunt*: more superiorum plurali concluditur singularis, quia omnis mulier adtulit, usitatiùs diceretur.

v. 26. 150. *Et omnes mulieres quibus visum est sensu suo, in sapientia nerunt pilos caprinos*: notandum sapientiam in his artibus sæpe appellare Scripturam, id est σοφίαν.

v. 28. 151. *Et compositiones & oleum unctionis & compositionem incensi*: non compositiones aliquas extra debemus intelligere: sed cùm dictum esset, *& compositiones*, per conjunctionem copulativam non aliud adjunxit, sed quod dixerat exposuit, ut sciremus quas compositiones, *& oleum*, inquit, *unctionis & compositionem incensi*: compositiones autem vocat, quia ex multis ista confecta sunt.

v. 29. 152. *Et omnis vir & mulier quorum afferebat sensus eorum, ut intrarent, & facerent omne opus quodcumque præcepit Dominus fieri illud per Moysen, adtulerun: filij Israël demtionem Domino.* Ergo omnis vir & mulier, intelliguntur filij Israël. Ceteræ locutiones similes superioribus.

v. 32. 153. *Facere aurum & argentum & æs*: pro eo quod est facere ex auro & argento & ære: non enim aurum faciebant, sed ex auro. Tale est etiam quod

v. 33. paulò pòst dicit, *Et operari ligna*: hoc est, ex lignis.

154. *Facere omnia opera sancti textilia, & varia* v. 35. *texere cocco & bysso, facere omne opus architectonicum varietatis.* Ecce & in rebus textilibus architectonicum opus appellat: mirum nisi propterea, quia tabernaculum fiebat, quod ædificij simile fuit, & tamquam domus erigebatur. Quid autem dicat *opera sancti*, non evidenter apparet, utrùm sancti sacerdotis, quoniam & de stola vel de stolis ejus hæc dicuntur: an sancti Dei, in cujus cultum hæc fiebant: an *opera sancti*, sicut dicebatur Sanctum & Sanctum sanctorum.

155. *Humeralia continentia ex utrisque partibus* Exodi 36 8. *ejus*: non dixit ex utrisque partibus eorum, quamvis illa *humeralia*, non humerale dixisset, sicut solet humerale dicere: ipsum enim appellavit pluraliter *humeralia*, sicut stolam & easdem stolas. apud LXX.

156. *Et Eliab filius Achisamach de tribu Dan, qui* Exodi 37 v. ult. apud *architectonatus est textilia & consutilia, & diversicolovia, texere de cocco & bysso.* Novo more dicuntur architectonari textilia. Etiam illud à parte totum intelligendum est quod ait, *texere cocco & bysso*: ex his enim & cetera intelligimus, id est purpuram & hyacinthum. LXX. At in Vulg. Exodi 38. 23.

157. *Et fecerunt filij Israël sicut præcepit Dominus* Exodi 39 31. *Moysi, ita fecerunt*: plenum esset, etiamsi non adderetur, *ita fecerunt.*

158. *Et fecit Moyses omnia quæ præcepit ei Dominus, ita fecit*: similiter ut dictum est, de filiis Israël. Exodi 40. 14. in Vulg. 16. apud LXX.

LIBER TERTIUS.

Locutiones de Levitico.

Levit. 1. 2. 1. [a] HOMO *ex vobis si obtulerit dona Domino à pecoribus, à bobus & ab ovibus offeretis*: hoc est si à pecoribus offeretis, à bobus ab ovibus offeretis. Ovium nomine etiam caprarum genus inclusit, sicut & in aliis locis solet.

Levit. 2. 6. 2. *Et confringes ea fragmenta*: id est confringendo facies ea fragmenta.

Levit. 4 23. 3. *Et cognitum ei fuerit peccatum quod peccavit in eo.* Duo modi locutionis hîc notandi sunt, & *peccatum peccavit*, & quod addidit *in eo.* In quo enim nisi in ipso, id est peccato?

Levit 5. 1. 4. *Si autem anima peccaverit, & audierit vocem jurationis, & ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit, si non nuntiaverit, & accipiet peccatum*, plus videtur habere, *&*, nam eo demto integrè sequitur *accipiet peccatum.*

Idem v. 5. *Si autem anima peccaverit, & audierit vocem jurationis, & ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit non nuntiaverit: &* positum est, pro id est: nam sic dici posset nostræ locutionis consuetudine; Si autem anima peccaverit, id est audierit vocem jurationis, & cetera.

v. 3. 6. *Aut tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immunditia ejus, quam si tetigerit inquinetur, & latuit eum, post hoc autem cognoverit & deliquerit*: cùm recto ordine dicendum esset, *& deliquerit, post hoc autem cognoverit.*

v. 15. 7. *Anima si latuerit eum oblivione, & peccaverit nolens*: non ait, si latuerit eam, quoniam animam pro homine ponit, sicut facit & in aliis, ubi animam priùs dicit, quæ generis feminini est, postea masculinum infert genus ad hominem referens. Sed hîc multo est hæc locutio pressior, quoniam continuatim utrumque genus positum est, ut diceretur, *Anima si latuerit eum.* Hæc locutio terruit interpretes Latinos, & noluerunt eam transferre, sed ita posuerunt: *Anima si qua latuerit, & peccaverit non volens*, cùm aliud sit utique si anima lateat, aliud si animam lateat: hoc autem Scriptura dicit *si lateat eam*, non si ipsa lateat. In græco autem alio invenimus, [b] *Animam si latuerit ea oblivione*: sed etiam ipse in consequentibus masculinum intulit dicens, *Sacerdos exorabit pro eo, & dimittetur illi*, quod ibi habet αὐτῷ. Unde apparet scriptorem timuisse solœcismum, nec tamen perseverare potuisse in genere feminino victum evidentiâ Scripturæ consequentis. b v. 16.

8. *Ista holocaustosis super incensionem ejus super* Lev. 6. 9. *altare totam noctem usque in manè, & ignis altaris ardebit super illud*: potuit non habere &, atque ita dici, *totam noctem usque in manè ignis altaris ardebit.* Sed addita ista conjunctio facit obscuritatem his qui in talibus Scripturarum locutionibus non assuefacti sunt.

9. *Ista lex sacrificij, quod offerent illud filij Aaron* v. 14. *sacerdotes ante Dominum*: nihil deesset si non haberet *illud.*

10. *Sancta sanctorum est.* Sic habet & græcus, v. 17. sed græca locutio est, quam nostri quidam transferre

[a] MSS aliquot & omnes hactenus editi carent prioribus hisce 31. Locutionibus, quæ ex Cisterciensi codice, necnon ex Corbeiensi optimæ notæ & ante 800. annos conscripto, nunc primùm vulgantur.

[b] Sic vetus codex Corbeiensis At Cisterciensis, *Anima.*

ferre nolentes dixerunt sancta sanctorum sunt.

v. 32. apud LXX. 11. *Occident arietem qui pro delicto ante Dominum.* Latini interpretes addiderunt, est, & dixerunt, *qui pro delicto est*, quod Græcus non habet.

Lev. 7. 6. apud LXX. At in Vulg. v. 16. 12. *Et si votum aut voluntarium sacrificaverit dominum suum, quacumque die obtulerit sacrificium, edetur crastina die*: pro eo quod est, postera die: undè alij *altera die* interpretati sunt.

Lev. 8. 31. 13. *Coquite carnes in atrio tabernaculi testimonij in loco sancto, & ibi edetis eas, & panes qui sunt in canistro consummationis, quomodo præceptum est mihi dicens, Aaron & filij ejus edent eam.* Hanc locutionem quidam transferre nolentes dixerunt, *quomodo præcepit mihi dicens*; quia hoc videtur consequens, ille autem in nostræ locutionis consuetudine solœcismus est.

v. 35. 14. *Et ad ostium tabernaculi testimonij sedebitis septem dies, die & nocte*: pro eo quod est, habitabitis.

Lev. 9. 7. 15. *Et ait Moyses ad Aaron, Accede ad altare, & fac quod pro peccato tuo, & holocaustum: & exora pro te & domo tua, & fac dona populi, & exora pro eis quomodo præcepit Dominus Moysi.* Non ait quomodo præcepit Dominus mihi; sed ita locutus est, quasi fuisset alter Moyses cui Dominus præcepit, & alter iste qui hoc ad Aaron loquebatur.

Lev. 10. 8. 16. *Et locutus est Dominus ad Aaron dicens, Vinum & siceram non bibetis*, & cetera. Quam locutionem Domini ita concludit, *Omnia legitima quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi*: cùm Dominus loqueretur, non ait, quæ locutus sum ad eos per manum Moysi, sed ea locutione usus est qua superiùs ipse Moyses.

v. 9. 17. *Legitimum æternum in progenies vestras distinguere inter medium mundorum & contaminatorum*, & cetera. Notandum quemadmodum dicat *æternum*, quod utique non erit sine fine..

v. 14. 18. Moyses loquens ad Aaron Eleazar & Ithamar filios ejus inter cetera etiam hoc ait, *A sacrificiis salutarium filiorum Israël brachium ablationis & pectusculum segregationis super hostias adipum offerent, segregationem segregare ante Deum. Et erit tibi & filiis tuis & filiabus tuis tecum legitimum æternum*: cùm hoc totum finem fuisset habiturum.

19. Cùm de animantibus quæ in aquis sunt præciperet, quæ sint eorum munda vel immunda,

Lev. 11. 9. *In aquis*, inquit, *& in mari, & in torrentibus.* Sed *in mari* Latini codices habent, quia nimis insolens fuit pluralem numerum transferre de Græco, & non dicere *in maribus*, maximè propter ambiguitatem, ne non maria, sed mares intelligerentur, id est masculi: nam nihilo minùs insolens est, sed tamen interpretatum est de sanguinibus, quia Latina lingua sanguinis numerum pluralem non recipit, vel in ipso nominativo casu. Nam etsi ab eo quod est mare nemo dicit maribus, dicuntur tamen maria, cùm sanguina non dicantur, & tamen

Psal. 50. 16. scriptum est, Libera me à sanguinibus, &, Non

Psal. 15. 4. congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Ergo & maribus ita dici posset nisi ut dixi, ambiguitas vitaretur. Torrentes verò isto loco pro fluminibus posuit Scriptura, cùm torrentes propriè dicantur hyemales fluvij qui siccantur æstate, & ideo pisces habere non possunt. Undè nonnulli interpretes nostri non torrentes interpretari, sed flumina maluerunt. Poni autem in Scripturis torren-

Psal. 35. 9. tes pro fluminibus locus ille Psalmi satis ostendit ubi legitur, Et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Non enim tale aliquid intelligi voluit nomine torrentis quod ad tempus flueret, ac deinde siccaretur, cùm sequatur & dicat, Quoniam apud te est Ibid. 10. fons vitæ; quæ utique æterna est & indeficiens.

20. *Sed hæc edetis à repentibus volatilibus, quæ* Lev. 11. 21. *ambulant super quatuor, quæ habent crura superiora pedum ejus*: non dixit, pedum suorum.

21. *Et eritis sancti, quoniam sanctus ego*: subaudi- v. 44. tur sum; unde plerique nostri interpretati sunt, *quoniam sanctus sum ego.*

22. *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens.* Hæc Lev. 12. 1. usitatissima locutio est & creberrima in Scripturis, *locutus est dicens.* Sed ea quæ sequitur, rariùs reperitur, & Latini sermonis coartat inopiam; Græcus enim habet, Καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς λέγων, quod latinè exprimi posset, & dices ad eos dicens; minùs autem offendit, si dicatur, & inquies ad eos dicens; & similius est Græco, quia & ille non dixit λέξεις πρὸς αὐτοὺς λέγων, sed ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς λέγων.

23. *Mulier quæcumque semen receperit & pepererit* v. 2. *masculum, & immunda erit septem dies*: nostri plerique noluerunt transferre, sed ita dixerunt, *Mulier quæcumque semen receperit & pepererit masculum, immunda erit septem dies.* Illa ergo locutio quoniam & Græco eloquio inusitata est, posset nec in Græco transferri: quia verò eam Græcos transferre non piguit, cur Latinos piguerit, ignoro.

24. *Triginta & [a] tres dies sedebit in sanguine* v. 4. *mundo suo.* Similiter & de illa quæ feminam peperit, dictum, est *sedebit in sanguine mundo suo*, sed duplicatis eisdem diebus, id est sexaginta sex diebus. *Sedebit* ergo dictum est manebit, non enim per tot dies de sella ei surgere non licebat.

25. *Homini si cui facta fuerit in cute corporis* Lev. 13. 2. *ejus cicatrix signi lucida.* Notandum cicatricem dicere Scripturam non vulneris, sed etiam solius coloris notam.

26. *Et fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ*: ta- Ibidem. ctum dicit ipsam maculam, quòd ipse homo leprâ sit tactus.

27. *Et videbit eum sacerdos, & inquinabit eum*: v. 3. pro eo quod est inquinatum pronuntiabit.

28. *Et pilus qui est in tactu convertatur albus*: id Ibidem. est convertatur in album.

29. *Et purgabit eum sacerdos*: *signum enim est*: v. 6. purgatum pronuntiabit, sicut inquinabit quod supra dixit, inquinatum pronuntiabit.

30. *Et viderit eum sacerdos, & ecce commutata* v. 7. *est significatio in cute, & inquinabit illum sacerdos*: plus habet, &; nam ea conjunctione detracta integer sensus est hoc modo, *Si autem conversa fuerit significatio in cute, postea quàm vidit eum sacerdos, ut purget illum, & visus fuerit denuo sacerdoti, & viderit eum sacerdos, & ecce commutata est significatio in cute, inquinabit illum sacerdos.*

31. *Et tactus lepræ, si fuerit in homine, ve-* v. 8. *niet ad sacerdotem, & videbit sacerdos, & ecce cicatrix alba in cute, & hæc mutavit pilum album, & à sano carnis vivæ in cicatrice*: id est mutavit pilum in album colorem in cicatricem: *mutavit autem à sano carnis vivæ*, id est quia non talem pilum habet, quod sanum est in carne viva.

32.* De leproso cùm loqueretur, ait, *Et immun-* Lev. 13 45. *dus immundus vocabitur*; quasi non satis esset semel dicere, *immundus vocabitur.* Quamquam nonnulli

* Hinc liber tertius incipiebat in prius editis.

[a] MSS. *sex dies.* Sed liquet legendum hîc juxta LXX. *tres dies.*

codices ita habeant, in alio Græco ita invenimus semel dictum, *immundus vocabitur*. Item paulò
v. 46. pòst dicit, *Cùm sit immundus, immundus erit*; quod in Latinum de Græco non sicut positum est exprimi potuit: ait enim Græcus, ἀκάθαρτος ὢν ἀκάθαρτος ἔσται: quasi diceret, immundus exsistens, immundus erit: sed non hoc est exsistens, quod Græcus dixit ὤν, sed si dici posset, essens, ab eo quod est esse, non ab eo quod est exsistere.

v. 47. 33. *Et vestimento si fuerit in eo tactus lepræ*: potuit usitatè ita dicere, Et in vestimento si fuerit tactus lepræ.

v. 51. 34. *Aut in omni vase pelliceo, in quocumque fuerit in eo tactus*: poterat satis esse, *in quocumque fuerit tactus*.

v. 55. 35. *Et ecce non commutavit tactus adspectum suum*: id est colorem in quem adspicitur; non enim adspectum quo ipse adspicit. tactum quippe ipsam maculam dicit.

Lev. 14. 15. 36. *Et accipiens sacerdos de hemina olei, superfundet in manum sacerdotis sinistram*: non dixit, in manum suam sinistram, cùm utique in suam faciet.

Lev. 15. 2. 37. *Viro, viro cuicumque fuerit fluor*:

v. 16. 38. *Et homo cuicumque exierit ex eo concubitus seminis*.

v. 21. 39. *Et omne super quodcumque dormit super illud: & omne super quod sederit super illud, immundum erit*.

Lev. 16. 21. 40. *Et emittet in manu hominis parati in eremum*: id est, Emittet in eremum in manu hominis ad hoc parati; de hirco emissario loquebatur cùm hoc diceret: notandum est autem quomodo dicat Scriptura, *in manu*.

Lev. 17. 3. 41. *Homo, homo filiorum Israël*: id est, ex filiis Israël; ista autem repetitio quemlibet hominem videtur significare, id est ille aut ille.

Lev. 18. 7. 42. *Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non revelabis*: hac locutione concubitum vetuit cum his personis.

v. 14. 43. *Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, & ad uxorem ejus non introibis: propinqua enim tua est*: & posuit, pro id est; hanc enim dicit turpitudinem fratris patris ejus, id est turpitudinem patrui, pudenda uxoris patrui.

v. 25. 44. *Et exhorruit terra eos, qui insident super eam*: id est, sedes habent, quod est habitant.

Lev. 19. 9. 45. *Et permetentibus vobis messem terræ vestræ, non perficietis messem vestram agri tui permetere*. Hoc quod à plurali cœpit, & ad singularem numerum terminavit, plerique Latini interpretari noluerunt, sed dixerunt *agri vestri*, ubi dictum est *agri tui*, quasi Græcus hoc non posset dicere: magis ergo locutio notanda fuit quàm emendanda.

Lev. 20. 17. 46. *Quicumque acceperit sororem suam ex patre suo aut ex matre sua, & viderit turpitudinem ejus, & ipsa viderit turpitudinem ejus, turpitudinem sororis suæ revelavit, peccatum suum accipient*: peccatum posuit pro pœna peccati.

v. 25. 47. *Et segregabitis vosmetipsos inter medium pecorum mundorum, & inter medium pecorum immundorum, & inter medium volucrum mundarum & immundarum. Segregabitis vosmetipsos* dixit, *inter medium mundorum & immundorum*, quoniam segregantur munda ab immundis, vel à mundis immunda: nova est omnino locutio. Aliud est enim, Segregabis inter medium pecorum mundorum, & inter medium pecorum immundorum, sicut sæpissimè loqui solet: aliud est quod modò ait, *Segregabitis vosmetipsos*, tamquam illa ab alterutris segregantes, seipsos segregent ab utrisque, tamquam judicando inter utraque.

48. *Dic sacerdotibus filiis Aaron, & dices ad eos, In animabus non inquinabuntur in gente eorum, nisi in propinquo qui proximus est eis*: in luctu dicit qui debetur animabus defunctorum; ideo enim lugetur, quia excesserunt. Lev. 21. 1.

49. *Et calvitium non rademini super mortuum, & super carnes suas non secabunt sectiones*: usitata esset locutio, carnes suas non secabunt sectionibus. v. 5.

50. *Mulierem fornicariam & profanam non accipient, & mulierem ejectam à viro suo; quoniam sanctus est Domino Deo suo*: non dixit, quoniam sancti sunt, sed tamquam de uno loqueretur, cùm cœperit à plurali. Deinde sequitur singulariter, [a] *Sanctificabit eum, dona Domini Dei vestri iste offeret, sanctus est, quoniam sanctus ego Dominus qui sanctifico eos*: rursus ad pluralem conclusit. v. 7. v. 8.

51. *Si autem sacerdos possederit animam emtam pecuniâ, hic edet de panibus ejus*: non dixit, hæc edet, cùm animam dixerit, quæ generis est feminini; sed potiùs ad illud respexit quod per animam significare voluit, id est hominem. Lev. 22. 11.

52. *Et filia hominis sacerdotis si fuerit viro alienigenæ*: id est, si nupserit viro alienigenæ. v. 12.

53. *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Vitulum aut ovem aut capram, cùm natum fuerit, & erit septem dies sub matre sua*: plus videtur habere, &, secundùm usitatissimas locutiones in Scripturis, quas Latini plerique transferre noluerunt. v. 27.

54. *Et sanctificabor in medio filiorum Israël*: quod est sanctus habebor: neque enim Dominus etiam præter filios Israël non est sanctus. Eo sensu dictum est & in oratione Dominica, Sanctificetur nomen tuum, id est, sanctum habeatur ab hominibus. v. 32. Matth. 6. 9.

55. *Loquere ad filios Israël, & dices ad eos, Sollemnia Domini quæ vocabitis vocata sancta, ista sunt sollemnia mea: sex diebus facies opera*: cùm ad plures loquendum dixerit, tamquam ad unum postea loquitur. Lev. 23. 2.

56. *Et numerabitis vobis à die crastino sabbati quæ obtulerit gremium superpositionis, septem septimanas integras numerabis*: non dixit numerabitis, cùm ad plures superiùs loquereturus. v. 15. & 16.

57. *Et cùm nominasset filius mulieris Israëlitidis, nomen maledixit*: cùm hîc non addiderit Dei, manifestum est tamen nomen Dei esse intelligendum cui maledixit. Lev. 24. 11.

58. *Homo, homo si maledixerit Deum, suum peccatum accipiet*. Ecce ubi satis apparet locutionis esse, cùm dicitur *Homo homo*, tamquam dicat, homo ille aut ille, hoc est quicumque homo: non sicut quidam putaverunt, *Homo homo* ita dici, tamquam laudabiliter nuncupetur, ac si diceretur Homo sed homo, id est non qualiscumque velut similis pecori, sed qui verè sit homo: quem sensum non esse verum, sed locutionis hoc esse Scripturarum, apertè hîc ostenditur, cùm in eo dicitur qui culpatur, non qui laudatur. v. 35.

59. Cùm de servis ageret, quos liceret habere Israëlitis, *Et erunt vobis*, inquit, *in possessionem in æternum*: cùm utique æterni moriendo esse non possent vel Domini vel servi: *æternum* ergo dixit, ubi non est temporis præstitutus modus quousque serviant, Lev. 25. 46.

[a] Editi, *Sanctificavi*. MSS. *Sanctificabit*. Apud LXX. ἁγιάσει. *Sanctificabis*.

sicut constitutus est eis, quos in remissione dimitti jubet libertati suæ.

Lev. 26. 3. 60. *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea observaveritis, & feceritis ea, & dabo pluviam vobis in tempore suo*: superfluum est, &, consuetudini locutionis nostræ, sed more Scripturarum additum: sequebatur enim, *dabo vobis*.

61. *Et si usque adhuc non obedieritis mihi, & apponam castigare vos septies in peccatis vestris*: etiam hîc superfluum est, &: sequebatur enim, *apponam castigare vos*: quod autem ait, *septies*, pro omni numero accipiendum est. v. 18.

LIBER QUARTUS.

Locutiones de Numeris.

Num. 1. 4. 1. *ET vobiscum erunt unusquisque secundùm caput uniuscujusque principum*.

v. 22. 2. *Filiis Simeon secundùm propinquitates eorum, secundùm populos eorum, secundùm domos familiarum eorum, secundùm numerum nominum eorum, secundùm caput eorum, omnia masculina à viginti annis & supra, omnis qui procedit in virtute, recognitio eorum*. Hæc locutio quòd non dicit filij Simeon, vel ex filiis Simeon, sed *filiis Simeon*, dativo casu, & hoc servat deinceps in ceteris tribubus, non est translata ab interpretibus Latinis, quos inspicere potuimus. In sola autem tribu Ruben, quæ prima numerata est, non est ista locutio: non enim ait, Filiis Ruben secundùm propinquitates eorum, &c. sed ait, *Et fuerunt filij Ruben primogeniti Israëlis secundùm propinquitates eorum*; & deinde similiter ut in ceteris. v. 20.

v. 54. 3. *Et fecerunt filij Israël secundùm omnia quæ mandavit Dominus Moysi & Aaron, ita fecerunt*.

Num. 3. 3. 4. *Sacerdotes qui uncti sunt, quorum consummaverunt manus eorum sacerdotio fungi*.

Num. 4. 14. 5. *Et imponent super illud omnia vasa ejus, quibus ministrant in ipsis*.

Num. 5. 7. 6. *Et reddet cui deliquit ei*: quidam locutionem istam transferre nolentes, emendato ordine verba transtulerunt, dicentes, *Et reddet ei cui deliquit*.

v. 6. 7. *Vir aut mulier quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis*: non ait, quæcumque fecerit; sed locutio est, ubi sexus masculinus pronomen vindicavit, quamvis posteriùs femininus sit positus, quæ locutio usitata non est.

v. 12. 8. *Viri, viri, si prævaricata fuerit uxor ejus*: non solùm quia geminavit nomen, ut diceret, *Viri, viri*, sed etiam quia addidit, *ejus*, notanda locutio est.

v. 14. 9. *Si superveniet illi spiritus zelandi, illa autem non fuerit inquinata, & adducet homo uxorem suam ad sacerdotem*: superfluum est, &, sed Scripturis usitata locutio.

v. 18. 10. *Erit aqua argutionis, quæ maledicitur hæc*: hanc locutionem inusitatam fecit ordo verborum; posset enim usitatè ita dici, *Erit aqua argutionis hæc quæ maledicitur*, aut *Erit hæc aqua argutionis quæ maledicitur*, vel si quid aliud usitata verba ordinando dici potest.

v. 19. 11. *Innocens esto ab aqua argutionis, quæ maledicitur hæc*. In hac locutione non solus verborum ordo inusitatè sonat, sed etiam casus mutatus est: esset enim integrum & usitatum, *Innocens esto ab hac aqua argutionis, quæ maledicitur*, aut *ab aqua argutionis hac, quæ maledicitur*.

v. 27. 12. *Et inflabitur ventrem*: pro, inflabitur ventre: hæc locutio & apud Latinos auctores frequentatur, sed interpretes nostri qui eam transferre noluerunt, dixerunt, *Et inflabitur venter ejus*.

13. *Vir vel mulier quicumque magnè voverit votum*: non dixit, quæcumque. Num. 6. 2.

14. *Et radetur caput suum*: talis locutio est qualis superiùs, *inflabitur ventrem*. v. 9.

15. *Sex vehicula tecta & duodecim boves, vehiculum à duobus principibus, & vitulum à singulis*: in hac locutione notandum putavi eosdem dictos vitulos quos boves dixerat, sed hoc etiam Græcum idioma esse perhibetur. Num. 7. 3.

16. *Princeps unus quotidie, princeps quotidie offerent dona sua*: pro eo ut diceret, singulis diebus singuli principes. v. 11.

17. *Vitulum unum pro bobus & hircum ex capris unum*. v. 15.

18. *Et non erit in filiis Israël accedens filiorum Israël ad sancta*: videtur potuisse sufficere, *Et non erit in filiis Israël accedens ad sancta*; aut certè, *non erit filiorum Israël accedens ad sancta*. Num. 8. 19.

19. *Et fecit Moyses & Aaron & omnis synagoga filiorum Israël Levitis secundùm quæ præcepit Dominus Moysi de Levitis, ita fecerunt eis filij Israël*. v. 20.

20. *Et homo, homo quicumque mundus fuerit, & in viam longinquam non est, & defuerit facere paschæ, exterminabitur anima illa de populo suo*: ergo *homo homo*, locutio est, ac si diceret, quicumque homo, ille vel ille. Num. 9. 13.

21. *Et cùm adscendisset nubes à tabernaculo, & postea promovebant filij Israël*: poterat plenum esse, *Et cùm adscendisset nubes à tabernaculo, promovebant filij Israël*. v. 17.

22. *Et promovebunt ordo castrorum filiorum Judæ primi*. Num. 10. 14.

23. *Et promovebunt filij Gerson & filij Merari*: futuri temporis verbum posuit, cùm rem gestam præteritam narret, sicut in superioribus cùm de nube loqueretur, ad cujus motum vel stationem castra promovebant vel consistebant, atque ita deinceps in plurium promotionibus hoc verbo utitur. v. 17.

24. *Et dixit Moyses Obeth filio Raguel Madianitæ genero Moysi*: non ait, genero suo. v. 29.

25. *Et dixit ad eum, Non ibo, sed ad terram meam & ad progeniem meam*: subauditur, ibo. v. 30.

26. *Et promiscuus qui erat in eis, concupiverunt concupiscentiam*: singularem posuit pro plurali, *ut promiscuus* diceret, non promiscui; & tamen pluralem reddidit, cùm ait *concupiverunt*. Num. 11. 4.

27. *Nunc autem anima nostra arida, nihil præter in manna oculi nostri*: desunt verba, est & sunt: plenum quippe esset, Anima nostra arida est, nihil præter in manna sunt oculi nostri: nam quidam interpretes ita transtulerunt, & addiderunt verba quæ non sunt in Græco. v. 6.

28. *Et molebant illud in mola*. v. 8.

29. *Sexcenta millia peditum, in quibus sum in eis*. v. 21.

v. 25. 30. *Et abstulit de spiritu, qui super ipsum:* subauditur, aut erat, aut erit. Sed hanc locutionem, quæ dicitur ellipsis, Græco eloquio familiarissimam, & quantum puto etiam Hebræo, Latinos interpretes transferre piguit, cùm & in Latina lingua frequentetur, quamvis minùs quàm in Græca.

v. 33. 31. *Et percussit Dominus plagam magnam valde:* notanda fuit locutio, *percussit plagam*; non percussit plagâ, quod est usitatum.

Num. 12. 3. 32. *Et homo Moyses lenis valde:* subauditur, erat.

v. 9. 33. *Et ira animationis Domini super eos:* subauditur, facta est.

v. 10. 34. *Et ecce Maria leprosa sicut nix:* & hîc subauditur, facta est.

Num. 13. 20. 35. *Et quæ terra, in qua isti insident super eam; & quæ civitates, in quibus isti habitant in ipsis.*

v. 25. 36. *Locum ipsum quem nominaverunt vallem* [a] *Botri:* cùm superius dixisset, *Venerunt in vallem Botri:* dictum est ergo per anticipationem, non quia jam hoc vocabatur quando venerunt, sed cùm scriberetur hic liber, jam vocabatur.

v. 32. 37. *Quoniam fortior nobis est magis:* usitata esset locutio si non haberet, *magis*.

v. 33. 38. *Et protulerunt pavorem terræ, quam exploraverunt eam.*

Ibidem. 39. *Terram quam transivimus eam explorare, terra comedens qui habitant super eam est:* dicendum autem fuit usitatè, Terra quam transivimus explorare.

Num. 14. 7. 40. *Terram quam exploravimus eam, bona est valde valde.*

v. 10. 41. *Et ait omnis synagoga lapidare eos in lapidibus:* non dictum est lapidibus, cùm ipsum lapidare, posset usitata locutione sufficere.

v. 11. 42. *Et quousque non credunt mihi in omnibus signis, quibus feci in ipsis?* non ait, quæ feci in ipsis.

v. 24. 43. *Puer autem meus Chaleb, quoniam spiritus alius in eo, & assecutus est me, & inducam eum in terram:* usitatum esset, si non haberet, &.

Ibidem. 44. *Et inducam eum in terram, in quam intravit illuc:* sufficeret usitata locutione, *in quam intravit*.

v. 26. 45. *Et ait Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:* hoc illatum est, cùm Dominus & superiùs loqueretur. Facit hoc sæpe Scriptura, cùm aliquid aliud vult dicere, iterum inducit loquentem, qui jam loquebatur.

v. 29. 46. *Quotquot murmuraverunt super me:* non ait, de me, aut adversùs me.

v. 31 47. *Et hereditate possidebunt terram, quam vos abscessistis ab ea:* usitatum esset, à qua vos abscessistis. nunc verò, & *quam abscessistis* dictum est novo more, & additum est, *ab ea*, sicut Scripturæ loqui solent: Virgil. Æneid. 1. sicut est, Penitusque sonantes accestis scopulos, id est accessistis scopulos, non ait, ad scopulos: & Devenere locos, non ait ad locos: ita & *quam abscessistis*, non ait à qua abscessistis.

v. 35. 48. *Ego Dominus locutus sum, nisi ita fecero synagogæ malignæ isti.* Quærendum est sanè quid sit quod Græcè positum est [b] ἦ μὴν: nostri enim interpretes hoc penè ubique interpretati sunt, *nisi*.

Num. 15. 18. 49. *In terram in quam ego induco vos illuc.*

v. 27. & 28. 50. *Si autem anima una peccaverit non sponte, offeret capram unam anniculam pro peccato, & exorabit sacerdos pro anima invita, & quæ peccaverit nolenter ante Dominum, exorare pro eo; & remittetur ei.* In hac sententia, & illa locutio notanda erat, quod ait, *exorabit sacerdos*, & postea dixit, *exora-*

A *re:* utrumque enim simul ita dici posset, exorabit exorare. Et illa, quòd à feminino genere incipiens ad masculinum clausit. Cùm enim dixisset, *Si anima una peccaverit*; conclusit dicens, *exorare pro eo:* ubi intelligitur, pro eo homine: nam & quod adjunxit, *& dimittetur ei*, in Latino quidem non apparet, quia hoc pronomen generis omnis est; sed in Græco masculinum elucet, ubi habet αὐτῷ, quod hîc positum est, *ei*. Quod verò hîc dictum est, *pro anima invita*, intelligitur quæ invita peccaverit, B non quòd nolit pro se offerri. Hoc enim etiam consequenter exposuit, cùm ait, *& quæ peccaverit nolenter*. Et ideo *invita* positum est, quia Latinè non potuit exprimi quod Græcè dictum est ἀκουσιασθείσης, non enim potuit dici nolentata, vel quid aliud ab eo quod nolens fecerit.

51. *Et anima quæcumque fecerit in manu superbiæ:* v. 30. subauditur peccatum: notandum etiam quod ait, *manu superbiæ*, manum ponens pro opere sive potestate.

C 52. *Morte moriatur homo, lapidate eum lapidibus* v. 35. *omnis synagoga:* & *morte moriatur*, & *lapidate lapidibus*, & *lapidate omnis synagoga*, locutiones sunt inusitatæ nobis.

53. *Et accipite singuli thuribulum suum.* Num. 16. 17.

54. *Et descenderunt ipsi, & omnia quæ sunt eis:* v. 33. præsens posuit pro præterito, *sunt* pro erant vel fuerunt.

55. *Et omnis Israël qui in circuitu eorum, fugerunt* v. 34. *à voce eorum:* subauditur erat, id est omnis Israël D qui erat in circuitu eorum.

56. *Quoniam sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis:* v. 37. non dixit, quia sanctificaverunt thuribula peccatores hi in animabus suis; sed quasi quæreretur quorum thuribula, pro eo ut diceret sua, dixit *peccatorum horum*. Qui autem sanctificaverint, intelligendum reliquit, id est, quia ipsi.

57. *Et ecce germinavit virga Aaron in domum Levi:* Num. 17. 8. Latina consuetudo, in domo Levi exigeret dici.

E 58. *Et ego accepi fratres vestros Levitas de medio filiorum Israël dationem datam Domino:* Num. 18. 6. hæc locutio in Latinum necessitate ita translata est: nam Græcus habet δόμα δεδομένον, quod si quisquam Latinè velit exprimere, dicturus est, datum datum, quia & δόμα datum est, secundùm quod dicit Apostolus, Non quia quæro datum, sed requiro fructum, Philip. 4. 17. quod in Græco δόμα scriptum est: & in Genesi, Dedit Abraham data filiis suis, Gen. 25. 6. Græcus habet, δόματα: & in Evangelio, Nostis bona data Matth. 7. 11. F dare filiis vestris, δόματα est in Græco: & δεδομένον, datum est, non nomen, sed participium. Ac per hoc datum datum dici posset, tamquam datum quod datur, nisi ambiguitas vitanda esset. Hanc ambiguitatem quidam nostri interpretes vitare conantes, *donum datum* dixerunt: sed donum, Græcè δῶρον dicitur, non δόμα: unde hoc loco non rectè diceretur, quia non sibi hoc donatum à filiis Israël dicit Deus, sed pro primogenitis sibi debitis redditum: unde & quæ redduntur & quæ donan- G tur, data dici possunt; & ideo omne donum etiam datum est; non omne datum etiam donum est: quia non omne quod datur continuò etiam donatur.

59. *Omnis primitia olei, & omnis primitia vini &* Num. 18. 12. *tritici, primitia eorum quæcumque dederint Domino, tibi dedi ea.* Non dixit, omnem primitivum tibi dedi

[a] MSS. constanter *Botrui*.

[b] Editi, ἐκεῖ. At MSS. ferè uti apud LXX. ἦ μὴν, quod Num. cap. 14. v. 28. & 35. aliisque locis vertitur, *nisi*.

eum: sed cùm dixisset, *omnis primitia*, & enumera- A ret de quibus rebus esset, intulit *tibi dedi ea:* nec saltem tibi dedi eam, aut tibi dedi eas, id est primitias; sed neutrum genus intulit, quod quidem fieri absoluta locutione etiam in Latina lingua solet. Neque hoc quod dictum est, *primitia*, Latinum videtur: primitiæ quippe numeri tantùm pluralis dici solent. Sed si potuerunt interpretes nostri transferre quod Psal. 15. 4. in Græco invenerunt, Non congregabo conven- Psal. 5. 7. ticula eorum de sanguinibus: & alio loco, Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus; B cùm sanguis in Latina lingua numeri sit tantùm singularis, cur etiam hîc pigeret singularem numerum *primitia*, sicut habet Græcus, exprimere? Aliqui tamen interpretes primitias transtulerunt, & per accusativum casum, ut dicerent, *omnes primitias tibi dabo*. Ita utramque locutionem nobis inusitatam, quomodo in Græco inventa est, transferre noluerunt.

Num. 19. 2. 60. *Loquere filiis Israël, & accipiant à te juvencam rufam:* pro eo ac si diceret, adducant ad te: aut certè utrumque usitatè diceretur, accipiant & C adducant ad te juvencam rufam.

v. 7. 61. *Et lavabit corpus suum aquâ:* hoc intelligeretur etiam si non haberet, *aquâ*.

v. 9. 62. *Et ponet extra castra in locum mundum:* non in loco mundo dixit, quod Latinæ locutionis est.

v. 15. 63. *Omne vas apertum quæcumque non habent alligaturam alligatam super ea.*

Num. 20. 9. 64. *Et accepit Moyses virgam quæ ante Dominum:* subauditur, erat.

v. 12. 65. *Quia non credidistis sanctificare me in conspe-* D *ctu filiorum Israël:* id est sanctitatem meam declarare. Johan. 17. 19. Secundùm istam locutionem dictum est, Et pro eis sanctifico meipsum: & in oratione Domini- Matth. 6. 9. ca, Sanctificetur nomen tuum.

Num. 20. 15. 66. *Et incolæ fuimus in Ægypto dies plures:* pro, annis multis.

v. 18. 67. *Et dixit ad eum Edom:* hoc est gens ipsa; non enim adhuc vivebat Edom qui erat Esaü: sicut ipsi qui nuntios miserunt, Israël vocabantur, quod priùs nomen unius hominis erat.

v. 19. 68. *Et dicunt ei filii Israël, Juxta montem transibimus: si autem de aqua tua biberimus ego & pecora mea, dabo pretium tibi:* satis eleganter à plurali transit ad singularem numerum, tamquam Israël diceret, cùm dixisset *filii Israël*, & à verbis cœpisset numeri pluralis, quod est *transibimus & biberimus*.

v. 30. 69. *Et vidit omnis synagoga, quia dimissus est Aaron:* non facilè hoc verbum reperitur in Scripturis, *dimissus*, pro eo quod est mortuus; hoc & in Evan- Luc. 2. 29. gelio est, ubi ait Simeon, Nunc dimittis servum tuum in pace: verumtamen ἀπολύεις habet in Græco, quod magis à resolutione quàm à dimissione dictum sonat: non enim dixit ἀφεῖς, quod sine dubio est, dimittis.

Num. 20. 30. 70. *Et fleverunt Aaron triginta dies omnis domus Israël:* non dixit flevit, nec dixit tota vel universa, sed *omnis*, quasi plures essent; sicuti est, omnis homo, quod de omnibus dicitur, longè utique aliud quàm totus homo, quod de uno dicitur: sed assiduè ponit Scriptura omne, pro toto.

Num. 21. 5. 71. *Et detrahebat populus ad Deum & adversùs Moysen:* non dixit de Deo, sed *ad Deum*. Quamvis hanc locutionem quidam transferre nolentes, *detrahebant de Deo*, transtulerunt.

v. 7. 72. *Ora ergo ad Deum ut auferat à nobis serpen-* Exodi 8. 6. *tem:* sicut & in Exodo dictum est, ranam, singulare pro plurali.

73. *Et factum est quando momordit serpens hominem, & adspexit in æneum serpentem, & vivebat:* Num. 21. 9. non solùm hoc habet ista locutio, quod vertit modum verbi, & à specie perfecta præteriti temporis ad imperfectam clausit, sed etiam quod plus habet, &.

74. *Et elevantes ex Oboth, castra collocaverunt in* v. 11. *Achalgai trans in eremo:* hoc est, in ulteriore eremo.

75. *Et percussit asinam in virga:* non dixit, vir- Num. 22. 23. gâ, sed *in virga*.

76. *In maledictionem inimicorum meorum vocavi* Num. 23. 11. *te, & ecce benedixisti benedictionem:* non dixit, benedictione, sed tamquam diceret, ecce dixisti benedictionem.

77. *Quæcumque miserit Deus in os meum, hoc ob-* v. 12. *servabo loqui:* non dixit, hæc observabo.

78. *Veni mecum adhuc in locum alium, de quo non* v. 13. *videbis eum inde.*

79. *Et ait Dominus ad Moysen, Accipe duces po-* Num. 25. 4. *puli, & ostenta eos Domino contra solem, & averte-* C *tur ira animationis Domini ab Israël:* cùm Dominus loqueretur, non dixit, Et ostenta eos mihi, & avertetur ira mea ab Israël.

80. *Domus familiæ est Madian:* de muliere hoc v. 15. dixit, quæ cum adultero Israëlita percussa est; quibus verbis, quantum puto, intelligi voluit nobilem fuisse, ut diceret eam, *domus familiæ*, sicut jam vulgò ad insigne divitiarum & pater-familias & mater-familias dicitur.

81. *Et locutus est Dominus ad Moysen & ad Elea-* Num. 26. 1. D *zar sacerdotem dicens, Accipe principium totius synagogæ filiorum Israël à viginti annis & supra:* notandum quid appellaverit *principium*, robur scilicet ætatis in populo.

82. *Vt exaudiant eum filii Israël:* &, *In ore ejus* Num. 27. 20. & 21. *exibunt:* &, *In ore ejus introibunt*, id est cùm jusserit.

83. *Et fecit Moyses secundùm quæ præcepit illi Do-* v. 22. *minus, & assumens Iesum statuit eum ante Eleazarum sacerdotem*, &c. ubi hoc notandum fuit, quia cùm jam dixisset, *Et fecit Moyses secundùm quæ præcepit* E *illi Dominus*, eadem ipsa repetit.

84. *Et commendavit eum secundùm quæ præcepit* v. 23. *Dominus Moysi:* non ait, secundùm quæ præcepit illi Dominus.

85. *Decimam decimam similaginis consparsam in* Num. 28. 13. *oleo agno uni:* id est singulas decimas singulis agnis: quod enim ait, *Decimam decimam*, significavit quod repetendæ sint decimæ per singulos agnos.

86. *Et in mense primo quarta-decima mensis hujus* v. 16. & 17. *dies festus, septem dies azyma edetis:* notandum diem F festum per plures dies celebrari; & tamen diem festum dici, non dies festos, ipsius festivitatis celebrationem, quotquot dies tenuerit.

87. *Et mense septimo una mensis.* Secundùm hanc Num. 29. 1. locutionem dictum est in Genesi, Et facta est ves- Gen. 1. 5. pera, & factum est manè dies unus: nam & ibi sicut hîc Græcus habet ἡμέρα μία, unde quidam hîc interpretantes *prima die mensis*, necessariam locutionem pretermiserunt, quamvis à sententia verborum non recesserint.

G 88. *Vitulum unum ex bobus, arietem unum:* non Num. 29. 2. ait, ex ovibus, sicut illud *ex bobus*, cùm & illud si deesset, plenum esset.

89. *Agnos anniculos sine vitio septem:* hoc quod Ibidem. in agnis posuit *sine vitio*, per omnia subauditur, & in vitulo scilicet, & in ariete.

90. *Decima decima agno uni, septem agnis:* id v. 4. est, singula singulis.

v. 39. 91. *Exceptis votis vestris, & voluntaria vestra, & holocaustomata vestra, sacrificia vestra, & libamina vestra, & salutaria vestra.* Hanc locutionem, si vel Græca esset, non notarem: non enim ait, Exceptis votis vestris & voluntariis vestris, & cetera, ut cœperat; sed neque Excepta vota vestra, ut ab ipso velut solœcismo inciperet: sed cùm prius rectè usitata locutione dixisset, *Exceptis votis vestris*; ea deinde adjunxit per alium casum, ubi subaudiri non possit, *exceptis*, sed excepta, quod non admittit nec Græca nec Latina locutio.

Num. 30. 3. 92. *Homo, homo quicumque voverit votum Domino:* pro eo quod est, omnis homo.

v. 4. 93. *Cùm autem mulier voverit votum Domino, aut definierit definitione in domo patris sui in juventute sua.* Hîc mulierem, feminam dicit etiam si virgo sit, more Scripturarum: unde etiam de Christo

Gal. 4. 4. est, quod ait Apostolus, Factum ex muliere.

Num. 30. 4. 94. *Et audierit pater ejus vota ejus & definitiones ejus, quas definivit. Definitiones definivit*, locutio est.

Ibidem. 95. *Definivit adversùs animam suam:* id est, adversùs delectationes animæ suæ.

Ibidem. 96. *Et tacuerit pater ejus, & stabunt omnia vota ejus:* hîc plus habet, & ; nam integer sensus est, *Si audierit & tacuerit pater ejus, stabunt omnia vota ejus.*

v. 7. 97. *Si autem facta fuerit viro:* intelligitur, nupserit; Scriptura sic loquitur.

Ibidem. 98. *Et vota ejus super eam:* subauditur sunt, quod nonnulli interpretes etiam addiderunt.

v. 13. 99. *Omnia quæcumque exierint ex labiis ejus secundùm vota ejus, & secundùm definitiones quæ adversùs animam ejus, non manet ei:* cùm exspectaretur numerus pluralis, ut diceret, *non manent ei*; nam ita nonnulli interpretati sunt, vitantes istum quasi solœcismum.

Num. 31. 4. 100. *Mille ex tribu, & mille ex tribu, ex omnibus tribubus Israël.* Numquid duodecies dixit mille? Et tamen repetitio ista millenos significat.

v. 8. 101. *Interfecerunt in gladio:* quod usitatè diceretur, interfecerunt gladio.

v. 10. 102. *Et omnes civitates eorum, quæ in habitationibus eorum:* subauditur, erant.

Ibidem. 103. *Et villas eorum succenderunt in igni:* quod usitatè diceretur, succenderunt igni.

v. 18. 104. *Et omnem multitudinem mulierum, quæ non novit concubitum masculi, vivificate.* Nusquam certiùs apparet Hebræa locutione mulieres etiam dici virgines solere.

v. 28. & 29. 105. *Et à dimidia parte eorum accipietis, & dabis ea Eleazar sacerdoti primitias Domini:* non dixit, dabitis.

v. 35. 106. *Et animæ hominum à mulieribus, quæ non cognoverunt concubitum viri, omnis anima duo & triginta millia:* & hîc superior locutio confirmata est, mulieres dici etiam quæ non cognoverunt concubitum viri, id est virgines.

v. 54. 107. *Et accepit Moyses & Eleazar sacerdos aurum à chiliarchis & à centurionibus, & intulit ea in tabernaculum testimonij.* Videtur dicere debuisse, *& intulit illud in tabernaculum testimonij*; quoniam aurum acceptum esse prædixerat, & plerique Latini codices sic habent: sed ideo pluraliter videtur illatum ut diceret, *intulit ea*, quia multa vasa fuerant superiùs commemorata, in quibus erat hoc aurum.

Num. 32. 1. 108. *Et pecora, multitudo erat filiis Ruben & filiis Gad, multitudo copiosa valde:* non dixit, & pecorum multitudo erat.

Ibidem. 109. *Et viderunt regionem Iazer & regionem Galaad, & erat locus, locus pecoribus:* non jungendum est in pronuntiatione quod bis dixit *locus*: sed subdistinguendum, *& erat locus*; & deinde inferendum, *locus pecoribus.* Quasi enim exspectaretur qualis locus, ita repetitio eleganter illata est.

v. 2. 110. *Et accedentes filij Ruben & filij Gad, dixerunt ad Moysen & Eleazar sacerdotem, & ad principes synagogæ, dicentes:* non est ista vel Græca vel Latina locutio, *dixerunt dicentes*, sed Hebræa videtur.

v. 5. 111. *Detur terra ista famulis tuis in possessionem:* quasi de aliis dicerent, cùm sibi peterent.

v. 12. 112. *Non enim secuti sunt post me, præter Chaleb filius Iephone.* Videtur dicere debuisse, præter Chaleb filium Jephone; sed nominativè intulit, quia præcessit, *secuti sunt.* Est autem ista locutio etiam Latina, sed rara.

v. 13. 113. *Donec consumeretur omnis generatio facientes maligna in conspectu Domini:* non dixit, faciens maligna, neque facientium maligna.

v. 16. 114. *Et accesserunt ei, & dixerunt:* non ait quod usitatum est, accesserunt ad eum.

v. 24. 115. *Et ædificabitis vobisipsis civitates impedimentis vestris:* ac si diceret, ædificabitis vobisipsis civitates propter impedimenta vestra.

v. 26. 116. *Impedimenta nostra & uxores nostræ & omnia pecora nostra erunt in civitatibus Galaad, pueri autem tui transibunt omnes armati:* non dixerunt, nos autem transibimus omnes armati, sed tamquam de aliis dicerent.

v. 28. 117. *Et commendavit eis Moyses Eleazar sacerdotem & Iesum filium Nave, & principes familiarum tribuum Israël.* Non ait, commendavit eos Moyses Eleazar sacerdoti, quod utique ordo locutionis usitatæ exigebat: per hos enim introducti sunt in terram, quam petebant: unde magis illi istis à quibus introducebantur in terram postulatam, quàm isti qui introducebant illis quos introducebant, commendati videntur.

v. 30. 118. *Si autem non transierint armati vobiscum in bellum in conspectu Domini, & transferte impedimenta eorum:* plus habet, *&.*

v. 33. 119. *Et dedit eis Moyses filiis Gad & filiis Ruben:* plus habet, *eis.*

Num. 33. 14. 120. *Et non ibi erat aqua populo bibere:* pro eo quod est, ad bibendum.

v. 51. 121. *Loquere filiis Israël, & dices ad eos:* sufficere videtur, *loquere filiis Israël.*

v. 52. 122. *Et omnia idola fusilia eorum perdetis ea:* plus habet, *ea.*

Num. 34. 6. 123. *Hoc erit vobis fines maris:* non dixit, hi erunt vobis.

v. 7. 124. *Et hoc erit vobis fines ad Aquilonem:* eadem repetita locutio est.

Num. 35. 3. 125. *Et erunt civitates eis habitare:* pro eo quod dici solet, ad habitandum.

v. 11. 126. *Refugia erunt vobis fugere illò homicidam:* quod usitatè dici posset, ut fugiat illò homicida.

v. 15. 127. *Et incolæ qui in vobis, istæ civitates in refugium:* singulari numero positum est *incolæ*: id est, huic incolæ qui in vobis; quoniam minùs habet, *est*: non enim ait, qui in vobis est, notissima locutione, sed rariore in lingua Latina quàm in Græca.

LIBER QUINTUS.

Locutiones de Deuteronomio.

Deut. 1. 7. 1. USQUE *ad flumen magnum, flumen Euphratem:* non dixit, usque ad flumen magnum Euphratem.

v. 17. 2. *Et judicium quod durum fuerit à vobis, afferetis illud ad me:* non dixit, quod durum fuerit vobis, sed *à vobis*, id est ita durum, ut à vobis judicari non possit.

v. 35. 3. *Si videbit aliquis virorum istorum terram optimam hanc, quam juravi patribus eorum, præter Chaleb filius Iephone, hic videbit eam:* & in libro Numerorum istam locutionem notavimus, quia non

Locut. 99. dixit præter Chaleb filium Jephone, sed *filius.*

tut. 2. 7. 4. *Dominus enim Deus vester benedixit te in omni opere manuum tuarum:* non ait, benedixit vos in omni opere manuum vestrarum, cùm prædixisset *vester*, non tuus.

v. 24. 5. *Nunc ergo surgite, & promovete, & pertransite vos vallem Arnon; ecce tradidi in manus tuas Seon regem Eschon:* non dixit, in manus vestras, sed à plurali ad singularem transiit.

Deut. 4. 7. 6. *Quoniam quæ est gens magna, cui est ei Deus appropians illis:* duo sunt hîc notanda, vel quod ait, *cui est ei*, vel quod non ait, appropians illi, sed *appropians illis.*

v. 12. 7. *Et similitudinem non vidistis, sed vocem:* cùm vox non possit videri, sed generaliter hoc verbum posuit, tamquam ad omnem corporis sensum videre pertineat.

v. 5. & 14. 8. *In quam vos ingredimini illò, hereditare eam:* plenum esset etiamsi non additum esset, *illò.*

v. 20. 9. *Et eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto:* fornacem ferream, duram tribulationem intelligi voluit: secundùm hoc & de Joseph dictum est in Psal-

Psal. 104. 18. mis, Ferrum pertransiit animam ejus.

Deut. 4. 22. 10. *Et non transeo Iordanem hunc:* quasi & alius sit Jordanis: ex hac locutione arbitror sæpe dici etiam hunc mundum, quasi alius sit.

v. 25. 11. *Si autem genueris filios & filios filiorum tuorum:* notanda locutio est, ubi & avos nepotes dicit gignere.

v. 29. 12. *Et quæretis ibi Dominum Deum vestrum; & invenietis eum, quando exquiretis eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua in tribulatione tua:* non dixit, in toto corde vestro, & in tota anima vestra, in tribulatione vestra.

v. 32. 13. *Interrogate dies priores, qui fuerunt priores te:* non dies, sed homines intelligendum est. Similiter & hoc notandum quod etiam superiùs cùm dixerit, *Interrogate* pluraliter, *priores te* intulit singulariter, non priores vobis.

v. 34. 14. *Si & tentavit Deus ingressus accipere sibi gentem de media gente: tentavit*, pro eo quod est voluit, positum est, aut quid aliud: quod autem ait, *de media gente*, de mediis gentibus intelligendum est, singulari posito pro plurali: sicut serpentem, ranam, & locustam, pro serpentibus, ranis, & locustis, scriptum legimus.

Ibidem. 15. *Secundùm omnia quæ fecit Dominus Deus vester in Ægypto coram te vidente:* nihil minùs est, etsi non addatur, *videntе.*

Deut. 5. 5. 16. *Et ego stabam inter Dominum & vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini; quoniam timuistis à facie ignis, & non adscendistis in montem, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. *dicens* posuit pro, cùm diceret.

v. 14. 17. *Et advena qui incolit in te:* populo dictum accipiendum est, non quasi uni homini, quia in populo incolit advena.

v. 15. 18. *Propter hoc constituit tibi Dominus Deus tuus, ut observes diem sabbati, & sanctificare eum:* si, &, non haberet, non videretur inusitata locutio *ut observes diem sabbati sanctificare eum*; aut certè si ita esset, ut observes diem sabbati & sanctifices eum; aut ita, Propter hoc constituit tibi Dominus Deus tuus observare diem sabbati & sanctificare eum: nunc verò, *ut observes diem sabbati & sanctificare eum*, inusitata & notanda locutio est.

Deut. 6. 13. 19. *Adtende tibi, ne dilatetur cor tuum, & obliviscaris Domini Dei tui:* notandum etiam in malo dici posse dilatationem cordis; exsultatio quippe in dilatatione intelligitur, cui contrariæ sunt angustiæ, id est tristitia: utrumque autem potest & in bono & in malo accipi.

v. 20. 20. *Et erit cùm interrogaverit te filius tuus cras dicens:* cras posuit, pro futuro quocumque tempore.

Deut. 7. 2. 21. *Septem gentes magnas & multas:* quomodo ergo multas, si septem? sed multas dixit multitudinem habentes.

v. 22. 22. *Non dispones ad eos testamentum:* cùm de gentibus diceret: testamentum ergo pro pacto posuit.

v. 3. & 4. 23. *Et filiam ejus non sumes filio tuo; discedere enim faciet filium tuum à me, & serviet diis aliis, & irascetur indignatione Dominus in vos:* non ait irascar, sed tamquam de alio diceret.

Deut. 9. 14. 24. *Civitates magnas & muratas usque in cælum:* hyperbolicè dictum.

v. 4. 25. *Ne dicas in corde tuo, cùm consumserit Dominus Deus tuus gentes istas ante faciem tuam, dicens, Propter justitias meas induxit me Dominus hereditare terram bonam istam:* ordo est, *Ne dicas in corde tuo, dicens.*

v. 28. 26. *Ne quando dicant inhabitantes terram, unde eduxisti nos inde:* more Scripturæ additum est, *inde.*

Deut. 11. 2. 27. *Quæ fecit virtutem Ægyptiorum:* hoc interpretes quidam Latini minùs intelligentes noluerunt dicere *virtutem*, sed *virtuti* vel *exercitui:* quoniam id quod ait Græcus δύναμιν, nonnulli exercitum intellexerunt. Sed elegans locutio est, *Quæ fecit virtutem eorum*; intelligendum est quid eam fecit: quoniam ad nihil eam redegit: sed quia pluraliter dictum est, ideo subobscurum est.

v. 6. 28. *Quos aperiens terra os suum deglutivit eos, & domos eorum, & tabernacula eorum:* duæ locutiones hîc notandæ sunt, quod & additum est, *eos*, cùm sufficere posset quod ait superiùs, *quos:* & *domos eorum* cùm dixisset, addidit *& tabernacula eorum*, quasi alias in eremo haberent domos nisi tabernacula. Sed nimirum domus intelligi voluit homines ad eos pertinentes, sicut ipsi populo dicitur, Et

Isai. 2. 5. nunc tu domus Jacob. Nec ista locutio aliena est à Latina lingua: nam & Romani dicti sunt domus

Virgil. Æneid. 1. Assaraci, quòd ex Assaraco Trojano originem du-
cerent.

Deut. 11. 7. 29. *Quoniam oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quæ fecit in vobis hodie:* cùm de his operibus diceret, quæ per eremum facta sunt eo tempore, quo ibi circumducebantur per quadraginta annos; tamen *hodie* dixit, quod intelligi voluit hoc tempore, quotquot ibi annos idem tempus habere potuisset.

v. 9. 30. *Terram quam juravit Dominus patribus vestris dare eis, seminique eorum post eos:* tamquam diceret, id est semini eorum post eos; non enim & ipsis dedit, sed ita ipsis dedit, cùm semini eorum dedit.

v. 13. 31. *Si autem auditu audieritis omnia mandata ejus, quæ ego mando tibi hodie: auditu* videtur superfluum, sed locutio est Scripturæ sanctæ familiarissima.

v. 14. a 32. *Et dabit pluviam terræ tuæ in tempore suo* a *matutinum & serotinum.* Cùm matutinum tempus dies dicatur, numquid hinc intelligi voluit tempus anni primum? Serotinum verò minùs Latinum est; sed non potuit magis propriè de Græco exprimi, quod illi dicunt ὄψιμον: tamen etiam in Latina lingua vulgò usitatum est, ut dicatur serotinum, sed quod tardiùs quàm oporteat factum est; hîc verò tempus anni potiùs intelligi voluit.

v. 15. & 16. 33. *Et cùm comederis, & satiatus fueris, adtende tibi ipsi ne dilatetur cor tuum, & prævaricemini & servietis diis aliis.* Jam superiùs tales locutiones notavimus, sive quod à singulari ad pluralem transit, sive quòd in malo voluit intelligi dilatetur, ubi noxiam prosperitatem significavit.

v. 24. 34. *Et flumen magnum flumen Euphratem.* Repetitiones istæ usitatæ sunt in Scripturis, & rem decenter commendant.

v. 25. 35. *Timorem vestrum & tremorem vestrum imponet Dominus Deus vester super faciem universæ terræ:* non timorem & tremorem quo ipsi timent & tremunt, sed quo timentur & alios tremere faciunt.

Deut. 22. 27. 36. *Non poteris manducare in civitatibus tuis decimationem frumenti tui:* pro eo quod est, non debebis.

Deut. 13. 16. 37. *Et incendes civitatem in igni:* nos usitatiùs diceremus igni.

Deut. 14. 24. 38. *Si autem longè fuerit via à te:* ac si diceret, longa via fuerit; adverbium posuit, pro nomine.

Deut. 15. 6. 39. *Et fœnerabis gentes multas.* Fœnerationem Scriptura dicit mutuò datam pecuniam, etiamsi usuræ non accipiantur: unde est & illud in Psalmo,

Psal. 111. 5. Beatus qui miseretur, & commodat. Hoc enim maluerunt interpretari nostri, qui sententiam potiùs quàm verba sequenda putaverunt: nam in Græco habet δανείζει, quod est fœneratur.

Deut. 15. 6. 40. *Et principaberis gentium multarum, tui autem non principabuntur:* tamquam diceret, tibi non dominabuntur, hoc est gentes: genitivus enim casus est singularis hujus pronominis quod ait *tui*, cujus dativus est tibi; non pluralis nominativus, cujus genitivus est tuorum.

v. 7. 41. *Si autem fuerit in te egenus in fratribus tuis:* non uni homini, sed populo dicitur, ideo *in te.*

42. *Si autem fuerit in te egenus in fratribus tuis in una civitatum tuarum, in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi, non avertes cor tuum, neque constrin-*

v. 8. *ges manum tuam à fratre tuo egente: aperiens aperies manus tuas ei, fœnus fœnerabis ei quantumcumque postulat, & quantum eget.* Hîc certè cùm opera misericordiæ præcipiat, non utique usurarum crudelitas suscipienda est: unde apparet quod ait, *fœnus fœnerabis ei*, mutuò dandum quod postularet intelligi voluisse. Quod autem ait, *aperiens aperies manus tuas*, tale est & quod sequitur, *fœnus fœnerabis*, usitata locutio est in Scripturis sanctis.

43. Cùm de aure pertundenda servi præcepisset, v. 17.
Et ancillam, inquit, *tuam facies similiter:* accusativum pro dativo ponens; non ait, ancillæ tuæ facies, quod locutionis nostræ consuetudo poscebat.

44. *Si autem fuerit in eo vitium, claudum aut cæcum, vel omne vitium malum:* non ait, claudicatio aut cæcitas, ipsa enim sunt vitia; sed *claudum*, & *cæcum*, quod sunt non vitia, sed animalia quæ habent vitia. Hoc quoque notandum est, quod ait, *vitium malum*, quasi posset esse vitium bonum. v. 21.

45. *Et non dormiet de carnibus, de quibus immolaveritis vespere die primo usque in manè:* pro eo quod est, non remanebit ea nocte, *non dormiet* dictum est. Deut. 16. 4.

46. *Non offeres Domino Deo tuo vitulum vel ovem, in quo est in ipso vitium:* usitata locutio esset, *in quo est vitium:* sed ista Scripturis est usitatior. Deut. 17. 1.

47. *Et lapidabis eos in lapidibus, & morientur:* quod ex nostra consuetudine diceretur, lapidibus, non *in lapidibus.* v. 5.

48. *Non multiplicabit sibi equum:* pro equis vel pro equitatu, *equum* posuit; unde nonnulli *equitatum* interpretati sunt. v. 16.

49. *Non poteris constituere super te hominem alienum, quia non est frater tuus: Non poteris* dictum est, pro non debebis. v. 15.

50. *Secundùm omnia quæ petiisti à Domino Deo tuo in Choreb, in die convocationis, dicentes:* cùm dixerit superiùs *petiisti, dicentes* subjecit, non dicens. Deut. 18. 16. Deut. 20. 4.

51. *Quoniam Dominus Deus vester, qui præcedit vobiscum:* non dixit vos.

52. *Si occurreris nido avis ante faciem tuam in via.* Notandum quod *occurreris* dixit etiam non ambulanti. Deut. 22. 6.

53. *Si autem ædificaveris domum novam, facies coronam solario tuo, & non facies homicidium in domo tua, si cadat qui cecidit ab eo:* id est à solario cadat qui cecidit; nimis inusitata locutio est. v. 7.

54. *Et abiens fuerit viro alteri, & oderit eam vir novissimus.* Notandum ex duobus posteriorem novissimum dici: talis locutio est & in Evangelio, quando quæritur ex duobus fratribus quis eorum fecerit voluntatem patris, & respondetur novissimus, cùm duo fuerint. Deut. 24. 2. & 3. Matth. 21. 31.

55. *Non pignerabis molam, neque superiorem lapidem molæ, quia animam iste pignerat:* pro eo quod est, quia animam pigneras, si feceris. Deinde notandum animam dixisse, pro ea vita quam habet anima in corpore: ex qua locutione & illud est in Evangelio, Nonne anima plus est quàm esca? Deut. 24. 6. Matth. 6. 25.

56. *Si autem deprehendatur homo furans animam ex fratribus suis filiis Israël:* animam pro homine posuit. Denique sequitur, *& opprimens eum vendiderit:* quæ non minùs notanda est locutio: noluit enim dicere eam, quod esset magis consequens, quoniam animam dixerat, sed *eum*, id est hominem, in cujus significatione dixerat animam. Deut. 24. 7.

57. *Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque:* repetitio verbi locutionem notandam facit. v. 10.

58. *Si autem noluerit homo accipere uxorem fratris sui, & adscendet mulier in porta ad senatum & dicet, Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in* Deut. 25. 7.

a MSS. quinque hîc tantùm, *matutinam & serotinam.*

Israël,

Israël, noluit frater viri mei. Quamvis verborum repetitiones amet Scriptura, inusitatior est tamen repetitio hæc: sed elegantiùs querelæ ostentat affectum.

Deut. 27. 21. 59. *Maledictus omnis qui dormierit cum omni pecore:* pro eo quod est, concubuerit. Deinde *cum omni pecore*, pro eo quod est, cum quolibet pecore.

Deut. 28. 48. 60. *Et servies inimicis tuis, quos immittet Dominus Deus tuus super te.* Græcus habet λατρεύσεις, ubi Latinus interpretatus est *servies:* solet autem hoc verbum in ea servitute Scriptura ponere, quæ debetur Deo; unde idololatræ appellantur, qui ea servitute idolis serviunt. ergo hîc inusitatè positum est hoc verbum. Quamquam possit etiam hunc sensum habere, quòd tam graviter multa dixerit, ut inimicis suis nimiùm superbientibus tamquam diis servisse cogantur.

v. 49. 61. *Gentem cujus non audies vocem ejus:* & hoc notandum est, quod & *cujus* dixit, & *ejus*, sicut loqui Scripturæ solent: & id quod ait, *cujus non audies vocem*, pro eo quod est, cujus linguam non intelliges.

v. 54. & 55. 62. *Mollis in te & tenera valde fascinabit oculo suo fratrem suum, & uxorem quæ est in sinu ejus, & qui reliqui sunt filij quicumque relicti fuerint illi, ita ut det uni ex eis à carnibus filiorum suorum de quibuscumque edet, eo quòd non derelictum sit ei quidquam in angustia & tribulatione, qua tribulabunt te inimici tui in omnibus civitatibus tuis.* Notandum est quemadmodum hîc dictum sit *fascinabit*, pro invidebit, & tamquam ad hoc derelicto, ut necesse sit ei dare de carnibus filiorum, quas cogit necessitas in cibum

Prov. 23. 6. sumi à parentibus. Nam & in Proverbiis quod Latini codices habent, Non cœnabis cum viro invido; Græcus habet, ἀνδὶ εἰ βασκάνῳ, βάσκανθ' autem fascinus dicitur.

Deut. 28. 63. 65. 63. *Et erit sicut lætatus est Dominus in vobis, benefacere vobis:* Græcus habet, *benefacere vos*, nec videtur esse saltem Græca locutio: accusativus tamen pro dativo positus intelligitur; unde maluerunt Latini interpretes dicere *vobis*, quàm vos.

Deut. 29. 2. 64. *Vos vidistis omnia quæ fecit Dominus Deus vester in terra Ægypto, coram vobis, Pharaoni & servis ejus omnibus & omni terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui:* notandum illas plagas etiam *tentationes* vocari.

Deut. 30. 4. 65. *Si fuerit dispersio tua à summo cæli usque ad summum cæli, inde congregabit te Dominus Deus tuus.* Mirum si non hoc dicit, à summo *cæli usque ad summum cæli*, quod solet etiam dicere, à summo terræ usque ad summum terræ: fortasse propterea quia secundùm id quod & iste aër cælum dicitur, conjungitur terræ.

66. *Non in cælo est dicens, Quis adscendet in cælum, & accipiet nobis illud, & audientes illud faciemus? Neque trans mare est dicens, Quis transfretabit nobis trans mare, & accipiet nobis illud, & audientes illud faciemus? dicens* pro eo posuit quod est, ut dicas, nova locutio. v. 12. & 13.

67. *Et Dominus qui comitatur tibi tecum.* Deut. 31. 8.

68. *Et dixit Dominus ad Moysen, Ecce tu dormies cum patribus tuis:* hoc verbo ejus mortem significavit. v. 16.

69. *Amaricantes eratis quæ ad Deum:* id est, amaricabatis ea quæ Dei sunt. v. 27.

70. *Scio enim quia post obitum meum, iniquitate iniquitatem facietis:* uno verbo autem Græcè dicitur, *iniquitatem facietis*, quod est ἀνομήσετε. v. 29.

71. *Et occurrent vobis mala novissimum dierum:* sic enim habet Græcus, pro in novissimis diebus, aut in novissimo dierum. Ibidem.

72. *Nonne hic ipse pater tuus possedit te, & fecit te, & creavit te?* ordo notandus est, priùs enim videtur dicere debuisse, *creavit te & fecit te*, & deinde, *possedit te.* Quomodo enim intelligitur posse possideri qui non est? Deut. 32. 6.

73. *Cum adipe tritici.* Hæc metaphora nimis inusitata est, ut renes tritici intelligantur velut interiora tritici, unde farina ejicitur: hoc enim & adipem dixit; nam hoc nomine etiam farinam solent Græci dicere: hoc enim habet Græcus in Exodo, ubi scriptum est, Elevantes farinam super humeros suos; Græcus quippe interpres σέμιδα posuit, quod sunt adipes. v. 14. Exod. 12. 34.

74. *Filij in quibus non est fides in eis:* usitata Scripturis locutio. Deut. 32. 20.

75. *Quoniam judicabit Dominus populum suum, & in servis suis consolabitur:* pro, servos suos consolabitur: nisi fortè ipsum consolari dicit translato verbo, velut ab indignatione & offensione, qua eum offendunt mali. Sic autem ejus consolatio accipienda est, non ex more hominum, sicut nec ira & zelus, & cetera talia. v. 36.

76. *Ubi sunt dij eorum, in quibus fidebant in ipsis:* plenum esset & sine *in ipsis.* v. 37.

77. *Et jurabo dexteram meam:* id est per dexteram meam. v. 40.

78. *Lætamini cæli simul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei:* alij codices habent, *& adorent eum omnes filij Dei.* Filios autem Dei dictos, qui Angeli sunt in cælis, non facilè in Scripturis sanctis invenitur. v. 42. apud LXX.

LIBER SEXTUS.

Locutiones de Jesu Nave.

Jos. 1. 14. 1. VOS *autem transibitis expeditiores fratribus vestris, omnis fortis:* id est, omnis quicumque in vobis fortis est.

Jos. 3. 4. 2. *Ut sciatis viam, quam ibitis eam:* plenum esset, etiam si non haberet, *eam.*

Jos. 5. 13. 3. *Et factum est, cùm esset Jesus in Jerico:* notanda locutio est; nondum quippe erant in eadem civitate, cujus portæ contra illos clausæ fuerant, unde factum est ut in eam intrare non possent, nisi muri ejus cecidissent circumactâ arcâ Domini: ergo *in Jericho* dictum est, in terra quæ pertineret ad Jericho.

4. De Jericho dictum est cùm clausa esset, Jos. 6. 1. *Nec quisquam ex illa prodibat, neque introibat:* utique in illam subauditur, non ex illa: hoc appellatur Græcè ζεῦγμα καὶ ἔλλειψιν.

5. Dominus dicit ad Jesum, *Ecce ego trado tibi subjugatam Jericho, & regem ejus qui est in ea, po-* v. 2.

tentes fortitudine. Mirandum quod non hîc posuit conjunctionem copulativam ut diceret, & potentes fortitudine, quam solet Scriptura tam assiduè ponere, ut etiam ibi inveniatur ubi sensum solitæ locutionis impediat: an & Jericho & rex ejus dicti sunt *potentes fortitudine*?

v. 25. 6. *Et Raab meretricem & domum paternam ejus vivificavit Iesus, & commorata est in Israël usque in hodiernum diem.* Notandum est quemadmodum dicat Scriptura, *usque in hodiernum diem*, quod assiduè dicit: nam & de lapidibus illis duodecim, qui positi sunt ubi Jordanis ex ima parte defluxerat, & ex parte superiore constiterat, arcâ transeunte vel
Jos. 4. 9. populo, ita dictum est, quòd essent ibi *usque in hodiernum diem*: quod videtur ita fonare, tamquam post plurimum temporis per hanc Scripturam ista narrentur, nec eo tempore ij libri conscripti fuerint quo erant hæc recentissima. Quisquis autem putat hoc, quid de ista meretrice dicturus est? quæ utique quantum est ætas unius hominis vixit, & tamen dicitur *usque in hodiernum diem* De his itaque rebus hoc dicitur, quæ non ita constitutæ sunt, ut postea mutarentur ab eis qui constituerunt: quomodo dicitur aliquis in exsilium perpetuum missus, quia non ad tempus præfinitum hoc supplicio plectitur; non quia quisquam potest esse perpetuus in exsilio, cùm homo ipse non possit esse perpetuus. Sic ergo & ista meretrix non est præcepta ad tempus habitare in Israël; ideo dictum est, *usque in hodiernum diem.*

Jos. 7. 11. 7. Dominus dicit ad Jesum, *Peccavit populus, & transgressus est testamentum meum, quod dispositi ad eos*: notandum quemadmodum testamentum appellet hoc quod præceperat, ut anathema esset Jericho, & nemo sibi inde aliquid usurparet.

Jos. 8. 1. & 2. 8. Dominus loquens ad Jesum ait inter cetera, *Ecce dedi in manus tuas regem Gai & terram ipsius, & facies Gai sicut fecisti Iericho & regi ejus, & prædam pecorum prædaberis tibi*: præcipuè notanda locutio est, non solùm quia *prædaberis tibi* dixit, tamquam unius futura esset illa præda, cùm omnium esset futura, nam tales locutiones usitatissimæ sunt, cùm Deus tamquam ad unum loquitur, quæ ad populum loquitur: sed hoc novum est hîc, quia prædixit Scriptura, *Et dixit Dominus ad Iesum*, quem constat unum hominem fuisse: quod tamen dixit *prædaberis tibi*, non utique ita dictum est, ut præda illa hujus unius hominis esse præcepta sit, sed universi populi.

v. 12. 9. *Et insidiæ erant civitati à mari.* Qui nescit, putat istam civitatem maritimam. Consuetudinis est autem Scripturarum ut Occidentalem partem, à mari appellet, vel ad mare: quia ex ipsa parte terra ubi hæc agebantur, propius habet mare quàm à ceteris partibus.

v. 18. 10. *Extende manum tuam in Gæso, quod est in manu tua, contra civitatem.* Ista locutio notanda non esset, nisi propter nomen quod obscurum est eis, in quorum consuetudine non est. Quid enim dicat Gæson, non facilè intelligitur: hoc interpres Symmachus *scutum* appellasse perhibetur. Septuaginta autem interpretes, secundùm quos ista tractamus, qui posuerunt Gæson, miror si & in Græca lingua hastam vel lanceam Gallicanam, intelligi voluerunt: ea quippe dicuntur Gæsa, quorum & Virgi-
Æneid. 8. lius meminit, ubi ait de Gallis in scuto Æneæ pictis, Duo quisque Alpina coruscant Gæsa manu.

v. 22. 11. *Et facti sunt inter medium castrorum, hi hinc & hi hinc.* Duo notanda sunt in hac locutione; unum, quòd cùm hostes qui vincebantur, in medio essent, tamquam de his dictum est, quòd hi essent hinc & hi hinc, cùm potiùs ita Israëlitæ fuerint, qui eos in medio posuerant percutiendos: alterum, quòd inter medium castrorum eos factos esse dicit Scriptura, castra appellans etiam productas acies in prælio constitutas, cùm castra non soleant appellari, nisi ubi exercitus ad manendum consistit: nisi fortè ideo castra appellata sunt, quia cum omnibus suis ibant.

v. 27. 12. *Exceptis pecoribus & spoliis, quæ erant in civitate prædati sunt filij Israël secundùm præceptum Domini, quemadmodum constituit Dominus Iesu*: ita dictum est *Exceptis pecoribus & spoliis prædati sunt*, quasi ipsa non fuerint prædati, cùm potiùs ipsa prædati sint, & excepta ideo dicta sint, quia hæc illo prælio sola consumta non sunt.

Jos. 9. 7. 13. Israëlitæ respondentes Gabaonitis dixerunt, *Vide ne in me habites. Et quomodo disponam tibi testamentum?* Jam & superiùs tales locutiones notavimus: hoc est enim *Vide ne in me habites*, quod est, apud me, id est in terra quam eis promiserat Deus. Et hîc tamquam ad unum hominem videntur locuti, cùm legatus ad eos non unus venerit; sed more suo genti & populo responsa reddentes, singulari numero loquuntur, sicut plerumque & ad ipsos Deus vel ductor ipsorum. Notandum etiam quod pactum pacis testamentum vocat Scriptura, more quidem suo; nam sæpe ita loquitur.

Jos. 10 27. 14. *Et nuntiatum est Iesu dicentes, Inventi sunt quinque reges absconditi in spelunca*: pro eo quod est, nuntiaverunt dicentes.

v. 25. 15. *Ita faciet Dominus omnibus inimicis vestris, quos vos debellabitis eos*: nihil minùs esset huic sententiæ, etsi non haberet, *eos.*

Jos. 11. 19. & 20. 16. *Et omnes cepit in bello, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviàm irent ad bellum ad Israël, ut exterminarentur*: notandum est, *confortari cor*, non semper in bono accipiendum.

Jos. 14. 6. 17. *Tu scis verbum, quod locutus est Dominus ad Moysen hominem Dei de me & te*: non dixit hominem suum.

Jos. 17. 16. 18. *Et dixerunt filij Ioseph, Non sufficit nobis mons & equus electus, & ferrum Chananæo qui habitat in Bethsan: equum electum* dixit, pro equis electis, quod usitatum in nostro sermone non est: unde nonnulli Latini interpretes noluerunt *equum* interpretari, sed *equitatum.* Sic autem dictum est, *equus electus*, pro equis, sicut in nostra consuetudine dicitur miles, pro militibus.

Jos. 19. 33. & 34. 19. *Et facti sunt exitus illorum Iordanis, & revertentur fines ad mare*: non dixit, reversi sunt, aut saltem revertuntur, sicut solet de finibus dici, sed *revertentur*, tamquam adhuc futurum sit, cùm præteritorum sit ista narratio: & in omnibus ferè ipsis terrarum divisionibus, per singulas quasque tribus ita loquitur Scriptura, ut futuri temporis verbis utatur.

Jos. 20. 9. 20. *Refugere illuc qui percusserit animam nolens:* hîc animam, vel hominem intelligere debemus, vel vitam carnis quæ fit per animam: qua locutione & illud dictum est à fratribus Joseph, Non percutiamus ejus animam, id est non eum occidamus. Nam si anima posset ab interfectore percuti, non diceret
Gen. 37. 22. Dominus, Nolite timere eos qui corpus occidunt,
Matth. 10. 28. animam autem occidere non possunt.

Jos. 21. 2. 21. *Mandavit Dominus in manu Moysi*: locutio

familiarissima Scripturis; ita enim dicitur, Verbum quod factum est in manu illius vel illius prophetæ, hoc est in potestate dicendi datum.

v. 40. apud LXX. 22. *Et accepit Iesus cultros petrinos, in quibus circumciderat filios Israël*: non dixit, quibus circumciderat, sed *in quibus.*

Jos. 22. 7. 23. *Et ubi dimisit eos Iesus in domos suas, & benedixit eos dicens*: plus videtur hîc copulativa conjunctio, id est, *&*; nam ita dici posset, *Et ubi dimisit eos in domos suas, benedixit eos dicens.*

v. 8. 24. Item alia locutio notanda est, quòd cùm dixisset Scriptura, *Et benedixit eos Iesus dicens*, atque his verbis intentos fecisset audire quid benedicendo dixit Jesus; hoc solum subjecit, *In divitiis multis abierunt in domos suas, & pecora multa valde, & argentum & aurum & vestem multam valde, diviserunt prædam inimicorum suorum cum fratribus suis:* quod magis esse narrantis quàm benedicentis apparet.

v. 10. 25. *Ædificaverunt ibi aram super Iordanem, aram magnam videre*: ista locutio etiam in sermone Latino nota est.

v. 11. 26. *Et audierunt filij Israël dicentium*: non ait, dicentem vel dicentes.

v. 27. 27. *Servire servitutem Domini*: in qua locutione duo notanda sunt, & *servire servitutem*, quæ etiam Latina locutio reperitur; & *servitutem Domini*, id est quæ debetur vel exhibetur Domino.

v. 30. 28. *Et audientes Phinees sacerdos & omnes principes synagogæ qui erant cum illo, verba quæ locuti sunt filij Ruben & filij Gad & dimidium tribus Manasses, & placuerunt illis: audientes*, pro audierunt positum est; aut plus est hîc, *&*; nam plenus est sensus, *audientes verba hæc, placuerunt illis*: nec tamen sine inconsequentia; quia, cùm audissent dicendum fuit.

Jos. 23. 1. 29. *Et Iesus senior provectus diebus*: hoc de Abraham dictum notavimus, seniorem in Scriptu-
Lib. 1. quæst. in Gen. q. 70. ris non solùm illum appellari, qui est infra ætatem senis, sed etiam valde senem. Unde non omnis senior senex, omnis autem senex senior dici potest.

Jos. 24. 7. 30. *Et induxit super illos mare, & operuit super illos*: non ait operuit illos, quamvis nonnulli interpretes hoc maluerunt dicere.

v. 17. 31. *In omnibus gentibus, quas transivimus per ipsas*: usitatæ in Scripturis sunt istæ locutiones, nec tam crebrò notandæ, quàm crebrò intercurrunt.

LIBER SEPTIMUS.

Locutiones de Judicibus.

Jud. 1. 1. 1. ET *factum est postquam defunctus est Iesus, interrogabant filij Israël in Domino*: non ait, Dominum, quod sermonis nostri consuetudo poscebat.

v. 3. 2. *Et bellemus in Chananeo*: non dixit adversùs Chananæum, aut contra Chananæum, aut saltem in Chananæum.

Jud. 2. 8. 3. *Et mortuus est Iesus filius Nave servus domini, filius centum decem annorum.* Ista repetitio quòd cùm dixisset *filius Nave*, repetivit *filius*, & deinde addidit, *centum decem annorum*, inusitata est, ut potiùs *filius centum decem annorum* diceret, quàm homo centum decem annorum: sed tamen & alibi reperitur.

v. 10. 4. *Et omnis generatio appositi sunt ad patres suos*: notanda locutio est, quòd non ait, apposita est, quia plures erant.

v. 14. 5. *Tradidit eos in manu prædantium*: non dixit, in manum; quod videtur Latina locutio postulare.

v. 18. 6. *Et cùm suscitavit Dominus eis judices, & erat Dominus cum judice*: solita locutione plus est hîc, *&*; nam plenum esset, *Et cùm suscitavit Dominus eis judices, erat Dominus cum judice.* Notandum est etiam hoc, quòd à plurali ad singularem transiens, non ait cum judicibus, sed *cum judice*, id est cum unoquoque judice.

v. 19. 7. *Et factum est, cùm moreretur judex, & revertebantur, & iterum corrumpebant super patres suos.* Recta locutio esse ita poterat secundùm consuetudinem sermonis nostri, Et fiebat cùm moreretur judex, & revertebantur, & iterum corrumpebant super patres suos. Si, *&*, non haberet, plenum esset, *cùm moreretur judex, revertebantur, & iterum corrumpebant super patres suos*, id est plusquàm patres eorum.

v. 20. 8. *Propter quod tanta dereliquit gens hæc testamentum meum*: *tanta* dixit, pro tantùm, id est tàm multùm, nomen pro adverbio, quod etiam in Latinis locutionibus maximè poëticis invenitur.

Ibidem. 9. *Et non obaudierunt vocis meæ*: Græca magis locutio est.

Jud. 3. 10. 10. *Factus est super eum Spiritus Domini*: cùm Spiritus Domini utique factus non sit: sed *super eum factus est*, ita dictum est ac si diceretur, factum est ut esset super eum. Ex qua locutione & in Evangelio legitur, Ante me factus est, id est factum est ut
Johan. 1. 27. esset ante me: quod alio modo diceretur, prælatus est mihi.

Jud. 3. 21. 11. *Et sumsit Aioth gladium desuper femore suo dextro*: sic interpretari potuit quod Græcus habet, ἐκ δεξιῶν, nam locutio minùs Latina est.

v. 17. 12. *Erat autem Eglom vir exilis valde*: hoc κατ' ἀντίφρασιν dictum, id est locutione contraria, sequentia indicant: quando enim percussus est, dictum est quòd concluserunt adipes vulnus, quia non eductus est gladius de ventre ejus.

v. 31. 13. *Et percussit alienigenas in sexcentos viros*: non ait alienigenarum sexcentos viros, aut certè alienigenas in sexcentis viris.

Jud. 4. 6. 14. *Nonne præcepit Dominus Deus Israël tibi, & perges in montem Thabor?* Non ait, ut pergas, quod videtur esse consequens; sed inusitata locutione, *Nonne præcepit tibi & perges*, ut subaudiamus verbum quod suprà positum est, & sit, Nonne perges: aut solita locutione plus habet, *&*: nam ista conjunctione detracta sensus currit, *Nonne mandavit Dominus Deus Israël tibi, perges in montem Thabor, & accipies tecum decem millia virorum*, &c.

v. 8. 15. *Quoniam nescio diem, in quo Dominus prosperat Angelum mecum*: utrùm prosperat actus Angeli ejus qui mecum est, an prospera mihi facit per Angelum.

v. 13. 16. *Omnes currus suos, nongentos currus ferreos.* A Ubihibet distinguatur, elegans repetitio: utrùm *omnes currus suos*, & deinde sequatur *nongentos currus ferreos*: an *omnes currus suos nongentos*, & deinde inferatur *currus ferreos.*

v. 15. 17. *Et pavefecit Dominus Sisaram, & omnes currus ejus, & omnia castra ejus, in ore gladij in conspectu Barach.* Quomodo pavefecit currus, nisi eos intelligas qui erant in curribus? *Et pavefecit Dominus Sisaram, & omnes currus ejus, & omnia castra ejus, in ore gladij in conspectu Barach. Pavefecit in* B *ore gladij*, ac si diceret interfecit in ore gladij: *pavefecit* ergo, cùm cæderentur gladio.

v. 16. 18. *Et descendit Sisara desuper curru suo*: ita dici Latinè potuit, quod est Græcè ἀπὸ ἄνωθεν.

v. 19. 19. *Et coopetuit eum in pelle sua*: non dixit pelle, aut de pelle: sic enim habet Græcus ἐν τῇ δέρρει αὐτῆς.

v. 20 20. *Et erit, si quis venerit ad te, & dixerit, Est hic vir? & dices, Non est.* Detracta conjunctione consequentem habet sensum, *Si quis venerit ad te,* C *& dixerit, Est hic vir? dices, Non est.*

v. 24. 21. *Et pergebat manus filiorum Israël pergens*: solita & frequentata locutio est.

Ibidem. 22. *Et indurabatur in Labin regem Chanaan.* Novo modo positum est hoc verbum *indurabatur*, pro eo quod est, fortis efficiebatur & prævalidus.

Jud. 5. 26. 23. *Perforavit caput ejus, & percussit*: id est percussit caput ejus, & perforavit.

v. 31. 24. *Sic pereant omnes inimici tui Domine; & diligentes eum sicut ortus solis in potentia ejus*: non di- D xit diligentes te, cùm utique de Domino intelligi vellet.

Jud. 6. 3. 25. *Et factum est, quando seminavit vir Israël*: non unum hominem significat, sed ipsam gentem.

Ibidem. 26. *Adscendebat Madian & Amalech & filij Orientis, & adscendebat super eum.* Ista repetitio verbi non videtur habere solitam elegantiam vel affectum.

v. 9. 27. *Et liberavi vos de manu Ægypti.* Per *manum*, potestatem significat; per *Ægyptum*, Ægyptios. E

v. 23. 28. *Et dixit ad eum Gedeon, In me Domine mi*: subintelligitur, intende, hoc est In me intende: & est ista locutio Scripturis familiarissima.

Ibidem. 29. *Et si est Dominus nobiscum, & ut quid invenerunt nos omnia mala ista*: plus habet conjunctionem, &, sicut solet loqui Scriptura, quæ si detrahatur, plena sententia est, *Et si est Dominus nobiscum, ut quid invenerunt nos omnia mala ista?* Quamvis & superior conjunctio possit salvâ sententiâ detrahi, ut cùm dixisset, *In me Domine mi*; deinde subsequa- F tur, *si est Dominus nobiscum, ut quid invenerunt nos omnia mala ista*: magis enim hoc exigit nostræ locutionis consuetudo.

v. 25. 30. *Et vitulum annorum septem.* Hîc manifestum est quomodo vitulos appellet Scriptura: Bos enim annorum septem, secundùm consuetudinem locutionis nostræ, non est utique vitulus. Secundùm

Jud. 3. 31. hanc ergo locutionem dictum est de [a] Samegar, quòd occiderit *sexcentos viros præter vitulos boum*, hoc est præter boves.

Jud. 6. 34. 31. *Et cecinit in corneâ*: subauditur tubâ; Græcus enim non habet tubâ, sed tantùm corneâ.

Jud. 7. 12. 32. *Camelis eorum non erat numerus, & erant sicut arena quæ est ad labium maris.* In multitudine constat τὴν βολικῶς dictum. Hæc autem translatio, ubi *labium maris* posuit pro littore, assidua est in Scripturis, sed rara est in Latinis codicibus, quia plerique littus interpretati sunt, magis quid significaret labium volentes ponere, quàm ipsum labium. Nam littus si vellent Septuaginta interpretes dicere, non deesset linguæ Græcæ quod dicerent.

33. *Et divisit trecentos viros per tria principia*: pro v. 16. partibus *principia* posuit.

34. *Et dixerunt ad Gedeon viri Ephræm*: id est, Jud. 8. 1. viri de tribu Ephræm.

35. *Quid verbum hoc fecisti nobis, ut non vocares* Ibidem. *nos cùm exires pugnare in Madian?* verbum pro facto posuit.

36. *Et dederunt septuaginta argenti*: subauditur, Jud. 9. 4. pondo, vel tale aliquid: interpretatio ex Hebræo Septuaginta, *pondo* habet.

37. *Et conduxit in ipsis Abimelech viros: in ipsis* Ibidem. dixit, pro ex ipsis, id est ex argenti pondo septuaginta conduxit viros.

38. *Viros inanes & perturbatos*: inanes posuit pro Ibidem. levibus, quibus sunt contrarij graves: unde dicitur, In populo gravi laudabo te. Psal. 34 18.

39. *Et intravit in domum patris sui in Ephratha,* Jud. 9. 5. *& interfecit fratres suos filios Ierobaal septuaginta viros super lapidem unum*: quia jam superiùs septuaginta dixerat filios Jerobaal, id est Gedeon; & nunc eos septuaginta dicit occisos: quamvis minùs occisi fuerint duo, id est ipse qui occidit, & Joatham junior qui latuit, de quo adjungens dicit, *& remansit Ioatham filius Ierobaal junior, quoniam abscondit se*: ac per hoc universum numerum posuit pro penè universo.

40. *Et spreverunt viri Sichimorum in domo Abime-* v. 23. *lech*: non dixit, spreverunt domum Abimelech.

41. *Et insidiati sunt super Sichimam quatuor prin-* v. 34. *cipia*: id est, quatuor partes: jam istam locutionem superiùs etiam notavimus.

42. *Et accepit populum, & divisit eum in tria prin-* v. 43. *cipia*: *accepit*, dixit de illo populo qui cum illo erat; & hîc *tria principia* pro tribus partibus posuit.

43. *Et abierunt viri in locum suum*: id est, unus- v. 55. quisque.

44. *Et eris nobis in caput omnibus habitantibus* Jud. 11. 8. *Galaad*: non dixit, eris nobis caput; sic enim solet loqui Scriptura: unde est, Esto mihi in Deum pro- Psal 30. 3. tectorem & in domum refugij, & multa hujusmodi.

45. *Et hæc unica ei, & non est præter ipsam filius* v. 34. *aut filia*: hoc est quod dictum est, *unica ei*; sed propter affectum repetita sententia est.

46. *Et non est ei præter ipsam filius aut filia*: *non est ei*, pro non erat ei, dictum est: præterita quippe narrantur.

47. *Et uxor ejus sterilis, & non pariebat*: cùm po- Jud. 13. 2. tuisset sufficere quod dictum est, *sterilis.*

48. *Et precatus est Manue Dominum & dixit, In* v. 8. *me Domine, homo Dei quem misisti, veniat nunc iterum ad nos*: *In me* ita dictum est ut subaudiatur, intende.

49. *Et percussit eos tibiam super femur*: hæc locu- Jud. 15. 8. tio inusitata est, tamen locutio est, non aliquis in G corpore vulneris locus, sicut in Quæstionibus ex- Lib. 7. q. 55. posui, hoc est percussit eos ad admirationem, ad stuporem.

50. *Et dixerunt vir Iuda, Quare adscendistis super* v. 10. *nos*: singularem posuit pro plurali, dixerunt enim viri Juda, non unus vir.

51. *Ne forte occurratis in me vos*: pro eo quod est, v. 12.

[a] In MSS. *Sargemar.*

Lib. 7. q. 56. occidatis me; & hæc locutio in Quæstionibus ex- A posita est.

v. 13. 52. *Et reduxerunt eum de petra, & venit usque ad Maxillam*: locus est sic appellatus postea ex eo facto, quod ibi gessit ipse Sampson, quando maxillâ asini pugnans, mille prostravit: hoc ergo per prolepsim dictum est, quia post illa omnia gesta, hæc historia conscripta est.

v. 14. 53. *Sicut stuppa cùm olefecerit ignem*: metaphora ab animali ad inanimale; non enim stuppa sensum habet olfactus: sed ita dictum est, ac si diceretur, B cùm ignem senserit: quamvis & hoc quod dixi, senserit, ad eamdem metaphoram pertineat, sed ad celeritatem intelligendam pertinet quod dictum est, olefecerit.

v. 15. 54. *Et extendit manum suam, & accepit eam*: etsi non diceret, *extendit manum suam*, utique extenta manu acceptam intelligeremus.

Jud. 16. 2. 55. *Et nuntiatum est Gazæis, dicentes*: non ait, nuntiaverunt dicentes, aut nuntiatum est à dicen- C tibus.

v. 7. 56. *Si ligaverint me in septem nervis humidis nondum siccatis*: non ait, septem nervis, sed *in septem nervis.*

57. *Si ligaverint me in septem nervis humidis non-* Ibidem. *dum siccatis, & infirmabor*: plenum esset, etsi non haberet, &.

58. *Et insidiæ ei sedebant in cubiculo*: quod non- v. 9. nulli interpretati sunt, *obsidebant*, sed Græcus ἐνέδρευον, hoc est sedebat, quia insidiæ singulari numero Græcè dicuntur, nec potest Latinè dici insidiæ: locutio autem notanda erat, quia dictum est, *insidiæ sedebant*, pro iis qui insidiabantur: ipsi enim sedebant.

59. *Nunc ergo indica mihi in quo ligaberis*: non v. 10. ait, quo ligaberis, aut unde ligaberis.

60. *Si ligaverint me in funibus novis*: non dixit, v. 11. funibus.

61. Item, *Si ligaverint me in funiculis novis, in* Ibidem. *quibus non est factum opus, & infirmabor*: plenum esset, etsi non præponeretur, &.

62. *Et hoc tertiùm fefellisti me*: *tertiùm*, posuit v. 15. pro tertio, sive ter, nomen scilicet pro adverbio, quod & in Latinis locutionibus eleganter fieri solet.

63. *Dimitte me, & palpabo columnas, super quas* v. 26. *domus confirmata est super eas.*

DE SUBSEQUENTI QUÆSTIONUM OPERE.

Libri II. Retractationum Caput LV.

* Eodem* tempore scripsi etiam *libros Quæstionum* de libris eisdem divinis septem, quos ideo appellare sic volui, quia ea quæ ibi disputantur, magis quærenda proposui, quàm quæsita dissolvi; quamvis multo plura in eis mihi videantur ita pertractata, ut possint etiam soluta & exposita non immeritò judicari. Regnorum quoque libros eodem modo jam considerare cœperamus, sed non multùm progressi, in alia quæ magis urgebant animum intendimus. In primo autem libro, ubi agitur de virgis variatis, quas pone- Quæst. 93. bat Jacob in aqua, ut in conceptu positæ oves eas viderent cùm biberent, & varios fetus parerent: non bene à nobis exposita est caussa, cur iterum concipientibus non ponebat, id est cùm alios fetus conciperent, sed in priore conceptu. Nam quæstionis alterius expositio, ubi quæritur cur dixerit socero suo Ja- Quæst. 95. cob, *Et decepisti mercedem meam decem agnabus*, satis veraciter enodata, demonstrat istam sicut solvi de- Gen. 31. 41. buit non solutam.

2. In tertio quoque libro ubi de summo agitur sacerdote, quomodo creabat filios, cùm haberet neces- Quæst. 82. sitatem bis in die ingredi in sancta sanctorum, ubi erat altare incensi, ad offerendum incensum manè & Exod. 30. vesperâ, quò non posset, sicut Lex dicit, immundus intrare; & eadem Lex dicat, immundum fieri ho- 7. & 8. minem etiam ex concubitu conjugali, quem jubet quidem lavari aquâ, sed & totum dicit immundum esse Lev. 15. 16. usque ad vesperam; unde dixi, *consequens fuisse, ut aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum*: non vidi non fuisse consequens. Potest enim sic intelligi quod scriptum est, *Immundus erit usque ad vesperam*, ut per ipsam vesperam jam non esset immundus, sed usque ad ipsam, ut vespertino jam tempore incensum mundus offerret, cùm propter creandos filios post matutinum incensum mixtus esset uxo- Quæst. 83. ri. Itemque ubi quæsitum est, quomodo prohibitus esset super funus patris sacerdos summus intrare, cùm Levit. 21. eum fieri sacerdotem (quando unus erat) nisi post mortem sacerdotis patris non oporteret; dixi, *propter* 11. *hoc necesse fuisse, nondum sepulto patre statim post ejus mortem, filium ejus constitui, qui succederet patri; propter etiam continuationis incensum, quod bis in die necesse erat offerri*; qui sacerdos super mortem nondum sepulti patris prohibetur intrare. Sed parum adtendi, potuisse hoc præcipi magis propter illos, qui futuri fuerant summi sacerdotes non patribus summis sacerdotibus succedentes, sed tamen ex filiis, id est ex posteris Aaron, si fortè summus sacerdos, aut filios non haberet, aut ita reprobos haberet ut nullus eorum patri deberet succedere. Sicut Samuel summo sacerdoti Heli successit; cùm sacerdotis filius ipse non esset, sed tamen ex filiis, hoc est, ex posteris esset Aaron. 1. Reg. 1.

3. De latrone etiam cui dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso*, quòd non fuerit visibiliter baptiza- Quæst. 84. tus, quasi certum posui, cùm sit incertum, magisque illum baptizatum fuisse credendum sit, sicut ego Luc. 23. 43. quoque alibi postea disputavi. Item quod in quinto libro dixi, ubi commemorantur matres in generationibus evangelicis, *non eas positas nisi cum patribus*, verum est quidem, sed ad rem, de qua agebatur, non Quæst. 46. pertinet. Agebatur autem de iis qui ducebant fratrum vel propinquorum conjuges, eorum qui sine filiis defuncti essent, propter duos patres Joseph, quorum alterum Matthæus commemorat, alterum Lucas. De qua quæstione diligenter in hoc opere disserui, cùm retractaremus opus nostrum contra Faustum Manichæum. Hoc opus sic incipit: *Cùm Scripturas sanctas, quæ appellantur canonicæ.*

* Quo nimirum tempore superiorem *Locutionum* collectionem, quæ in lib. 2. Retractationum c. 54. recensita est, comparabat, eodem ipso S. Doctor subsequentes *Quæstionum in Heptateuchum*, uti in antiquis codicibus inscribuntur, libros perfecit: nisi quòd Quæstiones primùm, deinde eum Locutiones de iisdem divinis libris dictasse intelligitur ex Locutionum libro 2. de Exod. Locut. 62. & libro 7. de Jud. Locut. 49. & 51. tametsi in Retractationibus priorem locum dederit Locutionum collectioni, fortè quia eam hoc ordine sive dictare cœperat, sive legi volebat.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI QUÆSTIONUM IN HEPTATEUCHUM LIBRI SEPTEM. *

* Scripti circiter Christi annum 419.

LIBER PRIMUS.

Quæstiones in Genesim.

Proœmiũ.

CUM Scripturas sanctas, quæ appellantur canonicæ, legendo & cum aliis codicibus secundùm Septuaginta interpretationem conferendo percurreremus, placuit eas quæstiones, quæ in mentem venirent, sive breviter commemorando, vel etiam pertractando tantummodo proponerentur, sive etiam qualitercumque tamquam à festinantibus solverentur, stilo alligare, ne de memoria fugerent. Non ut eas satis explicaremus, sed ut cùm opus esset, possemus inspicere; sive ut admoneremur quid adhuc esset requirendum, sive ut ex eo quod jam videbatur inventum, ut poteramus, essemus & ad cogitandum instructi, & ad respondendum parati. Si quis igitur hæc legere propter incultum in nostra festinatione sermonem non fastidierit, si quas quæstiones propositas invenerit nec solutas, non ideo sibi nihil collatum putet. Nonnulla enim pars inventionis est, nosse quid quæras. Quarum autem solutio placuerit, non ibi vile contemnat eloquium, sed de aliqua participatione doctrinæ potiùs gratuletur. Non enim disputatio veritate, sed veritas disputatione requiritur. Exceptis ergo iis, quæ à principio, ubi Deus cælum & terram fecisse narratur, usque ad dimissionem duorum primorum hominum de paradiso, tractari multipliciter possunt, de quibus aliàs quantum potuimus disseruimus: hæc sunt quæ legentibus nobis occurrentia voluimus litteris adtineri.

In libris de Genesi.

Quæst. I. *Gen. 4. 17.*

QUOMODO Cain potuerit condere civitatem, cùm civitas alicui utique constituatur hominum multitudini, illi autem duo parentes & duo filij fuisse referantur, quorum filiorum ab altero alter occisus est, in cujus occisi locum alius natus esse narratur? An ideo quæstio est, quoniam qui legunt, putant solos tunc fuisse homines quos divina Scriptura commemorat, nec advertunt eos qui priùs sunt conditi duos, vel eos etiam quos genuerunt, tam diu vixisse, ut multos gignerent? Non enim & Adam ipse eos solos genuit, quorum nomina leguntur, cùm de illo Scriptura loquens ita concludat, quòd genuerit filios & filias. Proinde cùm multo pluribus illi vixerint annis, quàm Israëlitæ in Ægypto fuerunt, quis non videat quàm multi homines nasci potuerunt, unde illa civitas impleretur, si Hebræi multo minore tempore ita multiplicari potuerunt? *Gen. 5. 4.*

Quæst. II. *Gen. 5. 25.*

QUÆRI solet, quomodo Mathusalam secundùm annorum computationem vivere post diluvium potuerit, cùm omnes, præter eos qui in arcam ingressi sunt, periisse dicantur. Sed hanc quæstionem plurium codicum mendositas peperit. Non solùm quippe in Hebræis aliter invenitur; verùm etiam in Septuaginta interpretatione, Mathusalam in codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus. *Confer lib. 15. de Civit. Dei c. 11.*

Quæst. III. *Gen. 6. 4.*

ITEM quæritur, quemadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, unde gigantes nati esse perhibentur: quamvis nonnulli & Latini & Græci codices non angelos habeant, sed filios Dei: quos quidam ad solvendam istam quæstionem, justos homines fuisse crediderunt, qui potuerunt etiam angelorum nomine nuncupari. Nam de homine Johanne scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Sed hoc movet, quomodo vel ex hominum concubitu nati sunt gigantes, vel feminis miscere se potuerunt, si non homines sed angeli fuerunt? Sed de gigantibus, id est, nimiùm grandibus atque fortibus, puto non esse mirandum quòd ex hominibus nasci potuerunt; quia & post diluvium quidam tales fuisse reperiuntur; & quædam corpora hominum in incredibilem modum ingentia, nostris quoque temporibus exstiterunt, non solùm virorum, verùm etiam feminarum. Unde credibilius est homines justos appellatos vel angelos, vel filios Dei, concupiscentiâ lapsos peccasse cum feminis, quàm angelos carnem non habentes usque ad illud peccatum descendere potuisse: quam- *Malach. 3. 1.*

vis de quibusdam dæmonibus, qui sint improbi mulieribus, à multis tam multa dicantur, ut non facilè sit de hac re definienda sententia.

Quæst. IV. *Gen. 6. 15.*

DE arca Noë quæri solet, utrùm tanta capacitate quanta describitur, animalia omnia quæ in eam ingressa dicuntur, & escas eorum ferre potuerit. Origenes. Quam quæstionem cubito geometrico solvit Origenes, asserens non frustra Scripturam dixisse, quòd Moyses omni sapientiâ Ægyptiorum fuerit eruditus, qui Geometricam dilexerunt. Cubitum autem Geometricum dicit tantum valere quantum nostra cubita sex valent. Si ergo tam magna cubita intelligamus, nulla quæstio est, tantæ capacitatis arcam fuisse, ut posset illa omnia continere. *Act. 7. 22.* Cubitus geometricus.

Quæst. V. *Gen. 6. 15.*

ITEM quæritur, utrùm arca tam magna centum annis potuerit fabricari à quatuor hominibus, id est, Noë & tribus filiis ejus. Sed si non potuit, non erat magnum fabros alios adhibere: quamvis operis sui mercede accepta non curaverint utrùm eam Noë sapienter, an verò inaniter fabricaretur; & ideo non in eam intraverint, quia non crediderint quod ille crediderat.

Quæst. VI. *Gen. 6. 16.*

QUID est quod ait, cùm de arcæ fabricatione loqueretur, *Inferiora bicamerata & tricamerata facies* [a] *eam?* Non enim inferiora futura erant bicamerata & tricamerata. Sed in hac distinctione totam instructuram ejus intelligi voluit, ut haberet inferiora, [b] haberet & superiora inferiorum, quæ appellantur bicamerata; haberet & superiora superiorum, quæ appellavit tricamerata. In prima quippe habitatione, id est in inferioribus, semel camerata erat arca, in secunda verò habitatione supra inferiorem jam bicamerata erat, ac per hoc in tertia supra secundam sine dubio tricamerata erat.

Quæst. VII. *Gen. 6. 21.*

QUONIAM non solùm vivere, sed etiam pasci in arca animalia Deus dixit, & jussit ut Noë ab omnibus escis sumeret sibi & illis, quæ ad illum fuerant ingressura: quæritur quomodo ibi leones vel aquilæ, quæ consueverunt carnibus vivere, pasci potuerint; utrùm & animalia præter illum numerum propter aliorum escam fuerint intromissa, an aliqua præter carnes (quod magis credendum est) à viro sapiente, vel Deo demonstrante provisa sint, quæ talium quoque animantium escis convenirent?

Quæst. VIII. *Gen. 7. 8.*

QUOD scriptum est, *Et à volatilibus mundis & à volatilibus immundis, & à pecoribus mundis & à pecoribus immundis, & ab omnibus serpentibus in terra:* quod deinde non additur, subauditur mundis *v. 9.* & immundis: & adjungitur, *Duo duo intraverunt ad Noë in arcam, masculus & femina.* Quæritur, quomodo superiùs distinxerit duo duo ab immundis, nunc autem sive à mundis sive ab immundis duo duo dicat intrasse? Sed hoc refertur non ad numerum mundorum vel immundorum animalium, sed ad masculum & feminam; quia in omnibus sive mundis sive immundis duo sunt, masculus & femina.

Quæst. IX. *Gen. 7. 15.* *Gen. 2. 7.*

NOTANDUM quod scriptum est, *In quo est spiritus vitæ*, non solùm de hominibus, sed etiam de pecoribus dictum, propter illud quod quidam de Spiritu-sancto volunt intelligere, ubi scriptum est, Et insufflavit Deus in faciem ejus spiritum vitæ: quod meliùs quidam codices habent, Flatum vitæ.

Quæst. X. *Gen. 7. 20.*

DE montium altitudine, quam omnem scriptum est transscendisse aquam cubitis quindecim, quæritur propter Olympi montis historiam. Si enim terra invadere potuit spatium tranquilli illius aëris, ubi dicitur nec nubes videri, nec ventos sentiri, cur non & aqua crescendo?

Quæst. XI. *Gen. 7. 24.*

QUOD scriptum est, *Exaltata est aqua super terram centum quinquaginta dies:* quæritur utrùm usque ad hunc diem creverit, an per tot dies in altitudine qua creverat manserit: quoniam alij interpretes planiùs videntur hoc dicere. Nam Aquila dixit, *Obtinuit:* Symmachus, *Prævaluerunt*, id est aquæ.

Quæst. XII. *Gen. 8. 1.*

QUOD scriptum est, post centum-quinquaginta dies adductum esse spiritum super terram, & desiisse aquam, & conclusos fontes abyssi, & cataractas cæli, & detentam pluviam de cælo: quæritur utrùm post centum-quinquaginta dies hæc facta sint, an per recapitulationem omnia commemorata sint, quæ post quadraginta dies pluviæ fieri cœperunt: ut hoc solum ad centum quinquaginta dies pertineat, quod usque ad ipsos aqua exaltata est, aut de fontibus abyssi cessante jam pluviâ, aut quia mansit in altitudine sua, dum nullo spiritu siccaretur: cetera verò quæ dicta sunt, non post centum-quinquaginta dies omnia facta sint, sed commemorata sint omnia, quæ ex fine quadraginta dierum fieri cœperunt?

Quæst. XIII. *Gen. 8. 6. & 7. & c.*

QUOD scriptum est, dimissum esse corvum, nec rediisse; & dimissam post eum columbam, & ipsam rediisse, quòd non invenisset requiem pedibus suis: quæstio solet oboriri, utrùm corvus mortuus sit, an aliquo modo vivere potuerit? quia utique si fuit terra ubi requiesceret, etiam columba requiem potuit invenire pedibus suis. Unde conjicitur à multis quòd cadaveri potuerit corvus insidere, quod columba naturaliter refugit.

Quæst. XIV. *Gen. 8. 5.*

ITEM quæstio est, quomodo columba non invenerit ubi resideret, si jam, sicut narrationis ordo contexitur, nudata fuerant cacumina montium. Quæ videtur quæstio aut per recapitulationem posse dissolvi, ut ea posteriùs narrata intelligantur, quæ priùs facta sunt; aut potiùs quia nondum siccata fuerant.

Quæst. XV. *Gen. 8. 21.*

QUID sibi vult quod Dominus dicit, *Non adjiciam adhuc maledicere super terram propter opera hominum; quia apposita est mens hominis ad maligna à juventute? Non adjiciam ergo adhuc percutere omnem carnem vivam, quemadmodum feci:* & deinde adjungit quæ secundùm largitatem bonitatis suæ donat hominibus indignis? Utrum hîc Testamenti novi indulgentia figurata sit, & præterita ultio ad vetus pertineat Testamentum: hoc est, illud ad Legis severitatem, hoc ad gratiæ [c] bonitatem?

Quæst. XVI. *Gen. 9. 5.*

QUID est, *Et de manu hominis fratris exquiram animam hominis?* An omnem hominem fratrem omnis hominis intelligi voluit, secundùm cognationem ex uno ductam?

Quæst. XVII. *Gen. 9. 25.*

QUARE peccans Cham in patris offensa, non in seipso, sed in filio suo Chanaan maledicitur: nisi quia prophetatum est quodammodo, terram Chanaan ejectis inde Chananeis & debellatis, accepturos fuisse filios Israël, qui venirent de semine Sem?

Quæst. XVIII. *Gen. 10. 8.*

QUÆRITUR quomodo dictum sit de Nembroth, *Hic cœpit esse gigas super terram:* cùm gigantes & antea natos Scriptura commemoret. An fortè quia post diluvium novitas generis humani

[a] Editi, *ea.* pro quo MSS. *eam*, juxta LXX. *αὐτήν*, refertur ad arcam.

[b] Sic plures & melioris notæ MSS. At excusi ferebant, *ut haberet inferiora, haberet media & superiora, quæ appellantur tricamerata.*

[c] Vetus codex Corbeiensis, *veritatem.*

reparandi denuo commemoratur, in qua novitate hic cœpit esse gigas super terram?

Quæst. XIX. Gen. 10. 25. Quæritur quid sit, *Et Heber nati sunt filij duo, nomen unius Phalech, quia in diebus ejus divisa est terra:* nisi fortè in diebus ejus linguarum illa diversitas exstiterit, per quam factum est, ut gentes dividerentur.

Quæst. XX. Gen. 11. 1. Et *erat omnis terra labium unum:* quomodo hoc potest intelligi, quando superiùs dictum est, quòd filij Noë, vel filiorum ejus distributi essent per terram secundùm tribus & secundùm gentes, & secundùm linguas suas, nisi quia per recapitulationem postea commemorat quod priùs erat: sed obscuritatem facit quod eo genere locutionis ista contexit, quasi narratio de iis quæ postea facta sunt, consequatur.

Quæst. XXI. Gen. 11. 4. Venite *ædificemus nobis civitatem, & turrim cujus caput erit usque in cœlum.* Si hoc se posse crediderunt, nimiùm stulta audacia & impietas deprehenditur. Et quia ob hoc Dei vindicta secuta est, ut eorum linguæ dividerentur, non absurdè hoc cogitasse creduntur.

Quæst. XXII. Gen. 11. 7. Venite *descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ne audiat unusquisque vocem proximi:* utrùm ad Angelos Dominus hoc dixisse intelligitur, an secundùm illud accipiendum est, quod in exordio libri legitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? Nam & quomodo postea dicitur singulari numero, *quia ibi confudit Dominus labia terræ:* sic & illic cùm dictum esset, Faciamus ad imaginem nostram; in consequentibus tamen non dictum est, Fecerunt, sed Fecit Deus. Gen. 1. 26.

Quæst. XXIII. Gen. 11. 12. sic. LXX. Quod scriptum est, *Et erat Arphaxad annorum centum-triginta-quinque, cùm genuit Chaïnan, & vixit Arphaxad postquam genuit Chaïnan annos quadringentos*, vel sicut in Græco invenimus, *annos trecentos*; quæritur, quomodo dixerit Deus ad Noë, *Erunt anni vitæ eorum centum-viginti.* Nondum enim natus erat Arphaxad quando dixit hoc Deus, nec fuit in arca cum parentibus suis: quomodo ergo intelliguntur deinceps anni vitæ humanæ prædicti centum-viginti, cùm inveniatur homo vixisse ampliùs quadringentis annis? Nisi quia intelligitur, ante viginti annos quàm inciperet arca fieri, quæ centum annis facta reperitur, hoc Deum dixisse ad Noë, cùm jam prænuntiaret facturum se esse diluvium, nec vitæ humanæ deinceps futuræ in iis qui post diluvium nascerentur spatium prædixisse, sed vitæ hominum quos fuerat diluvio deleturus.

Quæst. XXIV. Gen. 10. 21. Quæritur quare scriptum sit, *Sem erat pater omnium filiorum Heber*; cùm inveniatur Heber quintus à Sem filio Noë: utrùm quia ex illo Hebræi dicuntur appellati? per illum enim generatio transiit ad Abraham. Quid ergo probabilius sit, Hebræos tamquam Heberæos dictos, an tamquam Abrahæos, meritò quæritur. V. lib. 16. de Civit. c. 3 & lib. 2. Retract. c. 16.

Quæst. XXV. Gen. 11. 26. 1. Quomodo accipiendum sit, quòd cùm esset Tharra pater Abrahæ annorum septuaginta, genuit Abraham, & postea cum suis omnibus mansit in Charran, & vixit annos ducentos-quinque in Charran, & mortuus est: & dixit Dominus ad Abraham ut exiret de Charran, & exiit inde, cùm esset idem Abraham septuaginta-quinque annorum. Nisi quia per recapitulationem ostenditur, vivo Tharra locutum esse Dominum; & Abraham vivo patre suo secundùm præceptum Domini, exiisse de Charran, cùm esset septuaginta-quinque annorum, centesimo & quadragesimo-quinto anno vitæ patris sui, si dies vitæ patris sui anni ducenti-quinque fuerunt: ut ideo scriptum sit, *Fuerunt anni vitæ Tharræ ducenti-quinque in Charran*, quia ibi complevit omnes annos totius vitæ suæ. Solvitur ergo quæstio per recapitulationem, quæ indissolubilis remaneret, si post mortem Tharræ acciperemus locutum esse Dominum ad Abraham ut exiret de Charran, quia non poterat esse adhuc annorum septuaginta-quinque cùm pater ejus jam mortuus esset, qui eum septuaginta ætatis suæ anno genuerat; ut Abraham post mortem patris sui annorum esset centum-triginta-quinque, si omnes anni patris ejus ducenti-quinque fuerunt. Recapitulatio itaque ista, si advertatur in Scripturis, multas quæstiones solvit, quæ indissolubiles possunt videri secundùm etiam superiorum quæstionum expositionem, per eamdem recapitulationem factam. Recapitulationis observatio in Scripturis.

2. Quamquam & aliter ista quæstio à quibusdam solvatur, ex illo computari annos ætatis Abrahæ, ex quo liberatus est de igne Chaldæorum, in quem missus ut arderet, quia eumdem ignem superstitione Chaldæorum colere noluit, liberatus inde, etsi in Scripturis non legitur, Judaïca tamen narratione traditur. Potest & sic solvi, quoniam Scriptura quæ dixit, *Cùm esset Tharra annorum septuaginta genuit Abraham & Nachor & Arran*; non utique hoc intelligi voluit, qua eodem anno septuagesimo ætatis suæ omnes tres genuit, sed ex quo anno generare cœpit, eum annum commemoravit Scriptura. Fieri autem potest, ut posterior sit generatus Abraham, sed merito excellentiæ, qua in Scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus: sicut Propheta priorem nominavit minorem, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui: & in Paralipomenon cùm sit quartus nascendi ordine Judas, prior est commemoratus, à quo Judaïcæ genti nomen est, propter tribum regiam. Commodiùs autem plures exitus inveniuntur, quibus quæstiones difficiles dissolvantur. Malach. 1. 2. 1. Paral. 4. 1.

3. Consideranda est sanè narratio Stephani de hac re, cui magis harum expositionum non repugnet. Et illud quidem cogit, ut non sicut narrari videtur in Genesi, post mortem Tharræ locutus sit Deus ad Abraham, ut exiret de cognatione sua & de domo patris sui; sed cùm esset in Mesopotamia priusquam habitaret in Charran, jam utique egressus de terra Chaldæorum, ut in illo itinere intelligatur ei locutus Deus. Sed quod Stephanus postea sic narrat, Tunc Abraham egressus de terra Chaldæorum habitavit in Charran, & inde postquam mortuus est pater ejus, collocavit eum in terra hac; non parvas affert angustias huic expositioni, quæ fit per recapitulationem. Videtur enim habuisse imperium Domini, quo ei fuerat locutus in itinere Mesopotamiæ, egresso de terra Chaldæorum, & eunti in Charran, & hoc imperium post mortem patris sui obedienter implesse, cùm dicitur, Et habitavit in Charran, & inde postquam mortuus est pater ejus, collocavit illum in terra hac. Ac per hoc manet quæstio, si septuaginta-quinque annorum (sicut evidenter Scriptura Geneseos loquitur) fuit, quando egressus est de Charran, quomodo esse possit hoc verum, nisi fortè quòd ait Stephanus, Tunc Abraham egressus est de terra Chaldæorum & habitavit in Charran, non sic accipiatur, tunc egressus est postea quàm ei locutus est Dominus; jam enim erat in Mesopotamia, Gen. 12. 1. Act. 7. 4.

mia, sicut suprà dictum est, quando illud audivit à Domino: sed ipsâ regulâ recapitulationis contexere voluit Stephanus, & simul dicere, unde egressus, ubi habitaverit, cùm ait: Tunc Abraham egressus est de terra Chaldæorum, & habitavit in Charran. In medio autem, id est, inter egressum de terra Chaldæorum, & habitationem in Charran, locutus est ei Deus. Postea verò quod adjungit Stephanus, Et inde postquam mortuus est pater ejus, collocavit illum in terra hac; intuendum est, quia non dixit, Et postquam mortuus est pater ejus, egressus est de Charran: sed, Inde collocavit eum Deus in terra hac: ut post habitationem in Charran collocaretur in terra Chanaan, non post mortem patris egressus, sed post mortem patris collocatus in terra Chanaan, ut ordo verborum sit, Habitavit in Charran, & inde collocavit illum in terra hac, postquam mortuus est pater ejus; ut tunc intelligamus collocatum vel constitutum Abraham in terra Chanaan, quando illic eum nepotem suscepit, cujus universum semen illic fuerat regnaturum, ex promisso Dei hereditate donata. Nam ex ipso Abraham natus est Ismaël de Agar, nati & alij ex Cethura, ad quos illius terræ non pertineret hereditas. Et ex Isaac natus est Esaü, qui similiter ab illa hereditate alienatus est. Ex Jacob autem filio Isaac, quotquot filij nati sunt, id est universum semen ejus, ad illam hereditatem pertinuit. Sic ergo collocatus & constitutus in illa terra Abraham, quoniam vixit usque ad nativitatem Jacob, si rectè intelligitur; soluta quæstio est secundùm recapitulationem; quamvis & aliæ solutiones non sint contemnendæ.

Quæst. XXVI. Gen. 12. 12. & 14. Erit *ergo cùm te viderint Ægyptij, dicent, quia uxor illius hæc. Factum est autem statim ut intravit Abraham in Ægyptum, videntes Ægyptij mulierem quia speciosa erat valde.* Quomodo accipiatur, quòd Abraham veniens in Ægyptum celare voluit uxorem suam esse [a] Saram, secundùm omnia quæ de hac re scripta sunt, utrùm hoc convenerit tam sancto viro, an [b] subdefectio fidei ejus intelligatur, sicut nonnulli arbitrati sunt: jam quidem & contra Faustum de hac re disputavi: & diligentiùs à presbytero Hieronymo expositum est, quare non sit consequens, ut cùm aliquot dies apud regem Ægypti Sara fecerit, etiam ejus concubitu credatur esse polluta: quoniam mos erat regius, vicibus ad se admittere mulieres suas, & nisi [c] lomentis & unguentis diu priùs accurato corpore, nulla intrabat ad regem. Quæ dum fierent, afflictus est Pharao manu Dei, ut viro redhiberet intactam, quam ipsi Deo maritus commiserat, tacens quòd uxor esset, sed non mentiens quòd soror esset: ut caveret quod poterat quantum homo poterat, & Deo commendaret quod cavere non poterat, ne si & illa [d] quæ cavere poterat Deo tantùm dimitteret, non in Deum credere, sed Deum tentare potiùs inveniretur. Lib. 22. cap. 33. & 34. Hieron. lib. quæstionum in Gen.

Quæst. XXVII. Gen. 13. 10. Quod terra Sodomorum & Gomorrhæ, antequam deleretur, comparatur paradiso Dei, eo quòd erat irrigua, & terræ Ægypti quam Nilus irrigat, satis, ut opinor, ostenditur quomodo intelligi debeat ille paradisus, quem plantavit Deus ubi constituit Adam. Quis enim alius intelligatur paradisus Dei, non video. Et utique si arbores fructiferæ in paradiso virtutes animi accipiendæ essent, sicut nonnulli existimant, nullo corporali in terra paradiso veris lignorum generibus instituto, non diceretur de ista terra, *sicut paradisus Dei.*

Quæst. XXVIII. Gen. 13. 14. Respiciens *oculis tuis vide à loco in quo nunc tu es ad Aquilonem & Africum & Orientem & mare, quia omnem terram quàm tu vides, tibi dabo eam & semini tuo usque in sæculum.* Quæritur hîc quomodo intelligatur tantum terræ promissum esse Abrahæ & semini ejus, quantum poterat oculis circumspicere per quatuor cardines mundi. Quantum est enim quod ad terram conspiciendam acies corporalis visus possit adtingere? Sed nulla est quæstio, si advertamus non hoc solum esse promissum; non enim dictum est, Tantum terræ dabo tibi quantum vides, sed Tibi dabo terram quam vides. Cùm enim & ulterior undique dabatur, profectò hæc præcipuè quæ videbatur dabatur. Deinde adtendendum est quod sequitur; quoniam ne putaret etiam ipse Abraham hoc solum promitti terræ, quod adspicere vel circumspicere posset, *Surge*, inquit, *& perambula terram in longitudine ejus & latitudine, quia tibi dabo eam:* ut perambulando perveniret ad eam, quam oculis uno loco stans videre non posset. Significatur autem ea terra, quam [e] priùs populus accepit Israël, semen Abrahæ secundùm carnem; non illud latius semen secundùm fidem, quod ne taceretur, dictum est ei futurum sicut arena maris, secundùm hyperbolen quidem, sed tamen tantum quod numerare nullus possit.

Quæst. XXIX. Gen. 14. 13. Et *nuntiavit Abrahæ transfluviali.* Transfluvialem Abraham appellatum etiam Græca exemplaria satis indicant: sed cur ita appellatus sit, hæc videtur caussa, quòd ex Mesopotamia veniens, transito flumine Euphrate, sedes constituit in terra Chanaan, & Transfluvialis appellatus est ex ea regione unde venerat. Unde Jesus Nave dicit Israëlitis, Quid vultis servire diis patrum vestrorum, qui sunt trans flumen? Josue 24. 15.

Quæst. XXX. Gen. 15. 12. De eo quod scriptum est, *Circa solis autem occasum pavor irruit super Abraham, & ecce timor magnus incidit ei.* Tractanda est ista quæstio, propter eos qui contendunt perturbationes istas non cadere in animum sapientis: utrùm tale aliquid sit quale [f] Agellius commemorat in libris Noctium Atticarum, quemdam Philosophum in magna maris tempestate turbatum, cùm esset in navi, & animadversum à quodam luxurioso adolescente, qui cùm ei post transactum periculum insultaret, quòd Philosophus citò perturbatus esset, cùm ipse neque timuerit neque palluerit, respondit, ideo illum non perturbatum, quia nequissimæ animæ suæ nihil timere deberet, quòd nec digna esset pro qua aliquid timeretur. Ceteris autem studiosis, qui in navi fuerant, exspectantibus protulit librum quemdam Epicteti Stoïci, ubi legebatur, non ita placuisse Stoïcis, nullam talem perturbationem cadere in animum sapientis, quasi nihil tale in eorum appareret affectibus, sed perturbationem ab eis definiri, cùm ratio talibus motibus cederet: cùm autem non cederet, non dicendam perturbationem. Sed considerandum est quemadmodum hoc Perturbatio quid. Agell. lib. 19. c. 1. De Civitate Dei lib. 9. c. 4.

[a] MSS. constanter cum gemina *rr*, uti apud LXX. *Sarram.*
[b] Editi, *sub defectione fidei.* Legendum cùm MSS. *subdefectio fidei*; uti rursum postea lib. 6. q. 30.
[c] Editi *fomentis*: pro quo MSS. *lomentis.*
[d] Sic in MSS. At in editionibus Am. Er. & Lov. *ne si & illa quod.* In editione autem Rat. id est quæ ex Augustini Ratisponensis recensione an. 497. vulgata est, legitur, *ne si & ille quod.*
[e] Vetus cod. Corbeiensis, *primus.*
[f] In excusis, *Aulus Gellius.* At in MSS. optimæ notæ ubique, *Agellius*: uti passim restituitur eunt viri litterati.

a dicat Agellius, & diligenter [a] inserendum.

Quæst. XXXI. Gen. 17. 8. b DABO *tibi & semini tuo post te terram in qua habitas, omnem terram* [b] *cultam in possessionem æternam.* Quæstio est, quomodo dixerit æternam, cùm Israëlitis temporaliter data sit: utrùm secundùm hoc sæculum dicta sit æterna, ut ab eo quod est αἰών Græcè, quod sæculum significat, dictum sit αἰώνιον, tamquam si Latinè dici posset sæcularе: an ex hoc aliquid secundùm spiritalem promissionem hîc intelligere cogamur, ut æternum dictum sit, ideo quia hinc æternum aliquid significatur: an potiùs B locutionis est Scripturarum, ut æternum appellent, cujus rei finis non constituitur, aut non ita fit ut deinceps non sit faciendum, quantum pertinet ad curam vel potestatem facientis; sicut ait Horatius, Serviet æternum, qui parvo nesciet uti. Non enim potest in æternum servire, cujus ipsa vita, qua servit, æterna esse non potest. Quod testimonium non adhiberem, nisi locutionis esset. Verborum quippe illi sunt nobis auctores, non rerum vel sententiarum. Si autem defenduntur Scripturæ secundùm locutiones proprias, quæ idiomata vocantur, quanto magis secundùm eas, quas cum aliis linguis communes habent?

Horat. lib. 1. Epist. 10.

Quæst. XXXII. Gen. 17. 16. QUÆRITUR quomodo dictum sit ad Abraham de filio ejus, *Et reges gentium ex illo erunt:* utrùm quia non provenit secundùm regna terrena, secundùm Ecclesiam accipi debeat; an propter Esaïæ etiam ad litteram contigit.

Quæst. XXXIII. Gen. 18. 2. ET *videns procucurrit in obviam illis ab ostio tabernaculi sui, & adoravit super terram, & dixit, Domine, si inveni gratiam ante te, ne prætereas servum tuum.* Quæritur cùm tres viri essent qui ei apparuerant, quomodo singulariter Dominum appellet, dicens, *Domine, si inveni gratiam ante te:* an intelligebat unum ex eis Dominum, & alios Angelos; an potiùs in Angelis Dominum sentiens, Domino potiùs quàm Angelis loqui elegit: quia uno ex tribus cum ipso Abraham postea remanente, duo mittuntur in Sodomam, & illis sic loquitur Loth tamquam Domino.

Quæst. XXXIV. Gen. 18. 4. c SUMATUR *aqua, & lavem pedes vestros, & refrigerate sub arbore, & sumam panem, & manducate.* Quæritur si Angelos intelligebat, quomodo potuerit ad hanc humanitatem invitare; [c] quoniam refectio mortali carni necessaria est, non immortalitati Angelorum.

Quæst. XXXV. Gen. 18. 11. ABRAHAM *autem & Sara seniores, progressi in diebus: defecerant autem Saræ fieri muliebria.* Seniorum ætas minor est quàm senum, quamvis & senes appellentur seniores. Unde si vera sunt quæ à nonnullis medicis asseruntur, quoniam senior vir cum muliere seniore filios facere non potest, etiamsi adhuc feminæ muliebria veniant, secundùm hoc admiratum Abraham de promissione filij, & miraculum posuisse Apostolum, accipere possumus, ubi dixit emortuum corpus Abrahæ. Emortuum quippe corpus non ita intelligendum est, ac si omnino nullam vim generandi habere posset, si mulier [d] juvenilis ætatis esset: sed secundùm hoc emortuum, ut etiam de provectioris ætatis muliere non posset. Nam ideo de Cethura potuit, quia & juvenilis illam invenit ætatis. Sic enim medici tradunt, quoniam cujus corpus viri secundùm hoc A jam defecit, ut cum femina provectioris ætatis, quamvis menstrua adhuc patiatur, generare non possit, de juvencula potest. Et rursus mulier, quæ jam provectæ ætatis est, quamvis adhuc menstrua fluant, ut de seniore parere non possit, de juvene potest. Illud itaque ideo miraculum fuit, quia secundùm id quod diximus, emortuo corpore viri, femina quoque provectæ ætatis fuit, ut ei destitissent fieri muliebria. Nam si quod ait Apostolus, corpus emortuum, verbo quis premat, quia dixit emortuum: jam ergo nec animam habuisse, sed cadaver fuisse intelligi debet. quod absurdissimæ falsitatis est. Sic itaque solvitur ista quæstio. Alioquin meritò movet, quomodo cùm esset Abraham propè mediæ ætatis, secundùm quam homines tunc vivebant, & postea filios de Cethura fecerit, dicatur ab Apostolo, corpore emortuo, & pro miraculo, quia genuit, prædicetur?

Gen. 17. 17. Rom. 4. 19. d

Quæst. XXXVI. Gen. 18. 13. ET *dixit Dominus ad Abraham, Quare risit Sara in semetipsa dicens, Ergo verè pariam? ego autem* C *senui.* Quæritur quare istam redarguat Dominus, cùm & Abraham riserit, nisi quia illius risus admirationis & lætitiæ fuit, Saræ autem dubitationis; & ab illo hoc dijudicari potuit, qui corda hominum novit.

Quæst. XXXVII. Gen. 18. 15. NEGAVIT *Sara dicens, Non risi: timuit enim.* Quomodo intelligebant Deum esse qui loquebatur, cùm etiam negare ausa sit Sara quòd riserit, tamquam hoc ille posset ignorare: nisi fortè Sara homines eos putabat, Abraham verò Deum intelligebat? Sed etiam ipse illa humanitatis officia præbendo, de quibus suprà dixi, quæ necessaria nisi infirmæ carni esse non possent, mirum nisi homines priùs esse arbitratus est: sed fortassis in quibus Deum loqui intellexit, quibusdam divinæ majestatis exsistentibus & apparentibus signis, sicut in hominibus [e] Dei sæpe apparuisse Scriptura testatur. Sed rursus quæritur, si ita est, unde Angelos fuisse postea cognoverint, nisi fortè cùm eis videntibus in cælum iissent.

e

Quæst. XXXVIII. Gen. 18. 19. E SCIO *enim, quia constituet filiis suis, & domui suæ post se,* [f] *& custodient viam Domini, & facere justitiam & judicium, ut adducat Dominus in Abraham omnia, quæ locutus est ad illum.* Ecce ubi promittit Dominus Abrahæ non solùm præmia, sed etiam obedientiam justitiæ filiorum ejus, ut circa eos etiam præmia promissa compleantur.

f

Quæst. XXXIX. Gen. 18. 21. DESCENDENS *ergo videbo si secundùm clamorem ipsorum venientem ad me consummantur, si autem non, ut sciam.* Verba hæc si non dubitantis quid F duorum potiùs eventurum sit, sed irascentis & minantis accipiamus, nulla quæstio est. More quippe humano Deus in Scripturis ad homines loquitur, & ejus iram noverunt sine perturbatione ejus intelligere qui noverunt. Solemus autem etiam sic minaciter loqui, Videamus si non tibi facio, aut, Videamus si non illi fecero, &, Si non potuero tibi facere: vel Sciam, id est, hoc ipsum experibor, utrùm non possim: quod cùm minando non ignorando dicitur, irati apparet affectus, sed perturbatio non cadit in Deum. Mos autem humanæ locutionis & usitatus est, ut humanæ infirmitati [g] congruat, cui Deus coaptat locutionem suam.

Quæst. XL. QUÆRI solet, utrùm quod de Sodomis dixit

[a] Am. Et & Lov. *& diligenter differendum.* Editio Rat. *ut diligenter miserendus.* At MSS. duodecim, *& diligenter inserendum.*
[b] Apud LXX. & in Vulg. *terram Chanaan.* In MS. Corb. *terram incultam.*
[c] MSS. melioris notæ, *qua refectioni mortali carnis.*
[d] In antiquis codicibus constanter scriptum, *juvenalis.*
[e] Editi, *Deum.* At MSS. *Dei.*
[f] Sic MSS. juxta Græc. LXX. At editi habent, *ut custodiant viam Domini, & faciant.*
[g] MSS. *congruit.*

Gen. 18. 32. Deus, non se perdere locum, si invenirentur illic A vel decem justi, speciali quadam sententiâ, de illa civitate, an de omnibus intelligendum sit generaliter, parcere Deum loco, in quocumque vel decem justi fuerint? In qua quæstione non est quidem necesse, ut hoc de omni loco accipere compellamur: verumtamen de Sodomis potuit & sic dici, quia sciebat Deus ibi non esse vel decem; & ideo sic respondebatur Abrahæ, ut significaretur, nec tot ibi posse inveniri, ad exaggerationem iniquitatis illorum. Non enim necesse erat Deo tam sceleratis B hominibus parcere, ne cum illis perderet justos, cùm posset, justis inde liberatis, reddere impiis digna supplicia: sed, ut dixi, ad ostendendam malignitatem multitudinis illius, dixit, *Si decem ibi invenero, parcam universæ civitati*; tamquam si diceret, Certè possum nec pios cum impiis perdere, nec tamen propterea impiis parcere, quia liberatis & separatis inde piis, possum impiis digna rependere; & tamen si ibi inveniantur, parco, hoc est quia nec tot ibi possent inveniri. Tale aliquid est C apud Jeremiam, ubi ait, Circuite vias Jerusalem, » & videte, & quærite in plateis ejus, & cognoscite » si invenietis hominem facientem justitiam & quæ» rentem fidem, & propitius ero peccatis eorum: id est, invenite vel unum, & parco ceteris; ad exaggerandum & demonstrandum, quòd nec unus ibi posset inveniri.

Jer. 5. 1.

Quæst. XLI. Gen. 19. 1. QUOD occurrit Loth Angelis, & adoravit in faciem, videtur intellexisse quod Angeli essent: sed rursus, cùm eos ad refectionem corporis invitat, D quæ mortalibus necessaria est, videtur putasse quòd homines essent: ergo quæstio similiter solvitur, ut soluta est in tribus qui venerunt ad Abraham, ut aliquibus signis appareret eos divinitus missos, qui tamen homines crederentur. Nam hoc & in epistola quæ est ad Hebræos, cùm de hospitalitatis bono Scriptura loqueretur, ait, Per hanc enim quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.

Hebr. 13. 2.

Quæst. XLII. Gen. 19. 8. QUOD ait Sodomitis Loth, *Sunt mihi duæ filiæ quæ nondum noverunt viros, producam illas ad vos,* E *utimini illis quomodo placuerit vobis, tantùm in viros istos ne faciatis iniquum:* quoniam prostituere volebat filias suas hac compensatione, ut viri hospites ejus nihil à Sodomitis tale paterentur, utrùm admittenda sit compensatio flagitiorum vel quorumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat: an potiùs perturbationi Loth, non consilio tribuendum sit quia hoc dixerit, meritò quæritur. Et nimirum periculosissimè admittitur hæc compensatio: si autem F perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.

Quæst. XLIII. Gen. 19. 11. VIROS *verò qui erant ad ostium domus percusserunt cæcitate.* Græci habent, ἀορασία, quod magis significat, si dici posset, avidentiâ, quæ faciat non videri non omnia, sed quod non opus est. Nam meritò movet quomodo potuerunt deficere quærendo ostium, si tali erant cæcitate percussi, ut omnino nihil viderent. Hoc enim modo sua calamitate turbati, ulteriùs ostium non requirerent. G Hac ἀορασία & illi percussi sunt, qui quærebant Elisæum. Hanc & illi habuerunt, qui Dominum post resurrectionem cum illo ambulantes in via non cognoverunt, quamvis ibi non sit hoc verbum positum, sed res ipsa intelligatur.

4. Reg. 6. 18. Luce 24. 16.

Quæst. XLIV. DIXIT *autem Loth ad illos, Oro Domine, quia invenit puer tuus misericordiam ante te, & magnifi-*

casti justitiam tuam, quam facis in me, ut vivat anima mea: ego autem non possum salvus fieri in monte, ne fortè comprehendant me mala & moriar. Hac perturbatione timoris non credebat ipsi Domino, quem in Angelis cognoscebat, qua etiam illud de filiabus suis prostituendis dixerat: ut intelligamus non pro auctoritate habendum quod dixit de turpitudine filiarum: non enim & hoc pro auctoritate habendum est, Deo non esse credendum.

Gen. 19. 18. & 19.

Quæst. XLV. Gen. 19. 29. ET *recordatus est Deus Abraham, & exemit Loth de medio eversionis.* Commendat Scriptura meritis magis Abrahæ liberatum esse Loth, ut intelligamus justum Loth dictum secundùm quemdam modum, maximè quòd unum verum Deum colebat, & propter comparationem scelerum Sodomorum, inter quos vivens ad vitam similem non potuit inclinari.

Quæst. XLVI. Gen. 19. 30. ADSCENDIT *autem Loth de Segor, & sedebat in monte.* Mirum nisi ipse mons est, in quem sponte adscendit, quò admonente Domino adscendere noluit: aut enim nullus est alius, aut non apparet.

Quæst. XLVII. Gen. 19. 30. TIMUIT *enim habitare in Segor.* Infirmitati ejus Dominus & timori concesserat civitatem, quam Loth ipse delegerat, & in ea promiserat ei securitatem, quòd propter illum parceret civitati: tamen etiam ibi esse timuit, ita fides ejus non magni roboris fuit.

Quæst. XLVIII. Gen. 20. 2. DIXIT *autem Abraham de Sara uxore sua, Soror mea est. Timuit enim dicere, Vxor mea est, ne fortè occiderent eum viri civitatis propter illam.* Quæri solet, quomodo adhuc in illa ætate pro Saræ pulcritudine Abraham periclitari metuebat. Sed magis formæ illius vis miranda est, quæ adhuc amari poterat, quàm quæstio difficilis putanda.

Quæst. XLIX. Gen. 20. 6. QUOD ait Deus ad Abimelech, propter Saram, *Et peperci tibi ut non peccares in me*, quando eum admonuit uxorem Abrahæ esse, quam putabat sororem: advertendum est & notandum, in Deum peccari, quando talia committuntur, quæ putant homines leviter habenda, tamquam in carne peccata. Quod autem dixit ei, *Ecce tu morieris:* E etiam hoc notandum est, quomodo dicat Deus tamquam prædicens sine dubio futurum, quod admonendo dicit, ut à peccato abstinendo caveatur.

Quæst. L. Gen. 21. 8. MERITO quæritur, cur Abraham nec die quo natus est ei filius, nec die quo circumcisus est, sed die quo ablactatus est, epulum fecerit. Quod nisi ad aliquam spiritalem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est, tunc scilicet esse debere magnum gaudium spiritalis ætatis, quando fuerit F factus homo novus spiritalis, id est non talis qualibus dicit Apostolus, Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis, adhuc enim estis carnales.

1. Cor. 3. 2.

Quæst. LI. Gen. 21. 10. QUÆRITUR Sara dicente, *Ejice ancillam & filium ejus, non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, quare contristatus sit Abraham, cùm ista fuerit prophetia, quam utique magis debuit nosse ipse quàm Sara? Sed intelligendum est, vel ex revelatione hoc dixisse Saram, quia priùs illi fuerat revelatum; illum verò quem de hac postea Dominus instruit, paterno affectu pro filio fuisse commotum; vel ambos priùs nescisse, quidnam illud esset, & per Saram nescientem hoc propheticè dictum esse, cùm illa mota esset muliebri animo propter ancillæ superbiam.

Quæst. LII. NOTANDUM quòd & Ismaël dictus sit à Deo semen Abrahæ, propter illud quod sic accipien-

Gen. 21. 13. Rom. 9. 8. dum docet Apostolus quod dictum est, In Isaac A vocabitur tibi semen, id est non filij carnis, sed filij promissionis deputantur in semine: ut hoc propriè pertineat ad Isaac, qui non fuit filius carnis, sed filius promissionis, ubi promissio fit de omnibus gentibus.

Quæst. LIII. Gen. 21. 14. SURREXIT *autem Abraham manè, & sumsit panes & utrem aquæ, & dedit Agar, & imposuit in humeros, & puerum, & dimisit illam.* Fieri quæstio solet, quomodo imposuerit in humeros & puerum tam grandem? Nam qui fuerat antea quàm natus B esset Isaac, tredecim annorum circumcisus, cùm esset Abraham nonaginta-novem, & natus sit Isaac centenario patre, ludebat autem Ismaël cum Isaac quando Sara commota est, utique cum grandiusculo, qui jam fuerat ablactatus; profectò annorum fuit Ismaël, quando cum matre sua de domo patris expulsus est, ampliùs sexdecim. Sed ut hoc quod cum parvulo lusit, per recapitulationem dictum accipiamus, antequam ablactaretur Isaac; profectò etiam sic ampliùs quàm tredecim annorum puer in C humeros matris, cum utre & panibus, nimis absurdum est ut impositus esse credatur. Quàm facilè autem solvitur quæstio, si non subaudiamus imposuit, sed dedit. Dedit enim Abraham, sicut scriptum est, matri ejus panes & utrem, quæ illa imposuit in humeros suos. Cùm autem adjunctum & dictum est *& puerum*, subaudimus dedit, qui panes & utrem dederat; non in humeros imposuit.

Quæst. LIV. Gen. 21. 15. DEFECIT *autem aqua de utre, & projecit puerum sub unam abietem, & discessit, & sedere cœpit* D *contra illum longè quantum arcus mittit; dixit enim, Non videbo mortem filij mei: & sedit contra eum. Exclamans autem puer ploravit: & exaudivit Deus vocem pueri de loco ubi erat: & vocavit Angelus Dei Agar de cælo, & dixit ei, Quid est Agar? Noli timere, exaudivit enim Deus vocem filij tui de loco in quo est. Surge, & accipe puerum, & tene illum in manu tua. In magnam enim gentem faciam illum.* Solet quæri, quomodo cùm puer esset annorum ampliùs quindecim, projecerit eum mater sub arbo- E rem, & ierit longè quantum arcus mittit, ne videret eum morientem; quasi enim quem portabat projecerit, ita videtur sonare quod dicitur, maximè quia sequitur, *Flevit puer?* Sed intelligendum est, projectum esse non à portante, sed ut fit, ab animo, tamquam moriturum. Neque enim quod scriptum est, Projectus sum à facie oculorum tuo- Psal. 30. 23. rum, portabatur qui hoc dixit. Et est in quotidiano loquendi usu, cùm projici dicitur aliquis ab aliquo cum quo erat, ne ab illo videatur aut cum illo maneat. Intelligendum est autem quod Scriptura tacuit, ita discessisse matrem à filio, ut puer ignoraret quò mater abierit, & eam in silvestribus stirpibus latuisse, ne filium siti deficientem videret. Ille autem etiam illa ætate, quid mirum si matre diutiùs non visa & tamquam perdita, eo loco, ubi solus remanserat, flevit? Quod ergo postea dicitur, *Accipe puerum*, non ut eum de terra velut jacentem tolleret, dictum est, sed ut ei conjungeretur, & eum manu teneret deinceps comitem, sicut erat: G quod plerumque faciunt simul ambulantes cujuslibet ætatis.

Quæst. LV. Gen. 21. 22. FACTUM *est autem in tempore illo, & dixit Abimelech*, &c. Quæri potest, quando cum isto Abimelech pactum fecit Abraham, & appellatus est puteus quem fodit, Puteus jurationis, quomodo congruat veritati? Agar enim de Abrahæ domo expulsa cum filio, juxta puteum, sicuti dictum est, jurationis errabat, qui valde postea dicitur factus ab Abraham: ibi enim Abimelech & Abraham juraverunt, quod nondum utique factum erat, cùm de domo Abrahæ Agar cum filio fuisset expulsa. Quomodo ergo errabat juxta puteum jurationis? An factum jam fuisse intelligendum est, & per recapitulationem postea commemoratum quod egit Abraham cum Abimelech? Nisi fortè qui longè B postea librum scripsit, ex nomine putei jurationis appellavit regionem, in qua cum filio mater errabat, tamquam diceret, Errabat in illa regione, ubi puteus jurationis factus est: quamvis puteus postea sit factus, sed longè ante ætatem scriptoris; sic autem appellabatur puteus cùm liber scriberetur, nomen teneus antiquum, quod Abraham imposuerat. Si autem ipse est puteus, quem apertis oculis vidit Agar, nihil restat nisi ut per recapitulationem quæstio dissolvatur. Nec movere debet quomodo puteum, quem foderat Abraham, nesciebat Agar, si antè est ille fossus quàm illa expulsa. Valde enim fieri potuit, ut pecorum suorum causâ, longè à domo in qua cum suis habitabat, puteum foderet, quem illa nesciret.

Quæst. LVI. Gen. 21. 33. Act. 7. 5. a QUÆRI potest, quomodo ad puteum juramenti [a] agrum plantaverat Abraham, si in terra illa, quemadmodum Stephanus dicit, non acceperat hereditatem, nec spatium pedis? Sed ea est intelligenda hereditas, quam Deus munere suo fuerat daturus, non emta pretio. Intelligitur autem spatium circa puteum ad illud emtionis pactum pertinere, in quo fuerant agnæ septem datæ, quando Abimelech & Abraham sibi etiam juraverunt.

Quæst. LVII. Gen. 22. 1. Jac. 1. 13. ET *tentavit Deus Abraham.* Quæri solet, quomodo hoc verum sit, cùm dicat in epistola sua Jacobus, quòd Deus neminem tentat: nisi quia locutione Scripturarum solet dici, tentat, pro eo quod est probat. Tentatio verò illa de qua Jacobus dicit, non intelligitur nisi qua quisque pecca- 1. Thess. 3. 5. to implicatur. Unde Apostolus dicit, Ne fortè tentaverit vos is qui tentat. Nam & alibi scri- " ptum est, Tentat vos Dominus Deus vester, ut Deut. 13. 3. sciat si diligitis eum: etiam hoc genere locutionis, ut sciat, dictum est, ac si diceretur, ut scire vos faciat; quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi divino experimento etiam eidem innotescant.

Quæst. LVIII. Gen. 22. 12. VOX Angeli de cælo ad Abraham, *Ne injicias manum in puerum, neque facias ei quidquam. Modò* F *enim cognovi, quoniam timeas Deum tu.* Etiam ista quæstio simili locutione solvitur; hoc est enim, *Nunc cognovi, quoniam timeas Deum tu*, quod significat, Nunc te feci cognoscere. In consequentibus autem hoc genus locutionis evidenter apparet, ubi dicitur, *Et vocavit Abraham nomen loci illius, Do-* v. 14. *minus vidit: ut dicant hodie, In monte Dominus apparuit. Vidit*, pro eo quod est apparuit, hoc est *vidit*, pro eo quod est videri fecit; significans per efficientem id quod efficitur, sicut frigus pigrum quòd pigros facit.

Quæst. LIX. Gen. 22. 12. ET *non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Numquid Abraham propter Angelum non pepercit filio suo, & non propter Deum? Aut ergo Angeli nomine Dominus Christus significatus est, qui sine dubio Deus est, & manifestè à Propheta dictus est, Isai. 9. 6. magni consilij Angelus: aut quòd Deus erat in An- Sec. LXX.

a MSS. Beccensis & Michaëlinus, *nemus.*

gelo, & ex persona Dei Angelus loquebatur, sicut A in Prophetis etiam solet. Nam in consequentibus hoc magis videtur apparere ubi legitur, *Et vocavit Angelus Domini Abraham iterum de cælo, dicens, Per memetipsum juravi, dicit Dominus.* Non facilè enim invenitur Dominus Christus Patrem Dominum dicere tamquam suum Dominum, illo præsertim tempore antequam sumeret carnem. Nam secundùm id quod formam servi accepit, non incongruenter hoc dici videtur. Nam secundùm hujus Psal. 2. 7. rei futuræ prophetiam illud est in Psalmo, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Nam neque in ipso Evangelio facilè invenimus à Christo Deum Patrem Dominum appellatum, quòd Dominus ejus esset; quamvis Deum inveniamus in illo loco, Johan. 20. 17. ubi ait, Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Quod autem scri- Psal. 109. 1. ptum est, Dixit Dominus Domino meo, ad ipsum qui loquebatur refertur, id est, Dixit Dominus Domino meo, Pater scilicet Filio. Et, Pluit Dominus à Domino, qui scribebat dixit; ut Dominus ejus à Domino ejus, id est, Dominus noster à Domino nostro pluisse intelligatur, Filius à Patre.

Quæst. LX. Gen. 22. 21. QUOD in his quos nuntiaverunt Abrahæ natos esse filios Melchæ, nominatur & Chamuël pater Syrorum, non utique illi qui nuntiaverunt, nuntiare patrem Syrorum potuerunt: ex origine quippe illius Syrorum genus longè postea propagatum est. Sed dictum est à persona scribentis, qui post omnia illa tempora hæc scribendo narravit: quem- Sup. quæst. 55. admodum suprà diximus de puteo jurationis.

Quæst. LXI. Gen. 23. 7. Deut. 6. 13. & 10. 20. EXSURGENS *autem Abraham adoravit populum terræ.* Quæritur quomodo scriptum sit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: cùm Abraham sic honoraverit populum quemdam gentium, ut etiam adoraret. Sed animadvertendum est in eodem præcepto, non dictum, Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dictum est, Et illi soli servies, quod est Græcè λατρεύσεις. Talis enim servitus nonnisi Deo debetur. Unde damnantur idololatræ, id est, ejusmodi servitutem exhi- E bentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moveat quod Apoc. 19. 10. alio loco in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet ut Dominus potiùs adoretur. Talis enim apparuerat Angelus ut pro Deo posset adorari; & ideo fuerat corrigendus adorator.

Quæst. LXII. Gen. 24. 3. QUOD Abraham jubet puero suo, ut manum suam ponat sub ejus femore, & sic eum adjurat per Dominum Deum cæli, & Dominum terræ, solet imperitos movere: non adtendentes magnam istam de Christo exstitisse prophetiam, quòd ipse Dominus Deus cæli & Dominus terræ in ea carne venturus esset, quæ de illo femore propagata est.

Quæst. LXIII. Gen. 24. 12. QUÆRENDUM quo differant augurationes illicitæ ab illa petitione signi, qua petivit servus Abrahæ, ut ei Deus ostenderet, ipsam esse futuram uxorem domini sui Isaac, à qua cùm petivisset ut biberet, diceretur illi, *Bibe & tu, & adaquabo camelos tuos quoadusque bibere desinent.* Aliud est enim, mirum aliquid petere, quod ipso miraculo signum G sit; aliud ea observare, quæ ita fiunt ut mira non sint, sed à conjectoribus superstitiosa vanitate interpretentur. Sed hoc ipsum etiam quod mirum aliquid postulatur, quo significetur quod quisque vult nosse, utrùm audendum sit, non parva quæstio est.

Eò namque pertinet, quòd dicuntur qui hoc non rectè faciunt, tentare Dominum. Nam ipse Domi- Deut. 6. 16. nus cùm à diabolo tentaretur, testimonium de Scri- Matth. 4. 7. pturis adhibuit, Non tentabis Dominum Deum tuum. Suggerebatur enim tamquam homini, ut signo aliquo exploraret ipse quantus esset, id est quàm multum apud Deum posset: quod vitiosè fit, Jud. 6. 17. cùm fit. Ab hoc autem discernitur quod Gedeon fecit pugnæ imminente periculo: consultatio quippe illa magis, quàm tentatio Dei fuit. Unde & Achaz apud Isaiam timet signum petere, ne Deum Isai. 7. 12. tentare videatur, cùm hoc eum Dominus admoneat per Prophetam: credo existimans quòd ab ipso Propheta exploraretur, utrùm præcepti memor esset, quo tentare Deum prohibemur.

Quæst. LXIV. Gen. 24. 37. SERVUS Abrahæ narrans quæ sibi mandata fuerant à domino suo, dicit eum sibi dixisse, *Non sumes uxorem filio meo à filiabus Chananæorum, inter quos ego habito in terra eorum: sed in domum patris mei ibis, & in tribum meam, & sumes uxorem filio meo* C *inde:* & cetera si legantur quemadmodum illi mandata sint, sententia eadem reperitur, verba verò non omnia, vel ipsa, vel ita dicta sunt. Quod admonendum putavi propter stultos & indoctos homines, qui Evangelistis hinc calumniantur, quòd in aliquibus verbis non omni modo conveniunt, quamvis rebus atque sententiis omnino non discrepent. Certè enim istum librum unus homo scripsit, qui ea quæ suprà dixit cùm mandaret Abraham, vel relecta sic ponere potuit, si ad rem pertinere ju- D dicaret, cùm veritas narrationis [a] exigitur, nisi ut a rerum sententiarumque sit, quibus voluntas, propter quam intimandam verba fiunt, satis appareat.

Quæst. LXV. Gen. 24. 41. QUOD habent Latini codices, narrante servo Abrahæ quæ sibi mandaverat dominus ejus, *Tunc innocens eris à juramento meo* vel *juratione mea*, Græci habent, *à maledicto meo*: ὅρκος enim dicitur juratio, ἀρὰ maledictum: unde & κατάρατος maledictus vel ἐπικατάρατος dicitur. Proinde oritur quæstio, quomodo illa juratio maledictum possit intelligi: E nisi quia maledictus est qui contra jurationem fecerit.

Quæst. LXVI. Gen. 24. 49. SI *ergo facitis misericordiam & justitiam ad dominum meum, renuntiate mihi.* Duo illa quæ assiduè ponuntur in aliis sanctis Scripturis, & maximè in Psalmis, misericordia & justitia, tantumdem enim valet, misericordia & veritas, hinc jam apparere cœperunt.

Quæst. LXVII. Gen. 24. 51. ECCE *Rebecca in conspectu tuo: accipiens recurre, & sit uxor filij domini tui, quemadmodum locutus est* F *Dominus.* Quæritur quando locutus sit Dominus, nisi quia vel prophetam esse Abraham noverant, & propheticè à Domino dictum, quod per illum dictum fuerat, agnoscebant: aut signum illud quod sibi datum servus ejus narravit, locutionem Domini appellaverunt; hoc enim magis de Rebecca expressum est. Nam quod Abraham dixerat, non de Rebecca dixerat, sed de aliqua femina ex tribu vel cognatione sua; & hoc ad utrumque, ut immunis esset à juramento servus, si non impetrasset; quod G utique non dicitur, cùm aliquid prophetatur. Certam enim decet esse prophetiam.

Quæst. LXVIII. Gen. 24. 60. QUOD Rebeccæ dixerunt fratres ejus proficiscenti, *Soror nostra es, esto in millia millium, & hereditatem obtineat semen tuum, civitates adversariorum*: non prophetæ fuerunt, aut vanitate tam ma-

a Editi, *non exigitur.* Abest negatio à MSS. quæ hîc propter subsequentem particulam *nisi*, inserta fuit, sed perperam, cùm detractâ illâ perelegans sit iste dicendi modus; *si ad rem pertinere judicaret, nisi ut verum sententiarumque sit veritas, quæ in narratione exigitur.*

gna optaverunt; ſed eos quæ promiſerat Deus Abrahæ latêre non potuit.

Quæst. LXIX. Gen. 24.63. Quod ſcriptum eſt, *Et exiit Iſaac exerceri in campo meridie:* qui verbum de hac re Græcum neſciunt, exercitationem corporis putant. Scriptum eſt autem Græcè ἀδολεχῆσαι, ἀδολεχεῖν verò ad animi exercitationem pertinet, & ſæpe vitio deputatur: more tamen Scripturarum plerumque in bono ponitur. Pro iſto verbo quidam interpretati ſunt exercitationem, quidam garrulitatem, quaſi verboſitatem, quæ in bono, quantum ad Latinum eloquium pertinet, vix aut numquam invenitur, ſed ut dixi in Scripturis plerumque in bono dicitur: & videtur mihi ſignificare animi affectum ſtudioſiſſimè aliquid cogitantis cum delectatione cogitationis: niſi aliud ſentiunt qui hæc verba Græca meliùs intelligunt.

Quæst. LXX. Gen. 25. 1. Adjiciens *autem Abraham ſumſit uxorem nomine Cethuram.* Quæſtio hæc eſſet, ſi peccatum eſſet, maximè in antiquis dantibus operam propagandæ proli. Quodlibet enim hîc quàm incontinentia ſuſpicanda eſt tanti viri, in illa præſertim jam ætate. Cur autem de hac filios fecerit, qui cum miraculo de Sara fecerat, ſuprà dictum eſt: quamquam nonnulli donum quod accepit Abraham velut reviviſcentis corporis ad filios procreandos, diu permanſiſſe aſſerant, ita ut poſſet & alios procreare. Sed multo eſt abſolutius de adoleſcentula potuiſſe ſeniorem, quod ſenior de ſeniore non poſſet, niſi Deus illic miraculum præſtitiſſet, maximè propter Saræ non ſolùm ætatem, verùm etiam ſterilitatem. Sanè etiam grandioris ætatis, & ſicut Scriptura loquitur, plenum dierum poſſe dici ſeniorem, hoc eſt preſbyterum, hinc intelligi poteſt, quia hoc Abraham appellatus eſt quando mortuus eſt. Proinde omnis ſenex etiam preſbyter, non omnis preſbyter etiam ſenex: quia plerumque eſt hoc nomen ætatis quæ infra ſenectutem ſenectuti vicina eſt, & ex hoc etiam ipſa à ſenectute nomen accepit in Latina lingua, ut preſbyter ſenior appelletur. Apud Græcos autem, maximè ſicut Scriptura loquitur, πρεσβύτεροι & νεώτεροι dicuntur, etiamſi ætates juvenum comparentur; quod dicimus nos majorem atque juniorem. Verumtamen hoc factum Abrahæ, quod poſt mortem Saræ de Cethura filios procreavit, non ſic accipiendum eſt, quaſi humana conſuetudine & cogitatione tantummodo ſubſtituendæ numeroſioris prolis hoc factum ſit. Sic enim poſſent accipere homines etiam quod de Agar factum eſt, niſi Apoſtolus admoneret illa fuiſſe facta propheticè, ut in utriſque perſonis mulierum earumque filiorum duo Teſtamenta ad futurorum prænuntiationem allegorica ſignificatio figuraret. Unde in iſto quoque Abrahæ facto aliquid tale quærendum eſt; etſi non facilè occurrat, ego interim quod occurrit: Munera quæ acceperunt filij concubinarum, videntur mihi ſignificare quædam Dei dona, vel in ſacramentis vel in quibuſque ſignis, etiam carnali populo Judæorum & hæreticis data, velut filiis concubinarum, cùm hereditatis munus, quod eſt caritas & vita æterna, nonniſi ad Iſaac pertineat, hoc eſt ad filios promiſſionis.

Suprà q. 35.

Gal. 4. 22.

Quæst. LXXI. Gen. 25.13. Quid ſibi vult quod ſcriptum eſt, *Hæc ſunt nomina filiorum Iſmaël ſecundùm nomina generationum eorum?* Non enim ſatis elucet cur additum ſit, *ſecundùm nomina generationum eorum;* cùm ij ſoli nominentur, quos ille genuit, non etiam qui ab ipſis geniti ſunt. Niſi fortè quia nationes ex illis propagatæ, eorum nominibus appellantur, hoc ſignificatum ſit, cùm dictum eſt, *ſecundùm nomina generationum eorum:* quamvis hoc modo illæ nationes ſint potius ſecundùm nomina iſtorum, non iſta nomina ſecundùm illas nationes; quia illæ poſteriùs exſtiterunt. Unde notanda locutio eſt, quia & poſtea de illis dicitur, *duodecim principes ſecundùm gentes eorum.*

Quæst. LXXII. Gen. 25.22. Quod de Rebecca ſcriptum eſt, quia venit interrogare Dominum cùm geſtirent puerperia in utero ejus, quæritur quò ierit. Non enim erant tunc Prophetæ, aut ſacerdotes ſecundùm ordinem tabernaculi vel templi Domini. Quò ergo ierit, meritò movet, niſi fortè ad locum ubi aram conſtituerat Abraham. Sed illic quomodo reſponſa [a] audierit, omnino tacet Scriptura, utrùm per aliquem ſacerdotem, quòd incredibile eſt, ſi erat, non fuiſſe nominatum, & nullam ibi omnino ſacerdotum aliquorum factam eſſe mentionem. An fortè ibi cùm orando allegaſſent deſideria ſua, dormiebant in loco, ut per ſomnium monerentur? An adhuc vivebat Melchiſedech, cujus tanta fuit excellentia, ut à nonnullis dubitetur, utrùm homo, an Angelus fuerit? An erant aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus poſſet Deus interrogari? Quidquid horum eſt, & ſi quid aliud quod me fortè, ne commemorarem, præterierit, mentiri tamen Scriptura non poteſt, quæ dixit Rebeccam iiſſe ad interrogandum Dominum, eique Dominum reſpondiſſe.

a

Quæst. LXXIII. Gen. 25.23. In eo quod Dominus reſpondit Rebeccæ, *Duæ gentes in utero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo ſeparabuntur, & populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori,* ſpiritali intelligentiâ carnales in populo Dei ſignificantur per majorem filium, & ſpirituales per minorem: quia ſicut dicit Apoſtolus, Non priùs quod ſpirituale, ſed quod animale, poſtea ſpirituale. Solet & ſic intelligi hoc quod dictum eſt, ut in Eſaü figuratus ſit major populus Dei, hoc eſt Iſraëliticus ſecundùm carnem: per Jacob autem figuratus ſit ipſe Jacob ſecundùm ſpiritalem progeniem. Sed etiam hiſtorica proprietate hoc reſponſum invenitur eſſe completum, ubi populus Iſraël, hoc eſt Jacob minor filius, ſuperavit Idumæos, hoc eſt gentem quam propagavit Eſaü, eoſque fecit tributarios per David: quod diu fuerunt, uſque ad regem [b ſcilicet Joram,] ſub quo Idumæi rebellaverunt, & jugum Iſraëlitarum Idumæi à cervice ſua depoſuerunt, ſecundùm prophetiam ipſius Iſaac quando minorem pro majore benedixit; hoc enim dixit eidem majori, cùm & ipſum poſtea benediceret.

1. Cor. 15. 46.

Gen. 27. 40.

b

Quæst. LXXIV. Gen. 25.27. Jacob *autem erat homo ſimplex habitans domum.* Quod Græcè dicitur ἄπλαστος, hoc Latini ſimplicem interpretati ſunt. Proprièautem ἄπλαστος non fictus; unde aliqui Latini interpretes, ſine dolo, interpretati ſunt, dicentes, *Erat Iacob ſine dolo habitans in domo:* ut magna ſit quæſtio, quomodo per dolum acceperit benedictionem qui erat ſine dolo. Sed ad ſignificandum magnum aliquid [c] hoc Scriptura præmiſit. Hinc enim maximè cogimur ad intelligenda illo loco ſpiritalia, quia ſine

c

a Sic in MSS. Beccenſi & Michaëllino. In ceteris, *reſponſa dentur.*

b Id abeſt à MSS.

c Am. Er. & Lov. *aliquid quod Scriptura præmiſit.* Rat. *aliquid quod Scriptura præmiſit.* Longe meliùs MSS. quos hoc loco ſequimur.

dolo erat qui dolum fecit. Unde quid ſentiremus, in ſermone quodam ad populum habito ſatis diximus.

Serm. 44. de diverſis.

Quæst. LXXV. Gen. 26. 1. In eo quod ſcriptum eſt, *Facta eſt autem fames ſuper terram, præter famem quæ antè facta eſt in tempore Abraham: abiit autem Iſaac ad Abimelech regem Philiſtinorum in Gerara:* quæritur hoc quando ſit factum, utrùm poſtea quàm Eſaü vendidit primogenita ſua cibo lenticulæ; poſt illam quippe narrationem hoc narrari incipit: an, ut fieri ſolet, per recapitulationem narrator ad ea reverſus ſit, cùm progreſſus de filiis ejus ad eum locum perveniſſet, qui de lenticula commemoratus eſt. Movet autem, quia ipſe invenitur Abimelech, qui etiam Saram concupiverat. Ipſius enim paranymphus & princeps militiæ, qui ibi commemorati ſunt, etiam hîc commemorantur, utrùm vel vivere potuerint. Quando enim factus eſt amicus Abrahæ, nondum natus erat Iſaac, ſed jam promiſſus. Ponamus [a] ante annum quàm naſceretur Iſaac, illud fuiſſe factum: deinde Iſaac ſuſcepit filios cùm eſſet annorum ſexaginta; illi autem juvenes erant quando vendidit Eſaü primogenita ſua: ponamus etiam ipſos circa viginti annos fuiſſe; fiunt anni ætatis Iſaac uſque ad illud factum filiorum ejus, circiter octoginta: adoleſcentem accipiamus fuiſſe Abimelech, quando matrem ipſius concupivit, & Abrahæ amicus eſt factus; potuit ergo jam eſſe quaſi centenarius, ſi poſt illud factum filiorum ſuorum perrexit in illam terram famis neceſſitate Iſaac. Non ergo ex hoc cogit ulla neceſſitas, per recapitulationem putare narratam profectionem Iſaac in Gerara. Sed quia ibi diuturno tempore fuiſſe Iſaac ſcribitur, & puteos fodiſſe, & de his contendiſſe, & ditatum fuiſſe pecuniâ; mirum niſi recapitulando iſta commemorantur, quæ ideo fuerant prætermiſſa, ut primùm de filiis ejus uſque ad illum locum de lenticula narratio perveniret.

a

Quæst. LXXVI. Gen. 26.12. & 13. Ideo quod ſcriptum eſt de Iſaac, *Benedixit autem eum Dominus, & exaltatus eſt homo, & procedens major fiebat, quoaduſque magnus factus eſt valde,* ſecundùm terrenam felicitatem dictum ſequentia docent. Exſequitur enim narrator eaſdem ejus divitias, quibus magnus factus eſt: & hinc motus Abimelech, timuit illum ibi eſſe, ne potentia ejus ſibi eſſet infeſta. Quamquam ergo aliquid ſpiritale iſta ſignificent, tamen ſecundùm id quod contigerunt, ideo præmiſſum eſt, *Benedixit eum Dominus,* ut ſana fide intelligamus etiam iſta temporalia dona, nec dari poſſe, nec ſperari debere, etiam cùm ab infirmioribus appetuntur, niſi ab uno Deo: ut qui in minimis fidelis eſt, etiam in magnis fidelis ſit; & qui in mammona iniquo fidelis inventus eſt, etiam verum accipere mereatur, ſicut Dominus in Evangelio loquitur. Talia etiam de Abraham dicta ſunt, quòd ei munere Dei provenerint. Unde non parum ædificat ſanam fidem piè intelligentibus iſta narratio, etiam ſi de his rebus allegorica ſignificatio nulla poſſet [b] exſculpi.

Lucæ 16. 10.

b

Quæst. LXXVII. Gen. 26.28. Fiat *exſecratio inter nos & inter te:* id eſt, juratio quæ maledictis obſtringit, quæ accidant ei qui pejeraverit: ſecundùm quam conſiderandum eſt quod & ſervus Abrahæ commemoravit, narrans eis à quibus accepit uxorem domino ſuo Iſaac.

Quæst. LXXVIII. Gen. 26.32. Quid eſt quod ſcriptum eſt, quòd cùm veniſſent pueri Iſaac & diciſſent, *Fodimus puteum, & non invenimus aquam;* appellavit eumdem puteum Iſaac juramentum? An quamvis factum ſit, in aliquam ſignificationem ſine dubio ducendum eſt ſpiritalem; quoniam nihil habet convenientiæ ſecundùm litteram, ut ideo juramentum appellaverit puteum, quòd ibi aqua non ſit inventa? Quamquam alij interpretes pueros Iſaac inventam potiùs aquam nuntiaſſe dixerunt: ſed etiam ſic quare juramentum appellatum eſt, ubi nulla fuerat facta juratio?

Quæst. LXXIX. Gen. 27. 1. Quoniam tantus Patriarcha Iſaac, antequam moriatur, quærit à filio ſuo venationem & eſcam, qualem amat, pro magno beneficio, & promittit benedictionem, nullo modo vacare arbitramur à ſignificatione prophetica: maximè quoniam feſtinat uxor ejus ut illam benedictionem minor accipiat, quem ipſa diligebat, & cetera in eadem narratione multùm movent ad majora intelligenda vel requirenda:

Quæst. LXXX. Gen. 27.33. Quod habent Latini codices, *Expavit autem Iſaac pavore magno valde,* Græci habent, ἐξέστη δὲ Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα, ubi tanta commotio intelligitur, ut quædam mentis alienatio ſequeretur. Ipſa enim propriè dicitur eſtaſis. Et quia ſolet in magnarum rerum revelationibus fieri, in hac intelligendum eſt factam eſſe ſpiritalem admonitionem, ut confirmaret benedictionem ſuam filio minori, cui potiùs iraſcendum fuit quòd fefellerit patrem. Sic & de Adam cùm prophetatur hoc ſacramentum magnum, quod dicit Apoſtolus in Chriſto & in Eccleſia, Erunt duo in carne una, dicitur quòd eſtaſis præceſſerit.

Gen. 2. 24. Eph. 5. 31.

Quæst. LXXXI. Gen. 27.42. Quomodo annuntiata vel renuntiata ſunt verba Eſaü Rebeccæ, quibus comminatus eſt occidere fratrem ſuum, cùm Scriptura dicat hoc eum in ſua cogitatione diciſſe: niſi quia hinc nobis datur intelligere, quòd divinitus eis revelabantur omnia? Unde ad magnum myſterium pertinet, quòd filium ſuum minorem pro majore voluit benedici.

Quæst. LXXXII. Gen. 28. 2. Quod habent Latini codices, Iſaac dicente filio ſuo, *Vade in Meſopotamiam, in domum Bathuel patris matris tuæ, & ſume inde tibi uxorem;* Græci codices non habent *Vade,* ſed *Fuge:* hoc eſt, φύθι. Unde intelligitur etiam Iſaac cognoviſſe, quod filius ejus Eſaü de fratre ſuo in cogitatione ſua dixerit.

Quæst. LXXXIII. Gen. 28.16. Et *ſurrexit Iacob de ſomno ſuo, & dixit, Quia eſt Dominus in loco hoc, ego autem neſciebam: & timuit, & dixit, Quàm terribilis locus hic! hoc non eſt niſi domus Dei; & hæc porta eſt cæli.* Hæc verba ad prophetiam pertinent, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod conſtituit Dominus in hominibus in primo populo ſuo. Portam cæli autem ſic intelligere debemus, tamquam inde fiat aditus credentibus ad capeſſendum regnum cælorum.

Quæst. LXXXIV. Gen. 28.18. Quod ſtatuit lapidem Jacob, quem ſibi ad caput poſuerat, & conſtituit eum titulum, & perfudit illum oleo, non aliquid idololatriæ ſimile fecit; non enim ve. tunc vel poſtea frequentavit lapidem adorando, vel ei ſacrificando: ſed ſignum fuit in prophetia evidentiſſima conſtitutum, quæ pertinet ad unctionem, unde Chriſti nomen à chriſmate eſt.

Quæst. LXXXV. Gen. 28.19. Et *vocavit Iacob nomen loci illius Domus Dei, & Vlammaus erat nomen civitati antè.* Juxta civitatem dormiſſe ſi intelligatur, nulla quæſtio eſt: ſi autem in civitate, mirum videtur quomodo potuerit illum titulum conſtituere. Quod autem vovit votum ſi proſperaretur eundo & redeundo, decimaſque pro-

a Sic MSS. At editi, *antequam naſceretur.*

b MSS. tres probæ notæ, *excludi.*

misit domui Dei futuræ in loco illo, prophetia est domus Dei, ubi & ipse rediens Deo sacrificavit, non illum lapidem Deum appellans, sed domum Dei, id est, quia in illo loco futura erat domus Dei.

Quæst. LXXXVI. Gen. 29. 10. Quod venit Rachel cum ovibus patris sui, & dicit Scriptura, quòd cùm vidisset Jacob Rachel filiam Laban fratris matris suæ, accessit & revolvit lapidem ab ore putei; magis notandum est, aliquid Scripturam prætermittere quod intelligere debemus, quàm ulla quæstio commovenda. Intelligitur enim quòd illi, cum quibus primò loquebatur Jacob, interrogati quæ esset quæ veniebat cum ovibus, ipsi dixerunt filiam esse Laban, quam utique Jacob non noverat, sed illius interrogationem responsionemque illorum, Scriptura prætermittens, intelligi voluit.

Quæst. LXXXVII. Gen. 29. 11. Quod scriptum est, *Osculatus est Iacob Rachel, & exclamans voce sua flevit; & indicavit ei, quia frater est ejus, & quia filius Rebeccæ est.* Consuetudinis quidem fuit, maximè in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquas oscularentur, & hoc hodie fit in multis locis: sed quæri potest, quomodo ab incognito illa osculum acceperit, si postea indicavit Jacob propinquitatem suam. Ergo intelligendum est, aut illum qui jam audierat quæ illa esset, fidenter in ejus osculum irruisse; aut postea Scripturam narrasse per recapitulationem quod primò factum erat, id est quòd indicaverit Jacob quis esset. Sicut de paradiso postea dicitur, quomodo Deus eum instituerit, cùm jam dictum esset, quòd plantavit Deus paradisum, & posuerit illic hominem quem finxerat: & multa alia per recapitulationem dicta intelliguntur.

Quæst. LXXVIII. Gen. 29. 20. Quod scriptum est, *Et servivit Iacob pro Rachel annis septem; & erant in conspectu ejus velut pauci dies, eo quòd diligebat illam*, quærendum quomodo dictum sit, cùm magis etiam breve tempus longum esse soleat amantibus. Dictum est ergo propter laborem servitutis, quem facilem & levem amor faciebat.

Quæst. LXXXIX. Gen. 29. 27. Si parum advertatur rei hujus narratio, putabitur quòd postea quàm Liam Jacob duxit uxorem, deinde servivit alios septem annos pro Rachel, & tunc eam duxit. Verùm autem non ita est, sed Laban ei dixit, *Consumma itaque* [a] *septimanam istius, & dabo tibi & hanc pro opere quod operaberis apud me adhuc septem annos alios.* Quod itaque ait, *Consumma septimanam istius*, ad nuptiarum celebrationem pertinet, quæ septem diebus celebrari solent. Hoc itaque ait, Imple dies nuptiarum septem pertinentes ad istam, quam duxisti, & dabo tibi & hanc pro eo quod operaberis apud me adhuc septem annos alios. Deinde sequitur, *Fecit autem Iacob sic, & implevit septimanam ejus*, id est septem dies nuptiarum Liæ, *& dedit illi Laban Rachel filiam suam ipsi uxorem. Dedit autem Laban Rachel filiæ suæ Ballam ancillam suam ei ancillam, & intravit ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis quàm Liam, & servivit illi septem annos alios.* Utique apparet, quia postea quàm duxit Rachel, tunc servivit pro ea septem annos alios. Nimis enim durum & valde iniquum fuit, ut deceptum adhuc differret alios annos septem, & tunc eam traderet, quam primò debuit. Septem autem diebus solere nuptias celebrari, etiam liber Judicum ostendit in Sampson, quando fecit [b] potum septem diebus. Et addidit Scriptura, quòd sic solerent facere juvenes: fecit autem hoc propter nuptias suas.

Quæst. XC. Gen. 30. Gen. 16. 3. Gen. 25. 1. Gen. 30. Non facilè dignoscitur, quas concubinas appellet Scriptura, quas uxores; quandoquidem & Agar dicta est uxor, quæ postea dicitur concubina, & Cethura, & ancillæ quas dederunt Rachel & Lia viro suo. Nisi fortè omnis concubina uxor, non autem omnis uxor concubina more loquendi Scripturarum appellatur: id est, ut Sara & Rebecca & Lia & Rachel concubinæ dici non possint; Agar verò & Cethura & Balla & Zelfa, & uxores & concubinæ.

Quæst. XCI. Gen. 30. 11. Quod Latini habent, nato filio Liæ de Zelfa, quòd dixerit *Beata* vel *Felix facta sum*, Græci habent, εὐτύχη, quod magis bonam fortunam significat. Unde videtur occasio non bene intelligentibus dari, tamquam illi homines fortunam coluerint, aut hoc verbum divinarum Scripturarum auctoritas in usu receperit. Sed aut fortuna intelligenda est pro his rebus, quæ fortuitò videntur accidere, non quia numen aliquod sit, cùm hæc ipsa tamen quæ fortuita videntur, caussis occultis divinitus dentur; unde etiam verba, quæ nemo potest auferre à consuetudine loquendi, parata sunt, id est fortè & fortasse & forsitan & fortuitò; unde videtur & in Græca lingua resonare, quod dicunt τύχα, velut ab eo quod est τύχη: aut certè Lia propterea sic locuta est, quòd adhuc gentilitatis consuetudinem retinebat. Non enim hoc Jacob dixit, ut ex hoc data huic verbo putetur auctoritas.

Quæst. XCII. Gen. 30. 30. Quod Jacob dicit, *Et benedixit te Dominus in pede meo*; satis advertendus est & notandus Scripturarum sensus, ne cùm ita quisque locutus fuerit, quasi augurari videatur. Multum enim interest quod adjecit, *Benedixit te Dominus in pede meo:* in ingressu enim meo voluit intelligi, gratias hinc agens Deo.

Quæst. XCIII. Gen. 30. 37. In facto Jacob cùm virgas excorticavit, detrahens viride, ut album variè appareret, & sic in conceptu fetus pecorum variarentur, cùm matres in alveis aquarum biberent, & visis virgis illam varietatem conspicerent; multa dicuntur similiter fieri in animalium fetibus: sed & mulieri accidisse traditur, & scriptum reperitur in libris antiquissimi & peritissimi medici Hippocratis, quòd suspicione adulterij fuerat punienda, cùm puerum pulcherrimum peperisset utrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus medicus solvisset quæstionem, illis admonitis quærere, ne fortè aliqua talis pictura esset in cubiculo; quâ inventâ mulier à suspicione liberata est. Sed ad hanc rem quam fecit Jacob, virgarum ex diversis arboribus trium copulatio quid contulerit utilitatis, quod adtinet ad varias pecudes multiplicandas, non apparet omnino; nec aliquid ad hoc commodum interest, utrùm ex unius generis ligno varientur virgæ, an plura sint lignorum genera, cùm sola quæratur lignorum varietas: ac per hoc cogit inquiri prophetiam, & aliquam figuratam significationem res ista, quam sine dubio ut propheta fecit Jacob; & ideo nec fraudis arguendus est. Non enim tale aliquid, nisi revelatione spiritali, eum fecisse credendum est. Quod autem ad justitiam pertinebat, sicut alij interpretes apertiùs hoc narrant, non ponebat virgas in se-

a MSS. novem constanter habent, *septima*. Sic etiam Am. & Rat.

b Lov. *convivium*, pro quo Rat. Am. Er. & MSS. *potum*; quæ vox usurpata est ex libro Jud. c. 14. v. 10. ubi LXX. verterunt, ἐποίησε πότον.

cundo

cundo conceptu ovium: quod tanto obscurius, quanto brevius à Septuaginta dictum est, *Quia cùm peperissent, non ponebat*; quod intelligitur cùm primùm peperissent, ut jam non solere ponere intelligatur, cùm secundò parituræ essent, ne ipse auferret omnes fetus, quod iniquum fuit. v. 42.

Quæst. XCIV. Gen. 31. 30. Quod Laban dicit, *Quare furatus es deos meos?* hinc est illud fortasse, quòd & augurari se dixerat, & ejus filia bonam fortunam nominaverat. Et notandum est, quòd à principio libri nunc primùm invenimus deos gentium: superioribus quippe Scripturæ locis Deum nominabant.

Quæst. XCV. Gen. 31. 41 Quid est quod dicit Jacob socero suo, *Et decepisti mercedem meam decem agnabus?* Hoc enim quando & quomodo factum sit, Scriptura non narrat: sed utique factum est quod iste commemorat: nam dixit hoc & uxoribus suis, quando eas vocavit in campum. Conquerens enim de patre illarum, ait inter cetera, *Et mutavit mercedem meam decem agnorum.* Intelligitur ergo per singula tempora partus ovium, cùm videret Laban tales fetus esse natos, quales placuerat ut ad Jacob pertinerent, pactum fraude mutasse, & dixisse ut futuro fetu alios pecudum colores haberet in mercede Jacob. Tunc autem ille virgas varias non supponebat, & non nascebantur varij, sed unius coloris, quæ Jacob ex novo pacto auferebat. Quod cùm vidisset Laban, rursus pactum fraude mutabat, ut ad Jacob varia pertinerent: tunc illarum suppositione virgarum varia nascebantur. Ergo quod ait Jacob uxoribus suis, *Mutavit mercedem meam decem agnorum*, & postea ipsi Laban, *Decepisti mercedem meam decem agnabus*, non ita dixit quasi provenerit socero ejus ipsa fraus; ut enim non ei proveniret, Deum sibi dixit adversùs illum adfuisse: decem verò agnos vel decem agnas, pro decem temporibus posuit, quibus oves quas pascebat per sexennium pepererunt. Bis quippe pariebant in anno: contigerat autem ut primo anno, quo inter se pacti sunt, & ad eas pascendas placito hujus mercedis accessit, semel parerent in fine anni, quia cùm accessit, jam semel pepererant: rursumque sexto anno, id est ultimo, cùm semel peperissent, exorta necessitate profectionis, priùs recederet, quàm iterum parerent: ac per hoc cùm primus annus atque ultimus duos ovium partus sub illo haberent, hoc est singulos, medij verò quatuor anni binos, fiunt omnes decem. Nec mirum quòd hæc decem tempora nomine agnorum appellavit, qui eisdem temporibus nascebantur; velut si quisquam dicat, Per tot vindemias, aut Per tot messes, quibus numerus intelligatur annorum: unde ait quidam, Post aliquot aristas; per aristas videlicet messes, & per messes annos significans. Pecudum autem illius regionis fecunditas, sicut Italarum, tanta fertur, ut bis in anno pariant. Ibidem 7. Virgil. in Bucol. Eclog. 1.

Quæst. XCVI. Gen. 31. 45. Sumsit *autem Iacob lapidem, & constituit eum titulum.* Diligenter animadvertendum est, quomodo istos titulos in rei cujusque testimonio constituebant: non ut eos pro diis colerent, sed ut eis aliquid significarent.

Quæst. XCVII. Gen. 31. 47. Quod acervum lapidum, quem inter se constituerant Laban & Jacob, cum aliquanta diversitate appellaverunt, ut eum vocaret Laban Acervum testimonij, Jacob Acervum testem, traditur ab eis qui & Syram & Hebræam linguam noverunt, propter proprietatem suæ cujusque linguæ factum. Fieri enim solet, ut aliâ linguâ non dicatur uno verbo, quod aliâ dicitur, & vicinitate significationis quidque appelletur. Nam postea dicitur, *Propter hoc appellatum est nomen, Acervus testatur.* Hoc enim mediè positum est, quod utrique conveniret, & ei qui dixerat *Acervus testimonij*, & ei qui dixerat *Acervus testis.* v. 48.

Quæst. XCVIII. Gen. 31. 48. Quid est quod loquendo Laban ad Jacob dicit, *Testatur acervus hic, & testatur titulus hic. Propter hoc appellatur nomen, Acervus testatur. Et visio quam dixit, Respiciat Deus inter me & te?* Nisi fortè ordo est, *Et visio quam dixit Deus, Respiciat inter me & te*, Deus quippe illi dixerat in visione, ne lederet Jacob.

Quæst. XCIX. Gen. 31. 50. Quid est quod dicit in consequentibus Laban, *Vide, nemo nobiscum est?* nisi fortè nemo extraneorum, aut propter testificationem Dei, quem ita habere deberent, tamquam nemo cum eis esset, quem testimonio ejus adjungerent.

Quæst. C. Gen. 31. 53. Et *juravit Iacob per timorem patris sui Isaac. Per timorem* utique quo timebat Deum, quem timorem etiam superiùs commendavit, cùm diceret, *Deus patris mei Abrahæ, & timor patris mei Isaac.* v. 42.

Quæst. CI. Gen. 32. 2. Castra Dei quæ vidit Jacob in itinere, nulla dubitatio est quòd Angelorum fuerit multitudo: ea quippe in Scripturis militia cæli nominatur.

Quæst. CII. Gen. 32. 6. Nuntiato sibi fratre suo Jacob veniente obviàm ei cum quadringentis viris, turbatus est quidem & mente confusus, quoniam timuit valde: & ut visum est homini perturbato, divisam multitudinem suam in duo castra disposuit. Ubi quæri potest, quomodo habuerit fidem promissis Dei, quando quidem dixit, *Si venerit ad castra prima frater meus, & exciderit ea, erunt secunda in salutem.* Sed etiam hoc fieri potuit, ut everteret castra ejus Esaiu, & tamen Deus post illam afflictionem adesset, & liberaret eum, & quæ promisit impleret. Et admonendi fuimus hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur. Denique post hæc, quæ verba dicat idem Jacob, considerandum est: *Deus*, inquit, *patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac, Domine qui dixisti mihi, Recurre in terram generationis tuæ, & bene tibi faciam, idoneus es mihi ab omni justitia & ab omni veritate, quæ fecisti puero tuo: in virga enim mea ista transij Iordanem hunc, nunc autem factus sum in duo castra: erue me de manu fratris mei, de manu Esaiu; quia ego timeo illum, ne cùm venerit feriat me & matres super filios. Tu autem dixisti, Benefaciam tibi, & ponam semen tuum tamquam arenam maris, quæ non dinumerabitur præ multitudine.* Satis in his verbis & humana infirmitas, & fides pietatis apparet. v. 8. v. 9. &c.

Quæst. CIII. Gen. 32. 20. Quod Latini codices habent de Jacob, *Dixit enim, Placabo vultum ejus, in muneribus præcedentibus eum:* scriptor libri qui narrans ait de Jacob, *Dixit enim placabo vultum ejus*, huc usque verba Jacob dixisse intelligitur, cetera verò sua intulisse quod ait, *in muneribus præcedentibus eum:* tamquam diceret, in muneribus quæ præcedebant Jacob, Placabo vultum fratris mei. Ordo est ergo verborum Jacob, *Placabo vultum ejus, & post hoc videbo faciem ejus; forsitan enim suscipiet faciem meam.* Interposita autem sunt verba scriptoris, *in muneribus præcedentibus eum.*

Quæst. CIV. Gen. 32. 26. Quod ab illo Angelo desiderat Jacob benedici, cui luctando prævaluit, magna est de Christo prophetia. Nam eo ipso admonet mysticum aliquid sapere, quia omnis homo à majore vult bene-

dici. Quomodo ergo ab eo benedici iste voluit, quem luctando superavit? Prævaluit enim Jacob Christo, vel potiùs prævalere visus est, per eos Israëlitas à quibus crucifixus est Christus; & ab eo tamen benedicitur in eis Israëlitis, qui crediderunt in Christum, ex quibus erat qui dicebat, Nam & ego Israëlita sum ex[a] semine Abraham, tribu Benjamin. Unus ergo atque idem Jacob & claudus & benedictus: claudus in latitudine femoris, tamquam in multitudine generis, de quibus dictum est, Et claudicaverunt à semitis suis; benedictus autem in eis de quibus dictum est, Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.

Rom. 11. 1. a — Psal. 17. 46. — Rom. 11. 5.

QUÆST. CV. Gen. 33. 10. — QUID sibi vult quod Jacob ait fratri suo, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cùm videt aliquis faciem Dei:* utrùm paventis & perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt; an secundùm aliquem intellectum sine peccato dicta accipi possunt? Fortassis enim quia dicti sunt & gentium dij, quæ sunt dæmonia, non præjudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dixit, Quemadmodum si viderem faciem Dei, sed, *Cùm videt aliquis:* ipse autem aliquis, quem significare possit, incertum est: atque ita fortasse temperata sunt verba, ut & ipse Elaü sibi delatum tantum honorem gratè acciperet, & qui hæc etiam [b] aliter intelligere possunt, eum à quo dicta sunt nullo crimine impietatis arguerent. Quòd & si benigno animo dicta hæc verba fraterna sunt, quoniam & post bonam susceptionem metus ipse transierat, potuit sic dici, quemadmodum & Moyses Pharaonis deus dictus est, secundùm quod dicit Apostolus, Et si sunt qui dicuntur dij, sive in cælo, sive in terra, quemadmodum sunt dij multi, & domini multi: maximè quia sine articulo, in Græco dictum est; quo articulo evidentissimè solet veri Dei unius fieri significatio. Non enim dixit, πρόσωπον θεοῦ, sed dixit, πρόσωπον θεοῦ: facilè autem hoc intelligunt qua distantiâ dicatur, qui Græcorum eloquium audire atque intelligere solent.

b — Exodi 7. 1. — 1 Cor. 8. 5.

QUÆRITUR utrùm mendaciter promiserit Jacob fratri suo, quòd sequens pedes suorum, in itinere propter quos si moraretur, venturus esset ad eum in Seir: hoc enim, sicut Scriptura deinde narrat, non fecit, sed eo perrexit itinere quod dirigebat * ad suos. An fortè veraci animo promiserat, sed aliud postea cogitando delegit?

QUÆST. CVI. Gen. 33. 14. — * f. ad Sichimos.

QUOMODO Scriptura dicit, quòd *vidit Sychem filius [c] Emmor Evæi, princeps terræ, Dinam filiam Jacob, & accepit eam, & dormivit cum ea, & humiliavit eam: & intendit animo Dinæ filiæ Jacob, & adamavit virginem, & locutus est secundùm sensum virginis [d] ipsi?* Quomodo virgo appellatur, si jam cùm illa dormierat, eamque humiliaverat? Nisi fortè virgo nomen ætatis est secundùm Hebræum eloquium: an potiùs per recapitulationem postea commemoratur quod primò factum est? Priùs enim potuit intendere animæ ipsius & amare virginem, & loqui secundùm sensum virginis, & deinde cum illa dormire, eamque humiliare.

QUÆST. CVII. Gen. 33. 2. — c — d

CUM paulò antè loquens Jacob cum fratre suo Esaü, infantes filios suos esse significet, qui Græcè dicuntur παιδία, quæri potest, quomodo potuerunt facere tantam stragem direptionemque civitatis, interfectis quamvis in dolore circumcisionis constitutis pro sorore sua Dina. Sed intelligendum est, diu illic habitasse Jacob, donec & filia ejus virgo fieret, & filij juvenes. Nam ita scriptum est, *Et venit Jacob in Salem in civitatem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, cùm advenit de Mesopotamia Syriæ, & applicuit ad faciem civitatis; & emit partem agri, in quo statuit illic tabernaculum suum, ab Emmor patre Sychem centum agnis; & statuit ibi aram, & invocavit Deum Israël.* * *Exiit autem Dina filia Liæ, quam peperit ipsi Jacob, ut condisceret filias regionis ejus*, & cetera. Apparet ergo his verbis non transeuntes, sicut viator solet, illic mansisse Jacob, sed agrum emisse, tabernaculum constituisse, aram instruxisse, ac per hoc diutiùs habitasse: filiam verò ejus cùm ad eam venisset ætatem, ut amicas habere jam posset, condiscere voluisse filias civium loci: atque ita factam esse pro illa cruentissimam cædem & deprædationem, quæ jam, ut puto, quæstionem non habet. Multitudo enim non parva erat cum Jacob, qui plurimùm ditatus fuit; sed filij ejus in hoc facto nominantur, quia ejusdem facti principes atque auctores fuerunt.

Gen. 33. 18. — * Gen. 34. 1.

QUÆST. CIX. Gen. 34. 30. — QUOD ait Jacob, timens bella finitimorum apud civitatem Salem, quam expugnaverunt filij ejus, *Ego autem exiguus sum numero, & convenientes super me, occident me:* propter bella plurium, quæ consurgere poterant, se dixit numero exiguum, non quòd minùs multos haberet, quàm possent sufficere expugnationi illius civitatis, cùm suos in itinere in bina castra diviserit.

QUÆST. CX. Gen. 35. 1. — DIXIT *autem Deus ad Jacob, Surge, & adscende in locum Bethel, & habita ibi, & fac ibi aram Deo, qui apparuit tibi, cùm fugeres à facie Esaü fratris tui.* Quid est quod non dixit, Et fac ibi aram mihi, qui apparui tibi; sed Deus dicit, *Fac ibi aram Deo qui apparuit tibi:* utrùm Filius ibi apparuit, & Deus Pater hoc dicit, an in aliquo genere locutionis annumerandum?

QUÆST. CXI. Gen. 35. 2. — QUOD Jacob adscensurus Bethel, ubi jussus est aram facere, dicit domui suæ & omnibus qui cum illo erant, *Tollite deos alienos, qui vobiscum sunt, de medio vestrùm*, &c. deinde dicitur, *Et dederunt Jacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures quæ erant in auribus eorum:* quæritur quare & inaures, quæ si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant, nisi quia intelligendum est phylacteria fuisse deorum alienorum. Nam Rebeccam à servo Abrahæ inaures accepisse Scriptura testatur: quod non fieret, si eis inaures habere ornamenti gratiâ non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ sunt, ut dictum est, idolorum phylacteria fuerunt.

QUÆST. CXII. Gen. 35. 5. — ET *factus est timor Dei in civitatibus, quæ circa illos erant, & non sunt consecuti post filios Israël.* Incipiamus animadvertere, quemadmodum Deus operetur in hominum mentibus. A quo enim timor Dei factus est in illis civitatibus, nisi ab illo qui sua promissa in Jacob filiisque tuebatur?

QUÆST. CXIII. Gen. 35. 6. — VENIT *autem Jacob in Luza, quæ est in terra Chanaan, quæ est Bethel.* Animadvertendum est tria jam nomina hujus civitatis commemorata; Ulammaus, quod dictum est eam priùs vocatam, cùm illuc priùs pergens in Mesopotamiam venisset Jacob; & Bethel, quod nomen ipse imposuit, & interpretatur domus Dei; & Luza, quod modò

Gen. 28. 19.

a MSS. & editiones Rat. Am & Er. *ex genere.*
b Duo MSS. *etiam rite intelligere.*
c MSS. octo, *Emmor Chorræus princeps terræ.*
d Am. Er. & Lov. *ipsius.* At Rat. & melioris notæ MSS. *ipsi:* juxta Interpr. LXX. αὐτῇ.

commemoratum est. Nec mirum debet videri: multis enim locis hoc accidit, & in civitatibus, & in fluminibus, & in quibusque terrarum, ut ex aliis atque aliis caussis vel adderentur, vel mutarentur vocabula, sicut etiam ipsis hominibus.

QUÆST. CXIV. Gen. 35. 9. & 10. — ITERUM in Luza apparuit Deus Jacob, & dixit ei, *Nomen tuum jam non vocabitur Jacob, sed Israël erit nomen tuum.* Hoc ei dicit ecce iterum Deus in benedictione, quæ repetitio confirmat magnum promissum in hoc nomine. Nam hoc mirum est, quibus etiam semel dictum est, ampliùs eos non vocari quod vocabantur, sed quod eis novum nomen imponebatur, omnino ampliùs aliquid non vocatos nisi quod eis impositum sit: istum autem per totam vitam suam & deinceps post vitam suam appellatum esse Jacob, cui * semel Deus dixerat, *Non jam vocaberis Jacob, sed Israël erit nomen tuum.* Nimirum ergo nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promissionem, ubi sic videbitur Deus, quomodo non est antea Patribus visus. Ibi non erit nomen vetus, quia nihil remanebit vel in ipso corpore vetustatis, & Dei visio summum erit præmium.

* f. non semel.

QUÆST. CXV. Gen. 35. 11. — IN promissis Jacob dicitur, *Gentes & congregationes gentium erunt ex te.* Quæritur utrùm gentes secundùm carnem, congregationes autem gentium secundùm fidem, an utrumque propter fidem gentium dictum est, si gentes appellari non possunt una gens Israël secundùm carnem.

QUÆST. CXVI. Gen. 35. 13. — ADSCENDIT *autem Deus ab eo loco, ubi locutus est cum eo; & statuit Jacob titulum in loco in quo locutus est cum eo, titulum lapideum; & libavit super eum libamen, & infudit super eum oleum; & vocavit Jacob nomen loci, in quo locutus est cum eo illic Deus, Bethel.* Iterum factum est hoc loco, quod factum fuerat, an iterum commemoratum est? Sed quodlibet horum sit, super lapidem libavit Jacob, non lapidi libavit. Non ergo sicut idololatræ solent aras ante lapides constituere, & tamquam diis libare lapidibus.

QUÆST. CXVII. Gen. 35. 26. — 1. QUOD duodecim filij computantur Israël, qui nati sunt ei, & dicitur, *Hi sunt filij Israël, qui nati sunt ei in Mesopotamia*, cùm Benjamin longè postea natus sit, cùm jam transiisset Bethel, & appropinquaret Bethlehem: frustra quidam conantes istam solvere quæstionem, dixerunt non legendum, *nati sunt*, sicut Latini plerique codices habent; sed, *facti sunt:* Græcè enim scriptum est ἐγένοντο: ita volentes intelligi etiam Benjamin, quamvis ibi natus non fuerit, ibi factum tamen; quia jam fuerat in utero seminatus, ut prægnans inde Rachel exiisse credatur. Hoc autem modo etiamsi, *nati sunt*, legeretur, possent dicere, jam in utero natus erat, quia conceptus erat: sicut de sancta Maria dictum est ad Joseph, Quod enim in ea natum est, de Spiritu-sancto est.

Gen. 34. 25. — Matth. 1. 20.

2. Sed aliud est, quod impedit hanc solutionem quæstionis hujus; quia si jam ibi Benjamin conceptus erat, qui filij Jacob grandes inde exierunt, vix annorum duodecim esse potuerunt. Viginti namque annos illic explevit, quorum primis septem sine conjugio fuit, donec serviendo id adipisceretur. Ut ergo primo anno, quo duxit uxorem, ei filius nasceretur, duodecim annorum esse potuit primitivus, cùm inde profectus est. Proinde si jam conceptus fuerat Benjamin, intra decem menses illa omnis via peracta est, & quidquid in itinere scriptum est de Jacob. Unde sequitur, ut filij ejus tam parvuli pro sorore sua Dina tantam stragem fecerint, tot homines trucidaverint, ita expugnaverint civitatem: in quibus Simeon & Levi, qui primi gladiis accincti intraverunt ad illos homines eosque peremerunt, undecim unus, alter autem decem annorum fuisse reperiatur, etiamsi per singulos annos sine intermissione illa pepererat: quod utique incredibile est, ab illius ætatis pueris illa omnia fieri potuisse, quando & ipsa Dina vix adhuc sex annorum fuit.

Proinde aliter solvenda quæstio est, ut ideo intelligatur dictum, commemoratis duodecim filiis, *Hi sunt filij Jacob, qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ*, quia inter omnes qui tam multi erant, unus tantùm erat non ibi natus, qui tamen inde habuit nascendi caussam, quòd ibi mater ejus patri copulata est. Sed solutio ista quæstionis aliquo exemplo similis locutionis firmanda est.

4. Nulla tamen est facilior solutio quæstionis hujus, quàm ut per synecdochen dictum accipiatur. Ubi enim pars major est, aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad duodecim Apostolos jam non pertinebat Judas, qui etiam mortuus fuit cùm Dominus resurrexit à mortuis, & tamen ipsius duodenarij numeri nomen Apostolus in Epistola sua tenuit, ubi ait, eum apparuisse illis duodecim. Cum articulo enim hoc Græci codices habent, ut non possint intelligi quicumque duodecim; sed illi in eo numero insignes. Eo modo locutionis puto & illud à Domino dictum, Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? ut non ad electionem etiam ipse pertinere videatur. Non enim facilè invenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali eliguntur à malis. Quòd si putaverimus & illum electum, ut per ejus traditionem Domini passio compleretur, id est malitiam ejus ad aliquid electam, bene utente Deo etiam malis; aliud adtendamus ubi ait, Non de omnibus vobis dico; ego scio quos elegi: ubi declarat ad electionem non pertinere nisi bonos. Ac per hoc illud quod dictum est, Ego vos duodecim elegi, per synecdochen dictum est, ut nomine majoris meliorisque partis, etiam illud complecteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet.

1 Cor. 15. 6. — Græc. οἱ δώδεκα. At Vulg. undecim. — Johan. 6. 70. — Johan. 13. 18.

5. Hic modus est in hoc eodem libro, ubi Emmor pro filio suo Sychem, ut acciperet Dinam filiam Jacob, exiit loqui cum eodem Jacob, & venerunt etiam filij ejus qui absentes erant, & ad omnes dicit Emmor, Sychem filius meus elegit animo filiam vestram, date ergo illi eam uxorem. Quia enim potior erat patris persona, per synecdochen filiam vestram dicens, etiam fratres tenuit hoc nomine, quorum non erat filia. Hinc est & illud, Curre ad oves, & accipe inde mihi duos hœdos: simul enim pascebantur oves & hœdi; & quia potiores sunt oves, earum nomine etiam caprinum pecus complexus est. Sic quia potior erat numerus undecim filiorum Jacob, qui nati fuerant in Mesopotamia, ipsorum commemoratione Scriptura complexa est etiam Benjamin, qui non erat ibi natus, & dictum est, *Hi sunt filij Jacob, qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ.*

Gen. 34. 6. — Gen. 27. 9.

QUÆST. CXVIII. Gen. 36. 1. — QUOD post narrationem mortis Isaac narratur quas uxores Esaü acceperit, & quos creaverit, recapitulatio intelligenda est. Neque enim post mortem Isaac fieri cœpit, cùm jam essent Esaü & Jacob centum-viginti annorum. Nam eos sexagenarius

suscepit, & vixit omnes annos vitæ suæ centum-octoginta.

QUÆST. CXIX. Gen. 36. 6. QUÆSTIO est, quomodo Scriptura dicat, post mortem Isaac patris sui Esaü abscessisse de terra Chanaan, & habitasse in monte Seir; cùm veniente de Mesopotamia Jacob fratre ejus, legatur quòd jam illic habitabat. Proinde quid fieri potuerit, ut Scriptura falli vel fallere non credatur; in promtu est cogitare, quòd scilicet Esaü postea quàm in Mesopotamiam frater ejus abscessit, noluit habitare cum parentibus suis, sive ex illa commotione qua dolebat se benedictione fraudatum, sive aliqua caussâ vel uxorum suarum, quas odiosas videbat esse parentibus, vel qualibet alia: & cœpit habitare in monte Seir. Deinde post reditum Jacob fratris sui, factâ inter eos concordiâ, reversus est & ipse ad parentes, & cùm mortuum patrem simul sepelissent, quia eos in plurimum ditatos terra illa, sicut scriptum est, minimè capiebat, abscessit rursus in Seir, & ibi propagavit gentem Idumæorum. Ibidem 7.

QUÆST. CXX. Gen. 36. 21. QUOD scriptum est, *Hi principes Chorræi filij Seir in terra Edom:* secundùm tempus quo vivebat, scriptor commemorat. Cùm autem Seir habitaret qui istos genuit, nondum veniente in illam terram Esaü, nondum utique appellabatur terra Edom. Non enim nomen nisi ab ipso Esaü inditum est terræ, quoniam idem ipse & Esaü & Edom vocabatur, de quo propagati sunt Idumæi, hoc est gens Edom.

QUÆST. CXXI. Gen. 36. 31. QUOD scriptum est, *Et hi reges qui regnaverunt in Edom, antequam regnaret rex in Israël*, non sic accipiendum est, tamquam omnes reges nominati sint usque ad ea tempora, quibus cœperunt reges Israël, quorum primus fuit Saül. Multi enim fuerunt in Edom usque ad tempora Saül, temporibus etiam Judicum, quorum tempora fuerunt ante reges: sed ex his multis eos solos potuit commemorare Moyses, qui fuerunt antequam ipse moreretur. Nec mirum est quòd numerantibus ab Abraham per Esaü patrem gentis Edom, atque per Raguel filium Esaü, & Zara filium Raguel, & Jobab filium Zara, cui Jobab successit in regno Balac, qui primus in terra Edom rex fuisse commemoratur, usque ad ultimum regem quem potuit nominare Moyses, plures generationes inveniuntur quàm numerantur ab Abraham per Jacob usque ad Moysen. Nam illic inveniuntur ferè duodecim, hîc autem usque ad Moysen fermè septem. Fieri enim potuit, ut ideo ibi plures nominarentur, quia citiùs moriendo plures alter alteri successerunt. Sic etiam contigit, ut alium ordinem sequens Matthæus, ab Abraham usque ad Joseph quadraginta-duas generationes numeraret: Lucas autem in ordine alio numerans generationes non per Salomonem, sicut ille, sed per Nathan, ab Abraham usque ad Joseph quinquaginta-quinque commemoret. In illo quippe ordine ubi plures numerantur, citiùs mortui sunt, quàm hîc ubi pauciores. Ne fortè autem moveat aliquem, quòd inter reges Edom commemoratur Balac filius Beor, & de similitudine nominis existimet illum esse Balac, qui restitit Moysi ducenti populum Israël: sciat illum Balac Moabitam fuisse, non Idumæum, eumque fuisse filium Sephor, non filium Beor: sed fuisse etiam ibi tunc filium Beor Balaam, non Balac, quem Balaam conduxerat idem Balac ad maledicendum populum Israël. Conciliatur Matthæus t. 1. cum Luca 3. 23. Gen. 36. 32. Num. 22. 2.

QUÆST. CXXII. QUOMODO potuerit mors Isaac, decem & septem annorum invenire Joseph ejus nepotem, sicut videtur tamquam ex ordine Scriptura narrare, quócumque se quisque convertat, invenire difficile est. Nolo enim dicere, non posse inveniri, ne fortè me fugiat quod alium non fugit. Si enim post mortem avi sui Isaac, decem & septem annorum fuit Joseph quando eum fratres in Ægyptum vendiderunt, procul dubio & pater ejus Jacob septimo-decimo anno filij sui Joseph centum-viginti annorum fuit. Genuit enim eos Isaac cùm esset annorum sexaginta, sicut scriptum est: vixit ergo Isaac postea centum-viginti, quia centesimo-octogesimo mortuus est: idcirco dimisit filios centum-viginti annos habentes, & Joseph decem & septem. Joseph autem quoniam triginta annorum fuit, quando apparuit in conspectu Pharaonis, secuti sunt autem septem anni ubertatis & duo famis, donec ad eum pater cum fratribus venit, triginta-novem profectò annos agebat Joseph quando Jacob intravit in Ægyptum. Tunc autem idem Jacob, quod ore suo Pharaoni dicit, centesimum & trigesimum annum agebat ætatis; centum autem & viginti Jacob, quando erat decem & septem Joseph: quod verum esse nullo modo potest. Si enim septimo-decimo anno vitæ Joseph, Jacob centum-viginti ageret, procul dubio trigesimo & nono anno Joseph, non centum-triginta, sed centum-quadraginta & duos annos agere inveniretur Jacob. Si autem die mortis Isaac, nondum erat annorum decem & septem Joseph, sed aliquantulo tempore post mortem avi sui ad septimum-decimum pervenit annum, quo anno Scriptura testante in Ægyptum est à fratribus venditus, plurium etiam quàm centum-quadraginta-duùm annorum esse debuit pater ejus, quando est filium in Ægyptum consecutus. Scriptura quippe postea quàm narravit annum vitæ ultimum Isaac centesimum & octogesimum, & ejus mortem ac sepulturam, deinde commemoravit quemadmodum digressus esset Esaü à fratre suo de terra Chanaan in montem Seir, & contexuit commemorationem regum & principum gentis ipsius, in qua se constituit, vel quam propagavit Esaü; post hæc, narrationem de Joseph sic intulit: *Habitabat autem Iacob in terra Chanaan. Hæ autem procreaturæ Iacob. Ioseph autem decem & septem annorum erat pascens cum fratribus oves.* Deinde narratur caussâ somniorum quemadmodum odiosus fratribus sit factus, & venditus. Aut ergo eodem anno septimo-decimo, aut etiam aliquanto major venit in Ægyptum: ac per hoc utrolibet modo permanet quæstio. Si enim decem & septem annorum fuit post mortem avi sui, quando pater ejus centum-viginti fuit; profectò anno ejus trigesimo & nono, quando Jacob venit in Ægyptum, centum-quadraginta-duos annos idem Jacob agere debuit: fuit autem tunc Jacob centum-triginta: ac per hoc si decem & septem annorum Joseph in Ægyptum est venditus, ante duodecim annos quàm moreretur avus ejus, venditus invenitur. Decem enim & septem annorum esse non potuit, nisi ante duodecim annos mortis Isaac, centesimo & octavo anno vitæ patris sui Jacob. His enim cùm adjecerimus viginti-duos annos quibus Joseph usque ad adventum patris sui fuit in Ægypto, fient ætatis anni Joseph triginta-novem, & Jacob centum-triginta, & nulla erit quæstio. Sed quoniam Scriptura post mortem Isaac ista narravit, putatur Joseph post ejusdem avi sui mortem decem & sep- Gen. 35. 28. & 37. 2. Gen. 35. 28. Gen. 36. 6. Gen. 37. 2. Ibid. 5.

tem annorum fuisse. Quapropter intelligamus de vita Isaac, tamquam multùm decrepiti senis, tacuisse Scripturam, cùm jam de Jacob & ejus filiis loqueretur: vivo tamen Isaac, decem & septem annorum esse cœpit Joseph.

QUÆST. CXXIII. Gen. 37. 10. QUOD dicit Jacob ad Joseph, *Quod est somnium hoc quod somniasti? Numquid venientes veniemus ego & mater tua & fratres tui adorare te super terram?* nisi in aliquo mysterio dictum accipiatur, quomodo intelligitur de matre Joseph, quæ jam erat mortua? Unde nec in Ægypto, cùm sublimaretur, putandum est hoc esse completum; quia nec pater eum adoravit, quando ad eum venit in Ægyptum, nec mater olim defuncta potuit. In Christi ergo persona facilè intelligi potest etiam de mortuis, secundùm illud quod dicit Apostolus, quia donavit » ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomi- » ne Jesu omne genu flectatur, cælestium, terre- » strium, & infernorum. Philip. 2. 9.

QUÆST. CXXIV. Gen. 37. 28. QUÆRITUR quare Ismaëlitas Scriptura, quibus à fratribus venditus est Joseph, etiam Madianitas vocet, cùm Ismaël sit de Agar filius Abrahæ, Madianitæ verò de Cethura? An quia Scriptura dixerat de Abraham, quòd munera dederit filiis concubinarum suarum, Agar scilicet & Cethuræ, & [a] dimiserit eos ab Isaac filio suo in terram Orientis, unam gentem fecisse intelligendi sunt? Gen. 25. 6. a

QUÆST. CXXV. Gen. 37. 33. DE Jacob scriptum est, cùm lugeret Joseph, *Congregati sunt autem omnes filij ejus & filiæ, & venerunt consolari eum.* Quæ filiæ præter Dinam? An filios & filias dicit connumeratis nepotibus & neptibus: jam enim majores filij ejus filios habere potuerunt.

QUÆST. CXXVI. Gen. 37. 35. ET *noluit consolari, dicens, Quoniam descendam ad filium meum lugens in infernum.* Solet esse magna quæstio, quomodo intelligatur infernus, utrùm illuc mali tantùm, an etiam boni mortui descendere soleant. Si ergo tantùm mali, quomodo iste ad filium suum se dicit lugentem velle descendere? Non enim in pœnis inferni eum esse credit. An perturbati & dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis?

QUÆST. CXXVII. Gen. 37. 36. ET *vendiderunt Ioseph in Ægyptum Petephræ spadoni, præposito coquorum.* Nolunt quidam præpositum coquorum interpretari, qui Græcè ἀρχμάγειρος dicitur, sed præpositum militiæ, cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus est etiam ille, quem Nabuchodonosor misit, penes quem potiùs invenitur primatus fuisse militiæ.

QUÆST. CXXVIII. Gen. 38. 1. FACTUM *est autem in tempore illo descendit Iudas à fratribus suis ad hominem quemdam Odollamitam, cui nomen Iras: & vidit illic Iudas filiam hominis Chananæi nomine* [b] *Savam, & accepit eam, & introivit ad eam, & concepit, & peperit filium*, & cetera. Quæritur quando ista fieri potuerunt. Si enim postea quàm Joseph devenit in Ægyptum, quomodo intra viginti fermè & duos annos (nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad eumdem Joseph fratrem suum in Ægyptum cum patre suo) fieri potuerit, ut Judæ filij ejus ætatis omnes possent ducere uxores? Nam Thamar nurum suam mortuo primogenito suo, alteri filio dedit: quo etiam mortuo, exspectavit ut crescere tertius; & cùm crevisset, nec illi eam dedit, timens ne & ipse moreretur: unde factum est, ut eidem socero suo se illa supponeret. Quomodo ergo hæc omnia intra tam paucos annos fieri potuerint, meritò movet, nisi (ut fortè solet) Scriptura per recapitulationem aliquot annos ante venditum Joseph hoc fieri cœpisse intelligi velit; quoniam sic positum est, ut diceretur, *Factum est autem in illo tempore:* ubi tamen quæritur, si decem & septem annorum erat Joseph quando venditus est, quot annorum esse Judas potuerit quartus filius Jacob, quando quidem ipse primogenitus Ruben ut plurimum fratrem suum Joseph quinque aut sex annos potuerit ætate præcedere. Evidenter autem Scriptura dicit triginta annorum fuisse Joseph, quando innotuit Pharaoni. Cùm ergo ipse anno septimo-decimo ætatis suæ venditus fuisse credatur, tredecim annos peregerat in Ægypto ignotus Pharaoni: ad hos autem tredecim annos accesserunt septem anni ubertatis, & facti sunt anni viginti: his adduntur duo, quia secundo anno famis intravit Jacob in Ægyptum cum filiis suis, & inveniuntur viginti-duo anni, quibus abfuit Joseph à patre & à fratribus suis: quo medio tempore, quomodo fieri potuerint de uxore & filiis & nuru Judæ omnia quæ narrantur, indagare difficile est: nisi fortè ut credamus (& hoc enim fieri potuit) mox ut adolescere Judas cœpit, eum incidisse in amorem ejus quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph in Ægyptum. Gen. 41. 46. b

ET *depositis vestimentis viduitatis suæ à se.* Hinc insinuatur & temporibus Patriarcharum certa & sua fuisse vestimenta viduarum, non utique talia qualia conjugatarum. QUÆST. CXXIX. Gen. 38. 14.

QUOD iterum dicitur, *Ioseph autem depositus est in Ægyptum, & possedit eum Petephres spado Pharaonis*, ad ordinem redit Scriptura unde recesserat, ut illa narraret quæ suprà digesta sunt. QUÆST. CXXX. Gen. 39. 1.

QUOD aliqui codices Latini habent, *tria canistra alicæ*, cùm Græci habeant χονδροῖς, quod interpretantur, qui usum ejusdem linguæ habent, panes esse cibarios. Sed illud movet, quomodo panem cibarium potuerit Pharao habere in escis. Dicit enim in superiore canistro fuisse omnia, ex quibus edebat Pharao, opus [c] pistorum. Sed intelligendum est etiam ipsum canistrum habuisse panes cibarios, quia dictum est, tria canistra χονδροῖς, & desuper fuisse illa ex omni genere operis pistoris in eodem canistro superiore. QUÆST. CXXXI. Gen. 40. 16. c

QUOD putabat se stare Pharao super flumen, quemadmodum servus Abrahæ dixit, *Ecce ego sto super fontem aquæ:* (nam & ibi Græcus ἐπὶ τὴν πηγήν dixit, quemadmodum hîc ἐπὶ τὸν ποταμόν.) hæc locutio si intelligatur in Psalmo ubi scriptum est, *Qui fundavit terram super aquam*; non coguntur homines putare sicut navem natare terram super aquam. Secundùm hanc enim locutionem rectè intelligitur, quòd altior sit terra quàm aqua; altius quippe ab aquis sustollitur, ubi habitent terrena animalia. QUÆST. CXXXII. Gen. 41. 1. Gen. 24. 13. Psal. 23. 2.

QUOD scriptum est, *Obliviscentur ubertatis futuræ in tota terra Ægypti*, non futuræ illis qui famem patiebantur, tamquam postea veniat illis ubertas; sed futura erat tunc quando loquebatur, tamquam diceret, Ubertatis hujus, quam futuram significarunt boves bonæ & spicæ bonæ, obliviscentur homines in ea fame, quam significaverunt boves & spicæ malæ. QUÆST. CXXXIII. Gen. 41. 30.

NUMQUID *inveniemus hominem talem, qui habeat Spiritum Dei in se?* Ecce jam, nisi fallor, tertiò insinuatur nobis in hoc libro Spiritus-sanctus, id QUÆST. CXXXIV. Gen. 41. 38.

[a] Tres MSS. *divisorit.* Alij codices, *dimiserit.* hoc nempe acceptum est ex LXX. ἐξαπέστειλεν. illud concordat cum Vulgata, *separavit.*

[b] Sic MSS. juxta LXX. At editi ut in Vulgata *Sue.*

[c] MS. Corb. *opus pistorium:* & paulò infra, *oneris pistorij.*

quærendi sunt locutionum modi secundùm Scripturas.

Quaest. CLI. Gen. 46.15.

HI *filij Liæ, quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia Syriæ, & Dinam filiam ejus, omnes animæ filij & filiæ ejus triginta tres.* Numquid istæ omnes triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt? Sed utique filij & una filia, ex quibus nepotes commemorati sunt. Si ergo de uno Benjamin Suprà q. 117. quæstio nata fuerat, quando numeratis duodecim filiis Jacob & nominatim commemoratis dictum Gen. 35.26. est, *Hi filij Iacob qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ:* quanto major nunc quæstio est, quomodo triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt; nisi quia illa locutio confirmatur, tamquam ibi omnes orti sunt, quorum parentes ibi orti sunt. Deinde & illud jam non dubium est, in una filia filias nominari, plurali numero pro singulari posito.

Quaest. CLII. Gen. 46.26.

QUOD legitur sexaginta-sex animas intrasse cum Jacob in Ægyptum, exceptis videlicet filiis Joseph, & deinde illis annumeratis infertur, v. 27. *Septuaginta-quinque animæ erant, cum quibus Iacob intravit in Ægyptum,* sic accipiendum est, qui erant in domo Jacob, quando intravit in Ægyptum. Nam utique quos ibi invenit, non cum eis intravit. Sed quoniam diligentiùs discussa veritate reperiuntur duo nati jam fuisse cùm intravit, Ephræm & Manasses, quod non solùm hoc loco Hebræi codices habere dicuntur, verùm etiam ipsa secundùm Septuaginta interpretatio in Exodo declarat, nec Septuaginta interpretes mihi in hoc videntur errasse, qui propter aliquam mysticam significationem quadam velut prophetica libertate hunc numerum complere voluerunt, si adhuc vivente Jacob illi ex duobus filiis Manasse & Ephræm propagati sunt, quos eidem numero domus Jacob aggregandos judicaverunt. Sed quia invenitur Jacob decem & septem Gen. 47.28. annos vixisse in Ægypto, quomodo potuerunt filij Joseph illo vivo etiam nepotes habere, non invenitur. Gen. 45.6. Ingressus est enim Ægyptum Jacob secundo anno famis: Gen. 41.50. nati sunt autem filij Joseph in annis abundantiæ: quibuslibet annis ubertatis nati existimentur, à primo anno ubertatis usque ad secundum annum famis, quo ingressus est Jacob in Ægyptum, novem anni sunt; huc additis decem & septem quibus ibi vixit Jacob, viginti-sex anni reperiuntur. Quomodo ergo minùs quàm viginti & sex annorum juvenes etiam nepotes habere potuerunt? Sed neque ulla Hebraica veritate ista solvitur quæstio. Quemadmodum enim impleri potuit, ut tot nepotes susciperet Jacob antequam intraret in Ægyptum, etiam de Benjamin qui illa ætate venit ad fratrem? Gen. 46.21. sec. LXX. Non solùm autem Scriptura eum filios habuisse commemorat, sed & nepotes & pronepotem, qui omnes adnumerantur sexaginta-sex hominibus, cum quibus Jacob in Ægyptum, etiam secundùm Hebraicam veritatem perhibetur intrasse. Videndum est etiam, quid sibi velit, quòd cùm Joseph & filij ejus non ampliùs quàm octo commemorentur, Benjamin verò & ejus filij simul undecim reperiantur, non decem & novem omnes Ibidem 22. sicut sunt octo & undecim, sed decem & octo referantur in summam; & postea Joseph cum filiis Ibidem 27. suis, non animæ octo, sed novem fuisse dicantur, cùm octo inveniantur. Hæc omnia, quæ indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem, sed nescio utrùm possint cuncta ad litteram convenire, præcipuè in numeris, quos in Scripturis esse sacratissimos & mysteriorum plenissimos, ex quibusdam quos inde nosse potuimus, dignissimè credimus.

Quaest. CLIII. Gen. 46.32.

COMMENDATUR in Patriarchis, quòd pecorum nutritores erant à pueritia sua & à parentibus suis. Et meritò, nam hæc est sine ulla dubitatione justa servitus & justa dominatio, cùm pecora homini serviunt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum est cùm crearetur, Gen. 1.26. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris & volatilium cæli, & omnium pecorum quæ sunt super terram. Ubi insinuatur, rationem debere dominari irrationabili vitæ. SERVUM AUTEM HOMINEM HOMINI, vel iniquitas vel adversitas [a] fecit: iniquitas quidem, sicut dictum est, Maledictus Chanaan, Gen. 9.25. erit servus fratribus suis: adversitas verò, sicut accidit ipsi Joseph, ut venditus à fratribus servus alienigenæ fieret. Gen. 37.28. Itaque primos servos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatus jure belli posset occidi, quia servatus est, servus est appellatus: inde & mancipia, quia manu capta sunt. Servus. Mancipium. Est etiam ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris, & filij parentibus: quia & illic hæc justitia est, ut infirmior ratio serviat fortiori. Hæc igitur in dominationibus & servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant dominatione: quod cùm in hoc sæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diversitatem, ferunt justi temporalem perversitatem, in fine habituri ordinatissimam & sempiternam felicitatem.

Quaest. CLIV. Gen. 46.34.

ABOMINATIO *est enim Ægyptiis omnis pastor ovium.* Meritò Ægyptiis, in quibus figura est præsentis sæculi, in quo abundat iniquitas, abominatio est omnis pastor pecorum. Abominatio est enim iniquo vir justus.

Quaest. CLV. Gen. 47.5.

VENERUNT *autem in Ægyptum ad Ioseph Iacob & filij ejus: & audivit Pharao rex Ægypti, & ait Pharao ad Ioseph dicens, Pater tuus & fratres tui venerunt ad te: ecce terra Ægypti ante te est, in terra optima colloca patrem tuum & fratres tuos.* Hæc repetitio non prætermissæ rei, ad quam sæpe obscurè per recapitulationem reditur, sed omnino aperta est. Jam enim dixerat Scriptura quomodo Gen. 45.16. venerint ad Pharaonem fratres Joseph, & quid eis dixerit, vel ab eis audierit: sed hoc nunc velut ab initio repetivit, ut inde contexeret narrationem ab his verbis, quæ soli Joseph Pharao dixit: quorum omnium in codicibus Græcis, qui à diligentioribus conscripti sunt, quædam obeliscos habent, & significant ea quæ in Hebræo non inveniuntur, & in Septuaginta inveniuntur; quædam asteriscos, quibus ea significantur quæ habent Hebræi, nec habent Septuaginta.

Quaest. CLVI. Gen. 47.9.

QUID est quod dixit Jacob Pharaoni, *Dies annorum vitæ meæ, quos incolo?* Sic enim habent Græci, quod Latini habent *ago* vel *habeo*, vel si quid aliud. Utrùm ergo ideo dixit, *quos incolo*, quia in terra natus est, quam nondum populus divina promissione hereditatis acceperat; & ibi vitam ducens, utique in aliena terra erat, non solùm quando peregrinabatur, sicut in Mesopotamia, verùm etiam quando ibi erat ubi natus est. An potiùs secundùm id accipiendum est, quod ait Apostolus, Quamdiu 2. Cor. 5.6.

a Am. Er. & Lov. *dominari fecit.* Abest, *dominari*, ab omnibus MSS. & ab editione Rat.

sumus

sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Secundùm hoc & illud in Psalmo dictum intelligitur, Psal. 38.13. Inquilinus ego sum in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei. Nam iterum dicit de ipsis diebus vitæ suæ, *Non pervenerunt in dies annorum vitæ patrum meorum, quos dies incoluerunt.* Gen. 47.9. Non enim hîc aliud voluit intelligi, quàm id quod Latini codices habent, *vixerunt:* ac per hoc significavit hanc vitam incolatum esse super terram, id est peregrinationis habitationem. Sed credo sanctis hoc convenire, quibus aliam patriam æternam Dominus pollicetur. Unde videndum est, quemadmodum dictum Psal. 55.7. est de impiis, Incolent & abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt. De his enim convenientiùs accipitur, qui ut abscondant incolunt, id est ut insidientur filiis, non manent in domo in æternum.

Quaest. CLVII. Gen. 47.11.

ET *dedit eis possessionem in terra optima, in terra Ramessem, sicut præcepit Pharao.* Quærendum est, utrùm terra Ramessem ipsa sit Gessen. Ipsam enim petierant, & ipsam eis Pharao dari præceperat.

Quaest. CLVIII. Gen. 47.12. Gen. 37.9.

ET *metiebatur triticum patri suo Ioseph:* & tamen eum pater nec quando vidit adoravit, nec quando ab illo triticum accipiebat: quomodo ergo somnium Joseph modò impletum putabimus, & non potiùs majoris rei continere prophetiam?

Quaest. CLIX. Gen. 47.14.

ET *intulit Ioseph omnem pecuniam in domum Pharaonis.* Pertinuit ad Scripturam in hac etiam re commendare fidem [a] famuli Dei.

Quaest. CLX. Gen. 47.16.

DIXIT *autem illis Ioseph, Adducite pecora vestra, & dabo vobis panes pro pecoribus vestris, si defecit argentum.* Quæri potest, cùm Joseph frumenta collegerit, unde homines viverent, pecora unde vivebant, cùm tanta fames invalesceret: maximè v. 4. quia fratres Joseph Pharaoni dixerant, *Non sunt enim pascua pecoribus puerorum tuorum, invaluit enim fames in terra Chanaan;* & propter hanc etiam inopiam pascuorum se venisse commemoraverant. Proinde si ea fame pascua defecerant in terra Chanaan, cur in Ægypto non defecerant, eadem tunc fame ubique invalescente? An sicut perhibetur ab eis qui loca sciunt, in multis Ægypti paludibus poterant pascua non deesse, etiam cùm fames esset frumentorum, quæ solent Nili fluminis inundatione provenire? Magis enim dicuntur paludes illæ [b] feracia pascua gignere, quando aqua Nili minùs excrescit.

Quaest. CLXI. Gen. 47.29.

MORITURUS Jacob filio suo Joseph dicit, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, subjice manum tuam sub femore meo, & facies in me misericordiam & veritatem.* Eâ filium juratione constringit, qua servum constrinxit Abraham: Gen. 24.2. ille mandans unde uxor ducatur filio suo, iste sepulturam commendans corporis sui. In utraque tamen caussa nominata sunt duo illa, quæ magni habenda atque pendenda sunt in Scripturis omnibus, quacumque dispersim leguntur, misericordia & justitia, vel misericordia & judicium, vel misericordia & veritas, quandoquidem in quodam loco scriptum est, Psal. 24.10. Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Ita hæc duo multùm commendata multùm consideranda sunt. Servus autem Abrahæ dixerat, Gen. 24.49. Si facitis in dominum meum misericordiam & justitiam: sicut & iste filio suo dicit, * *ut facias in me misericordiam & veritatem.* (* f. & facies.) Quid sibi autem velit à tanto viro tam sollicita corporis commendatio, ut non in Ægypto sepeliatur, sed in terra Chanaan juxta patres suos, mirum videtur, & quasi absurdum, nec conveniens tantæ excellentiæ mentis propheticæ, si hoc ex hominum consuetudine metiamur. Si autem in his omnibus sacramenta quærantur, majoris admirationis gaudium ipsi qui invenerit orietur. Cadaveribus quippe mortuorum peccata significari in Lege, non dubium est, cùm jubentur homines post eorum contrectationem, sive qualemcumque contactum, tamquam ab immunditia purificari. Et hinc illa sententia ducta est, Eccli. 34.30. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? Sic & qui jejunat super peccata sua, & iterum ambulans hæc eadem facit. Sepultura ergo mortuorum remissionem significat peccatorum, eò pertinens quod dictum est, Psal. 31.1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Ubi ergo sepelienda erant hoc significantia cadavera Patriarcharum, nisi in ea terra ubi ille crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum? Mortibus enim Patriarcharum peccata hominum figurata sunt. Dicitur autem ab eo loco, quod Abrahamium vocatur, Abrahamium. ubi sunt ista corpora, abesse locum ubi crucifixus est Dominus ferè triginta millibus, ut etiam ipse numerus eum significare intelligatur, qui in baptismo apparuit ferè triginta annorum: & si quid aliud de re tanta, vel hoc modo vel subli miùs intelligi potest, dum tamen non frustra arbitremur tales ac tantos homines Dei tantam gessisse curam pro sepeliendis corporibus suis, cùm sit atque esse debeat fidelium ista securitas, quòd ubicumque corpora eorum sepeliantur, vel insepulta etiam per inimicorum rabiem relinquantur, aut pro eorum libidine dilacerata absumantur, non ideo vel minùs integram, vel minùs gloriosam eorum resurrectionem futuram.

Quaest. CLXII. Gen. 47.31.

QUOD habent Latini codices, *Et adoravit super caput virgæ ejus:* nonnulli codices emendatiùs habent, *Adoravit super caput virgæ suæ*, vel *in capite virgæ suæ*, sive *in cacumine*, vel *super cacumen.* Fallit eos enim verbum Græcum, quod eisdem litteris scribitur, sive *ejus*, sive *suæ:* sed accentus dispares sunt, & ab eis qui ista noverunt, in codicibus non contemnuntur; valent enim ad magnam discretionem. Quamvis & unam plus litteram habere posset, si esset suæ, ut non esset αὐτοῦ, sed ἑαυτοῦ. Ac per hoc meritò quæritur, quid sit quod dictum est. Nam facilè intelligeretur senem, qui virgam ferebat eo more, quo illa ætas baculum solet, ut se inclinavit ad Deum adorandum, id utique fecisse super cacumen virgæ suæ, quam sic ferebat, ut super eam caput inclinando adoraret Deum. Quid est ergo, *Adoravit super cacumen virgæ ejus*, id est filij sui Joseph? An fortè tulerat ab eo virgam, quando ei jurabat idem filius, & dum eam tenet, post verba jurantis, nondum illâ redditâ mox adoravit Deum? Non enim pudebat eum ferre tantisper insigne potestatis filij sui, ubi figura magnæ rei futuræ præsignabatur: quamvis in Hebræo facillima hujus quæstionis absolutio esse dicatur, ubi scriptum perhibent, *Et adoravit Israël ad caput lecti*, in quo utique senex jacebat, & sic positum habebat, ut in eo sine labore, quando vellet, oraret: nec ideo tamen quod Septuaginta interpretati sunt, nullum vel levem sensum habere putandum est.

Quaest. CLXIII. Gen. 48.4.

ETIAM hîc commemorans Jacob promissiones Dei erga se factas, dicit sibi dictum, *Faciam te in congregationes gentium:* quibus verbis magis fidelium

a Vetus cod. Corbeiensis, *famulis Dei.*

b MSS. quindecim, *feraciùs.*

vocationem significat, quàm carnalis generis propagationem.

QUAEST. CLXIV. Gen. 48. 5. QUOD scriptum est, dicente Jacob de Ephræm & Manasse, *Nunc ergo filij tui duo, qui facti sunt tibi in terra Ægypti priusquam ad te venirem in Ægyptum; mei sunt, Ephræm & Manasse, tamquam Ruben & Simeon erunt mihi; (natos autem si genueris posteà, tibi erunt;) in nomine fratrum suorum appellabuntur in sortibus eorum:* fallit legentes aliquando, ut existiment ita dictum, tamquam si alios genuisset Joseph, istorum nominibus eos Jacob appellari præciperet: quod non ita est. Verborum quippe ordo contexitur, *Nunc ergo filij tui duo, qui facti sunt tibi in terra Ægypti priusquam ad te venirem in Ægyptum, mei sunt, Ephræm & Manasse, tamquam Ruben & Simeon erunt mihi, in nomine fratrum suorum appellabuntur in sortibus eorum*, hoc est, simul hereditatem capient cum fratribus suis, ut simul vocentur filij Israël. Duæ quippe ipsæ tribus adjunctæ sunt, ut excepta tribu Levi, quæ sacerdotalis fuit, duodecim essent quæ terram dividerent, & decimas præberent. Illud autem interpositum est, quod de aliis filiis Joseph si nascerentur dixit.

QUAEST. CLXV. Gen. 48. 7. QUOD Jacob filio suo Joseph tamquam nescienti voluit indicare, ubi & quando sepelierit matrem ejus, cùm & ipse simul fuerit cum fratribus suis; sed etsi erat tam parvus ætate, ut illud vel curare vel animo retinere non posset, quæ res compulit modò dici? nisi fortè ad rem pertinuit commemorare ibi sepultam matrem Joseph, ubi Christus fuerat nasciturus.

QUAEST. CLXVI. Gen. 48. 14. QUOD ita benedicit nepotes suos Israël, ut dexteram manum minori imponat, majori autem sinistram, & hoc filio suo Joseph volenti corrigere quasi errantem atque nescientem, ita respondet, *Scio fili, scio, & hic erit in populum, & hic exaltabitur, sed frater ejus junior major illo erit, & semen ejus erit in multitudinem gentium:* hactenus de Christo accipiendum est, quatenus etiam de ipso Jacob & fratre ejus dictum est, Quia major serviet minori. Secundùm hoc enim significavit aliquid prophetiè hoc faciendo Israël, quòd populus posterior per Christum futurus generatione spiritali, superaturus erat populum priorem de carnali Patrum generatione gloriantem.

Ibidem 19. Gen. 25. 23.

QUAEST. CLXVII. Gen. 48. 22. QUOD dicit Jacob Sichimam se præcipuam dare filio suo Joseph, & addit quòd eam possederit in gladio suo & arcu, quæri potest, quemadmodum valeat ad litteram convenire. Emit enim centum agnis possessionem illam, non cepit jure victoriæ bellicæ. An quia Salem civitatem Sichimorum filij ejus expugnaverunt, & jure belli potuit ejus fieri, ut justum bellum cum eis gestum videatur, qui tantam priores injuriam fecerunt in ejus filia contaminanda? Cur non ergo illis illam terram dedit, qui hoc perpetraverunt, hoc est majoribus filiis suis? Deinde si modò ex illa victoria glorians, dat eam terram filio suo Joseph, cur ei displicuerunt tunc filij qui hoc commiserunt? Cur denique etiam nunc, cùm eos benediceret, exprobrando id commemoravit in factis eorum? Procul dubio ergo aliquod hîc latet propheticum sacramentum: quia & Joseph quadam præcipua significatione Christum præfiguravit, & ei datur illa terra, ubi disperdiderat obruendo deos alienos Jacob, ut Christus intelligatur possessurus gentes diis patrum suorum renuntiantes, & credentes in eum.

Gen. 33. 19. Gen 34 25. Gen. 49. 5

VIDENDUM quomodo dicant Scripturæ, quod assiduè dicunt de mortuis, *Et appositus est ad patres suos:* vel, *Appositus est ad populum suum.* Ecce enim de Jacob dicitur, jam quidem mortuo, sed nondum sepulto: & ad quem populum apponatur, non in promtu est videre. Ex illo enim populus prior nascitur, qui dictus est populus Israël: qui verò eum præcesserunt, tam pauci justi nominantur, ut eos populum appellare cunctemur. Nam si dictum esset, Appositus est ad patres suos, nulla quæstio fieret. An fortè populus est, non solùm hominum sanctorum, verùm & Angelorum, populus civitatis illius, unde dicitur ad Hebræos, Sed accessistis ad montem Sion, & ad civitatem Dei Jerusalem, & ad millia Angelorum exsultantium? Huic populo apponuntur qui [a] hanc vitam placentes Deo finiunt. Tunc enim dicuntur apponi, quando nulla jam remanet sollicitudo tentationum, & periculum peccatorum. Quod intuens ait Scriptura, Ante mortem ne laudes hominem quemquam.

QUAEST. CLXVIII. Gen. 49. 32. Hebr. 12 22. Eccli. 11. 30.

QUADRAGINTA dies sepulturæ, quos commemorat Scriptura, fortè significant aliquid pœnitentiæ, qua peccata sepeliuntur. Non enim frustra etiam quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moyses & Elias, & ipse Dominus jejunavit: & Ecclesia præcipuam observationem jejuniorum Quadragesimam vocat. Unde & in Hebræo de Ninivitis apud Jonam prophetam scriptum perhibent, Quadraginta dies & Ninive evertetur: ut per tot dies, accommodatos videlicet humiliationi pœnitentium, intelligantur in jejuniis sua deflevisse peccata, & impetrasse misericordiam Dei. Nec tamen putandum est, istum numerum luctui pœnitentium tantummodo convenire: alioquin non quadraginta dies fecisset Dominus cum discipulis suis post resurrectionem, intrans cum eis & exiens, manducans & bibens; qui dies utique magnæ lætitiæ fuerunt. Nec Septuaginta interpretes, quos legere consuevit Ecclesia, errasse credendi sunt, ut non dicerent Quadraginta dies, sed, Triduum & Ninive evertetur. Majore quippe auctoritate præditi quàm interpretum officium est, prophetico spiritu, quo etiam ore uno in suis interpretationibus, quod magnum miraculum fuit, consonuisse firmantur, Triduum posuerunt, quamvis non ignorarent quod dies quadraginta in Hebræis codicibus legerentur, ut in Domini Jesu Christi clarificatione intelligerentur dissolvi abolerique peccata; de quo dictum est, Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Clarificatio autem Domini in resurrectione & in cælum adscensione cognoscitur. Unde & bis numero, quamvis unum & eumdem, Spiritum-sanctum dedit, primò postea quàm resurrexit, iterum postea quàm adscendit in cælum. Et quoniam post triduum resurrexit, post quadraginta autem dies adscendit; unum horum, quod posterius factum est, per numerum dierum codices Hebræi significant: alterum autem de triduo, quod ad eamdem etiam rem pertineret, Septuaginta commemorare, non interpretationis servitute, sed prophetiæ auctoritate voluerunt. Non ergo dicamus unum horum falsum esse, & pro aliis interpretibus adversùs alios litigemus, cùm & illi qui ex Hebræo interpretantur, probent nobis hoc scriptum esse quod interpretantur; & Septuaginta interpretum auctoritas, quæ tanto etiam divinitus facto miraculo commendatur, tanta in Ecclesiis vetustate firmetur.

QUAEST. CLXIX. Gen. 50. 3. Exod. 34. 28. 3. Reg. 19. 8. Matth. 4. 2. Jona 3. 4. Septuaginta interpretes.

[a] Editi, *qui post hanc vitam placentes Deo fiunt.* Hunc locum emendamus auctoritate MSS. quibus Eugypij abbatis collectio cùm in excusis, tum in duobus Corbeiens. MSS. suffragatur.

QUAEST. CLXX. Gen. 50. 5. QUOD mandavit Joseph ad potentes Ægypti, ut dicerent Pharaoni nomine ejus, *Pater meus adjuravit me, dicens, In monumento quod ego fodi mihi in terra Chanaan, ibi me sepelies*, quæri potest, quomodo verum sit, cùm hæc verba patris ejus, quando de sua sepultura mandavit, non legantur. Sed ad sententiam verba referre debemus, sicut in aliis suprà similiter iteratis verbis vel narrationibus admonuimus. Voluntati enim enuntiandæ, & in notitiam perferendæ, oportet verba servire. Fodisse autem sibi Jacob sepulcrum, nusquam superiùs in Scripturis legitur. Sed nisi fieret, cùm in eisdem terris esset, modò non diceretur.

QUAEST. CLXXI. Gen. 50. 10. QUID sibi vult, quòd cùm pergerent ad sepeliendum Jacob, Scriptura dicit; *Et advenerunt ad aream Atad, quæ est trans Jordanem?* Prætergressi sunt enim locum, in quo erat mortuus sepeliendus, millia (sicut perhibent qui noverunt) plusquam quinquaginta: tantum quippe spatij est, plus minùs, ab eo loco ubi sepulti sunt Patriarchæ, in quibus & Jacob, usque ad hunc locum, quò eos advenisse narratur. Nam post factum ibi luctum & planctum magnum redierunt ad locum quem præterierant, rursus Jordane transjecto. Nisi fortè quis dicat, aliquorum hostium vitandorum causâ per eremum eos venisse cum corpore, quâ etiam populus Israël ductus est per Moysen ab Ægypto liberatus. Illo quippe itinere & plurimùm circuitur, & per Jordanem venitur ad [a] Abrahamium, ubi sunt corpora Patriarcharum, id est ad terram Chanaan. Sed quoquo modo factum sit, ut trans illa loca ad Orientem versùs tantum iretur, & inde ad ea per Jordanem veniretur, significationis causâ factum esse credendum est, quòd per Jordanem venturus erat ad eas terras postea Israël in filiis suis.

QUAEST. CLXXII. Gen. 50. 10. ET *fecit luctum patri suo septem dies.* Nescio utrùm inveniatur alicui sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos [b] Novemdial appellant. Unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum servant, qui magis est in gentilium consuetudine. Septimus verò dies auctoritatem in Scripturis habet: unde alio loco scriptum est, Luctus mortui septem dierum, fatui autem omnes dies vitæ ejus. Septenarius autem numerus propter sabbati sacramentum præcipuè quietis indicium est: unde meritò mortuis tamquam requiescentibus exhibetur. Quem tamen numerum in luctu Jacob decuplaverunt Ægyptij, qui eum septuaginta diebus luxerunt.

a b Novemdial. Eccli. 22. 13. Gen. 50. 3.

QUAEST. CLXXIII. Gen. 50. 22. ET *vixit Joseph annos centum-decem; & vidit Joseph Ephræm filios usque ad tertiam generationem, & filij Machir filij Manasse nati sunt super femora Joseph.* Cùm hos filios filiorum, vel nepotes filiorum dicat Scriptura Joseph vivendo vidisse, quomodo eos jungit illis septuaginta-quinque hominibus, cum quibus Jacob Ægyptum dicit intrasse: quandoquidem Joseph senescendo pervenit ut eos natos videret; Jacob autem cùm ingressus est in Ægyptum, juvenis erat Joseph, & eum pater moriens quinquagesimum & sextum ferè ætatis annum agentem reliquit? Unde constat certi mysterij causâ illum numerum, id est septuagenarium & quinarium Scripturam commendare voluisse. Si autem quisquam exigit, quomodo etiam secundùm historiæ fidem verum sit, Jacob cum septuaginta-quinque animabus in Ægyptum intrasse; non illo uno die quo venit, ejus ingressum oportet intelligi, sed quia in filiis suis plerumque appellatur Jacob, hoc est in posteris suis, & per Joseph eum constat in Ægyptum intrasse, introitus ejus accipiendus est quamdiu vixit Joseph, per quem factum est ut intraret. Toto quippe illo tempore nasci & vivere potuerunt omnes, qui commemorantur, ut septuaginta-quinque animæ compleantur usque ad nepotes Benjamin. Sicut enim dicit, *Hi filij Liæ, quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia Syriæ*, loquens etiam de iis, qui non erant nati; quia illic parentes eorum, ex quibus nati sunt, pepererat, ibi eos perhibens natos, quoniam caussa qua nascerentur ibi nata est, id est parentes eorum, quos ibi Lia peperit: ita quoniam caussam intrandi in Ægyptum Jacob in Joseph habuit, totum tempus quo in Ægypto vixit Joseph, ingressio erat Jacob in Ægyptum per suam progeniem, quæ illo vivo propagabatur, per quem factum est ut ingrederetur.

Gen. 50. 5. Gen. 46. 15.

[a] Rat. *ad Abrahamum.* Am. Et. & Lov. *ad Mambram.* Legendum cum MSS. *ad Abrahamium*, uti supra in q. 161.

[b] Eugypij collectio MS. *Novemdialia.*

LIBER SECNDUS.

Quæstiones in Exodum, & in fine descriptio Tabernaculi.

QUAEST. I. Exodi 1. 19. DE obstetricum mendacio, quo fefellerunt Pharaonem, ne occiderent masculos Israëlitas quando nascebantur, dicentes, non ita parere mulieres Hebræas sicut pariebant Ægyptiæ, quæri solet, utrùm talia mendacia approbata sint auctoritate divina, quandoquidem scriptum est, Deum bene fecisse obstetricibus: sed utrùm pro misericordia ignoscebat mendacio; an & ipsum mendacium dignum præmio judicabat, incertum est. Aliud enim faciebant obstetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiendo: nam in illis vivificandis opus misericordiæ fuit; mendacio verò illo pro se utebantur, ne noceret illis Pharao, quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere. Neque hinc auctoritatem ad mentiendum esse propositam mihi videtur eis de quibus dictum est, Et non est inventum in ore eorum mendacium. Quorumdam enim vita longè inferior à professione sanctorum, si habeat ista mendaciorum peccata, provectu ipso & indole feruntur, præsertim si beneficia divina nondum norunt exspectare cælestia, sed circa terrena occupantur. Qui autem ita vivunt, ut eorum conversatio, sicut dicit Apostolus, in cælis sit, non eos

Ibidem 20. Apoc. 14. 5. Philip. 3. 20.

existimo linguæ suæ modum, quantum ad veritatem A promendam adtinet falsitatemque vitandam, exemplo illo obstetricum debere formare. Sed diligentiùs de hac quæstione disserendum est, propter alia exempla quæ in Scripturis reperiuntur.

QUÆST. II. *Exodi 2. 12.* * *Lib. 22. cap. 60. & seq.* DE facto Moysi, cùm occidit Ægyptium ad defendendos fratres suos, satis disputavimus in illo opere, * quod de vita Patriarcharum adversùs Faustum scripsimus: utrùm indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatum admiserit, sicut solet uber B terræ, etiam ante utilia semina, quadam herbarum quamvis inutilium feracitate laudari; an omnino ipsum factum justificandum sit. Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana societate ordinatam. Tamen sicut Stephanus dicit in *Act. 7. 25.* Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quòd per eum Deus daret illis salutem: ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc audere potuisse.

QUÆST. III. *Exodi 3. 4. Isai. 9. 6.* CLAMAVIT [a] *illum Dominus de rubo.* Dominus in Angelo, an Dominus Angelus ille qui dictus est, Magni consilij Angelus, & intelligitur Christus? Suprà enim dixit, *Apparuit illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo.*

QUÆST. IV. *Exodi 3. 8.* EDUCERE *illos de terra illa in terram bonam & multam, in terram fluentem lac & mel:* utrùm terram fluentem lac & mel spiritaliter accipere debemus; quia secundùm proprietatem non hoc erat illa, quæ data est populo Israël: an locutionis est, qua id ad laudem ubertatis & suavitatis referatur?

QUÆST. V. *Exodi 3. 9. Gen. 18. 20.* ET *nunc ecce clamor filiorum Israël venit ad me:* non sicut clamor Sodomorum, quo iniquitas sine timore & sine verecundia significatur.

QUÆST. VI. *Exodi 3. 22.* QUOD mandavit Dominus Hebræis per Moysen, ut acciperent ab Ægyptiis vasa aurea & argentea & vestem, atque addidit, *Et prædabimini eos:* mandati hujus non potest injustum esse judicium. Mandatum enim Dei est, de quo non judi- E candum, sed ei obtemperandum fuit. Ille enim novit quàm justè mandaverit: ad servum autem pertinet obedienter facere quod mandavit.

QUÆST. VII. *Exodi 4. 10.* QUOD ait Moyses ad Dominum, *Precor Domine non sum eloquens ante hesternum, neque ante nudiustertianum diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo,* intelligitur credere, posse se fieri Dei voluntate subitò eloquentem, cùm dicit, *neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo:* tamquam ostendens fieri potuisse, ut ante hesternum & nudiustertianum diem qui eloquens non fuisset, repentè fieret, ex quo cum illo Dominus loqui cœpit.

QUÆST. VIII. *Exodi 4. 11.* QUIS *fecit mutum & audientem, videntem & cæcum, nonne ego Dominus Deus?* Sunt qui Deo calumnientur, vel Scripturæ potiùs veteris Testamenti, quia dixerit Deus, quòd ipse fecerit cæcum & mutum. Quid ergo dicunt de Domino *Johan. 9. 39.* Christo apertè in Evangelio dicente, Ego veni ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? Quis autem nisi insipiens crediderit aliquid homini G secundùm vitia corporalia posse accidere, quod Deus nolit? Sed eum justè totum velle nemo ambigit.

QUÆST. IX. *Exodi 4. 12.* QUOD Dominus dicit ad Moysen, *Sed nunc vade, & ego aperiam os tuum, & instruam te quæ locuturus es:* satis hîc apparet, non tantùm instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem ad Dei voluntatem & gratiam pertinere. Non enim ait, Tu aperi os tuum, & ego instruam te: sed utrumque ipse promisit, *Aperiam & instruam.* Alibi autem dicit in *Psal. 80. 11.* Psalmo, Dilata os tuum, & adimplebo illud. Ubi significat in homine voluntatem accipiendi, quod Deus donat volenti: ut ad voluntatis exordium pertineat, Dilata os tuum; ad Dei autem gratiam, Et adimplebo illud. Hîc verò, *Et aperiam os tuum, & instruam te.*

QUÆST. X. *Exodi 4. 14.* ET *iratus iracundiâ Dominus dixit.* Quemadmodum possit intelligi irascens Deus, quia non sicut homo per irrationabilem perturbationem, per omnia tenendum est, ubi tale aliquid Scriptura dicit, ne de hoc eadem sæpe dicenda sint. Sed meritò quæritur, cur hîc iratus de fratre Moysi dixerit, quòd ipse illi loqueretur ad populum: videtur enim C tamquam diffidenti non dedisse plenissimam facultatem, quam daturus erat; & per duos agi voluisse, quod & per unum posset, si credidisset. Verumtamen eadem verba omnia diligentiùs considerata, non significant iratum Dominum pro vindicta dedisse Aaron. Sic enim dicit, *Nonne ecce Aaron fra- Ibidem. b ter tuus Levites? scio quia* [b] *loquens, loquetur ipse.* Quibus verbis ostenditur Deus increpasse potiùs eum, quid timeret ire quòd ipse esset minùs idoneus, cùm haberet fratrem, per quem posset ad D populum loqui quod vellet; quoniam erat ipse gracilis vocis, & linguæ tardioris: quamquam de Deo totum sperare deberet. Deinde eadem ipsa quæ paulò antè promiserat, & postea quàm iratus est, dicit: Dixerat enim, *Aperiam os tuum, & instruam* v. 12. *te:* nunc autem dicit, *Aperiam os tuum & os ejus, &* v. 15. *instruam vos quæ faciatis:* sed quoniam addidit, *Et* v. 16. *loquetur ipse tibi ad populum,* videtur oris apertio præstita, propter quod dicit Moyses linguæ se tardioris. De vocis autem gracilitate nihil ei præstare E Dominus voluit, sed propter hoc adjutorium fratris adjunxit, qui posset ea uti voce, quæ populo docendo sufficeret. Quod ergo ait, *Et dabis verba* v. 15. *mea in os ejus,* ostendit quòd ea loquenda esset daturus: nam si tantummodo audienda, sicut populo, in aures diceret. Deinde quod paulò pòst ait, *Et loquetur ipse tibi ad populum, & ipse erit tuum os,* & hîc subauditur, ad populum. Et cùm dicit, *Tibi* v. 16. *loquetur ad populum;* satis indicat in Moyse principatum, in Aaron ministerium. Deinde quod ait, F *Tu autem illi eris* [c] *quæ ad Deum,* magnum hîc fortassis perscrutandum est sacramentum, cujus figuram gerat, veluti medius Moyses inter Deum & Aaron, & medius Aaron inter Moysen & populum.

QUÆST. XI. *Exodi 4. 24.* IN eo quod scriptum est, *Et factum est, in via ad refectionem obviavit ei Angelus, & quærebat eum occidere: & assumto Sepphora calculo, circumcidit præputium filij sui: & procidit ad pedes ejus, & dixit, Stetit sanguis circumcisionis infantis mei. Et recessit ab eo, propter quod dixit, Desit sanguis circumcisionis.* Primùm quæritur, quem volebat Angelus occidere, utrùm Moysen, quia dictum est, *occurrit ei Angelus, & quærebat eum occidere.* Nam cui putabitur

a Editi, *Clamavit ad illum.* MSS. *Clamavit illum:* id est, *Vocavit,* uti habetur in vers. Vulgata. Apud LXX. ὁνόμασεν αὐτόν.

b Sic MSS. juxta LXX. ὅτι λαλῶν λαλήσει αὐτός. At editi, *quia eloquens est, loquetur ipse.*

c Sic MSS. locutione Græcâ, ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεόν. quam locutionem aliàs retinuerunt in excusis, aliàs mutaverunt huic modum, *eris in iis quæ ad Deum.*

occurrisse, nisi illi qui universo suorum comitatui A præfuit, & à quo ceteri ducebantur? An puerum quærebat occidere, cui mater circumcidendo subvenit: ut ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circumcisus, atque ita sancire præceptum circumcisionis, severitate vindictæ? Quod si ita est, incertum est priùs de quo dixerit, *quærebat eum occidere;* quia ignoratur quem, nisi ex consequentibus reperiatur: mira sanè locutione & inusitata, ut priùs diceret, *occurrit ei, & quærebat eum occidere,* de quo nihil antea dixerat. B *Psal. 86. 1.* Sed talis est in Psalmo, Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion. Inde enim Psalmus incipit, nec aliquid de illo vel de illa dixerat, cujus fundamenta intelligi voluit, dicens, » Fundamenta ejus in montibus sanctis. Sed quia se- » quitur, Diligit Dominus portas Sion: ergo fundamenta vel Domini vel Sion, & ad faciliorem sensum magis Sion, ut fundamenta civitatis accipiantur. Sed quia in hoc pronomine, quod est, *ejus,* genus ambiguum est (omnis enim generis est hoc C pronomen, id est & masculini, & feminini, & neutri) in Græco autem in feminino genere dicitur αὐτῆς, masculino & neutro αὐτοῦ, & habet codex Græcus, αὐτοῦ, cogit intelligere non fundamenta Sion, sed fundamenta Domini, id est, quæ con- *Psal. 146. 2.* stituit Dominus, de quo dictum est, Ædificans Jerusalem Dominus. Nec Sion tamen, nec Dominum antea nominaverat, cùm diceret, Funda- » menta ejus in montibus sanctis: sic & hîc nondum nominato infante dictum est, *occurrit ei, & quære-* D *bat eum occidere;* ut de quo dixerit, in consequentibus agnoscamus. Quamquam & si de Moyse accipere quisquam voluerit, non est magnopere resistendum. Illud potiùs quod sequitur, si fieri potest, intelligatur, quid sibi velit ideo recessisse Angelum ab interfectione cujuslibet eorum, quia dixit mulier, *Stetit sanguis circumcisionis infantis.* Non enim ait, Recessit ab eo, propter quod circumcidit infantem: sed quia stetit sanguis circumcisionis; non quia cucurrit, sed quia stetit. magno nisi fallor sa- E cramento.

QUÆST. XII. *Exodi 4. 20.* a QUOD superiùs dictum est, quòd Moyses uxorem & infantes suos imposuit vehiculis, ut cum eis in Ægyptum pergeret, postea verò [a] Jothor socer ejus illi cum eis occurrit, postea quàm eduxit po- *Exodi 18. 2.* pulum ex Ægypto: quæri potest, quomodo utrumque sit verum. Sed intelligendum est, post illam, quæ ab Angelo futura erat, interfectionem Moysi vel infantis, reversam fuisse cùm parvulis. Nam quidam putaverunt propter hoc Angelum terruisse, F ne ad impedimentum ministerij, quod divinitus impositum Moyses gerebat, femineus sexus comitaretur.

QUÆST. XIII. *Exodi 5. 1.* QUÆRITUR, quomodo populo dicatur, quòd mandavit Deus ejecturum se eos de Ægypto in terram Chanaan: Pharaoni autem dicatur, quòd trium dierum iter exire vellent in desertum immolare Deo suo ex mandato ejus. Sed intelligendum est, quamvis Deus sciret quid esset facturus, quoniam præsciebat non consensurum Pharaonem ad G populum dimittendum, illud primò dictum esse, quod etiam primitus fieret, si ille dimitteret. Ut enim sic fierent omnia quemadmodum consequens Scriptura testatur, Pharaonis contumacia meruit & suorum. Neque enim mendaciter Deus jubet quod scit non facturum cui jubetur, ut justum judicium consequatur.

QUÆST. XIV. *Exodi 5. 22.* VERBA quæ dicit Moyses ad Dominum, *Quare afflixisti populum hunc, & ut quid me misisti: ex quo enim intravi ad Pharaonem loqui in tuo nomine, in hunc populum; & non liberasti populum tuum,* non contumaciæ verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis & orationis: quod ex his apparet, quæ illi Dominus respondit. Non enim arguit infidelitatem ejus, sed quid sit facturus aperuit.

QUÆST. XV. *Exodi 6. 14.* SACRAMENTI locum esse dubium non est, B quòd Scriptura volens originem Moysi demonstrare, quoniam ejus actio jam expetebat, à primogenito Jacob, id est Ruben progenies cœpit, inde ad Simeon, inde ad Levi; ultrà progressa non est, quoniam ex Levi Moyses. Hi autem commemorantur, qui jam commemorati fuerant in illis septuaginta quinque, in quibus Israël intravit in Ægyptum: non enim primam neque secundam, sed tertiam tribum, id est Leviticam, Deus esse voluit sacerdotalem..

QUÆST. XVI. *Exodi 6. 30.* QUOD Moyses dicit, *Ecce ego gracili voce sum, & quomodo exaudiet me Pharao,* non videtur tantùm propter magnitudinem populi excusare de vocis gracilitate, verùm etiam propter unum hominem. Mirum si tam gracilis vocis fuit, ut nec ab uno homine posset audiri: an fortè regius fastus non eos permittebat de proximo loqui? Dicitur autem illi, *Ecce dedi te deum Pharaoni, & Aaron fra-* *Exodi 7. 1.* *ter tuus erit tuus propheta.*

QUÆST. XVII. *Exodi 4. 16.* NOTANDUM quòd cùm ad populum mitteretur, non ei dictum est, Ecce dedi te deum populo, & frater tuus erit tuus propheta: sed frater tuus, inquit, loquetur tibi ad populum. Dictum etiam est, Erit os tuum, & tu illi quæ ad Deum: non dictum est, Tu illi deus. Pharaoni autem dicitur Moyses datus deus, & secundùm analogiam propheta Moysi Aaron, sed ad Pharaonem. Hîc insinuatur nobis, ea loqui prophetas Dei quæ audiunt ab eo, nihilque aliud esse prophetam Dei, nisi enuntiato- Prophetæ quis. rem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non E possunt vel non merentur audire.

QUÆST. XVIII. *Exodi 7. 3.* ASSIDUE Deus dicit, *Indurabo cor Pharaonis:* & velut caussam infert cur hoc faciat, *Indurabo,* inquit, *cor Pharaonis, & implebo signa mea & portenta mea in Ægypto:* tamquam necessaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, ut signa Dei multiplicarentur vel implerentur in Ægypto. Utitur ergo Deus bene cordibus malis, ad id quod vult ostendere bonis, vel [b] quod facturus est bonis. Et quamvis uniuscujusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad F malum, suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis: ea tamen qualitate mala ut huc vel illuc moveatur, cùm sive huc sive illuc malè moveatur, caussis fit quibus animus propellitur: quæ caussæ ut exsistant vel non exsistant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta providentia, justissima planè & sapientissima, universum quod creavit disponentis & administrantis Dei. Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientiâ Dei non moveretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitij proprij fuit: quòd verò ea facta sunt, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret jussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat) dispensationis fuit divinæ, qua tali cordi

a In editis, *Jethro.* At in MSS. uti apud LXX. *Jothor.*

b Vetus cod. Corbeiensis, & Eugypij collectio in duobus MSS. *vel quos facturus est bonos.*

non solùm justa, sed evidenter justa pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Proposito quippe lucro, verbi gratiâ, propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemtor movetur; ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipsius tamen lucri propositio in alicujus illorum non fuit potestate. Ita caussæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos invenerint jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Videndum sanè est, utrùm etiam sic accipi possit, *Ego indurabo*, tamquam diceret, Quàm durum sit demonstrabo.

Quæst. XIX. Exodi 7. 9.

Si *loquetur vobis Pharao dicens, Date nobis signum aut portentum: & dices Aaron fratri tuo, Sume virgam, & projice illam palam Pharaone & palam servis ejus; & erit draco.* Hîc certè non ministerio vocis opus erat, cui videbatur velut ex necessitate datus Aaron propter gracilitatem vocis Moysi; sed virga erat projicienda ut draco fieret: cur hoc ergo Moyses ipse non fecit, nisi quia ista mediatio ipsius Aaron inter Moysen & Pharaonem alicujus magnæ rei figuram gerit?

Quæst. XX. Exodi 7. 10.

Etiam hoc notandum, quod cùm signum palam Pharaone fieret, scriptum est, *Et projecit Aaron virgam suam*: cùm fortè si dixisset, Projecit virgam, nulla esset quæstio; quod verò addidit, *suam*, cùm eam Moyses dederit, non frustra forsitan dictum est. An erat utrique illa virga communis, ut cujuslibet eorum diceretur, verum diceretur?

Quæst. XXI. Exodi 7. 12.

Et *absorbuit virga Aaron virgas illorum.* Si dictum esset, Absorbuit draco Aaron virgas illorum, intelligeretur verus draco Aaron phantastica illa figmenta non absorbuisse, sed virgas. Hoc enim potuit absorbere quod erant, non quod esse videbantur & non erant. Sed quoniam dixit, *Absorbuit virga Aaron virgas illorum*; draco utique potuit virgas absorbere, non virga. Sed eo nomine appellata res est unde versa est, non in quod versa est, quia in id etiam reversa est: & ideo hoc vocari debebat quod principaliter erat. Quid ergo dicendum est de virgis magorum, utrùm & ipsæ veri dracones factæ fuerant, sed ea ratione virgæ appellatæ sunt, qua & virga Aaron: an potiùs videbantur esse quod non erant, ludificatione venefica? Cur ergo ex utraque parte & virgæ dicuntur & dracones, ut de figmentis illis nihil differat loquendi modus? Sed demonstrare difficile est, quomodo etiam si veri dracones facti sunt ex virgis magorum, non fuerint tamen creatores draconum, nec magi, nec angeli mali quibus ministris illa operabantur. Insunt enim corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cùm data fuerit opportunitas temporalis atque caussalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Et sic non dicuntur angeli, qui ista faciunt, animalium creatores, sicut nec agricolæ segetum vel arborum vel quorumque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamvis noverint præbere quasdam visibiles opportunitates & caussas, ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc angeli invisibiliter: Deus verò solus [a] verus creator est, qui caussas ipsas & rationes seminarias rebus inseruit. Res breviter dicta est, quæ si exemplis & copiosa disputatione explicetur, ut faciliùs intelligatur, longo sermone opus est, à quo se ratio nostræ festinationis excusat.

Quæst. XXII. Exodi 7. 22.

Fecerunt *autem similiter & incantatores Ægyptiorum veneficiis suis: & induratum est cor Pharaonis, & non exaudivit eos, sicut dixit Dominus.* Cùm hæc dicuntur, videtur propterea cor Pharaonis induratum fuisse, quia & incantatores Ægyptiorum similia fecerunt: sed consequentia docebunt quanta fuerit illa obduratio, etiam cùm incantatores defecerunt.

Quæst. XXIII. Exodi 8. 7.

Fecerunt *autem similiter & incantatores Ægyptiorum veneficiis suis; & eduxerunt ranas super terram Ægypti.* Quæritur unde, si jam ubique factum erat. Sed similis quæstio est, unde & aquam in sanguinem verterint, si tota aqua Ægypti in sanguinem conversa jam fuerat. Proinde intelligendum est regionem, ubi filij Israël habitabant, plagis talibus non fuisse percussam: & inde potuerunt incantatores vel aquam haurire, quam in sanguinem verterent, vel aliquas ranas educere ad solam demonstrationem magicæ potentiæ. Quamquam potuerunt etiam, postea quàm illa compressa sunt, facere: sed Scriptura citò narrando conjunxit quod etiam postea fieri potuit.

Quæst. XXIV. Exodi 8. 15.

Et *vidit Pharao quoniam facta est refrigeratio, & ingravatum est cor ejus, & non exaudivit eos, sicut dixerat Dominus.* Hîc apparet non illas tantùm fuisse caussas obdurationis cordis Pharaonis, quòd incantatores ejus similia faciebant; verùm etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat. Patientia Dei secundùm corda hominum, quibusdam utilis ad pænitendum, quibusdam inutilis, ad resistendum Deo & in malo perseverandum: non tamen per seipsa inutilis est, sed secundùm cor malum, sicut jam diximus. Hoc & Apostolus dicit, Ignoras quia patientia Dei ad pænitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam cordis tui & impænitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicij Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus. (Rom. 2. 4.) Nam & alibi cùm diceret, Christi bonus odor sumus in omni loco; etiam illud adjunxit, Et in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt. (2. Cor. 2. 15.) Non Dixit Christi bonum se odorem esse iis qui salvi fiunt, malum autem iis qui pereunt; sed tantùm bonum odorem se dixit. Illi verò tales sunt, ut & bono odore pereant secundùm sui cordis, ut sæpe dictum est, qualitatem, quæ mutanda est bonâ voluntate in Dei gratia, ut incipiant ei prodesse judicia Dei, quæ malis cordibus nocent. Unde ille mutato in melius corde cantabat, Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me. (Psal. 118. 175.) Non dixit munera tua, vel præmia tua, sed judicia tua. Multum est autem ut sincerâ fiduciâ dici possit, Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum. (Psal. 25. 2.) Et ne sibi aliquid ex suis viribus tribuisse videretur, continuò addidit, Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua. (Ibidem. 3.) Factam erga se commemorat misericordiam, ut complacere posset in veritate; quoniam universæ viæ Domini misericordia & veritas. (Psal. 24. 10.)

Quæst. XXV. Exodi 8. 19. b

Quod dixerunt magi ad Pharaonem, *Digitus Dei est* [b] *hoc*, quoniam non potuerunt educere sciniphes: senserunt profectò, cùm artium suarum nefariarum scirent potentiam, non talibus artibus, velut potentior in eis esset Moyses, suos conatus fuisse frustratos, ut non possent educere sciniphes, sed digito Dei, qui utique operabatur per Moysen.

[a] MSS. quindecim, unus.

[b] Sic MSS. juxta Græc. interpr. LXX. At editi, *est hic.*

Digitus autem Dei, sicut Evangelium manifestissimè loquitur, Spiritus-sanctus intelligitur. Namque uno Evangelista ita narrante verba Domini, ut diceret, Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, (Lucæ 11. 20.) alius Evangelista idipsum narrans exponere voluit quid sit digitus Dei, & ait, Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia. (Matth. 12. 28.) Cùm itaque magi faterentur, quorum Pharao potentiâ præsidebat, digitum Dei esse in Moyse, in quo superabantur, & eorum veneficia frustrabantur; tamen induratum est cor Pharaonis nunc mirabili omnino duritiâ. Cur autem in tertia ista plaga magi defecerint, (nam plagæ cœperunt ex quo aqua in sanguinem versa est) & sentire & explicare difficile est. Poterant enim & in primo signo deficere, ubi in serpentem virga conversa est; & in prima plaga, ubi aqua in sanguinem commutata est; & in secunda de ranis, si hoc voluisset digitus Dei, id est, Spiritus Dei. Quis enim dementissimus dixerit digitum Dei in hoc signo potuisse conatus magorum impedire, & in superioribus nequivisse? Omnino ergo certa caussa est, quare illa facere huc usque permissi sunt. Commendatur enim fortasse Trinitas, & quod verum est, summi philosophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu-sancto philosophati sunt, quamvis de Patre & Filio non tacuerint, quod etiam Didymus in libro suo meminit, quem scripsit de Spiritu-sancto. (Didymus in lib. 1. de Spiritu S.)

Quæst. XXVI. Exodi 8. 21.

Ecce *ego mitto in te & in servos tuos & in populum tuum & in domos tuas cynomyiam, & implebuntur domus Ægyptiorum cynomyia; ut scias quoniam ego sum Dominus Deus omnis terræ: & dabo intervallum inter populum meum & inter populum tuum.* Quod hîc Scriptura aperuit, ne ubique diceret, intelligere debemus & in posterioribus & in prioribus signis factum esse, ut terra in qua habitabat populus Dei, nullis plagis talibus vexaretur. Opportunum autem fuit, ut ibi hoc apertè poneretur, unde jam incipiunt signa quibus magi similia nec conati sunt facere: procul dubio enim quia ubique fuerant sciniphes in regno Pharaonis, non autem fuerant in terra Gessen, ibi conati sunt magi similiter facere, & minimè potuerunt. Quousque ergo deficerent, nihil de illius terræ segregatione dictum est; sed ex quo cœperunt ea fieri, ubi jam illi similia facere nec conari auderent.

Quæst. XXVII. Exodi 8. 25. a ἐλθόντες.

Quod Latini habent, *Euntes immolate Domino Deo vestro in terra* [a]: Græcus habet, *Venientes immolate Domino Deo vestro in terra.* Nolebat enim eos ire quò dicebant, sed ut illic in Ægypto immolarent, volebat. Hoc ostendunt verba Moysi quæ sequuntur, ubi dicit, non posse fieri propter abominationes Ægyptiorum.

Quæst. XXVIII. Exodi 8. 26.

Quod ait Moyses, *Non potest fieri sic: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro:* id est hæc immolaturi sumus, quæ abominantur Ægyptij, & propterea in Ægypto non possumus: hoc manifestant verba quæ adjungit & dicit, *Si enim immolaverimus abominationes Ægyptiorum palam ipsis, lapidabimur.* Hoc non intelligentes quidam interpretes nostri, sic interpretati sunt, ut dicerent, Non potest fieri sic: numquid abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? Cùm magis hoc Scriptura dixerit, quia Ægyptiorum abominationes immolaturi sunt. Alij verò Latini sic habent, Non potest fieri sic, quoniam abominationes Ægyptiorum non immolabimus Domino Deo nostro. Contrarium sensum facit addita particula negativa, cùm Moyses dixerit, *Non potest fieri sic: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro:* & ideo in eremum dicebant se ire velle, ubi Ægyptij non viderent abominationes suas. Hoc autem intelligendum est mysticè significari, quod etiam de pastoribus diximus, qui erant Ægyptiis abominabiles; & ideo separatam terram Israëlitæ acceperunt, cùm venerunt in Ægyptum. (Gen. 46. 34.) Sic enim & sacrificia Israëlitarum abominationes sunt Ægyptiis, sicut iniquis vita justorum.

Quæst. XXIX. Exodi 8. 32.

Cum ablata esset locusta, dictum est de Pharaone, *Et ingravavit Pharao cor suum etiam in hoc tempore, & noluit dimittere populum.* Certè nunc non dictum est, Ingravatum est cor Pharaonis, sed *ingravavit Pharao cor suum.* Sic utique in omnibus plagis. A voluntate quippe hominis est origo vitiorum: moventur autem caussis corda hominum, talia sic, talia verò sic, etiam non diversis caussis sæpe diverso modo, secundùm proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt.

Quæst. XXX. Exodi 9. 7.

Videns *autem Pharao, quia non est mortuum de pecoribus filiorum Israël ullum, ingravatum est cor Pharaonis.* Quomodo ex contrariis caussis facta est hæc ingravatio cordis Pharaonis? Si enim & pecora Israëlitarum morerentur, tunc videretur caussa competens qua cor ejus ingravaretur ad contemnendum Deum, tamquam si & magi ejus pecora Israëlitarum fecissent mori: nunc verò unde debuit ad timendum vel credendum moveri, videns nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum, hinc ingravatum est: id est, illa ingravatio etiam huc usque progressa est.

Quæst. XXXI. Exodi 9. 8.

Quid est quod dicit Deus ad Aaron & Moysen, *Sumite vobis plenas manus favillæ de fornace, & adspergat Moyses in cælum coram Pharaone & coram servis ejus, & fiat pulvis in universa terra Ægypti?* Signa enim superiora, virgâ fiebant, quam non Moyses, sed Aaron vel extendebat super aquam, vel eâ terram percutiebat: nunc verò interpositis duobus signis de cynomyia & pecorum mortibus, ubi nec Aaron nec Moyses aliquid manu operati sunt, dicitur ut Moyses favillam spargat in cælum de fornace, & hanc ambo sumere jubentur, sed ille spargere non in terram, sed in cælum; tamquam Aaron qui datus erat ad populum, terram percutere deberet, vel in terram sive in aquam manum extendere: Moyses verò, de quo dictum est, Erit* tibi quæ ad Deum, in cælum jubetur favillam spargere. (Exodi 4. 16. * f. Eris illi.) Quid duo illa superiora signa, ubi nec Moyses nec Aaron manu aliquid operantur? Quid sibi vult ista diversitas? Neque enim nihil.

Quæst. XXXII. Exodi 9. 16.

Et *propter hoc ipsum conservatus es, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Hæc Scripturæ verba & Apostolus posuit, cùm in eodem loco perdifficili versaretur. (Rom. 9. 22.) Ibi autem & hoc ait, Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, adtulit in multa patientia vasa iræ: parcendo utique iis, quos malos futuros esse præscierat: quæ vasa dicit perfecta in perditionem. Et ut notas, inquit, faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Unde vasorum misericordiæ vox est in Psalmis, (Psal. 58. 11.) Deus meus, misericordia ejus præveniet me: Deus

[a] Editi, *in terra hac.* abest demonstrativa particula à MSS. abest quoque ab interpr. LXX. quo fit ut Augustinum non pigeat illustrare hunc locum.

meus demonstravit mihi in inimicis meis. Novit ergo Deus bene uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed perfert eos patienter quousque scit oportere; non inaniter, sed utens eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum. Ecce enim ut annuntiaretur nomen Dei in universa terra, vasis misericordiæ utique prodest. Ad eorum itaque utilitatem Pharao servatus est, sicut & Scriptura testatur, & exitus docet.

Quæst. XXXIII. Exodi 9. 19. Quid est quod mandavit Deus Pharaoni, cùm se facturum magnam grandinem minaretur, ut festinet congregare pecora sua, & quæcumque illi essent in campo, ne grandine intereant? hoc enim non tam indignanter quàm misericorditer videtur admonere. Sed hoc non facit quæstionem, quando Deus etiam irascens temperat pœnam. Illud est quod meritò movet, quibus nunc pecoribus consulatur, si omnia mortua fuerant plagâ superiore, v. 6. ubi scriptum est, quòd discrevit Deus inter pecora Hebræorum & Ægyptiorum, ita ut illinc nullum moreretur, omnia verò Ægyptiorum pecora morerentur. An eo solvitur quæstio, quòd prædixerat ea moritura, quæ in campo fuissent, ut hæc accipiantur omnia: intelligantur autem evasisse quæ in domibus erant, quæ potuerunt etiam à dubitantibus colligi, & in domo teneri, ne fortè verum esset quod Moyses Dominum facturum esse prædixerat: & ex his esse in campis iterum poterant, quæ modò admonet congregari in domos, ne grandine pereant: maximè, quia sequitur Scriptura & dicit, *Qui timuit verbum Domini servorum Pharaonis, congregavit pecora sua in domos: qui autem non intendit mente in verbum Domini, dimisit pecora sua in campo?* Hoc ergo fieri potuit, quando etiam mortem pecorum minatus est Deus, quamvis id Scriptura tacuerit.

Quæst. XXXIV. Exodi 9. 22. Et *dixit Dominus ad Moysen, Extende manum tuam in cælum, & erit grando in omni terra Ægypti.* Ecce iterum Moyses non in terram, sed in cælum manum jubetur extendere, sicut superiùs de villa.

Quæst. XXXV. Exod. 9. 27. Cum fragore cæli, qui vehemens erat in grandine, Pharao territus rogaret Moysen ut oraret pro illo, confitens iniquitatem suam & populi sui, Moyses ei dixit, v. 30. *Et tu & servi tui scio quòd nondum timetis Dominum.* Qualem timorem quærebat, cui timor iste nondum erat Domini timor? Facile est enim pœnam timere, sed non hoc est Deum timere, illo scilicet timore pietatis, quem commemorat Jacob, ubi dicit, Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac adesset mihi, nunc me inanem dimisisses. Gen. 31. 42.

Quæst. XXXVI. Exodi 10. 1. Dixit *Dominus ad Moysen, Intra ad Pharaonem: ego enim gravavi cor ejus & servorum ejus, ut ordine superveniant signa mea hæc super eos:* tamquam opus habeat Deus cujusquam malitiâ. Sed sic intelligendum est, ac si diceret, Ego enim patiens fui super eum & servos ejus, ut non eos auferrem, ut ordine superveniant signa mea super eos. Quia enim patientiâ Dei obstinatior fiebat malus animus, ideo pro eo quod est, Patiens in eum fui, dicitur, *Gravavi cor ejus.*

Quæst. XXXVII. Exodi 10. 19. Et *non est relicta locusta una in omni terra Ægypti: & induravit Dominus cor Pharaonis.* Beneficium certè Dei commemoravit Scriptura, quo abstulit locustas; & secuta, dixit indurasse Dominum cor Pharaonis, beneficio utique suo, & patientiâ suâ, qua ille fiebat obstinatior, dum ei parceretur: sicut omnia mala corda hominum, patientiâ Dei malè utendo durescunt.

Tertio dicitur ad Moysen, *Extende manum tuam in cælum*, ut fieret etiam plaga tenebrarum. Numquam autem dictum est ad fratrem ejus Aaron, ut extenderet manum in cælum. Quod ergo dictum est ad Moysen, *Extende manum tuam super terram Ægypti, & adscendat locusta super terram*, credo id significatum, etiam minus posse qui plus potest; non autem continuò cui minora conceduntur, posse majora. Quæst. XXXVIII. Exodi 10. 21. Ibidem 12.

Deus ad Moysen, *Loquere ergo secretò in aures populi, & petat unusquisque à proximo, & mulier à proxima, vasa aurea & argentea & vestem.* Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad exspoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret: nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. Quemadmodum cùm minister judicis occidit eum quem judex jussit occidi, profectò si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit occidi à judice debuisse. Est etiam ista nonnulla quæstio, Si seorsum habitabant Hebræi in terra Gessen, ubi nec plagæ fiebant, quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo petit quisque à proximo vel à proxima, aurum, argentum, & vestem; præsertim quia ubi primùm hoc mandatur per Moysen, sic positum est, *& mulier à vicina sua & concellaria* vel *concellanea* (si ita dicendum est) vel *cohabitatrice sua.* Unde intelligendum est, etiam in terra Gessen non solos Hebræos habitasse, sed eis aliquos Ægyptios in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potuerunt meritò Hebræorum etiam illa divina beneficia pervenire, ut hinc eos & diligerent iidem Ægyptij cohabitatores, & quod petebant facilè commodarent: nec tamen Deus judicavit ita illos alienos fuisse ab injuriis & contritionibus, quas populus Dei pertulit, ut nec isto damno ferirentur, qui plagis illis propterea quòd terræ illi parcebatur, percussi non erant. Quæst. XXXIX. Exodi 11. 2. Exodi 3. 22. καὶ γείτονος καὶ συσκήνου αὐτῆς.

Dixit *autem Dominus ad Moysen, Non exaudiet vos Pharao, ut multiplicem signa mea & portenta mea in terra Ægypti*: tamquam opus fuerit ejus inobedientiâ, ut signa illa multiplicarentur, quæ utiliter fiebant ad terrendum populum Dei, atque ipsa discretione ad pietatem informandum. Sed hoc Dei fuit, malitiâ cordis illius bene utentis: non Pharaonis, Dei patientiâ malè abutentis. Quæst. XL. Exodi 11. 9.

Quæ *autem superaverint ab eo in manè, igne concremabitis.* Quæri potest, quomodo aliquid superabit, cùm hoc præmoniti fuerint, ut si domus non habuerit consumendo pecori idoneam multitudinem, vicini assumantur. Sed intelligitur quoniam dictum est, *Os non conteretis ab eo*, remansura utique fuisse ossa, quæ igne cremarentur. Quæst. XLI. Exodi 12. 10. Ibidem.

Agnus *perfectus masculus anniculus erit vobis.* Movere potest ista locutio, quasi agnus possit esse non masculus, nescientem qua necessitate ita sit translatum. Ovis enim transferri debuit, quia Græcus πρόβατον habet, sed πρόβατον in Græca lingua generis neutri est, & potuerunt quæ sequuntur omnia convenire, tamquam si diceret, Pecus perfectum masculum anniculum erit vobis. Potuit enim Latinè dici, masculum pecus; quomodo dicuntur mascula thura, genere neutro: ovis autem masculus dici non posset, quia feminini generis est ovis. Item ovis mascula si diceretur, esset absurdius. Pecus verò Quæst. XLII. Exodi 12. 5.

verò si poneretur, etiam aliud intelligeretur; nec servaretur sacramentum, quod cùm Scriptura de ove loquatur, pòst dicit, *ab agnis & hœdis accipietis illud.* Quà in re Christus significari meritò accipitur. Quid enim opus erat ovem vel agnum ab agnis & hœdis accipiendum moneri, nisi ille figuraretur, cujus caro non solùm ex justis, verùm etiam ex peccatoribus propagata est? Quamquam conentur Judæi etiam hœdum intelligere accipiendum ad celebrandum Pascha, & hoc esse dictum putant, *ab agnis & hœdis accipere*, tamquam diceret, vel ab agnis agnum, vel ab hœdis hœdum, si illud desit, sumi oportere: apparet tamen in Christo rebus impletis quid illo præcepto fuerit figuratum. Ibidem.

Quod scriptum est, *Et facietis diem hunc in progenies vestras legitimum æternum* vel *æternalem*, quod Græcè dicitur ἀΐδιον, non sic accipiendum est, tamquam possit istorum prætereuntium dies esse ullus æternus: sed illud æternum est, quod iste significat dies: velut cùm dicimus ipsum Deum æternum, non utique istas duas syllabas æternas dicimus, sed quod significant. Quamquam diligenter scrutandum sit, quomodo appellare Scriptura soleat æternum, ne fortè ita dixerit sollemniter æternum, quem nefas habeant prætermittere, aut sua sponte mutare. Aliud est enim quod præcipitur quousque fiat, sicut præceptum est ut septies muros Jericho circumiret arca: aliud cùm præcipitur sic observari aliquid, ut nullus terminus præfiniatur observationis, sive quotidie, sive per menses, sive per annos sollemniter, sive per multorum vel aliquorum annorum certa intervalla. Aut ergo sic appellavit æternum, quod non sua sponte audeant desinere celebrare: aut, sicut dixi, ut non ipsa signa rerum, sed res quæ iis significantur æternæ intelligantur. Quæst. XLIII. Exodi 12. 14. Josue 6. 3.

Et *factus est clamor magnus in terra Ægypto. Non enim erat domus in qua non erat in ea mortuus.* Nonne potuit esse aliqua domus, quæ primogenitum non haberet? Cùm ergo primogeniti tantummodo morerentur, quomodo nulla erat, quæ non haberet mortuum? An & hoc divinitus præscientiâ Dei fuerat procuratum, ut in omnibus omnino essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Ægyptij? Ab hac sanè plaga non putandi sunt immunes fuisse Ægyptij, qui habitabant in terra Gessen: hominum quippe erat, vel animalium, non terræ: id est, homines & animalia primogenita moriebantur occulto & angelico percussu, non aliquid in terra vel in cælo factum erat, sicut rana vel locusta, vel tenebræ, unde qui habitabant, affligerentur. A talibus enim plagis cùm terra Gessen fuisset aliena, procul dubio perveniebat beneficium ad eos Ægyptios, qui in eadem terra cum Hebræis morabantur: hac verò primogeniti eorum omnes percussi sunt. Quæst. XLIV. Exodi 12. 30.

Filij *autem Israël fecerunt sicuti præceperat illis Moyses, & petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea & vestem, & Dominus dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis, & commodaverunt illis, & prædati sunt Ægyptios.* Jam hoc factum fuerat ante mortes primogenitorum Ægyptiorum: sed nunc per recapitulationem repetitur. Nam narratum est quando factum est. Modò enim fieri quomodo posset, ut in tanto luctu ex mortibus suorum accommodarent ista filiis Israël? Nisi fortè quis dicat etiam istâ plagâ non fuisse percussos Ægyptios, qui cum Hebræis inhabitabant terram Gessen. Quæst. XLV. Exodi 12. 33.

Quid est quod ait, *Accipietis autem fasciculum hyssopi, & tinguentes ex sanguine qui est juxta ostium, linietis super limen & super ambos postes.* Quæritur enim quem sanguinem dicat juxta ostium, cùm illius agni utique velit intelligi sanguinem, cujus immolatione fit Pascha: An eo modo consequenter præcipit, quamvis hoc tacuerit, ut idem agnus juxta ostium occidatur? An, quod est credibilius, ideo dixit *ex sanguine qui est juxta ostium*, quia utique ille qui liniturus est super limen & postes, vas ipsum in quo sanguinem excepit, juxta ostium positurus est, ut ad manum habeat quando tinguit. Quæst. XLVI. Exodi 12. 22.

1. Sustulerunt *autem filij Israël de Ramesse in Socchoth, in sexcenta millia peditum viri, præter instructum*, vel *censum.* Si isto modo potest rectè interpretari quod Græcus habet ἀποσκευὴ, quo verbo non solum mobilia, verùm etiam moventia significari indicat Scriptura, ubi Judas loquens ad patrem suum dicit, Mitte puerum mecum, & surgentes ibimus ut vivamus, & non moriamur & nos, & tu, & substantia nostra. Ibi enim Græcus ἀποσκευὴν habet, ubi *substantiam* Latinus interpretatus est; quod aliquando *censum* interpretantur nostri: sicut nunc *instructum* dicere voluimus, dum tamen eo nomine & homines & jumenta vel omnia pecora intelligantur. Ubi etiam utrùm & uxores possint intelligi nescio. Sexcenta tamen millia peditum cùm Scriptura commemoret, addens & dicens, *Excepto instructu*, vel *censu*, vel *substantia*, vel si quo alio verbo meliùs interpretatur ἀποσκευὴ, manifestum est & homines significatos, sive in servis, sive in mulieribus, sive in his ætatibus, quæ militiæ non essent idoneæ, ut sexcenta millia peditum in eis solis intelligamus, qui possent militari agmine armari. Quæst. XLVII. Exodi 12. 37. Gen. 43. 8.

2. Quæri autem solet, utrùm ad tantum numerum Hebræi pervenire potuerint per eos annos in Ægypto, quos ostendere consideratus in Scripturis numerus potest: qui primùm anni quot fuerint, non parva quæstio est. Dicit enim Deus ad Abraham cùm factum esset illud sacrificium de vacca trima, & capra, & ariete, & turture, & columba, antequam non solùm Isaac, sed nec Ismaël quidem natus esset, Sciendo [a] scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, & in servitutem redigent eos, & nocebunt illis quadringentos annos. Si ergo quadringentos annos sic acceperimus, ut in servitute sub Ægyptiis intelligantur, non parvum spatium temporis fuit, quo ita populus multiplicaretur. Sed tot annos non fuisse, apertissimo indicio Scriptura testatur. Gen. 15. 13.

3. Quidam enim putant quadringentos-triginta annos accipi debere, ex quo Jacob intravit in Ægyptum, donec inde populus per Moysen liberatus est, quoniam in Exodo scriptum est, *Incolatus autem filiorum Israël, quem incoluerunt in terra Ægypto & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni quadringenti-triginta.* Servitutis autem eorum volunt esse annos quadringentos; propterea quòd scriptum est in Genesi, Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & in servitutem redigent eos, & nocebunt illis quadringentos annos. Sed quoniam servitutis anni post mortem Joseph computantur, (illo enim vivo, non solùm ibi non servierunt, verùm etiam regnaverunt,) non Exodi 12. 40.

[a] Sic MSS. hoc loco: at inferiùs constanter habent, *Sciendo scies.*

A est quemadmodum computentur quadringenti-triginta in Ægypto. Ingressus est enim Jacob anno filij sui trigesimo & nono: quoniam triginta annorum erat Joseph, (Gen. 41. 46.) cùm apparuit in conspectu Pharaonis, & regnare cœpit sub illo: transactis autem septem annis ubertatis, secundo anno famis ingressus (Gen. 45. 6.) est Jacob in Ægyptum, cum aliis filiis suis: ac per hoc tunc agebat Joseph triginta & novem annos, (Gen. 50. 22.) qui impletis vitæ suæ annis centum & decem, mortuus est: vixit ergo in Ægypto post ingressum ad se patris sui, septuaginta & unum annos: quos si detraxerimus B à quadringentis-triginta annis, remanebunt servitutis anni, id est post mortem Joseph, non quadringenti, sed trecenti & quinquaginta-novem anni. Quòd si ex illo putabimus nos computare debere, ex quo Joseph sub Pharaone regnare cœpit, ut tunc quodammodo intelligatur intrasse Israël in Ægyptum, quando ibi filius ejus tanta potestate sublimatus est, etiam sic trecenti-quinquaginta erunt, quos Tychonius (Tychonius in Regular. lib. 5.) vult accipi quadringentos, ut à toto pars intelligatur, id est à toto C centenario pars quinquagenaria, & probat hac loquendi regulâ solere uti Scripturam. Si autem, quod aliquanto probabilius dici potest, tunc habeamus intrasse Israël in Ægyptum, quando illic Joseph esse venditus cœpit, detracturi sumus adhuc annos tredecim, ut trecentos-triginta-septem annos pro quadringentis accipiamus. Sed cùm Scriptura commemoret (Gen. 46. 11.) Caath filium Levi avum Moysi cum avo suo Jacob intrasse in Ægyptum; dicat autem eum (Exodi 6. 18.) vixisse annos [a] centum triginta; filium verò ejus D patrem Moysi Ambram centum-triginta-septem; (Ibidem 20.) Moysen verò dicat octoginta annorum fuisse cùm de Ægypto populum liberavit: etiam si tunc genuisset Caath patrem Moysi, quo anno mortuus est, ille quoque Ambram ultimo vitæ suæ anno genuisset Moysen, computati anni centum-triginta & centum-triginta-septem & octoginta, trecentos & quadraginta septem annos faciunt, non quadringentos-triginta. Quòd si quis dicat extremo anno vitæ [b] Joseph natum esse Caath filium Levi; E septuaginta fermè anni possunt accedere illi summæ, quia septuaginta-unum annos vixit in Ægypto Joseph post ingressum patris sui. Quapropter etiam sic septuaginta anni vitæ Joseph ab ingressu Jacob in Ægyptum usque ad nativitatem Caath, si tunc natus asseratur, & centum-triginta anni ipsius Caath, & centum-triginta-septem filij ejus Ambram patris Moysi, & octoginta ipsius Moysi, quadringentos-decem & septem annos faciunt, non quadringentos-triginta.

F 4. Proinde illa nimirum computatio, quam secutus est Eusebius (Eusebius in Chron. ad mundi an. 3260.) in historia sua Chronica, perspicua veritate subnixa est. Ab illa enim promissione computat quadringentos-triginta annos, qua vocavit Deus Abraham, ut exiret de terra sua in terram Chanaan: quia & Apostolus cùm Abrahæ laudaret & commendaret fidem, in ea promissione qua Christum vult intelligi prophetatum, id est qua promisit Deus Abrahæ quòd benedicerentur (Gal. 3. 17.) „ in eo omnes tribus terræ, Hoc autem dico, inquit, G „ quia testamentum confirmatum à Deo, post quadringentos & triginta annos facta Lex non infirmat „ ad evacuandas promissiones. Ex illa ergo promissione, qua vocatus est Abraham, & credidit Deo, post quadringentos & triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Jacob intravit in Ægyptum. Deinde etiam ipsa Scriptura Exodi satis hoc significavit: non enim dixit, *Incolatus filiorum Israël*, quem incoluerunt in terra Ægypto anni quadringenti-triginta, sed apertè dixit, *quem incoluerunt in terra Ægypto & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum.* Ac per hoc manifestum est computandum esse tempus etiam Patriarcharum Abrahæ, Isaac, & Jacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham in terra Chanaan: id est ex illa promissione, in qua ejus fidem laudat Apostolus, usque ad illud tempus, quo ingressus est Israël in Ægyptum. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt patres in terra Chanaan, & deinde semen Israël in Ægypto: ac sic completi sunt quadringenti-triginta anni à promissione usque ad exitum Israël ex Ægypto, quando facta est Lex in monte Sina, quæ non infirmat testamentum ad evacuandas promissiones.

5. Septuagesimo ergo & quinto anno vitæ suæ Abraham, sicut Scriptura dicit, egressus est in terram Chanaan, (Gen. 12. 4.) & genuit Isaac cùm esset annorum centum. (Gen. 21. 5.) Fiunt itaque anni viginti-quinque ex promissione usque ad natum Isaac. His adduntur omnes anni vitæ Isaac, id est centum-octoginta, fiunt (Gen. 35. 28.) ducenti-quinque: tunc erat Jacob annorum centum-viginti; nati sunt enim sexagenario patre gemini, (Gen. 25. 26.) ipse & Esaü: post decem autem annos intravit Jacob in Ægyptum, cùm esset annorum centum-triginta, (Gen. 47. 9.) Joseph autem esset triginta-novem. Fiunt proinde anni à promissione usque ad ingressum Jacob in Ægyptum, ducenti-quindecim. Joseph autem ab illo tricesimo & nono anno ætatis suæ, in quo eum pater in Ægypto invenit, vixit septuaginta & unum annos; quia omnes ætatis ejus anni (Gen. 50. 22.) centum-decem fuerunt. Cùm itaque ad ducentos-quindecim annos accesserint septuaginta-unus, fiunt anni ducenti-octoginta-sex. Restant centum-quadraginta-quatuor vel quinque, quibus intelligitur servisse in Ægypto populus Israël post mortem Joseph. His annis quantum multiplicari potuerint, si fecunditas hominis consideretur, adjuvante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperitur non esse mirum quòd in sexcentis millibus peditum egressus est populus ex Ægypto; excepto cetero apparatu, ubi & servitia erant, & sexus muliebris & imbellis ætas.

6. Quod ergo dixit Deus ad Abraham, *S*ciendo scias, (Gen. 15. 13.) „ quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, „ & in servitutem redigent eos, & „ nocebunt illis quadringentos annos, non sic accipiendum est, tamquam in illa durissima servitute quadringentos annos Dei populus fuerit: sed quia scriptum est, In Isaac vocabitur tibi semen; (Gen. 21. 12.) ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti-quinque. Cùm ergo de quadringentis-triginta, detraxeris viginti-quinque qui sunt à promissione usque ad natum Isaac, non mirum est, si quadringentos & quinque annos summâ solidâ quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit aut infrà est, non computetur. Non itaque quod ait, In servitutem redigent „ eos & nocebunt illis, ad quadringentos annos referendum est, tamquam per tot annos eos habue-

a Nunc tamen Exodi 6. 18. Caath centum-triginta-tres annos vixisse refertur, tum in Vulgata, tum apud LXX.

b In editis, *vitæ Jacob*. Legendum cum optimis MSS. *vitæ Joseph*.

rint in servitute: sed referendi sunt quadringenti A anni ad id quod dictum est, Peregrinum erit semen tuum in terra non propria: quia sive in terra Chanaan, sive in Ægypto, peregrinum erat illud semen, antequam hereditatem sumerent terram ex promissione Dei; quod factum est postea quàm ex Ægypto liberati sunt: ut hyperbaton hîc intelligatur, & ordo verborum sit, Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis; illud autem interpositum intelligatur, Et in servitutem redigent eos & nocebunt B illis; ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte annorum summæ hujus, hoc est, post mortem Joseph factum est, ut in Ægypto populus Dei duram peragerent servitutem.

QUÆST. XLVIII. (Exodi 13. 9.) QUID est quod ait, cùm de Pascha præciperet, *Erit tibi in signum super manum tuam*, an intelligitur super opera tua, id est, quod præferre debeas operibus tuis? Pertinet enim Pascha propter occisionem ovis ad fidem Christi, & sanguinem C quo redemti sumus. Hæc autem fides operibus præponenda est, ut sit quodammodo super manum, adversùs illos, qui in operibus Legis gloriabantur: (Galat. 3. Hebr. 11. 6.) de qua re Apostolus loquitur, & [a] multùm agit; qui fidem operibus sic vult anteponi, ut ex illa pendeant opera bona, atque ab ea præveniantur, non ut ipsa velut meritis bonorum operum retribui videatur. Illa enim ad gratiam pertinet: si (Rom. 11. 6.) autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.

QUÆST. XLIX. (Exodi 13. 17.) CUM *autem dimisit Pharao populum, non deduxit eos Deus [b] viam terræ Philistiim, quia propè erat. Dixit enim Deus, Ne quando pœniteat populum cùm viderit prœlium, & revertatur in Ægyptum.* Hîc ostenditur omnia fieri debere, [c] quæ consilio rectè fieri possunt, ad devitanda quæ adversa sunt, etiam cùm Deus apertissimè adjutor est.

QUÆST. L. (Exodi 13. 18.) QUINTA *autem progenie adscenderunt filij Israël de terra Ægypti.* Utrùm progeniem in centum annis vult computari, & ideo quinta progenie, quia post quadringentos-triginta annos: an per hominum generationes hoc potiùs intelligendum est, ab ipso Jacob, qui intravit in Ægyptum, usque ad Moysen, qui cum populo egressus est. Jacob enim primus, secundus Levi, tertius Caath, quartus Ambram, quintus Moyses invenitur. Has autem dicit progenies Latinus interpres, quas γενεὰς Græci vocant, quæ in Evangelio generationes appellantur, nec numerantur nisi per successiones hominum, non per numerum annorum.

QUÆST. LI. (Exodi 14. 13.) DIXIT autem Moyses, *Confidite, & state, & videte salutem, quæ est à Domino, quam faciet vobis hodie. Sicut enim vidistis Ægyptios hodie, non apponetis ampliùs videre eos in æternum tempus.* Quomodo accipienda sunt hæc verba, cùm viderint postea Israëlitæ Ægyptios? An quia isti, qui tunc videbant, non eos ulteriùs viderunt; quia & illi sunt mortui qui consequebantur, & isti omnes quisque die mortis suæ? nam posteri eorum viderunt posteros illorum. An non eos videbitis sicut G hodie, intelligendum est non sicut hodie persequentes & inimicos, & tanto post vos agmine venientes; ut omnino nulla sit quæstio, nec de æterno tempore quod hîc posuit; quia etsi videbunt se utrique tempore resurrectionis, non sic utique videbunt ut hodie.

QUÆST. LII. (Exodi 14. 15.) QUID est quod dixit Dominus ad Moysen, *Quid tu clamas ad me?* cùm Scriptura non dixerit aliquid de Moysi vocibus, nec eum orantem commemoraverit, nisi quia intelligi voluit, hoc eum egisse vocis silentio, ut corde clamaret.

QUÆST. LIII. (Exodi 14. 16.) ET *tu eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare.* Hæc est illa virga, in qua fiebant mirabilia, quæ modò dicitur esse Moysi: tunc autem fratris ejus fuisse dicebatur, quando per illam ipse operabatur.

QUÆST. LIV. (Exodi 15. 12.) EXTENDISTI [d] *dexteram tuam, transvoravit eos terra.* Terram pro aqua non mirum est positam. Tota quippe pars ista extrema vel infima mundi, terræ nomine censetur; secundùm id quod sæpe dicitur, Deus qui fecit cælum & terram: & illius Psalmi distributione commemoratis cælestibus, Laudate, inquit, Dominum de terra; (Psal. 148. 7.) & ea exsequitur in laude, quæ etiam ad aquas pertineant.

QUÆST. LV. (Exodi 15. 10.) MISISTI *Spiritum tuum, & cooperuit eos mare.* Ecce jam quinto commemoratur Spiritus Dei, ut in hoc numero accipiamus & quod dictum est, Digitus Dei est hoc. (Exodi 8. 19.) Primò ubi scriptum est, Spiritus Dei superferebatur super aquas. (Gen. 1. 2.) Secundò ubi dicitur, Non permanebit in istis hominibus Spiritus meus, quoniam carnes sunt. (Gen. 6. 3.) Tertiò, ubi Pharao D dicit ad Joseph, Quoniam Spiritus Dei est in te. (Gen. 41. 38.) Quartò, ubi incantatores Ægyptiorum dicunt, Digitus Dei est hoc. (Exodi 8. 19.) Quintò, in hoc Cantico, *Misisti Spiritum tuum, & cooperuit eos mare.* Meminerimus autem Spiritum Dei non solùm ad beneficia, verùm etiam ad vindictam commemorari. Nam quid aliud etiam suprà dixit, *Per Spiritum iræ tuæ divisa est aqua?* (Exodi 15. 8.) Iste itaque Spiritus Dei in Ægyptios, Spiritus iræ ejus fuit, quibus nocuit aquarum divisio, ut intrantes possent aquis redeunti- E bus obrui: filiis verò Israël quibus profuit quòd aqua divisa est, non fuit ille spiritus iræ Dei. Unde significatur propter diversas operationes & effectus Spiritum Dei dissimiliter appellari, cùm sit unus atque idem ille dumtaxat, qui etiam Spiritus-sanctus in unitate Trinitatis accipitur. Proinde non arbitror alium quàm eumdem significari, ubi dicit Apostolus, Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in [e] timore: (Rom. 8. 15.) sed accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba Pater: quia eodem F Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo Lex in tabulis lapideis conscripta est, (Exod. 31. 18.) timor incussus est eis, qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per Legem convincerentur, & Lex illis fieret pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam quæ est in fide Jesu Christi. (Gal. 3. 24.) De hoc autem Spiritu adoptionis & gratiæ, id est de hoc opere Spiritus Dei, quo impertitur gratia & regeneratio in vitam æternam, dicitur, Spiritus autem vivificat: (2. Cor. 3. 6.) cùm suprà diceretur, Littera occidit, G id est, Lex conscripta, tantummodo jubens, [f] sine adjutorio gratiæ.

a Sic MSS. At priùs excusi, *& nullum ait posse Deo placere sine fide, qui* &c. Pauloque post Am. Er. & Lov. posuerant, *pertinent*; pro *pertinet*, quod profectò fidem spectat, debuitque per nos restitui auctoritate MSS. quibus consentit editio Rat.

b Editi, *per viam*. Abest, *per*, à MSS. & à Græc. LXX. Mox Am. Er. & Lov. *qua propè erat*. At MSS. & Rat. *quia*, juxta LXX. ὅτι ἐγγὺς ἦν.

c Lov. *fieri debere consilio, quæ consilio* &c. Aliæ editiones & melioris notæ MSS. non habent *consilio*, nisi in posteriore loco.

d Editi, *manum tuam*. MSS. *dexteram tuam*, juxta LXX. τὴν δεξιάν σου. neque ante *transvoravit*, habetur particula &, quæ addita fuit in excusis.

e MSS. optimæ notæ, *in timorem*, juxta Græc. εἰς φόβον. quæ etiam lectio erat Vulgatæ versionis in antiquis Corbeiensibus bibliis.

f MSS. aliquot, *Lex conscripta tantummodo, sine adjutorio gratiæ.*

Quæst. LVI. Exodi 15. 24. a

VENERUNT *autem in Merra, & non poterant bibere*[a] *de Merra; amara enim erat.* Si propter hoc appellatum est nomen loci ejus amaritudo, quia non potuerunt ibi aquam bibere, quòd amara esset (Merra enim interpretatur amaritudo) quomodo venerunt in Merra, nisi quia eo nomine locum Scriptura appellavit, in quem venerunt, quo jam appellabatur cùm hæc scribebantur. Posteriùs enim utique scripta sunt, quàm illa contigerunt.

Quæst. LVII. Exodi 15. 25.

ET *ostendit ei Dominus lignum, & misit illud in aquam, & facta est aqua dulcis.* Genus ligni erat istam habens vim, an quolibet ligno id facere poterat Deus, qui tanta mirabilia faciebat? Hoc tamen videtur significare quod dictum est, *Ostendit ei*, tamquam tale jam lignum esset, quo posset hoc fieri: nisi fortè locus erat ubi ligna omnino non inveniebantur, ut hoc ipsum esset divini adjutorij, quod ei lignum Dominus ostendit, ubi nullum erat; & per lignum aquas dulces fecit, præfigurans gloriam & gratiam crucis: sed in tali etiam natura ligni quis nisi creator & demonstrator laudandus est?

Quæst. LVIII. Exodi 16. 4. b

DIXIT *autem Dominus ad Moysen, Ecce ego pluam vobis panes de cælo: & exiet populus & colliget unus diei in diem, ut tentem illos si*[b] *ambulabunt in lege mea, an non.* Tentatio ista probatio est, non ad peccatum seductio: nec ideo probatio ut Deus noverit, sed ut ipsos ipsis hominibus ostendat, quò humiliores fiant ad petendum adjutorium & agnoscendam Dei gratiam.

Quæst. LIX. Exodi 16. 8.

MOYSES & Aaron dicunt ad populum inter cetera, *Propter quod exaudivit Dominus murmurationem vestram, quam vos murmuratis adversùm nos. Nos autem quid sumus? Non enim adversùm nos murmur vestrum est, sed adversùs Deum.* Non ex hoc tantum se valere voluerunt quantum Deus: dixerunt enim, *Quid sumus nos?* ut illi adversùs illum se scirent murmurasse, qui istos miserat, & qui per istos operabatur. Nec talis illa est sententia, ubi Petrus dicit Ananiæ, Ausus es mentiri Spiritui-sancto? non hominibus mentitus es, sed Deo. Non enim ait, Ausus es mentiri mihi? non mihi mentitus es, sed Deo. quod si dixisset, simile fuisset. Neque ita dixit, Ausus es mentiri Spiritui-sancto? non Spiritui-sancto mentitus es, sed Deo. ita enim loquens, negaret Deum esse Spiritum-sanctum. Nunc verò cùm dixisset, Ausus es mentiri Spiritui-sancto? cùm ille se putaret hominibus fuisse mentitum, ipse Spiritum-sanctum Deum esse monstravit, subjungens, Non hominibus mentitus es, sed Deo.

Act. 5. 3.

Quæst. LX. Exo 16. 12.

DEUS mandat per Moysen populo, *Ad vesperam edetis carnes, & manè replebimini panibus.* Ecce non pro omni alimento panes nominantur. Nam isto nomine & carnes complecterentur, quia & ipsæ alimenta sunt: nec tamen panes eos modò dicit, qui fiunt ex frumentis; ipsos enim propriè panes appellare consuevimus: manna autem panum nomine appellat. Non autem vacat quod dicit ad vesperam carnes & manè panes se daturum. Tale quippe aliquid etiam in Elia significatum est, cùm ei alimenta corvus afferret. An fortè carnibus ad vesperam & manè panibus ille significatur, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram? Ad vesperam quippe mortuus ex infirmitate sepultus est, manè autem apparuit discipulis, qui resurrexerat in virtute.

3. Reg. 17. 6.

Rom. 4. 25.

ET *dixit Moyses ad Aaron, Accipe vas aureum unum, & mitte illud plenum gomor manna, & repones illud ante Deum, ut servetur in progenies, quemadmodum præcepit Dominus.* Quæri potest, ubi Aaron poneret ante Deum, quando nec ullum simulacrum fuit, nec arca testamenti jam fuerat instituta. An fortè ideo de futuro dixit, *repones*, ut intelligeretur tunc ante Deum posse reponi, quando futura erat arca: an potiùs, *ante Deum*, dictum est quod fit ipsa devotione offerendi, in quocumque loco poneretur? ubi enim non est Deus? Sed illud quod adjungit, *Et reposuit Aaron ante testimonium ad reservandum*, priorem magis sensum asserit. Hoc enim modo Scriptura dixit per prolepsim, quod postea factum est, cùm esse cœpit tabernaculum testimonij.

Quæst. LXI. Exodi 16. 33.

FILIJ *autem Israël ederunt manna annis quadraginta, quoadusque venirent in terram, quæ inhabitatur. Manna ederunt quoadusque venirent in partem Phœnicis.* Significavit Scriptura per prolepsim, id est, hoc loco commemorando quod etiam postea factum est, non edisse filios Israël in eremo nisi manna. Hoc est enim quod ait, *usque ad terram quæ inhabitatur*, id est quæ jam non est eremus: non quia continuò ut venerunt ad terram habitabilem destiterunt vesci manna, sed quia non antè. Trajecto enim Jordane significatur manna cessasse, ubi panes terræ manducaverunt: quando ergo ingressi sunt habitabilem terram, antequam transirent Jordanem, vel tantùm manna vesci, vel utroque cibo potuerunt: hoc quippe intelligi potest, quando cessasse manna non dicitur nisi Jordane trajecto. Cur autem in illa eremi inopia etiam carnes desideraverint, quando de Ægypto cum suis valde multis pecoribus exierunt, magna quæstio est. Nisi fortè dicatur, cùm per eremum pascua tanta non essent, & ex eo minor futura videretur fecunditas pecorum, pepercisse illos pecoribus, ne omnibus deficientibus, etiam sacrificiis necessaria defuissent, vel si quid aliud dici potest, unde quæstio ista solvatur. Congruentiùs tamen creditur, non eos carnes desiderasse, quas de pecoribus habere poterant; sed eas quæ deerant, ex aquis videlicet. Ipsas quippe in illa eremo non inveniebant: unde & illis ortygometra data est, id est aves, quas coturnices multi Latinè interpretati sunt, cùm sit aliud genus avium ortygometra, quamvis coturnicibus non usquequaque dissimile. Noverat enim Deus quid desiderarent, & desiderium eorum quo carnis genere satiaret. Sed quia Scriptura concupivisse illos carnes dixerat, nec expresserat cujusmodi carnes, ideo quæstio facta est.

Ibidem 13.

Ortygometra.

Quæst. LXII. Exodi 16. 35.

MANNA *ederunt quoadusque venirent in partem Phœnicis.* Jam dixerat, *quoadusque venirent ad terram, quæ inhabitatur:* sed quia non expresserat propriè quam diceret, repetitione videtur quamdam proprietatem expressisse, dicendo, *in partem Phœnicis.* Sed tunc illam terram sic credendum est appellatam; modò enim hoc non vocatur nomine. Alia quippe est, quæ Phœnice appellatur regio Tyri & Sydonis, quà illos transisse non legitur. Quamquam Scriptura fortasse potuerit terram Phœnicis appellare, ubi palmarum arbores jam esse cœperant post eremi vastitatem; quoniam palma Græcè sic appellatur. Initio enim profectionis suæ invenerunt locum, ubi septuaginta palmarum arbores fuerant, & duodecim fontes: sed postea eos excepit eremi prolixitas, ubi tale aliquid non fuit, quousque venirent ad loca quæ colebantur. Verùm ille sensus est probabilior, ut credamus sic appellatam tunc fuisse terram. Multarum enim terrarum & locorum, sicut fluminum & urbium, nomina certis exsistentibus caussis antiquitate mutata sunt.

[a] Editi, *libere aquam de Mesra.* At MSS. *libere de Merra.* Sic etiam LXX.

[b] In editis, *si ambulent.* In MSS. *si ambulabunt.* Apud LXX εἰ πορεύσονται.

Quæst. LXIV. Exodi 17. 5.

ET *dixit Dominus ad Moysen, Antecede populum: sume autem tecum de senioribus populi: & virgam in qua percussisti flumen, accipe in manu tua.* Flumen Aaron legitur, non Moyses, virgâ percussisse. Nam Moyses eadem virgâ mare divisit, non flumen: quid sibi ergo vult, *Accipe virgam in qua percussisti flumen?* An fortè mare appellavit flumen? quærendum exemplum locutionis hujus, si ita est. An quod Aaron fecit, Moysi potiùs tributum est; quia per Moysen Deus jubebat, quæ faceret Aaron; & in Moyse auctoritas, in illo autem ministerium fuit: quandoquidem & primis suis verbis Deus hoc illi ait de fratre suo, Erit tibi ad populum, tu illi quæ ad Deum?

Exodi 4. 16.

Quæst. LXV. Exodi 17. 9.

ET *ecce ego sto super cacumen collis, & virga Dei in manu mea*, dicit Moyses ad Jesum Nave, cùm præciperet pugnari adversùs Amalech. Nunc ergo virga Dei dicitur, quæ primùm dicta est virga Aaron, postea verò virga Moysi: sicut dicitur spiritus Eliæ qui est Spiritus Dei, cujus particeps factus est Elias: sic illa potuit dici. Dicitur etiam Dei justitia, quæ nostra est, sed donata à Deo: de qua loquens Apostolus, Judæos arguit dicens, Ignorantes Dei justitiam & suam justitiam volentes constituere, id est, tamquam à se sibi paratam: contra quales dicit, Quid enim habes quod non accepisti?

Luca 1. 17.

Rom. 10. 3.

1. Cor. 4. 7.

Quæst. LXVI. Exodi 18. 12.

VENIT *autem & Aaron & omnes seniores Israël manducare panem cum socero Moysi ante Deum*, vel, sicut alij codices habent, *coram Deo:* quod Græcè scriptum est ἐνωπιον τοῦ θεοῦ. Quæritur ubi ante Deum, quando nec tabernaculum fuit, nec arca testamenti, quæ postea sunt instituta. Neque enim & hîc de futuro dictum accipere possumus, sicut dictum est de manna quod positum est in vase aureo. Ergo ante Deum id accipere debemus factum, quod in honorem Dei factum est. Ubi enim non Deus?

Exodi 16. 33.

Quæst. LXVII. Exodi 18. 15.

MOYSES socero dixit, *Quia venit ad me populus inquirere judicium à Deo: cùm eis contigerit disceptatio, & venerint ad me, judico unumquemque, & moneo eos præcepta Dei & legem ejus.* Quæri potest, quomodo ista Moyses dixerit, cùm Lex Dei adhuc nulla conscripta esset: nisi quia lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundùm quod illa incommutabili veritate præceperit. Numquid enim Moyses, quamvis cum illo Deus loqueretur, per singula credendum est quòd consulere soleret Deum, si quid esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc judicandi negotio à manè usque ad vesperam detinebat? Et tamen nisi suæ menti præsidentem Dominum consuleret, legemque ejus æternam sapienter adtenderet, quid justissimum judicare inter disceptantes posset, non inveniret.

Quæst. LXVIII. Exodi 18. 18.

IN eo quod Jothor consilium dat genero suo Moysi, ne occupatus judiciis populi & ipse & populus consumeretur consumtione intolerabili: prima quæstio est, cur hoc Deus famulum suum, cum quo ipse tanta & talia loquebatur, ab alienigena passus est admoneri. In quo Scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. Videndum etiam, ne fortè ibi voluerit Deus ab alienigena admoneri Moysen, ubi & ipsum posset tentare superbia: sedebat enim judiciaria sublimitate solus, universo populo stante. Nam hunc sensum indicat, cùm ipse Jothor eos eligi jussit ad judicandas caussas populi, qui odissent superbiam. Deinde quàm sit observandum quod alibi Scriptura dicit, Fili, ne in multis sint actus tui: satis & hîc apparet. Deinde verba Jothor dantis consilium Moysi consideranda sunt: dicit enim, *Nunc itaque audi me, & consilium dabo tibi, & erit Deus tecum.* Ubi mihi videtur significari, nimis intentum humanis actionibus animum, Deo quodammodo vacuari, quo fit tanto plenior, quanto in superna atque æterna liberiùs extenditur.

Ecclesiastes 19.

Exodi 18. 19.

Quæst. LXIX. Exodi 18. 19.

QUOD verò adjungit & dicit, *Esto tu populo quæ ad Deum, & referes verba eorum ad Deum: & testaberis illis præcepta Dei & legem ejus: & demonstrabis illis vias in quibus ambulabunt in eis, & opera quæ facient:* cum populo universo hæc agenda esse demonstrat. Non enim ait, Uniuscujusque verba referes ad Deum, sed *verba eorum*, cùm suprà dixisset, *Esto tu populo quæ ad Deum sunt.* Post hæc admonet, ne singulorum negotia, quæ inter se habent, deferantur, electis videlicet potentibus viris Deum colentibus, justis, & qui oderint superbiam, quos constituat super millenos, alios super centenos, alios super quinquagenos, alios super denos. Sic & ab ipso Moyse removit graves & periculosas occupationes, nec istos gravavit. Quandoquidem ipsi mille haberent unum super se, & sub illo haberent alios decem, & sub eis alios viginti, & sub his alios centum, ut vix aliquid ad singulos quosque præpositos perveniret, quod judicare necesse haberent. Insinuatur hîc etiam humilitatis exemplum, quòd Moyses, cum quo loquebatur Deus, non fastidivit, neque contemsit alienigenæ soceri sui consilium. Quamquam & ipse Jothor, cùm Israëlita non fuisset, utrùm inter viros Deum verum colentes religiosèque sapientes habendus sit, quemadmodum & Job, cùm ex ipso populo non fuisset, meritò quæritur: immo credibilius habetur. Ambiguè quippe posita sunt verba, vel utrùm sacrificaverit Deo vero in populo ejus, quando vidit generum suum, vel utrùm eum adoraverit ipse Moyses: quamquam de adoratione etiam si expresè positum esset, honor videretur socero redditus, eo modo quo solet hominibus honorificentiæ caussâ exhiberi à Patribus; sicut de Abraham scriptum est, quòd adoraverit filios Chet. Quos autem dicat γραμματοεισαγωγεῖς post decuriones, non facilè sciri potest: quoniam hoc nomen in nullo usu habemus, vel officiorum, vel magisteriorum. Nam quidam *doctores* interpretati sunt, ut intelligantur utique litterarum, qui introducant in litteras, sicut resonat Græcum vocabulum. Hîc sanè significatur quòd ante Legem datam habuerint Hebræi litteras: quæ quando cœperint esse, nescio utrùm valeat indagari. Nonnullis enim videtur â primis hominibus eas cœpisse, & perductas esse ad Noë, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Israël: sed unde hoc probari possit ignoro.

Gen. 23. 7.

Quæst. LXX. Exodi 19. 1.

MENSIS *autem tertij exitus filiorum Israël de terra Ægypti hac die venerunt in eremum Sina, & profecti sunt ex Raphidin, & venerunt in eremum Sina, & applicuit Israël ibi contra montem, & Moyses adscendit in montem Dei, & vocavit eum Dominus*

de monte dicens, Hæc dices domui Iacob, & nuntiabis
Ibidem 19. *filiis Israël*, & cetera. Deinde paulò pòst, *Descende, & testare populo, & purifica illos hodie & cras, & lavent vestimenta, & sint parati in diem tertium. Tertia enim die descendet Dominus in montem Sina coram omni populo.* Hoc die reperitur data Lex, quæ in
Exodi 31. 18. tabulis lapideis scripta est digito Dei, sicut consequentia docent. Dies autem iste tertius apparet tertij mensis ab exitu Israël ex Ægypto. Ex die ergo quo Pascha fecerunt, id est agnum immolaverunt
Exodi 12. 6. & ederunt, qui fuit quartus-decimus primi mensis, usque ad istum quo Lex datur, dies quinquaginta numerantur: decem & septem scilicet primi mensis, reliqui ab ipso quarto-decimo; deinde omnes triginta secundi mensis, qui fiunt quadraginta-septem; & tertius tertij mensis, qui est à sollemnitate occisi agni quinquagesimus. Ac per hoc in ista umbra futuri, secundùm agni immolati diem festum, sicut quinquagesimo die Lex data est, quæ conscripta est digito Dei: ita in ipsa veritate novi Testamenti à festivitate agni immaculati Christi Jesu quinquaginta dies numerantur, ut Spiritus-sanctus
Act. 2. de altissimis datus est. Digitum Dei autem esse Spi-
Supra 1. 25. ritum-sanctum, & suprà jam diximus teste Evangelio.

Quæst. LXXI. Exodi 20. 2. Distinctio præceptorum Decalogi.

1. Quæritur, decem præcepta Legis quemadmodum dividenda sint: utrùm quatuor sint usque ad præceptum de sabbato, quæ ad ipsum Deum pertinent; sex autem reliqua, quorum primum est, *Honora patrem & matrem*, quæ ad hominem pertinent: an potiùs illa tria sint, & ista septem. Qui enim dicunt illa quatuor esse, separant quod dictum est, *Non erunt tibi dij alij præter me*: ut aliud præceptum sit, *Non facies tibi idolum*, &c. ubi figmenta colenda prohibentur. Unum autem volunt esse, *Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui*, & omnia usque in finem. Qui verò illa tria esse dicunt, & ista septem, unum volunt esse, quidquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro Deo colatur: hæc autem extrema in duo dividunt; ut aliud sit, *Non concupisces uxorem proximi tui*, aliud, *Non concupisces domum proximi tui*. Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc Scriptura testatur.

2. Mihi tamen videtur congruentiùs accipi tria illa, & ista septem, quia & Trinitatem videntur illa quæ ad Deum pertinent insinuare diligentiùs intuentibus. Et re vera quod dictum est, *Non erunt tibi dij alij præter me*, hoc ipsum perfectiùs explicatur cùm prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porrò uxoris alienæ, & concupiscentia domus alienæ, tantum in peccando differunt, ut illi quod dictum est, *Non concupisces domum proximi tui*, adjuncta sint & alia dicente Scripturâ, *neque agrum ejus, neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque subjugale ejus, neque omne pecus ejus, neque quæcumque proximi tui sunt*. Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienæ à concupiscentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumque sic cœpit, *Non concupisces uxorem proximi tui*, *Non concupisces domum proximi tui*, & huic cœpit cetera adjungere. Non autem cùm dixisset, *Non concupisces uxorem proximi tui*, huic connexuit alia dicens, neque domum ejus, neque agrum ejus, neque servum ejus, & cetera: sed omnino apparent hæc esse conjuncta quæ uno præcepto videntur contineri, & discreta ab illo ubi uxor nominata est.

A Illud autem ubi dictum est, *Non erunt tibi dij alij præter me*, apparet hujus rei diligentiorem executionem esse in iis, quæ subjecta sunt. Quò enim pertinet, *Non facies tibi idolum, neque ullum simulacrum, quæcumque in cælo sunt sursum, & quæcumque in terra deorsum, & quæcumque in aqua sub terra, non adorabis ea, neque servies illis*, nisi ad id quod dictum est, *Non erunt tibi dij alij præter me?*

3. Sed rursum quæritur quo differat, *Non furtum facies*, ab eo quod paulò pòst de non concu-
B piscendis proximi rebus præcipitur. Non quidem omnis qui rem proximi sui concupiscit, furatur: sed si omnis qui furatur, rem proximi concupiscit, poterat in illa generalitate, ubi de non concupiscenda re proximi præcipitur, etiam illud quod ad furtum pertinet contineri. Similiter etiam quæritur, quo differat quod dictum est, *Non mœchaberis*, ab eo quod paulò pòst dicitur, *Non concupisces uxorem proximi tui?* In eo quippe quod dictum est, *Non mœchaberis*, poterat & illud intelligi. Nisi fortè in illis duobus præceptis, non mœchandi & non furandi, ipsa opera notata sunt; in his verò extremis ipsa concupiscentia: quæ tantum differunt, ut aliquando mœchetur, qui non concupiscit uxorem proximi, cùm aliâ aliquâ causâ, illi miscetur; aliquando autem concupiscat, nec ei misceatur, pœnam timens: & hoc fortasse Lex ostendere voluit, quòd utraque peccata sint.

4. Item quæri solet utrùm mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur. Hoc enim Græcum verbum est, quo jam Scriptura utitur pro Latino. Mœ- μοιχεῖς.
chos tamen Græci nonnisi adulteros dicunt. Sed utique ista Lex non solis viris in populo, verùm etiam feminis data est. Neque enim quia dictum est, *Non concupisces uxorem proximi tui*, nihil hîc sibi præceptum debet putare femina, & tamquam licitè concupiscere virum proximæ suæ. Si ergo hîc ex illo quod viro dictum est, intelligitur, quamvis non dictum sit, quod etiam ad feminam pertineat, quanto magis eo quod dictum est, *Non mœchaberis*,
E uterque sexus adstringitur, cùm & ipsum præceptum potest referri ad utrumque, sicut *Non occides, Non furaberis*, & quæ alia similiter non expresso uno sexu utrique videntur sonare communiter. Tamen ubi unus exprimitur, honoratior utique exprimitur, id est masculinus, ut ex hoc intelligat etiam femina quid sibi præceptum sit. Ac per hoc si femina mœcha est, habens virum, concumbendo cum eo qui vir ejus non est, etiamsi ille non habeat uxorem; profectò mœchus est & vir habens uxorem,
F concumbendo cum ea quæ uxor ejus non est, etiamsi illa non habeat virum. Sed utrùm si faciat qui uxorem non habet, cum femina quæ virum non habet, ambo præcepti hujus transgressione teneantur, meritò quæritur. Si enim non tenentur, non est prohibita in Decalogo fornicatio, sed sola mœchia, id est adulterium: quamvis omnis mœchia etiam fornicatio esse intelligitur, sicut loquuntur Scripturæ. Dominus enim dicit in Evangelio, Quicumque di- Matth. 5.
misserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, 32.
G facit eam mœchari. Hîc utique fornicationem appellavit, si cum alio peccet quæ virum habet, quod est mœchia, id est adulterium. Omnis ergo mœchia etiam fornicatio in Scripturis dicitur. Sed utrùm etiam omnis fornicatio mœchia dici possit, in eisdem Scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, ubi sit in Decalogo

prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri qui uxo-
A res non habent, cum feminis quæ maritos non habent, utrùm inveniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, (non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur,) profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.

5. Et quod dictum est, *Non occides*, non putan-
B dum est fieri contra hoc præceptum, quando lex occidit, vel occidi aliquem Deus jubet. Ille enim facit qui jubet, quando ministerium negare non licet.

6. In eo etiam quod dictum est, *Falsum testimonium non dices adversùs proximum tuum*, quæri solet, utrùm prohibitum sit omne mendacium: ne fortè non sit hoc præceptum adersùs eos, qui dicunt tunc esse mentiendum, quando id mendacium prodest alicui, & nihil obest ei cui mentiris. Tale
C quippe non est adversùs proximum tuum, ut ideo videatur hoc addidisse Scriptura, quæ posset breviter dicere, *Falsum testimonium non dices*, sicut dixit, *Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis*. Sed hinc magna quæstio est, nec à festinantibus commodè explicari potest, quomodo accipiendum
Psal. 5. 7. sit, Perdes omnes qui loquuntur mendacium: &,
Eccli. 7. 14. Noli velle mentiri omne mendacium: & cetera hujusmodi.

Quæst. LXXII. Exodi 20. 18.

Et *omnis populus videbat vocem, & lampadas,* D
& vocem tubæ, & montem fumantem. Solet quæri, quomodo populus videbat vocem, cùm vox non ad visum, sed potiùs ad auditum pertinere videatur. Sed sicut modò dixi videatur, de omnibus quæ à me dicta sunt; sic, videre solet pro generali sensu poni, non solùm corporis, verùm etiam animi:
Gen. 42. 1. unde & illud est, Cùm vidisset Jacob, quia sunt es-
Soc. LXX. cæ in Ægypto; unde utique absens erat. Quamquam nonnulli videre vocem nihil aliud esse arbitrati sunt quàm intelligere, qui vitus mentis est.
E Cùm verò hîc breviter dicendum esset, quòd populus videbat vocem & lampadas, & vocem tubæ ac montem fumantem, quæstio major oriretur quomodo audiebat lampadas & montem fumantem, quod pertinet ad sensum videndi. Nisi quis dicat, nec tam breviter dicendum fuisse; sed, ut totum diceretur, audiebat vocem, & videbat lampadas, & audiebat vocem tubæ, & videbat montem fumantem. Duo quippe genera vocis erant, & de nubi-
F bus, sicut tonitrua, & de tuba; si tamen ipsam dixit vocem quæ de nubibus edebatur. Ac per hoc meliùs in iis quæ ad sensum audiendi pertinebant, generalis sensus est positus, hoc est videndi, cùm breviter totum vellet Scriptura complecti, quàm ut in iis quæ pertinent ad videndi sensum, subintelligeretur auditus: quo more loqui non solemus. Nam, Vide quid sonet, solemus dicere: Audi quid luceat, non solemus.

Quæst. LXXIII. Exodi 20. 19.

Loquere *tu nobis, & non loquatur ad nos* G
Deus, ne quando moriamur. Multùm & solidè significatur, ad vetus Testamentum timorem potiùs pertinere, sicut ad novum dilectionem: quamquam & in vetere novum lateat, & in novo vetus pateat. Quomodo autem tali populo tribuatur videre vocem Dei, si hoc accipiendum est intellige-
A re, cùm sibi loqui Deum timeant ne moriantur, non satis elucet.

Et *dicit eis Moyses, Constantes estote: propterea* Quæst.
enim venit Deus ad vos tentare vos, ut sit timor ejus LXXIV.
in vobis, ne peccetis. Sic illi cohibendi fuerant à pec- Exodi 20.
catis, utique timendo ne pœnas sensibiles paterentur; quia nondum poterant amare justitiam: & in hoc erat illis tentatio à Domino, qua probabantur, ut appareret cujusmodi essent: non ut Deo noti fierent, quem non latebant qualescumque es-
B sent, sed ut inter se ac sibimet. Multùm tamen istis terroribus Testamenti veteris differentia commendatur, quod etiam in epistola ad Hebræos apertis- Hebr. 12. 4.
simè dictum est.

Moyses *autem intravit in nebulam, ubi erat* Quæst.
Deus: id est ubi expressiora fiebant signa, quibus LXXV.
cognosceretur Deus. Nam quomodo in nebula Exodi 20.
erat, cui cæli cælorum non sufficiunt; nisi quem- 21.
admodum nusquam non est, qui in loco nullo [a] est?

a

Non *facietis vobis deos argenteos, & deos aureos* Quæst.
non facietis vobisipsis. Repetitur quod in primo præ- LXXVI.
cepto inculcatum est: & ex diis argenteis & aureis Exodi 20.
utique omnia simulacra intelliguntur, sicut in illo 23.
etiam Psalmo, Idola gentium argentum & aurum. Psal. 113. & 134. 15.

Quæ de servo Hebræo præcipiuntur, ut sex Quæst.
annos serviat, & dimittatur liber gratis, ne servi LXXVII.
Christiani hoc flagitarent à dominis suis, Apos- Exodi 21. 2.
tolica auctoritas jubet servos dominis suis esse subdi- Ephes. 6. 5.
tos, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur. Illud enim ex hoc satis constat in mysterio præcep-
D tum, quia & pertundi subulâ ejus aurem ad postem, præcepit Deus, qui libertatem illam recusasset.

1. Si *quis autem vendiderit filiam suam* [b] *famu-* Exodi 21. 6.
lam, non abibit ita ut recedunt ancillæ. Quòd si non Quæst.
placuerit domino suo, quam non adnominavit eam, LXXVIII.
remunerabit eam. Genti autem exteræ non est dominus Ex. di 21. 7.
vendere illam, quoniam spretvit in ea. Quòd si filio ad- &c.
nominaverit eam, secundùm justificationem filiarum b
faciet ei. Quòd si aliam accipiet ei, quæ opus sunt, &
E *vestem, & conversationem ejus non fraudabit. Si au-*
tem tria hæc non fecerit ei, exibit gratis sine pretio. Obscurissimum istum locum inusitata verba locutionesque fecerunt, ita ut interpretes nostri quemadmodum eum explicarent, penè non invenirent. In ipso quoque Græco eloquio multùm obscurum est, quod hîc dicitur. Tamen quid videatur, ut potero, aperiam.

2. Si *quis autem*, inquit, *vendiderit filiam suam*
famulam, id est ut sit famula, quam οἰκέτιν Græci
F vocant: *non abibit ita ut recedunt ancillæ*, intelligendum est, non sic recedet, quomodo recedunt ancillæ Hebrææ post sex annos. Eam quippe oportet etiam in femina Hebræa legem datam intelligi, quæ servatur in maribus. Cur ergo ista non ita recedet, nisi quia in illo famulatu intelligitur humiliata, quòd ei se dominus miscuerit? Hoc quippe in consequentibus utcumque clarescit. Sequitur enim & dicit, *Quòd si non placuerit domino suo, quam non adnominavit eam*, id est non eam fecit uxorem: *remunerabit eam*, hoc est, quod suprà dixit, *non abibit ita ut recedunt ancillæ.* [c] Justum est c
quippe aliquid accipere pro eo, quòd humiliata est; quia non ei se ira miscuit, ut faceret uxorem, id est, ut adnominaret eam sibi. Hoc autem quod diximus, *remunerabit eam*, quidam interpretes di-

a Editi, *deest*: pro quo omnes MSS. *est*.
b Sic MSS. constanter juxta LXX. At editi, *in famulam*.
c MSS. *Jussu est*.

xerunt, *redimet eam*. Quòd si in Græco dictum est ἀπολυτρώσεται, scriptum esset sicut scriptum
Psal. 129. est, Et ipse redimet Israël; nam & ἀπολυτρώσεται scriptum est. In hoc autem loco ἀπολυτρώσει legitur, ubi intelligitur quòd accipit magis aliquid, quàm pro ea datur ut redimatur. Cui enim dabit dominus ejus, ut redimat quam ipse famulam possidet? *Genti autem exteræ non est dominus vendere illam, quia sprevit in ea*: id est, non quia sprevit in ea, ideo dominus est vendere illam, id est in tantum ei dominabitur, ut etiam exteræ genti eam licitè vendat. Hoc est autem sprevit in ea, quod est sprevit eam: sprevit eam autem hoc est humiliavit eam, id est concumbendo nec uxorem faciendo. Dixit autem Græcè ἠθέτησεν, quod nos diximus *sprevit*, quo verbo Scriptura utitur apud Jeremiam,
Jer. 3. 20. Sicut spernit mulier eum cui commiscetur.

3. Deinde sequitur & dicit, *Quòd si filio adnominaverit eam, secundùm justificationem filiarum faciet ei*. Hic jam apparere incipit, quemadmodum suprà dixerit, *quam non adnominavit*. Nam quid est aliud, *si filio adnominaverit eam*, nisi filio conjunxerit eam uxorem? quandoquidem dicit, *secundùm justificationem filiarum faciet ei*, id est, ut sic tradat tamquam filiam, dotem scilicet apponens ei. Deinde adjungit, *Quòd si aliam accipiet ei*, id est non istam deputaverit uxorem filio suo, sed ei aliam accipiat: *quæ opus sunt, & vestem & conversationem ejus non fraudabit*; dabit ei simili lege, quæ competunt, quoniam non mansit uxor filio ejus, quemadmodum ei daret, si eam sibi non adnominasset, & tamen concumbendo humiliasset. Quod autem nos diximus, *conversationem non fraudabit*, Græcus habet ὁμιλίας, id est, locutionem, quo nomine intelligitur Scriptura honestiùs appellare concubitum. Quid est autem, Concubitum non fraudabit, nisi pro concubitu mercedem dabit? Namque apud Danielem contra Susannam falsum testimonium
Dan. 13. 37. dicentes seniores, Venit, inquiunt, ad eam adolescens, qui erat in latenti absconditus, & concubuit cum ea. Daniel autem de hoc ipso interrogans, ait, Sub qua arbore vidisti eos colloquentes: quod illi dixerant, concubuit cum ea. Deinde alterum arguens atque convincens dixit, Semen Chanaan, & non Juda, species delectavit te, & illa concupiscentia evertit cor tuum: sic enim faciebatis filiabus Israël, sed illæ timentes adquiescebant vobis. Græcus autem habet ὁμίλησν ὑμῖν, quod posset Latinè verbum è verbo dici, Loquebantur vobis: quo significaretur concubitus. Nam ubi dicitur, Sub qua arbore comprehendistis eos, Græcus habet, Comprehendistis eos colloquentes invicem: & illic significatur concubitus.

4. Quod ergo de hac de qua agitur adjungit Scriptura, & dicit, *Si autem tria hæc non fecerit ei, exibit gratis*, hoc intelligitur, Si eam ipse concubitu non humiliaverit, neque filio suo conjunxerit, neque aliâ à filio suo ductâ istam ejecerit, *abibit gratis*, id est sufficiet ei non teneri in servitute. Abibit enim nihil accipiens, ut servus Hebræus. Non enim licet domino ejus copulare illam viro non Hebræo, quam non licet exteræ genti tradi. Si autem servo Hebræo eam copulaverit, hoc utique intelligitur, quòd cum eo gratis exibit, nequaquam à marito separata.

Quæst. LXXIX. Exodi 21. 12. Si *quis percusserit aliquem, & mortuus fuerit, morte moriatur. Qui autem nolens, sed Deus tradidit in manus ejus, dabo tibi locum in quem fugiat*. Quæritur hoc quomodo dictum sit, *Si autem nolens, sed Deus tradidit in manus ejus*: quasi etsi volens occiderit, posset occidere, nisi Deus traderet in manus ejus. Intelligitur ergo, tantummodo Deum fecisse, cùm quisque occiditur à nolente: & pro hoc quòd tantummodo Deus id fecit, dictum est, *sed Deus tradidit in manus ejus*. Cùm verò volens occidit, & ipse occidit, & Deus tradidit in manus ejus. Hoc ergo interest, quòd illic tantùm Deus fecit: hîc autem & Deus & homo, propter voluntatem facientis; sed non sicut Deus homo. Deus enim nonnisi justè, homo autem pœnâ dignus: non quia illum occidit quem Deus nollet occidi, sed quia per iniquitatem. Non enim ministerium Deo jubenti præbuit, sed suæ malignæ cupiditati servivit. In uno igitur eodemque facto & Deus de occulta æquitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur. Non enim quia Deus proprio Filio non
Rom. 8. 32. pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ideo Judas excusatus est, qui eumdem ad mortem
Matth. 26. 48. tradidit Christum.

Quæst. LXX. Exodi 21. 22. Si *autem litigabunt duo viri, & [a] percusserint mulierem in utero habentem, & exierit infans ejus nondum formatus, detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieris, & dabit cum postulatione*. Mihi videtur significationis alicujus caussâ dici hæc, magis quàm Scripturam circa hujusmodi facta occupatam. Nam si illud adtenderet, ne prægnans mulier percussa in abortum compelleretur, non poneret duos litigantes viros, cùm possit & ab uno hoc admitti, qui cum ipsa muliere litigaverit, vel etiam non litigaverit, sed alienæ posteritati nocere volendo id fecerit. Quod verò non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputavit quod tale in utero geritur. Hîc de anima quæstio solet agitari, utrùm quod formatum non est, ne animatum quidem possit intelligi, & ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat. Sequitur enim & dicit, *Si autem formatum fuerit, dabit* v. 23.
animam pro anima. Ubi quid aliud intelligitur, nisi & ipse morietur? Nam hoc & in ceteris ex hac occasione jam præcipit, *Oculum pro oculo, dentem pro* v. 24. &
dente, manum pro manu, pedem pro pede, combustio- 25.
nem pro combustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore: talionis videlicet æquitate. Quæ Lex ideo constituit, ut demonstraret quæ vindicta debeatur. Nisi enim per Legem sciretur quid vindictæ deberetur, unde sciretur quid venia relaxaret, ut dici posset, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos Matth. 6. 12.
dimittimus debitoribus nostris? Debitores igitur Lege monstrantur, ut quando ignoscitur appareat quid dimittatur. Neque enim debita dimitteremus, nisi quid nobis deberetur Lege indice disceremus. Si ergo illud informe puerperium jam quidem fuerit, sed adhuc quodammodo informiter animatum, (quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussæ temeritate sententiæ,) ideo Lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viva in eo corpore, quod sensu caret, si talis est in carne nondum formata & ideo nondum sensibus prædita. Quod autem dixit, *Et dabit cum postulatione* quod maritus mulieris informi excluso dandum constituerit, non est in prom- μετὰ αἰτήσεως.

[a] Ita melioris notæ MSS. juxta LXX. & Syriacam, Chaldaicam, Samaritanam atque Arabicam versionem. At editi ferunt, *& percusserit quis mulierem fetum in utero habentem*.

tu intelligere. ἀξίωμα quippe, quod Græcus habet, pluribus modis intelligitur, & tolerabiliùs *cum postulatione* dictum est, quàm si aliud diceretur. Fortassis enim postulabit [a] ut det, ut eo modo satis Deo faciat, etiamsi maritus mulierve non expetat.

Quæst. LXXXI. Exodi 21. 28. Si *autem cornu percusserit taurus virum aut mulierem, & mortuus fuerit, lapidibus lapidabitur taurus, & non manducabuntur carnes ejus, dominus autem tauri innocens erit*. Ad justitiam pertinet, ut animal hominibus noxium perimatur, & quod de tauro positum est, à parte totum intelligendum est, quidquid in pecoribus usui humano subditis infestum est hominibus. Sed si necesse est occidi, numquid lapidari? Quid interest enim animal, quod auferendum est, qua morte auferatur? Deinde quod addidit, carnibus ejus non esse vescendum, quò pertinet, nisi omnia ista significent aliquid, quod Scriptura maximè solet intueri.

Quæst. LXXXII. Exodi 21. 35. Si *autem cornu percusserit alicujus taurus taurum proximi, & mortuus fuerit, vendent taurum vivum, & partientur pretium ejus, & taurum qui mortuus fuerit dispertientur*. Numquid in solo tauro hæc justificatio servanda est, & non de omni pecore in tali casu? Proinde à parte totum & hoc intelligendum est: sed hoc de carnibus occisi pecoris fieri non potest, quæ non vescuntur.

Quæst. LXXXIII. Exodi 22. 1. Quæ justificatio est, ut pro vitulo uno quinque reddantur, pro ove autem quatuor, nisi aliquid significare intelligatur?

Quæst. LXXXIV. Exodi 22. 2. b Si *autem perfodiens inventus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium. Si autem orietur sol super eum, reus est*; [b] *pro morte morietur*. Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait, *si orietur sol super eum*. Poterat quippe discerni quòd ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non deberet c occidi. Hoc & in legibus antiquis [c] sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impunè occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit: jam enim plus est, quàm fur.

Quæst. LXXXV. Exodi 22. 9. Quid est, *qui convictus fuerit per Deum, restituet duplo*: nisi quia vult Deus aliquando signo dato prodere pejerantem?

Quæst. LXXXVI. Exodi 22. 28. Exodi 7. 1. Deos *non maledices*. Quæritur quos dixerit deos, utrùm principes qui judicant populum, sicut dictum est de Moyse, quòd datus fuerat deus Pharaoni: ut per expositionem sit dictum quod sequitur, velut ostendendo quos dixerit deos, ubi ait, *Et principem populi tui non maledices*: quod Græcus habet, *non dices malè*. An secundùm illud accipien-
1. Cor. 8. 5. dum est, quod Apostolus ait, Nam etsi sunt qui dicuntur dij, sive in cælo sive in terra, sicuti sunt dij multi & domini multi: addendo enim, Sicuti sunt, deos intelligi voluit, qui dignè etiam dicuntur: ita sanè ut λατρεία quæ dicitur Græcè, & interpretatur Latinè servitus, sed ea quæ ad religionem pertinere intelligitur, non debeatur nisi uni Deo vero, qui nobis est Deus. Illi autem qui dicuntur dij, etiam si qui sunt qui meritò dicuntur, prohibiti sunt G maledici, non jussi sunt sacrificiis vel ullis latriæ obsequiis honorari.

Quæst. LXXXVII. Exodi 23. 2. Non *eris cum pluribus in malitia*. Ne se inde quisquam defendat, quia cum pluribus fecit, aut ideo putet non esse peccatum.

Et *pauperis non misereberis in judicio*. Nisi addidisset, *in judicio*, magna esset quæstio. Sed intelli- Quæst. LXXXVIII. Exodi 23. 3.
gendum esset, etiam si scriptum non esset. Suprà enim dixerat, *Non apponères cum multitudine, declinare cum pluribus, ut declines judicium*: ac per hoc *Et pauperis non misereberis*, posset intelligi, *in judicio*. Sed cùm additum est, nulla quæstio est hoc esse præceptum, ne fortè cùm judicamus, videamus justitiam esse pro divite contra pauperem, & nobis rectè facere videamur si contra justitiam pauperi faveamus caussâ misericordiæ. Bona est ergo misericordia, sed non debet esse contra judicium. Judicium sanè illud appellat Scriptura, quod justum est. Ne quis autem propter istam sententiam Deum putaret misericordiam prohibere, quod sequitur opportunissimè sequitur: *Si autem obviaveris bovi inimici tui, aut subjugali ejus, errantibus, reducens reddes ei*: ut scias non te prohibitum facere misericordiam, fac etiam erga inimicos tuos, cùm potestas C est à judicando libera: non enim cùm reducis errantem bovem inimici tui & reddis, inter aliquos judex resides.

Sex *annis seminabis terram tuam, & colliges fru-* Quæst. LXXXIX. Exodi 23.
ctum ejus: septimo autem anno remissionem facies, & 10.
requiem dabis illi: & edent pauperes gentis tuæ: quæ autem superabunt edent feræ bestiæ. Sic facies vineam tuam & olivetum tuum. Quæri potest, quid colligant pauperes, si septimo anno ita parcit terræ, ut nec seminetur quidem? Non enim ad vineam & D olivetum pertinet quod dictum est, *Edent pauperes gentis tuæ*: quia de terra non seminata nihil possunt sumere, ubi segetes nasci non possunt: de vinea enim & oliveto postea dicit similiter esse faciendum: ac per hoc illud de arvis intelligitur, quæ frumentis serviunt. An sic accipiendum, *Sex annis seminabis terram tuam, & colliges fructus ejus*, hoc est, Sex annis seminabis, & colliges: septimo verò non colliges, ut intelligatur seminabis, etiamsi dictum non est: ut ad sex annos seminare & colligere pertineat, E ad septimum verò dimittere quod fuerit seminatum? Nam quid inde habebunt pauperes, quorum residuum etiam feris bestiis dedit, eis videlicet quæ illis frugibus vesci possint, sicut sunt apri, & cervi, & si quid hujusmodi? Quod tamen non diceretur, nisi alicujus significationis gratiâ. Nam si quod adtinet ad præcepta quæ hominibus data sunt, de bo- 1. Cor. 9. 9.
bus cura non est Deo: quod non sic intelligitur, tamquam non ipse pascat ea, quæ nec seminant, nec metunt, neque congregant in horreum, sed F quia ei curæ non est, præcepto monere hominem, quomodo bovi suo consulat: quanto minùs ei cura est de feris bestiis præcipere, quomodo illis ab hominibus consulatur, cùm eas ipse pascat divitiis naturæ usquequaque fructiferæ, qui eas etiam per alios sex annos pascit, cùm colliguntur quæ seminantur.

Non *coques agnum in lacte matris suæ*. Quomo- Quæst. XC. Exodi 23.
do intelligatur ad verborum proprietatem nescio 19.
utrùm possit reperiri. Si enim alicujus significationis caussâ prohibitum acceperimus agnum in lacte coqui, nullus usus est ita coquendi. Si autem in diebus quibus lactatur, quis hoc habuit umquam Judæorum in observatione, ut agnum non coqueret, nisi cùm desisteret sugere. Quid est autem *in lacte matris suæ*, quasi posset, etiamsi hoc intelligere-

[a] Editiones Am. Er. & Lov. *postulabit ut det eo modo*. Rat. & septem MSS. *postulavit ut det eo modo*. Alij quinque MSS. probæ notæ, *postulabit ut det, ut eo modo*. Fortè leg. *postulabit judex ut eo modo*. an potiùs negatione præfixa, *non postulabit ut det, ut eo modo* &c?

[b] In excusis, *& morte morietur*. In MSS. *pro morte morietur*: id est vicissim juxta Græc. LXX. θάνατον θανάτου.

[c] Scilicet in XII. Tabulis, è quibus hæc ipsa lex proferitur à Cicerone in Orat. pro Milone.

tur, sine hujus præcepti transgressione coqui, si eo nato mortua matre ejus, ab ove alia lactaretur? cùm alicujus profectò rei significandæ caussâ esse præceptum nemo ambigat. Sed etiam illa quæ possunt observantiâ factitari, non sine caussa ita præcepta sunt; significant enim aliquid. Hoc verò quomodo observetur ad proprietatem verborum aut non est, aut non elucet. Intellectum tamen de Christo approbo, quòd hac prophetiâ prædictus
Matth. 2. 16. est non occidendus à Judæis infans, quando Herodes quærens eum ut occideret, non invenit, ut *coques* quod dictum est, pertineat ad ignem pas-
Eccli. 27. 6. sionis, hoc est, tribulationem. Unde dicitur, Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Quia ergo non est tunc infans passus, cùm quærente Herode hujusmodi periculum imminere videretur, prædictum est his verbis, *Non coques agnum in lacte matris suæ.* Illud quoque forsitan non absurdum est, quod alij dicunt, id esse præceptum per Prophetam, ne se boni Israëlitæ sociarent malis Judæis, à quibus Christus passus est tamquam agnus in lacte matris suæ, id est eo tempore quo conceptus est. Dicuntur enim feminæ ex quo conceperint lac colligere: illo autem mense conceptum & passum esse Christum, & Paschæ observatio, & dies ecclesiis notissimus nativitatis ejus ostendit. Qui enim mense nono natus est octavo Kalendas Januarias, profectò mense primo conceptus est circa octavum Kalendas Aprilis, quod tempus etiam passionis ejus fuit in lacte matris suæ, hoc est in diebus matris suæ. [a]

Quæst. XCI. Exod. 23. 20. Ecce *ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via, ut inducat te in terram, quam paravi tibi. Adtende tibi, & exaudi eum, ne non credas illi: nihil enim subtrahet tibi; nomen enim meum est super eum.* Hoc de illo nimirum intelligitur, cui nomen mutatum est, [b] ut Jesus vocaretur: ipse quippe introduxit populum in terram promissionis.

Quæst. XCII. Exod. 23. 25. Et *servies Domino Deo tuo: & benedicam panem tuum, & vinum tuum, & aquam tuam, & avertam infirmitatem à vobis. Non erit qui non generet, neque sterilis super terram tuam. Numerum dierum tuorum replebo. Et timorem mittam qui te antecedat; & amentes faciam omnes gentes in quas tu intrabis*, &c. Quamvis istæ promissiones possint & spiritaliter intelligi, tamen cùm secundùm temporalem hominum felicitatem intelliguntur, ad vetus Testamentum pertinent: ubi quamquam præcepta, exceptis his quæ in sacramento aliquid significant, eadem ad mores bonos pertinentia reperiantur, promissiones tamen carnales atque terrenæ sunt. Unde in Psalmo septuagesimo-secundo penè lapsos & effusos gressus
Psal. 72. 2. suos homo Dei dicit, cùm zelaret in peccatoribus pacem peccatorum intuens. Ea quippe cernebat abundare impiis, quæ ipse secundùm Testamentum vetus exspectabat à Domino Deo, cui hac mercede serviebat. Et cùm hinc ei subrepere cœpisset sensus impius, quòd Deum non curare existimaret humana, correptum se dicit, dum auctoritatem sanctorum non est ausus improbare, & incœpit cognoscere, & ait, Hoc labor est ante me, donec introëam in sanctuarium Dei, & intelligam in novissima. Ibi enim præmia dabuntur ad novum pertinentia Testamentum, quæ impij non accipient: & pœnæ tunc futuræ sunt impiorum, quas nullus piorum sensurus est. Ibidem 16. & 17.

Et *mittam vespas ante te, & [c] ejiciet Amorrhæos, Evæos, Chananæos, & Chettæos à te.* Quæritur de his vespis quid intelligendum sit? Nam & promittit hoc Deus, & liber Sapientiæ dicit impletum, ubi ait, Et misit antecessores exercitus sui vespas. Non autem legimus factum, neque Moysi temporibus, neque sub Jesu Nave, neque sub judicibus, neque sub regibus. Ac per hoc vespæ istæ aculei timoris intelligendi sunt fortasse, quibus agitabantur memoratæ gentes, ut cederent filiis Israël. Deus enim loquitur, in cujus sermone si figuratè aliquid dicatur, quod ad proprietatem non sit impletum, non impedit historiæ fidem, in qua perspicitur veritas narrationis. Sicut nec Evangelistarum narratio secundùm proprietatem impeditur, si aliquid à Christo dicitur figuratè. Quæst. XCIII. Exod. 23. 28. Sap. 12. 8. c

Si *servieris diis eorum, erunt tibi offendiculum.* Hîc Græcus δουλεύσης habet, non λατρεύσης. Unde intelligitur, quia & δουλεία debetur Deo tamquam Domino, λατρεία verò nonnisi Deo tamquam Deo. Quæst. XCIV. Exod. 23. 33.

Et *Moysi dixit, Adscende ad Dominum tu, & Aaron, & Nadab, & Abiud, & septuaginta seniorum Israël: & adorabunt à longè Dominum; & accedet Moyses solus ad Dominum, ipsi autem non accedent: populus autem non adscendet cum illis. Introiit autem Moyses, & narravit populo omnia verba Dei & justificationes. Respondit autem omnis populus voce una dicentes, Omnia verba, quæ locutus est Dominus, faciemus, & audiemus.* Usque ad hunc locum Scripturæ justificationes intelliguntur quæ datæ sunt populo ad observandum. Incipiunt autem quantum ipsa verba Scripturæ indicant, unde hoc nomen justificationum exorsum est, ab illo servo Hebræo cui auris ad postem pertunditur. In quibus omnibus justificationibus considerandum est, quæ inde ad agendam vitam & morum bonorum conservationem duci possint. Multa quippe in eis sunt sacramenta significantia potiùs aliquid, quàm vitam nostram instruentia. Justificationes sanè Latini interpretes eas esse dixerunt, quæ Græci δικαιώματα appellant. Quæst. XCV. Exod. 24. 1.

Notandum est, quòd iterum populus ita respondet, *Omnia verba, quæ locutus est Dominus, faciemus, & audiemus:* cùm videatur ordo postulare, ut diceretur, audiemus & faciemus. Sed mirum nisi aliquis sensus hîc latet. Nam si audiemus, pro eo positum est, quod est intelligemus, priùs oportet verbis Dei reddere faciendi servitutem, ut Quæst. XCVI. Exod. 24. 3.

[a] Accedit alia expositio in Quæstionum codice Corbeiensi ante annos circiter octingentos scripto reperta his verbis. *Est alius sensus facilior, Non coques agnum in lacte matris suæ, Parvulos adhuc & lactentes, qualibus dicit Apostolus, Lac vobis potum dedi non escam, non mittes in præproperam passionem, tamquam Christo sit dictum, qui talibus adhuc Discipulis pepercit, pro quibus se offerens ait, Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Atque ut intelligeretur adhuc eos invalidos & minùs idoneos fuisse passioni tamquam agnos in lacte matris, secutus ait Evangelista, Vt impleretur sermo quem dixerat, Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam. Vnde apparet eos, si tunc paterentur, futisse perituros. Hoc enim tunc non passi sunt, quod postea passi sunt, non adhuc agni in lacte, sed jam arietes in grege.* Sunt & alia quædam ad hancce expositionem præmissa in eodem codice, sed omnia profectò è margine in contextum per amanuensem translata. Nam absunt prorsus à ceteris Quæstionum codicibus: exstant verò in duobus nostris MSS. collectionis Eugypij, in uno quidem continua serie, at in altero cum ejusdemodi præmonitione, *Hinc jam ex alio opere S. Augustini quæ sequuntur adjecta sunt.* Itaque suspicamur Quæstionum exemplar illud, quo usus est scriptor codicis Corbeiensis primò laudati, habuisse ea quæ Eugypius abbas, ætate Augustino propè æqualis, suâ manu adnotaverat. Sic enim in 1 lib. super Genes. q. 117. n. 3. ante illa verba, *Nulla tamen est facilior* &c. descripsit ille in medio contextu, *Ab hinc scribendum.* quæ fuerat, uti opinamur, adnotatio Eugypij præcipientis exscribi sequentia, quæ hodieque in ipsius collectione reperiuntur.

[b] Am. Er. & Lov. *ut Israël vocaretur.* Sed veriùs MSS. & editio Rat. *Josue*, is est Josue.

[c] Er. & Lov. *ejiciam.* pro quo MSS. necnon Rat. & Am. *ejiciet*, scilicet Vespa: ubi à plurali numero fit transitus ad singularem, quemadmodum explicatur in Locutionum lib. 2. Locut. 107.

ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, merito devotionis, qua non contemtæ, sed factæ sunt, ipse perducat. Sed videndum est, utrùm iste populus illi filio similis inveniatur
Matth. 21. 30. qui patri jubenti dixit, Ibo in vineam, & non iit. Gentes enim quæ Dominum penitus contemserunt, postea per unius obedientiam justificatæ, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam.

Quæst. XCVII. Exodi 24. 4. Notandum quòd *Moyses ædificavit altare sub monte, & duodecim lapides in duodecim tribus Israël.* Intelligitur enim ex duodecim lapidibus altare ædificatum, significasse ipsum populum esse altare
2. Cor. 6. 16. Dei, sicut est templum Dei.

Et *immolaverunt hostiam salutaris Deo.* Non dixit hostiam salutarem, sed *hostiam salutaris*, quod Quæst. XCVIII. Exodi 24. 5. Græcus habet σωτηρίου. Unde in Psalmo, Calicem,
Psal. 115. 13. inquit, salutaris accipiam: non dixit, calicem salutarem. Ubi videndum est, ne fortè ille significe-
Luca 2. 30. tur, de quo dixit Simeon, Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Hunc enim & Psalmus com-
Psal. 95. 2. mendat, ubi legitur, Bene nuntiate diem ex die salutare ejus. Quid est enim aliud, si diligentiùs adtendamus, quod ait diem ex die, nisi lumen ex lumine, hoc est Deum ex Deo, quod est unigenitus Filius?

Quæst. XCIX. Exodi 24. 6. Sumens *autem Moyses dimidiam partem sanguinis, infudit in craterem, & partem reliquam sanguinis adfudit ad altare: & accipiens librum Testamenti recitavit in aures populi.* Notandum est, nunc primùm sacrificasse Moysen evidenter Scripturam dicere, ex quo ex Ægypto eductus est populus. Pri-
Exodi 18. 12. mò enim de Jothor dictum erat socero ejus, quamvis cum aliqua ambiguitate, quòd immolaverit Deo. Et advertendum librum Testamenti cum sanguine hostiæ recitari, in quo libro illas justificationes conscriptas debemus accipere. Nam decalogum Legis in tabulis lapideis fuisse conscriptum postea manifestatum est.

Quæst. C. Exodi 24. 7. Et *dixerunt, Omnia quæcumque locutus est Dominus, faciemus, & audiemus.* Non aliter respondent ecce jam tertiò.

Quæst. CI. Exodi 24. 9. Et *adscendit Moyses, & Aaron, & Nadab, & Abiud, & septuaginta seniorum Israël: & viderunt locum ubi steterat ibi Deus Israël.* Constat inter eos qui rectè intelligunt, nullo Deum contineri loco, nec aliquo velut situ corporis membra ponere, sicuti est nostri corporis, sedere, jacêre, stare, & si quid hujusmodi est. Hæc enim non sunt nisi corpo-
Johan. 4. 24. rum, Deus autem spiritus est. Quòd ergo se ostendit specie corporali vel signis corporaliter expressis, non substantia ejus apparet, qua est ipse quod est, sed assumtio formarum visibilium ejus omnipotentiæ subjacet.

Quæst. CII. Exodi 24. 11. Et *de electis Israël non dissonuit nec unus: & apparuerunt in loco Dei, & manducaverunt, & biberunt.* Quis dubitet, illos quos nominatim expressit, & septuaginta seniores, nunc appellatos electos Israël? qui procul dubio personam gerebant eorum, qui
2. Thess. 3. 2. electi sunt in populo Dei. Non enim omnium est
2. Tim. 2. 20. fides: & novit Dominus qui sunt ejus. In magna autem domo sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam. Quoniam ergo quos antè præsciv it, &
Rom. 8. 30. prædestinavit; quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit: profectò de electis Israël non dissonuit nec unus. Significantur autem quaternario numero in Moyse & Aaron & Nadab & Abiud, propter quatuor Evangelia, & totius orbis, qui in quatuor partes dividitur, promissionem: & septuaginta de senioribus Israël, numero scilicet septenario decuplato, qui pertinet ad significandum Spiritum-sanctum. Sapphiro autem significatur vita cælestis, maximè quia dictum est, *sicut adspectus firmamenti.* Firmamen- Exodi 24. 10.
tum autem cælum appellari quis nesciat? Et forma lateris in eodem sapphiro quadraturam ipsam, vel stabilitatem, vel ejusdem quaternarij numeri sacramentum figurat. Quod autem manducant & bibunt in loco Dei, suavitatem saturitatemque significat in illo regno æternitatis. Beati enim qui esu- Matth. 5. 6.
riunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Unde & Dominus dicit venturos multos, (quos Matth. 8. 11.
utique nisi electos, præscitos, prædestinatos, vocatos, justificatos, glorificatos?) & recubituros cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum. Nam & alio loco ipse hoc promittit fidelibus suis, Luca 12. 37.
quòd faciat eos recumbere, & transeat, & ministret eis.

Quid sibi vult quòd Jesus Nave, non commemoratus in illis quatuor, subitò cum Moyse apparet, & cum illo adscendit in montem ad acci- Quæst. CIII. Exodi 24. 13.
piendas tabulas Legis; & subitò rursus idem Jesus absconditur, id est tacetur; & Moyses accepit Legem in duabus tabulis, & cum eo iterum apparet? An fortè significat novum Testamentum nomine Jesu, & absconditum esse in Lege, & aliquando apparere intelligentibus? Quod verò Jesus jam vocatur, cùm in libro Numerorum quando id nomen Num 13. 17.
acceperit Scriptura testetur, cùm jam propè esset ut terram promissionis intrarent, per prolepsim, hoc est per præoccupationem anticipat Scriptura quod postea factum est. Omnia quippe ista postea quàm facta sunt, scripta sunt; ac per hoc quando factum est quod modò commemoratur, nondum vocabatur Jesus, sed quando scriptum est jam hoc vocabatur.

Et *facies in ea cymatia aurea versatilia in circuitu.* Quæst. CIV. Exodi 25. 11.
Cymatia dixit, quæ in quadratura exstant per quatuor partes, sicut mensæ quadræ fieri solent. Nec quod ait *versatilia*, mobilia debemus accipere. Fixa sunt enim, sicut dixi mensas habere solitas: sed *versatilia* dixit, tortilia, quæ Græcè vocantur στρεπτὰ; vel canalibus, sicut sunt columnæ tortiles; aut implicatis duabus virgulis in modum rêstis, sicut etiam torques fieri solent. Quod autem ait, *Et fa-* v. 12.
bricabis illi quatuor anulos aureos, & impones super quatuor latera, duos anulos in latus unum, & duos anulos in latus secundum: ad quatuor angulos occurrunt quatuor anuli singuli in singulis, & per angulorum numerum fit, ut quod in duobus lateribus ponitur, in omnibus quatuor ponatur. Unus enim angulus duobus lateribus communis est: alioquin non occurrit, ut bini anuli ponantur per quatuor latera, cùm sint quatuor anuli; octo quippe esse debuerunt, si aliter intelligimus, quàm quod dixi fieri numero angulorum. Ad hoc enim anuli in angulis ponuntur, quò inducantur subportatoria vel gestatoria, quibus arca à quatuor hominibus hinc atque inde portetur.

Propitiatorium quid dicat superimponendum super arcam, quæri solet: sed cùm aureum Quæst. CV. Exodi 25. 17.
fieri jubeat, ejusque longitudinem & latitudinem tantam exprimat, quanta & ipsius arcæ dicta est, procul dubio velut tabulam auream tantæ formæ fieri præcipit, qua tegeretur arca; ita ut in ipso pro-

pitiatorio essent duo Cherubim, hinc atque inde alterutrum adtendentes, ita ut vultus eorum in propitiatorium essent, & pennis suis obumbrarent propitiatorium. quod magnum est sacramentum. Aurum quippe significat sapientiam, arca significat secretum Dei. In arca jussa sunt poni Lex, & manna, & virga Aaron: in Lege præcepta sunt, virgâ potestas significatur, mannâ gratia; quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Verumtamen quia Lex à quovis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est ut propitius sit Deus, & ideo desuper ponitur, quia superexsultat misericordia judicio. (*Jac.* 2. 13.) Duo verò Cherubim pennis suis obumbrant propitiatorium, id est honorant velando; quoniam mysteria ista ibi sunt: & invicem se adtendunt, quia consonant; duo quippe ibi Testamenta figurantur: & vultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam Dei, in qua una spes est, valde commendant. Denique hinc se promisit locuturum Deus ad Moysen de medio Cherubim desursum propitiatorij. Porrò si creatura rationalis in multitudine scientiæ, quoniam hanc interpretationem habent Cherubim, duobus ipsis animalibus significatur; ideo duo sunt, ut societatem caritatis commendent; ideo pennis suis propitiatorium obumbrant, quia Deo non sibi tribuunt pennas suas, id est Deum honorant virtutibus, quibus præstant: & vultus eorum non sunt nisi in propitiatorium, quia cuicumque profectui ad multitudinem scientiæ spes non est, nisi in Dei misericordia.

QUÆST. CVI. *Exod.* 25. 27. a

QUOD ait, *Erunt anuli* [a] *in thecis subportatoriis ad tollendam mensam*, hoc intelligendum est, quòd anuli essent velut thecæ subportatoriorum, id est quò subportatoria tamquam in thecas inducantur. *Erunt* quippe *in thecis*, ita dictum est, tamquam diceretur, Erunt pro thecis.

QUÆST. CVII. *Exodi* 26. 1. *Rom.* 13. 10.

DECEM aulæorum jubet fieri tabernaculum, cùm sit decalogus Legis. Aulæa verò significant latitudinem, propter facilitatem. Caritas quippe plenitudo Legis est: & nonnisi caritati sunt præcepta facilia; unde ipsa dilatatio commendatur, cùm dicitur, Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea. (*Psal.* 17. 37.) Sed quoniam ista dilatatio per gratiam fit Dei, caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nosipsos, sed per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis; (*Rom.* 5. 5.) ideo hîc mysticè ipse numerus etiam commendatur, qui pertinet etiam ad Spiritum-sanctum, per quem Lex possit impleri. Dicitur enim aulæum longitudinem habere debere in cubitis viginti-octo. Iste autem numerus, quia per septenarium dividendus est, significavit, cùm dicit latitudinem aulæi in cubitis quatuor. Quater enim septem fiunt viginti-octo. Et est etiam iste numerus perfectus; quia, sicut senarius, suis partibus constat. Quod verò tam sæpe dicit, *Cherubim facies ea opere textoris*, quid aliud quàm in his omnibus multitudinem scientiæ commendat, quod interpretatur *Cherubim*.

QUÆST. CVIII. *Exodi* 26. 7.

ET *facies vela capillacia operire super tabernaculum. undecim vela facies ea.* Quæ capillacia vela sunt, id est cilicina, undecim dicuntur esse. In peccatis quippe transgressio est. Transgressio verò undenario numero significatur, quoniam transgreditur denarium, hoc est Legem: ideo ipsa undecim per septenarium multiplicata, faciunt septuaginta-septem; ubi significavit Dominus universam remissionem peccatorum, dicens, Non solùm septies, verùm etiam septuagies septies: (*Matth.* 18. 22.) quot generationes reperiuntur, cùm Lucas à baptismo Domini enumerans sursum versùs adscendit, & pervenit per Adam usque ad Deum. (*Luc.* 3 23.) Ad hoc enim fit significatio peccatorum in his velis, ut per confessionem exprimantur, & per gratiam quæ data est Ecclesiæ aboleantur, hoc est tegantur: unde dicitur, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. (*Psal.* 31. 1.) Deinde jubet ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autem rubricatus, cui non occurrat Christus passione cruentatus? Significantur his etiam martyres sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui. (Martyrum orationes.) Ipsis denique superjaciuntur pelles hyacinthinæ, ut significetur vita æterna viriditate tamquam vigore perpetuo.

QUÆST. CIX. *Exodi* 26. 17. *sec.* LXX.

FACIES *duos anconiscos columnæ uni consistentes ex adverso*: hoc est, unum hinc, & unum inde, de lateribus columnæ. Anconiscos autem dicit, quos vulgò vocamus ancones, sicut sunt in columnis cellarum vinariarum, quibus incumbunt ligna quæ cupas ferunt. Ducta est autem similitudo verbi à cubitis, ubi flectuntur manus, quibus incumbunt recumbentes, qui Græcè ἀγκῶνες vocantur.

QUÆST. CX. *Exodi* 26. 21.

BASES *columnarum duas uni.* Bases non eas tantùm videtur dicere Scriptura, quibus columnæ ab imo fulciuntur: sed etiam superiores, quæ capitella nos dicimus. Ideo dicit, *duas bases columnæ uni in ambas partes ejus.* Nam quæ sunt ambæ partes, nisi inferior & superior?

QUÆST. CXI. *Exodi* 26. 25.

QUOD octo columnas & bases earum sexdecim secundùm supradictam rationem à posterioribus tabernaculi Scriptura dicit, cùm superiùs sex dixerit, intelligitur annumeratis duabus angularibus octo fieri.

QUÆST. CXII. *Exodi* 26. 33.

ET *dividet vobis velamen inter medium sanctum, & inter medium sanctum sanctorum*: id est, ut inter sanctum & sanctum sanctorum sit hoc velamen, de quo nunc loquitur, in quatuor columnis extentum. De hac differentia inter sanctum & sanctum sanctorum ad Hebræos epistola loquitur; quia ubi Arca testimonij, ibi sanctum sanctorum, hoc est, intus ultra velum: (*Hebr.* 9. 1.) foris autem mensa & candelabrum, & cetera quæ paulò antè dixit quemadmodum fierent, sancta dicta sunt, & non sancta sanctorum. Et significatur foris vetus Testamentum, intus autem novum, cùm sit utrumque in lectione veteris Testamenti, & expressum operibus, & significatione figuratum. Ac per hoc in sanctis figura est figuræ, quia figura est veteris Testamenti: in sanctis autem sanctorum figura est ipsius veritatis, quia figura est novi Testamenti. Totum quippe vetus Testamentum in his rebus & celebrationibus, quæ ita observanda præcipiuntur, figura est.

QUÆST. CXIII. *Exodi* 27. 1.

DE altari quæritur, quomodo tribus cubitis altum esse voluerit, cùm tanta ferè sit staturæ hominis altitudo. Quomodo ergo ministrabatur altari, cùm gradus habere altare alio loco prohibeat? Ne pudenda, inquit, tua reveles super illud. (*Exodi* 20. 26.) Sed illic dicebat de altari, quod terrâ vel lapidibus construendum esset, ubi gradus ipsi coædificati ad corpus altaris utique pertinerent: nunc verò de tabulis

[a] Apud LXX. εἰς θήκας τοῖς ἀναφορεῦσι. Legendum ergo, *in thecas*, licèt codices omnes habeant, *in thecis subportatoriis*: nempe familiari vitio librariorum, qui rursum infra, easdem voces casu & genere conciliandas invicem putarunt; nam legebatur in hactenus editis, *velut thecæ subportatoria*, ubi ex MSS. aliquot reposuimus *subportatoriorum*.

fieri altare præcipit, quo si apponeretur ad horam ministrationis aliquid ubi staret minister altaris, & peracto ministerio tolleretur, ad corpus altaris non utique pertineret. Item quæritur, quomodo super altare ligneum sacrificium quod inferebatur, posset incendi; præsertim quia concavum fieri jubet, & craticulam deponi usque ad medium ejus, id est medium concavitatis ejus, opere factum reticulato. (*Exodi* 27. 2.) An quoniam dixit, *Et facies cornua in quatuor angulos, ex seipso erunt cornua, & teges illa æramento*, non ad sola cornua referendum est quod ait, *teges illa æramento*, sed ad omnia de quibus loquebatur, de altari fabricando præcipiens?

QUÆST. CXIV. *Exodi* 28. 3.

1. ET *tu loquere omnibus sapientibus mente, quos replevi spiritu intellectus.* αἰσθήσεως quidem Græcus habet, quem Latinè sensum, non intellectum dicere solemus: sed Scriptura de sensu interiore, quem intellectum vocamus, sic loqui solet, sicuti est ad Hebræos, Perfectorum est autem solidus cibus, (*Hebr.* 5. 14) eorum qui per habitum exercitatos habent sensus ad discernendum bonum & malum. Ibi enim quod posuit sensus, Græcus habet αἰσθήσεις. Quem ergo istum spiritum, nisi Spiritum-sanctum debemus accipere?

(*Exodi* 28. 4. a) 2. *Et stolæ quas facient, pectoralem, humeralem, & tunicam talarem, & tunicam cum* [a] *corymbis.* Has appellatas stolas esse & cetera, cùm superiùs unam stolam faciendam proposuisset, notandum est. Tunicam verò *cum corymbis* honestiùs putarunt Latini interpretes dici, quàm si dicerent *cum cirris*, qui bene dispositi ornamento esse vestibus solent.

QUÆST. CXV. *Exodi* 28 4.

ASPIDISCAS in veste sacerdotali quas dicat, utrùm scutulas, quæ à scuto Latinè appellantur, quia & Græci scutum ἀσπίδα appellant. An verò aspidiscas propter diligenter colligandum dicit ab aspide serpente, sicut etiam murænulæ appellantur? (*v.* 16. b) [b] *Spithamis autem longitudo, & spithamis latitudo*: Latini quidam interpretati sunt, mensuram extentæ palmæ à fine pollicis usque ad finem digiti minimi. (*v.* 9. c) [[c] Item quod dicitur, *Sumes duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël, sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum*, an intelligendum, ut] lapides sint de nominibus filiorum Israël secundùm nativitates eorum, id est secundùm ordinem quo nati sunt?

QUÆST. CXVI. *Exodi* 28. 22.

ET *facies super rationale fimbrias complectentes opus catenatum de auro puro.* Quòd Latini *rationale* interpretati sunt, inopia linguæ fecit. Græcus enim habet λόγιον, non λογικόν. Rationale autem illud solemus appellare, quod Græci dicunt λογικόν. Sed quoniam λόγος in Græca lingua ambiguum est, utrùm verbum significet, an rationem, quia utriusque rei nomen est; ubi putatum est à verbo dictum λόγιον, eloquium nostri interpretati sunt: nam quod habemus, Eloquia Domini, eloquia casta, (*Psal.* 11. 7.) Græci habent λόγια: hîc verò in veste sacerdotali, quod ex auro & hyacintho & purpura & cocco duplici torto & bysso duplici torta fieri præceptum est quadratum duplex, quod esset in pectore sacerdotis, & λόγιον vocaretur, incertum utrùm à ratione an à verbo ductum fuerit, interpretes nostri magis à ratione dictum putantes *rationale* appellaverunt.

QUÆST. CXVII. *Exodi* 28. 30.

ET *impones super rationale judicij demonstrationem & veritatem.* Quid sibi hoc velit, vel in quali re vel metallo poneretur super rationale demonstratio & veritas, quoniam talia dicit fieri in veste sacerdotis, quæ corporaliter fiunt, invenire difficile est. Fabulantur tamen quidam, lapidem fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera mutaretur quando sacerdos intrabat in sancta: & hoc esse quod ait, *Et afferet Aaron judicia filiorum Israël super pectus*, ostendens videlicet in illa demonstratione & veritate, quid de illis judicaverit Dominus. Quamquam possit intelligi demonstrationem & veritatem litteris impositam super λόγιον.

QUÆST. CXVIII. *Exodi* 28. 31.

ET *facies tunicam talarem hyacinthinam*, id est, usque ad talos dependentem. *Et erit peristomium ex ea medium*, id est, qua caput ejiciatur: hoc est enim quod Græci dicunt περιστόμιον. *Oram habens in circuitu peristomij, opus textoris, commissuram contextam*, id est, ne ipsa ora extrinsecùs assuatur: hoc videtur dicere, *commissuram contextam.* Unde etiam addidit, *ex ipsa, ut ne rumpatur*, id est, ut ex se ipsa sit ipsa ora contexta cum veste.

QUÆST. CXIX. *Exodi* 28. 35.

ET *erit Aaron cùm cœperit fungi sacerdotio, audietur vox ejus intranti in sanctum in conspectu Domini & exeunti, ut non moriatur*: intrantis & exeuntis vocem de tintinnabulis dixit audiri, tantumque ibi pondus observationis posuit, ut diceret, *ne moriatur.* Testimonia ergo quædam significari voluit in veste sacerdotali, qua utique significatur Ecclesia, per hæc tintinnabula, ut nota sit conversatio sacerdotis: sicut Apostolus dicit, Circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum. (*Tit* 2. 7.) aut illud, Quæ audisti à me per multos testes, hæc eadem commenda fidelibus, & iis qui idonei sunt & alios docere. (2. *Tim.* 2. 2.) An quid aliud? magnum tamen est, quidquid illud est. *Intranti* autem *& exeunti*, pro intrantis & exeuntis, locutio est. *Vox* pro sonitu; nam tintinnabulorum magis sonus quàm vox est.

QUÆST. CXX. *Exod.* 28. 36. d e

ET *facies laminam auream puram, & formabis in eadem* [d] *formationem signi, sanctitatem Domini: & impones illud super hyacinthum duplicem tortam: & erit super mitram; secundùm adspectum mitræ erit: & erit supra frontem Aaron.* [e] *Et auferet Aaron peccata sanctorum, quæcumque sanctificabunt filij Israël, omnis dati sanctorum eorum.* Quomodo formetur in lamina sanctitas Domini, non video, nisi aliquibus litteris, quas quidam quatuor esse dicunt Hebræas, quod, ut Græci appellant, τετραγράμματον nomen Dei ineffabile credunt fuisse, vel esse adhuc usque. Sed quælibet sint, vel quomodolibet se habeant illæ litteræ, ut dixi, sanctitatem Domini vel sanctificationem, si hoc magis dicendum est, quod Græcus habet ἁγίασμα, nonnisi litteris in auro formari potuisse crediderim. Ibi autem dicit sacerdotem sanctorum auferre peccata, *Quæcumque sancti-* (*v.* 38.)

[a] Editi, *tunicam cum cornibus.* item infrà, *cum cornibus honestiùs putarunt* &c. Mirum si cui visum est id honestiùs dici. Porrò MSS. constanter habent, *cum corymbis*: quo propriè vocabulo significantur hederarum racemi ex Plinio lib. 16. c. 34. & ex Servio ad illud Virgil. Eclog. 3. Diffusos hederâ vestit pallente corymbos. Græc. LXX. habet hîc, χιτῶνα κοσυμβωτόν, id est vestem fimbriatam, seu potiùs cirratam, aut cum cirris, uti insinuat Augustinus.

[b] Ita in MSS. At in excusis, *Spithamis*: licèt apud LXX. sit in genitivo casu, σπιθαμῆς. Eadem voce utuntur Isa. 40. v. 12. quam Hieronymus in eum locum sic interpretatur: σπιθαμή, inquit, id est palmus, extentam significat manum à pollice usque ad extremum digitum.

[c] In MSS. post vocem *minimi*, proximè subsequitur: *Et lapides sint de nominibus filiorum Israël secundùm nativitates eorum.* qui est Exodi 28. vers. 21. nisi quòd LXX. habent κατὰ ὀνόματα, ubi Augustinus videtur legisse κατὰ γενήματα.

[d] Am. Er. & Lov. *Et formabis in eadem formatione sanctitatem Domini.* MSS. quinque, *in ea deformationem signi, sanctitatem* &c. Alij duo & Rat. *in ea deformationem signis, sanctitatem* &c. nonnulli *in eadem formationem signi* &c. Porrò apud LXX. legitur, καὶ ἐκτυπώσεις ἐν αὐτῷ ἐκτύπωμα σφραγῖδος, ἁγίασμα κυρίου.

[e] Editi, *Ut auferat*: paulóque pòst, *omnis datus sanctorum eorum.* Reposuimus ad MSS. fidem, *Et auferet*: tumque, *omnis dati*: quæ etiam lectio est LXX.

ficabunt, inquit, *filij Israël omnis dati sanctorum eorum:* quod arbitror dictum in eis sacrificiis, quæ offerunt pro peccatis suis; ut non sanctorum hominum intelligamus, sed sanctorum ab eo quòd sunt sancta, quæ offeruntur pro peccatis. Cùm ergo de
v. 38. lamina dixisset, adjunxit atque ait, *Et auferet Aaron peccata sanctorum, quæcumque sanctificabunt filij Israël omnis dati sanctorum eorum:* id est, sacerdos auferet quæcumque offerunt pro peccatis suis, quæ dicuntur & sancta, quia sanctificantur, & peccata, quia pro peccatis offeruntur; sicut multis locis hoc ipsum evidenter Scriptura commemorat. Quod au-
Ibidem. tem adjungit & dicit, *Et erit super frontem Aaron semper acceptum illis in conspectu Domini:* ad laminam illam revertitur; in qua [a] intelligitur frontis ornamentum, fiducia bonæ vitæ, quam qui verè perfectéque, non significatione, sed veritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata, nec habet necessitatem offerre pro suis.

Quaest. CXXI. Exod. 28. 41. De Aaron & filiis Aaron cùm præciperet, loquens ad Moysen, quomodo vestirentur, & ungerentur, quid est quod ait, *Et implebis manus eorum, ut sacerdotio fungantur mihi?* An fortè muneribus, quæ offerenda sunt Deo?

Quaest. CXXII. Exod. 28. 42. Et *facies eis femoralia linea, tegere turpitudinem* [b] *corporis eorum, à lumbis usque ad femora erunt.* Cùm vestis tanta cooperiat totum corpus, quid est quod ait, *Femoralia facies linea tegere turpitudinem corporis eorum*, quasi apparere posset tanta desupèr veste adhibita? Nisi quia signum esse voluit in hoc castitatis vel continentiæ: quæ ideo per indumentum significatur, ut non à seipso habita, sed data intelligatur.

Quaest. CXXIII. Exod. 29. 9. Cum de filiis Aaron loqueretur, *Et indues eos*, inquit, *tunicas, & cinges eos zonis, & circumdabis eis cidaras.* Quam dicat cidarim vel cidaras, quoniam non est interpretatum, nec in usu modò est, ignoratur: puto tamen non esse capitis tegumen, ut nonnulli putaverunt. Neque enim diceret, *circumdabis eis*, nisi tale aliquid esset, quod non capiti, sed corpori usui esset.

Quaest. CXXIV. Exod. 29. 9. Et *erit illis sacerdotium mihi in sempiternum.* Quomodo dicat *in sempiternum*, de his significativis rebus, superiùs sæpe diximus. Nam utique mutatum est hoc sacerdotium, ut illud esset in æternum secundùm ordinem Melchisedec, non secundùm ordinem Aaron. Ibi enim & juratio, & nulla Dei pæ-
Psal. 109. 4. nitudo, qua significetur mutatio. Juravit enim Dominus, & non pænitebit eum, Tu es, inquit, sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. De ordine autem Aaron dictum est quidem *in sempiternum*, vel propter tempus non præceptum quousque observaretur, vel quòd res significaret æternas: nusquam est tamen dictum de sacerdotio Aaron, quia juravit Dominus, & non pænitebit eum. Et ideo dictum est in illo sacerdotio secundùm ordinem Melchisedec, Non pænitebit eum, ut significaretur, quia de sacerdotio Aaron pænituit eum, id est mutavit illud.

Quaest. CXXV. Exod. 29. 9. Quid est, *Et consummabis manus Aaron, & manus filiorum ejus.* An per manus potestatem significavit, ut aliquid etiam ipsi consecrare possent: potestas autem ipsa sanctificatione consummabatur, qua præcepti sunt sanctificari à Moyse?

Quaest. CXXVI. Et *adduces vitulum ad ostium tabernaculi testimonij, & superimponent Aaron & filij ejus manus suas super caput vituli in conspectu Domini.* (Exod. 29. 10.) Ecce unde suprà dictum est, consummandas esse manus eorum, id est perficiendam potestatem, ut etiam ipsi sanctificarent, quod modò fit, cùm ponunt manus suas super vitulum immolandum.

Quaest. CXXVII. Exod. 29. 18. Quod *odor suavitatis Domino* sæpe dicitur sacrificium de victimis pecorum in Scripturis sanctis, non utique Deus odore fumi illius delectatur, sed tantùm illud quod his significatur spiritaliter Deum (B) delectat, cùm spiritaliter exhibetur, quoniam ipse odor Dei spiritaliter intelligitur. Non enim sicut nos odorem corporeis naribus ducit. Sicut ergo ille olefacit, sic ista significant.

Quaest. CXXVIII. Exod. 29. 26. Et *sumes pectusculum de ariete consummationis, quod est Aaron*, id est, hujus Aaron. Hoc enim pertinere voluit ad summum sacerdotem.

Quaest. CXXIX. Exod. 29. 28. 1. Et *erit Aaron & filiis ejus legitimum æternum à filiis Israël:* cùm diceret de pectusculo & brachio victimarum. More illo ergo *æternum* dixit, (C) quem sæpe suprà commemoravimus.

2. *Et stola sancti, quæ est Aaron, erit filiis ejus post eum, unguere eos in ipsis, & consummare manus eorum.* (v. 29.) * *Septem diebus vestiet se ea sacerdos, qui successerit ei de filiis ejus, qui intrabit in tabernaculum testimonij deservire in sanctis.* (v. 30.) Hæc verba multas quæstiones habent. Nam primùm hîc notandum est, quomodo cùm *stolam* dixerit *sancti*, postea pluraliter dicit *unguere eos in ipsis*, tamquam in stolis. Nam & suprà multas stolas eas dixerat, quibus una consta- (D) ret. Quamquam ambiguum sit, utrùm *in ipsis* ab eo quod sunt ipsa genere neutro, quæcumque sunt quibus illa stola completur, id est vestis sacerdotalis: quod magis putandum est, ex eo quod in consequentibus dicit, *Septem diebus vestiet se ea sacerdos qui successerit ei;* (v. 30.) ea scilicet omnia quæ commemoravit, cùm vestem sacerdotalem describeret. Repetivit sanè quod suprà dixerat, *consummare manus eorum:* (Suprà q. 125.) unde quid mihi videretur exposui. Quod verò ait, *Septem diebus vestiet se ea sacerdos*, num- (E) quid aliis diebus se non vestiet? sed illis septem continuis intelligi voluit, quibus ejus sacerdotium quodammodo dedicatur, atque hebdomadis est in ejus inchoatione festivitas. Successorem autem Aaron eum dicit, *qui intrat in tabernaculum testimonij, deservire in sanctis:* eum scilicet significans, qui non poterat esse nisi unus, non quales erant & filij Aaron cum vivo patre suo, sed qualis successor ipsius Aaron. Quomodo ergo proprium dicit hujus unius esse, *intrare in tabernaculum testimonij, deservire in* (F) *sanctis*, cùm & illa quæ sunt extra velum, quo velantur sancta sanctorum, sancta appellentur, & tabernaculum testimonij etiam illud vocetur, ubi sunt sancta, id est mensa & candelabrum: ubi cùm deserviant & sequentes sacerdotes ad mensam & candelabrum & ipsum altare, quomodo unum dicit successorem Aaron, qui *intret in tabernaculum testimonij, deservire in sanctis?* Si enim dixisset, Deservire in sanctis sanctorum, nulla esset quæstio. Ad hæc enim, ubi est arca testimonij, solus unus intrabat (G) summus sacerdos: quod etiam in epistola ad Hebræos (Hebr. 9. 7.) diligentissimè commendatur. Nisi fortè eo ipso, quòd unum dicit *intrare in tabernaculum testimonij, deservire in sanctis*, non vult utique intelligi, nisi in sanctis sanctorum; quia & ipsa utique sancta

a Removimus hinc verba quædam in melioris notæ MSS. non reperta. Nempe sic in editis habebatur, *ad laminam illam revertitur. In quo advertendum si inveniri potest, qui non habeat necessitatem pro suis offerre peccatis præter Christum, qui solus potest omnium auferre peccata: intelligitur frontis* &c.

b MSS. nostri constanter, *coloris.* Græc. LXX. χρωτός.

appellantur. Non enim omnia quæ sancta sunt, (A) etiam sancta sanctorum dici possunt: illa verò quæ sunt sancta sanctorum, procul dubio utique sancta sunt. Unus autem iste, qui semel in anno intrabat in sancta sanctorum, quoniam Dominum Chri-
v. 11. stum significabat, apertissimè supradictâ ad Hebræos epistolâ commendatur. Quod autem præfiguratum est in sancto sanctorum, ut super arcam quæ Legem habebat, esset propitiatorium, ubi Dei misericordia significari intelligenda est, qua propitius fit eorum peccatis qui Legem non implent: (B) hoc mihi videtur etiam in ipsa veste sacerdotis significari; nam & ipsa quid aliud quàm Ecclesiæ sacramenta significat? Quòd in λογίῳ, id est rationali in pectore sacerdotis posito judicia constituit, in lamina verò sanctificationem & [a] ablationem peccatorum: tamquam rationale sit in pectore simile arcæ in qua Lex erat, & lamina illa in fronte, similis propitiatorio quod super arcam erat, & ut utrobi-
Jac. 2. 13. que servaretur quod scriptum est, Superexsultat misericordia judicio.

Quaest. CXXX. Exod. 29. 37. Quid est quod purificatum & sanctificatum altare septem diebus dicit quòd *sanctum sancti erit?* Altare non quidem dicit sanctum sanctorum, sicut est illud quod velo separatur, ubi est arca testimonij: verumtamen & hoc altare extra velum positum, per sanctificationem septem dierum [b] dicit potiùs, quàm per unctionem fieri sanctum sancti. Et addit, *Omnis qui tetigerit altare, sanctificabitur.*

Quaest. CXXXI. Exodi 30. 3. Cum de anulis loqueretur altaris incensi, quod altare non inærari, sed inaurari jussit, *Et duos anulos aureos puros facies*, inquit, *sub tortili corona ejus, in duo latera facies in duobus lateribus:* quoniam Græcus habet, εἰς τὰ δύο κλίτη ποιήσεις ἐν τοῖς δυσὶ πλευροῖς. Nam κλίτη latera sunt, & πλευρὰ latera sunt. Unde quidam Latini sic interpretati sunt, *In duas partes facies in duobus lateribus.* Non autem ait Græcus μέρη, quod est partes, sed κλίτη, quod latera. Nam hoc verbum est in illo Psalmo, ubi scriptum
Psal. 127. 3. est, Uxor tua sicut vinea fertilis in lateribus domus tuæ. Ac per hoc tantùm casus interest, quia priùs accusativum, pòst verò ablativum posuit, *In duo latera facies, in duobus lateribus.* Quis autem sit sensus difficile est assequi, nisi fortè ut solet Scriptura amare ellipsim, ut aliquid desit & subaudiatur, etiam hîc subaudiatur Erunt: ut iste sit sensus, *In duo latera facies, in duobus lateribus erunt:* id est, ad duo latera facies anulos, quoniam in duobus lateribus erunt.

Quaest. CXXXII. Exodi 30. 4. Et *erunt arcus* [c] *amitibus ita ut tollatur illud in eis.* Quos anulos dixerat, arcus dicit. Anulos quippe pro rotundis ansis posuit. Et quid est aliud anulus vel circulus, nisi undique arcus? Ideo quidam nolentes arcus dicere, thecas interpretati sunt, quibus amites inducerentur, dicentes, *Et erunt thecæ amitibus;* quasi Græcus hoc non posset dicere, cùm etiam thecæ Græcum verbum sit: dixit autem ψαλίδες, quod arcus interpretatur.

Quaest. CXXXIII. Exodi 30. 8. Incendet *super illud incensum continuationis in conspectu Domini in progenies eorum. Continuationis incensum* dicit, quòd continuatim fieret, id est nullo die prætermitteretur. Cùm de altari præciperet incensi, id est, in quo incensum tantùm poneretur, non holocaustum, non sacrificium, non libatio, prædixerat idipsum incensum quotidie poni debere:
v. 10. nunc autem dicit, *Et depropitiabit Aaron*, vel *exorabit, super cornua ejus semel in anno de sanguine purificationis delictorum. Depropitiabit*, ab eo quod est depropitiatio, quæ Græcè dicitur ἐξιλασμός. Unde & intelligendum est, hoc quod semel in anno jubet fieri ad propitiandum Deum super cornua altaris incensi, id est ut de sanguine purificationis delictorum, victimarum scilicet quæ offeruntur pro delictis, semel in anno tangantur cornua altaris incensi, non pertinere ad illam appositionem incensi, quam quotidie fieri jusserat. Illa enim fiebat aromatîs, (B) non sanguine; & quotidie, non semel in anno. Non ergo sumus intellecturi, semel in anno intrare sacerdotem solere in sanctum sanctorum, sed semel in anno cum sanguine: & quotidie quidem solere intrare sine sanguine, causâ incensi imponendi; cum sanguine autem semel in anno: maximè quia sequitur & dicit, *Semel in anno purificabit illud, sanctum sanctorum est Domino.* Non ergo semel in anno ponet illic incensum, quod quotidie fieri jussum est; sed semel in anno purificabit illud, quod cum (C) sanguine fieri præceptum est. Et post hoc adjungit, *Sanctum sanctorum est Domino:* ac per hoc si sanctum sanctorum non extra, sed intra velum erat; etiam illud profectò altare de quo nunc agitur, quod poni jussit contra velum, intrinsecùs jussit.

Quaest. CXXXIV. Exodi 30. 12. Quid est quod ait, *Si acceperis computationem filiorum Israël in visitatione eorum:* nisi quia jubet eos aliquando visitari & computari, id est numerari? Quod in David propterea vindicatum intelli- (4. Reg. 24.) gendum est, quia Deus non jusserat.

Quaest. CXXXV. Exodi 30. 26. (D) Advertendum est etiam & notandum quemadmodum unguento chrismatis omnia jussit ungui, tabernaculum scilicet & ea quæ in illo erant, & deinde erunt sancta sanctorum. Omnia scilicet cùm fuerint uncta, erunt sancta sanctorum. Quid igitur distabit jam inter illa interiora, quæ velo teguntur, & cetera, si omnia cùm uncta fuerint erunt sancta sanctorum, diligentiùs requirendum: hæc tamen notanda credidimus. Ubi etiam meminerimus, quòd sicut de illo altari sacrificiorum, quod (E) post unctionem appellari voluit sanctum sancti, continuò dictum est, *Omnis qui tangit illud, sanctificabitur:* ita de omnibus postea, quæ de illo unguento uncta, dicta sunt Sancta sanctorum, eadem sententia subsecuta est, ut diceretur, *Omnis qui tangit ea, sanctificabitur.* Quod duobus modis intelligi potest, sive tangendo sanctificabitur, sive sanctificabitur ut ei liceat tangere: si tamen non licebat tangere populo tabernaculum, quando afferebant hostias, vel quæcumque ab eis allata offerebantur (F) Deo. Nam consequenter non solis sacerdotibus neque solis Levitis dicendum admonet, quòd ait ad Moysen, *Et filiis Israël loquèris dicens:* utique v. 31.
filij Israël totus ille populus erat; jubet autem illis dici, *Oleum linitio unctionis, sanctum erit hoc vobis in progenies vestras: super carnem hominis non linietur, & secundùm compositionem hanc non facietis vobis ipsis similiter. Sanctum est, & sanctificatio erit vobis. Quicumque fecerit similiter, & quicumque dabit de eo exteræ nationi, interibit de populo suo.* Jubet igitur non (G) solis sacerdotibus, sed universo populo Israël, ut non faciant tale unguentum in usus humanos. Hoc est enim quod ait, *Super carnem hominis non linietur.* Prohibet ergo simile fieri in usus suos, & interitum minatur si quisquam similiter fecerit, id est unguentum ad usus suos simile confecerit, vel cuiquam

a Editi, *oblationem.* MSS. aliquot, *abolitionem.* alij, *ablationem.*

b MSS. plerique omittunt, *quàm.* Nonnulli habent sic: *dici potuisset per unctionem.*

c Id est vectibus, uti ex Vulgata versione intelligitur.

hinc dederit exteræ nationi. Ac per hoc quod ait, *Sanctificatio erit vobis*, cùm hoc populo Israël universo dici jubeat, non video quid intelligam, nisi quia licebat eis, quando veniebat cum suis quisque muneribus, tangere tabernaculum; & tangendo sanctificabantur propter illud oleum, quo cuncta perunicta sunt; & hinc dictum, *Omnis qui tangit, sanctificabitur:* non tamen sic quemadmodum sacerdotes, qui etiam ut sacerdotio fungerentur, unguebantur ex illo.

QUAEST. CXXXVI. *Exodi* 30. 34. QUOD præcepit quibus aromatis fiat thymiama, id est incensum, & dicit unguentario more coctum opus unguentarij: non ideo putare debemus unguentum fieri, id est unde aliquid unguatur, sed ut dictum est thymiama, vel incensum quod imponatur illi altari incensi, ubi non licebat sacrificari, & erat [a] intus in sancto sanctorum.

QUAEST. CXXXVII. *Exod.* 30. 36. ET *concides de illis minutum, & pones contra testimonia in tabernaculo testimonij, unde innotescam tibi inde. Sanctum sanctorum erit vobis incensum.* Ecce iterum hoc incensum, quia intus ponebatur in altari incensi quod intus erat, Sanctum sanctorum dicitur: & tabernaculum testimonij propriè dicitur, illud ipsum interius ubi arca erat, adhibitâ sanè differentiâ cùm ait, *Vnde innotescam tibi inde.* Sic enim dixerat primùm de propitiatorio, quod utique intus est, id est intra velum super arcam.

QUAEST. CXXXVIII. *Exodi* 31. 2. QUID est quòd Beseleel cùm juberet adhiberi operibus tabernaculi faciendis, dixit eum se *replevisse spiritu divino sapientiæ & intellectus & scientiæ in omni opere, excogitare, & architectonari*, &c. Utrùm Spiritus-sancti muneri etiam ista opera tribuenda sunt, quæ pertinere ad opificium videntur: an & hoc significativè dictum est, ut ea pertineant ad divinum spiritum sapientiæ & intellectus & scientiæ, quæ his rebus significantur? Tamen etiam hîc cùm spiritu repletus dicatur iste divino sapientiæ & intellectus & scientiæ, nondum legitur Spiritus-sanctus.

QUAEST. CXXXIX. *Exodi* 31. 13. QUID sibi vult, quòd cùm de sabbato observando præciperet, ait, *Testamentum æternum in me & filiis Israël*, non ait, inter me & filios Israël? An quia sabbatum requiem significat, & requies nobis non est nisi in illo? Nam profectò filios Israël universum populum suum dicit, id est, semen Abraham: & est Israël secundùm carnem, & secundùm spiritum. Nam si Israël non esset dicendus, nisi ex genere carnis, non diceret Apostolus, Videte Israël secundùm carnem: ubi profectò significat esse Israël secundùm spiritum qui in absconditò Judæus est & circumcisione cordis. Sic ergo meliùs fortasse distinguitur, *Testamentum æternum in me:* ut deinde alius sensus sit, *Et filiis Israël signum est æternum*, id est, æternæ rei signum: quomodo petra erat Christus, quia petra significabat Christum. Non ergo ita jungendum est, *Testamentum æternum in me & filiis Israël*, tamquam in Deo & filiis Israël sit hoc testamentum; sed *Testamentum æternum in me*, quia in illo promissa est requies æterna; *& filiis Israël signum est æternum*, quia filij Israël acceperunt observandum signum, quo requies significatur æterna veris Israëlitis, hoc est filiis promissionis & visuris Deum facie ad faciem sicuti est.

1. Cor. 10. 28. Rom. 2. 29. 1. Cor. 10. 4.

QUAEST. CXL. *Exodi* 31. 18. ET *dedit Moysi statim ut cessavit loqui ad eum, in monte Sina, duas tabulas testimonij, lapideas scriptas digito Dei.* Cùm tam multa locutus sit Deus, duæ tantùm tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ testimonij futuræ in arca. Nimirum omnia cetera quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur & bene intelligantur: quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei & proximi, in quibus tota Lex pendet & Prophetæ. *Matth.* 22. 40.

QUAEST. CXLI. *Exod.* 32. 2. QUOD jubet Aaron inaures *demi ab auribus uxorum atque filiarum*, unde illis faceret deos, non absurdè intelligitur difficilia præcipere voluisse, ut hoc modo eos ab illa intentione revocaret: factum tamen illud ipsum difficile ut esset aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putavi, qui contristantur, si quid tale propter vitam æternam divinitus fieri, vel æquo animo tolerari jubeatur.

QUAEST. CXLII. *Exodi* 32. 9. DOMINUS indicans Moysi quid fecerit de vitulo populus, hoc est de idolo quod ex auro suo fecerant, dicit eos dixisse, *Hi dij tui Israël qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quod eos dixisse non legitur, sed animum eorum hunc fuisse Deus ostendit. Horum quippe verborum gerebant in corde sententiam, quæ Deum latêre non poterat.

QUAEST. CXLIII. *Exod.* 32. 14. *Sap.* 3. 2. *Eccli.* 11. 14. ET *propitiatus est Dominus de malitia, quam dixit facere populo suo.* Malitiam hîc pœnam intelligi voluit, sicuti est, Æstimata est malitia exitus illorum. Secundùm hanc dicitur bonum & malum à Deo, non secundùm malitiam qua homines mali sunt. Malus enim Deus non est: sed malis ingerit mala, quia justus est.

QUAEST. CXLIV. *Exodi* 32. 19. IRATUS quidem Moyses videtur tabulas testimonij digito Dei scriptas collisisse atque fregisse, magno tamen mysterio figurata est iteratio Testamenti, quoniam vetus fuerat abolendum, & constituendum novum. Notandum sanè, quanta pro populo ad Deum supplicatione laboraverit, qui tam severus in eos vindicando exstitit. Quòd autem in ignem missum vitulum fusilem contrivit, & in aquam sparsit, quam populo potum dedit, quid nobis videatur significare, jam alibi scripsimus in opere contra Faustum Manichæum. *Lib.* 22. *cap.* 93.

QUAEST. CXLV. *Exodi* 32. 24. ET *dederunt mihi, & misi in ignem, & exiit vitulus hic.* Compendiò locutus est, non dicens quòd ipse formaverit, ut exiret vitulus fusilis? An excusationis causâ timendo mentitus est, tamquam ipse in ignem periturum aurum projecerit, atque ipso non id agente forma vituli exierit? Quod ideo non est credendum hoc eum animo dixisse, quia nec latêre Moysen posset quid esset in [b] viro, cum quo Deus loquebatur, & fratrem de mendacio non redarguit.

QUAEST. CXLVI. *Exodi* 32. 25. ET *cùm vidisset Moyses populum, quia dissipatus est, dissipavit enim eos Aaron, ut in gaudium venirent adversariis suis.* Notandum est quemadmodum illud totum mali, quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quòd eis consenserit ad faciendum quod malè petierant. Magis enim dictum est, *dissipavit eos Aaron*, quoniam cessit eis, quàm dissipaverunt se ipsi qui tantum malum flagitaverunt.

QUAEST. CXLVII. *Exodi* 32. 31. CUM Moyses dicit ad Deum, *Precor, peccavit populus iste peccatum magnum, & fecerunt sibi deos aureos, & nunc si quidem remittis illis peccatum illorum, remitte; sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Securus quidem hoc dixit, ut à consequentibus ratiocinatio concludatur, id est ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret. Verumtamen advertendum est,

[a] Si. melioris notæ MSS. At editi, *erat intra sancta sanctorum.* [b] MSS. *in vero.*

quantum

quantum malum in illo peccato perspexerit Moyses quod tanta cæde crediderit expiandum, qui eos sic diligebat, ut pro eis illa verba Deo funderet.

QUAEST. CXLVIII. MERITO quæritur, cùm superiùs populum dissipasse dictus sit Aaron, cur in ipsum vindicta nulla processerit, neque cùm Moyses interfici jussit omnem, qui Levitis euntibus ad portam & redeuntibus occurrisset armatis; neque cùm postea factum est quod Scriptura dicit, *Et percussit Dominus populum propter facturam vituli, quem fecit Aaron:* maximè quia & hîc hoc idem repetendo inculcatum est. Non enim dictum est, *Et percussit Dominus populum propter facturam vituli*, quem fecerunt, sed *quem fecit Aaron:* & tamen non est percussus Aaron: quin etiam illud quod de sacerdotio ejus ante peccatum ejus Deus præcipiebat, impletum est. Sed jussit & ipsum & filios ablui; & sic ordinati sunt in sacerdotio. Ita novit ille cui parcat usque ad commutationem in melius; & cui parcat ad tempus, quamvis eum præscierit in melius non mutari; & cui non parcat ut mutetur in melius, & cui non parcat, ita ut [a] nec mutationem ejus exspectet: & totum hoc ad id redit, quod Apostolus dicit exclamans, Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? *Exodi* 32. 35. *Rom.* 11. 33.

QUAEST. CXLIX. *Exodi* 33. 1. VADE, *adscende hinc, tu & populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* Deus iratus dicere videtur, *tu & populus tuus, quem eduxisti:* alioquin dixisset, tu & populus meus, quem eduxi de terra Ægypti sed illi quando idolum poposcerunt, ita locuti sunt, *Moyses enim hic homo qui eduxit nos de terra Ægypti, non scimus quid factum sit ei:* liberationem suam in homine constituendo defecerant. Hoc eis modò replicatur cùm dicitur, *tu & populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti:* quod illis est crimini, non Moysi. Non enim aliud volebat Moyses, nisi ut non in illo, sed in Domino spem ponerent, & Domini misericordiâ se cum gratiarum actione crederent ab illa servitute liberatos: cujus tamen apud Deum tamquam fidelissimi famuli tantum erat meritum per illius gratiam, ut ei diceret Deus, *Sine me, & iratus ira conteram eos.* Quod utrùm jubentis sit cùm ait, *Sine me*, an quasi petentis, utrumque videtur absurdum. Nam & si jubebat Deus, inobedienter famulus non parebat; & Deum hoc à servo velut pro beneficio petere non decebat, cùm præsertim posset eos etiam illo nolente conterere. Ille itaque ibi sensus in promtu est, quod his verbis significavit Deus, plurimum apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat: ut eo modo admoneremur, cùm merita nostra nos gravant ne diligamur à Deo, relevari nos apud eum illorum meritis posse quos diligit. Nam cùm ab omnipotente dicitur homini, *Sine me & conteram eos*, quid aliud dicitur quàm, Contererem eos, nisi diligerentur abs te? Ita ergo dictum est, *Sine me*, ac si diceretur, Noli eos diligere, *& conteram eos*; quia ne id faciam dilectio tua in illos intercedit mihi. Obtemperandum autem esset Domino dicenti, Noli eos diligere, si hoc jubendo dixisset, & non potiùs admonendo & exprimendo quid illum ab eorum supplicio revocaret: nec tamen etiam illo intercedente sine flagello disciplinæ populum dereliquit. Nescio quo enim modo, UT SIC EOS DILIGERET ipse Moyses, Deus illos occultiùs diligebat, qui manifestè voce terrebat. *Exodi* 32. 1. & 23. *Ibidem* 10.

QUAEST. CL. *Exodi* 33. 1. UBI dicit Deus ad Moysen, *Vade, adscende hinc, tu & populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, & Iacob, dicens, Semini vestro dabo eam:* continuò tamquam ad ipsum Moysen adhuc loquatur, occulta conversione, quæ Græcè ἀποστροφὴ dicitur, jam ad ipsum populum loquitur dicens, *Et simul mittam Angelum meum ante te, & ejiciet Chananæum, & Amorrhæum, & Chettæum, & Pheresæum, & Gergesæum, & Evæum, & Iebusæum, & introducet te in terram fluentem lac & mel. Non enim adscendam tecum, quia populus dura cervice es, ut non deleam te in via.* Magna sacramenti & mira profunditas, tamquam misericordiam majorem posset Angelus habere quàm Deus, qui populo duræ cervicis parceret; cui Deus, si cum illis esset, ipse non parceret: & tamen etiam per Angelum suum, se quodammodo ab eis absente, qui nusquam esse absens potest, implere se dicit quod patribus eorum juravit: tamquam & hîc ostendens, hoc se ideo facere, quia illis patribus justis promisit, non quòd isti digni essent. Quid ergo significat, nisi fortè ideo se non esse cum eis, quia dura cervice sunt; quia non eum propitium & salubrem, nisi humilitas & pietas capit. Esse autem Deum cum duræ cervicis hominibus, nihil est aliud quàm vindicando adesse atque puniendo: unde cùm eo modo malis non adest, parcendo facit; quò pertinet illud quod dicitur, Averte faciem tuam à peccatis meis: [b] quia si advertit, evertit. Sicut enim fluit cera à facie ignis, sic pereunt peccatores à facie Dei. *Psal.* 50. 11. *Psal.* 67. 3.

QUAEST. CLI. *Exodi* 33. 12. ET *dixit Moyses ad Dominum, Ecce tu mihi dicis: Deduc populum hunc. Tu autem non demonstrasti mihi quem simul mittas mecum. Tu autem dixisti mihi, Scio te præ omnibus, & gratiam habes apud me. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè ut videam te, ut sim inveniens gratiam ante te, & ut sciam quia populus tuus est gens hæc.* Quod habet Græcus γνωστῶς, hoc quidam Latini interpretati sunt, *manifestè*, cùm Scriptura non dixerit φανερῶς. Potuit ergo fortasse aptiùs dici: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum scienter ut videam te:* quibus verbis satis ostendit Moyses, quòd non ita videbat Deum in illa tanta familiaritate conspectûs, ut desiderabat videre: quoniam illæ omnes visiones Dei, quæ mortalium præbebantur adspectibus, & ex quibus fiebat sonus, quo mortalis adtingeretur auditus, sic exhibebantur, assumta sicut Deus volebat, specie qua volebat, ut non in eis ipsa ullo sensu corporis sentiretur divina natura, quæ invisibilis ubique tota est, & nullo continetur loco. Et quia in duobus præceptis, hoc est dilectionis Dei & proximi, tota Lex pendet, ideo Moyses in utroque suum desiderium demonstrabat: in dilectione scilicet Dei, ubi ait, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè ut videam te, ut sim inveniens gratiam in conspectu tuo:* in dilectione autem proximi, ubi ait, *Et ut sciam quia populus tuus est gens hæc.* *Matth.* 22. 40.

QUAEST. CLII. *Exodi* 33. 17. *Matth.* 25. 12. QUID est quod dicit Deus ad Moysen, *Quoniam scio te præ omnibus:* numquid Deus plus aliqua scit, & aliqua minùs? An secundùm quod dicitur quibusdam in Evangelio, Non novi vos?

[a] Sic MSS. At editi omissa negatione habent, *ut vita mutationem* &c.
[b] Editiones Rat. Am. & Er. *quia nisi avertit, adverti.* Lov. & septem MSS. *quia nisi avertit, evertit.* Sed prætulimus lectionem MSS. optimæ notæ Corbeiensis, Michaëlini &c.

cundùm hanc enim scientiam, qua Deus dicitur A scire quæ illi placent, nescire quæ displicent, non quia ignorat ea, sed quia non approbat, sicut ars rectè dicitur nescire vitia, cùm improbat vitia, præ omnibus Deus Moysen sciebat, quia Deo præ omnibus Moyses placebat.

QUAEST. CLIII. *Exodi 33. 12. & 17.* NOTANDUM est-ne, quod priùs ipse Moyses dixerat Deo, *Dixisti mihi, Scio te præ omnibus:* quod illi Deus postea quàm hoc ipse Deo dixit, legitur dixisse, antè autem non legitur: ut intelligamus non omnia esse scripta, quæ cum illo Deus locutus est: sed diligentiùs requirendum est in prioribus Scripturæ partibus, an verè ita sit.

QUAEST. CLIV. *Exodi 33. 18. & 19.* 1. CUM dixisset Moyses ad Dominum, *Ostende mihi gloriam tuam:* respondit ei Dominus, *Ego transibo ante te*[a] *gloria mea: & vocabo nomine Domini in conspectu tuo: & miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero:* cùm
a
v. 14. paulo antè dixisset, *Ipse antecedam te, & requiem tibi dabo:* quod Moyses sic videtur accepisse, *Antecedam te*, tamquam non ei populo, qui præsens C
v. 15. in itinere futurus esset: & ideo ait, *Si non tu ipse simul veneris nobiscum, ne me educas hinc:* &c. Deus
v. 17. autem neque ei hoc negavit dicens, *Et hoc tibi verbum quod dixisti faciam.* Quomodo ergo cùm dixisset ei Moyses, *Ostende mihi gloriam tuam*, rursus tamquam præcessurus & non cum eis simul futurus
v. 19. videtur dicere, *Ego transibo ante te?* nisi quia hoc aliud est. Ille quippe intelligitur loqui & dicere,
Johan. 13. 1. *Transibo ante te*, de quo dicit Evangelium, Cùm venisset hora, ut transiret Jesus de hoc mundo ad D Patrem: qui transitus etiam Pascha interpretari perhibetur. Hæc itaque magna omnino prophetia est. Ipse enim ante omnes sanctos transiit ad Patrem de hoc sæculo, parare illis mansiones regni cælorum, quas dabit eis in resurrectione mortuorum; quoniam transiturus ante omnes primogenitus à mortuis factus est.
Coloss. 1. 18.

2. Gratiam verò suam in eo ipso valde commendat cùm dicit, *Et vocabo nomine Domini in conspectu*
Exodi 33. 19. *tuo:* tamquam in conspectu populi Israël, cujus E Moyses cùm hæc audiret typum gerebat. In conspectu enim gentis ipsius ubique dispersæ vocatur Dominus Christus in omnibus gentibus. *Vocabo* autem dixit, non Vocabor, activum verbum pro passivo ponens, genere locutionis inusitato; in quo nimirum magnus sensus latet. Sic enim fortasse significare voluit, seipsum hoc facere, id est gratiâ suâ fieri, ut vocetur Dominus in omnibus gentibus.

Ibidem. 3. Quod verò addidit, *Et miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero:* ibi planè expressiùs ostendit vocationem, qua nos vocavit in suum regnum & gloriam: non pro meritis nostris, sed pro misericordia sua. Quoniam enim se gentes introducturum pollicebatur, dicens, *Vocabo nomine Domini in conspectu tuo:* commendavit hoc se misericorditer facere, sicut Apo-
Rom. 15. 8. stolus dicit, Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia glorificare Deum. Hoc ergo prædi- G ctum est, *Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero.* Quibus verbis prohibuit hominem velut de propriarum virtutum meritis gloriari, ut qui gloriatur in Domino
2. Cor. 10. 17. glorietur. Non enim ait, *Miserebor* talibus vel talibus, sed *cui misericors fuero:* ut neminem præcedentibus bonis operibus suis misericordiam tantæ vocationis meruisse demonstret. Etenim Christus pro *Rom. 5. 6.* impiis mortuus est.

4. Sed utrùm hoc idem repetere voluerit, cùm addidit, *Misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero*, vel sicut alij interpretati sunt, *cui misericors fuero*; an aliquid intersit, nescio. Quod enim Græcâ linguâ duobus verbis dictum est ἐλεήσω, & οἰκτειρήσω, quod unum atque idem videtur significare, non potuit Latinus diversis verbis dicere, & B diversis modis eamdem misericordiam repetivit. Si autem diceretur, Miserebor cui misereor, & miserebor cui misertus ero; non satis commodè dici videretur. Et tamen fortiùs ille ipse ibi sensus est, quòd aut ipsius misericordiæ suæ firmitatem Deus ista repetitione monstravit: sicut Amen, Amen; sicut Fiat Fiat; sicut repetitio somnij Pharaonis, pluraque similia. Aut in utrisque populis, id est gentibus & Hebræis, hoc modo Deus prænuntiavit misericordiam se esse facturum. Quod Apostolus ita dicit, Sicut enim vos aliquando non credidistis *Rom. 11. 30.* Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis il- " lorum incredulitate: sic & ipsi nunc non credide- " runt in vestra misericordia, ut & ipsi misericordiam " consequantur. Conclusit enim Deus omnes in in- " credulitate, ut omnium misereatur.

5. Deinde post hanc suæ misericordiæ commendationem respondet ad illud, quod ei dictum fuerat, *Ostende mihi gloriam tuam*, vel quod suprà petiverat Moyses, dicens, *Ostende mihi temetipsum ma-* *Exodi 33.*
nifestè ut videam te. Non poteris, inquit, *videre fa-* *19.*
ciem meam. Non enim videbit homo faciem meam, & *v. 20.*
vivet: ostendens huic vitæ, quæ agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, Deum sicuti est apparere non posse: id est, sicuti est videri in illa vita potest, ubi ut vivatur, huic vitæ moriendum est.

6. Item interposito articulo dicente Scriptura, *Et ait Dominus*, sequitur & loquitur, *Ecce locus pe-* *v. 21.*
nes me. Quis enim locus non penes Deum est, qui nusquam est absens? Sed Ecclesiam significat dicendo, *Ecce locus penes me*, tamquam templum E suum commendans. *Et stabis*, inquit, *super petram:* quia super hanc petram, ait Dominus, ædificabo *Matth. 16.* Ecclesiam meam. *Statim ut transiet gloria mea:* id *18.* est, Statim ut transiet gloria mea, stabis supra pe- *Exodi 33.* *22.* tram; quia post transitum Christi, id est post passionem & resurrectionem Christi stetit populus fidelis supra petram. *Et ponam te*, inquit, *in caver-* *Ibidem.* *na petræ:* munimen firmissimum significat. Alij autem interpretati sunt, *in specula petræ:* sed Græcus habet ὀπῇ: hoc autem foramen vel cavernam rectiùs interpretamur.

7. *Et tegam manu mea super te donec transeam: & auferam manum, & tunc videbis posteriora mea: facies autem mea non videbitur tibi.* Cùm jam dixisset, *Stabis super petram, statim ut transiet gloria mea*, ubi intelligitur post transitum suum promisisse super petram stabilitatem; quomodo accipiendum est quod ait, *Ponam te in caverna petræ, & tegam manu mea superte, donec transeam: & auferam manum,* G *& tunc videbis posteriora mea:* quasi jam illo in petra constituto, tegat manu sua super eum, & deinde transeat; cùm esse in petra non possit, nisi post ejus transitum. Sed recapitulatio intelligenda est rei prætermissæ, quali solet uti Scriptura in multis locis. Postea quippe dixit, quod ordine temporis prius est. Qui ordo ita se habet: *Tegam manu mea*

a Editi, *ante te in gloria mea.* abest, *in*, a MSS. & à LXX.

super te, donec transeam, & tunc videbis posteriora A *mea: nam facies mea non videbitur tibi: & stabis super petram statim ut transiet gloria mea, & ponam te in caverna petræ.* Hoc enim factum est in eis, quos tunc significabat persona Moysi, id est Israëlitis, qui in Dominum Jesum, sicut Actus Apostolorum indicant, postea crediderunt, id est, statim ut transiit ejus gloria. Nam postea quàm resurrexit à mortuis, & adscendit in cælum, misso desuper Spi-
Act. 2. 37. ritu sancto, cùm linguis omnium gentium Apostoli loquerentur, compuncti sunt corde multi ex B
a eis qui crucifixerant Christum: quem[a] ut non cognovissent, & Dominum gloriæ crucifixissent, cæ-
Rom. 11. 25. citas ex parte in Israël facta est, sicut dictum fuerat, *Tegam manu mea super te, donec transeam.* Un-
Psal. 31. 4. de Psalmus dicit, Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: diem appellans, quando Christus divina miracula faciebat; noctem, quando sicut homo moriebatur, quando & illi titubaverunt qui in die crediderant. Hoc est ergo, *Cùm transiero tunc videbis posteriora mea*, Cùm transiero C de hoc mundo ad Patrem, posteriùs in me cre-
Act. 2. 37. duri sunt quorum typum geris. Tunc enim compuncti corde dixerunt, Quid faciemus? Et jussi sunt ab Apostolis agere pænitentiam, & baptizari in nomine Jesu Christi, ut dimitterentur illis peccata eorum. Quod in Psalmo illo sequitur, cùm dictum " esset, Die ac nocte gravata est super me manus tua:
b id est[b] ut non cognoscerem, (Si enim cognovissent,
1. Cor. 2. 8. numquam Dominum gloriæ crucifixissent,) se- " quitur & jungit, Conversus sum in ærumna mea, D " dum configeretur spina, id est cùm essem corde " compunctus. Deinde addidit, Peccatum meum " cognovi, & facinus meum non operui: postea quàm " viderunt quanto scelere Christum crucifixerint. Et " quia receperunt consilium ut agerent pænitentiam, " & in baptismo remissionem acciperent peccato- " rum; Dixi, inquit, pronuntiabo adversùm me " delictum meum Domino, & tu remisisti impieta- " tem cordis mei.

8. Hanc autem prophetiam potiùs fuisse, quam E locutus est Dominus ad Moysen, satis res ipsa indicat, quandoquidem de petra vel caverna ejus, & de manus ejus superpositione, de visione posteriorum ejus, nihil postea visibili opere subsecutum legitur. Mox enim adjungit interposito articulo Scriptura, *Et dixit Dominus ad Moysen*; cùm ipse Dominus utique etiam illa quæ suprà dicta sunt loqueretur, atque inde contexit quid deinceps Dominus dicat, *Excide tibi duas tabulas lapideas, sicut & primas*, &c.

QUAEST. CLV. *Exodi 34. 7.* QUID est quod dictum est de Domino, *Et reum non purificabit:* nisi, non eum dicet innocentem?

QUAEST. CLVI. *Exodi 34. 10.* DEUS in monte duas rursus lapideas tabulas conscripturo dicit Moysi inter cetera, *Coram omni populo tuo faciam gloriosa.* Nondum dignatur dicere, Coram omni populo meo. An ita dixit, *populo tuo*, quomodo cuilibet homini ejusdem populi diceretur, id est, Ex quo populo es: quomodo, Civitati tuæ dicimus, non cui dominaris, vel quam G constituisti, sed unde civis es. Sic enim & paulò pòst dicit, *Omnis populus, in quibus es:* alio modo quid dictum est, nisi populus tuus? Quid autem non dixit, In quo es, consuetudo locutionis est.

QUID est quod dicitur ad Moysen, *Adtende ti-* QUAEST. CLVII.
bi, ne quando[c] *ponat testamentum his qui sedent su-* *Exodi 34.*
per terram. Non enim habet Græcus, ne quando *12.*
ponas; sed *ne quando ponat.* An fortè de populo ei c
dicere voluit, cujus ipse ductor fuit? Sed non ipse introduxit populum in eam terram, ubi prohibet poni testamentum cum eis, qui in illa habitabant. Mirum itaque locutionis genus est, & adhuc inex- B pertum vel non animadversum: si tamen locutio est, ac non sensus aliquis.

CUM præciperet Deus ad Moysen loquens, ut QUAEST. CLVIII.
datâ terrâ in potestate, omnis idololatria everte- *Exodi 34.*
retur, nec adorarentur dij alieni, ait, *Dominus* *13.*
enim Deus, zelans nomen, Deus zelator est: id est, ipsum nomen quod Dominus Deus dicitur, zelans est, quia Deus zelator est. Quod non humanæ perturbationis vitio facit Deus, semper atque omni modo incommutabilis atque tranquillus: sed hoc verbo indicat, non impunè plebem suam per alienos deos fornicaturam. Ductum est enim verbum tropo metaphorâ à zelo maritali, quod castitatem custodit uxoris. Quod nobis prodest, non Deo. Quis enim tali genere fornicationis Deo nocuerit? sed sibi plurimum, ut pereat. Quod Deus prohibet terrore gravissimo, zelantem se appellans: cui dicitur in Psalmo, Perdidisti omnem qui fornica- *Psal. 72.* tur abs te; mihi autem adhærere Deo bonum est. *28.*
Denique sequitur. *Ne fortè ponas testamentum his* *Exodi 34.*
qui sedent super terram, & fornicentur post deos eo- *15.*
rum.

QUOD ait, *Non videberis in conspectu meo ina-* QUAEST. CLIX.
nis: sicut indicant circumstantia de quibus loqui- *Exodi 34.*
tur, *in conspectu suo*, dixit Deus in tabernaculo *20.*
suo: hoc est autem, *Non ibi videberis inanis*, numquam intrabis sine aliquo munere. Quod spiritaliter intellectum, magnum sacramentum est. Verùm hæc dicebantur de umbris significationum.

CUM de sabbato præcepisset, quid est quod QUAEST. CLX.
adduxit,[d] *Satione & messe requiesces?* Videtur enim *Exodi 34.* E
dicere, tempore sationis & messis. An fortè ita *21.*
observandam requiem sabbati præcepit, ut nec illa tempora habeant excusationem, quæ agricolis valde sunt necessaria propter victum atque vitam? Jussum est ergo ut etiam tempore sationis & messis, quando mulrùm urget operatio, requiescatur in sabbato: ac sic per hæc tempora, quæ opus plurimùm flagitant, significatum est, omni tempore sabbato debere cessari. d

QUOD dicit, *Non concupiscet quisquam de ter-* QUAEST. CLXI.
ra tua, cùm adscendes videri in conspectu Dei tui,[e] *tria* *Exodi 34.*
tempora anni, hoc vult intelligi, ut securus quisque *24.*
adscenderet, nec de terra sua sollicitus esset, Deo promittente custodiam, quòd nemo inde aliquid concupisceret, propter illum qui adscendit, ne suam inde timeret absentiam. Et hîc satis ostendit quid suprà dixerit, *Non apparebis in conspectu Domini Dei tui inanis*, quia in illo loco dixit, ubi tabernaculum vel templum Deus fuerat habiturus.

QUID est quod ait, *Non occides super fermen-* QUAEST. CLXII.
tum sanguinem immolatorum meorum? An illa hoc *Exodi 34.*
loco dicit immolata sua, quæ per Pascha occidun- *25.*

a Am. Er. & Lov. *quem si cognovissent, numquam Dominum* &c. Rat. & quatuor MSS. *quem non ut cognovissent & Dominum* &c. Alij MSS. *quem ut non cognovissent & Dominum* &c.

b Am. Er. & Lov. omittunt particulam negativam, quam huc revocavimus ex MSS. & editione Rat.

c Editi, *ponas.* MSS. omnes, *ponat:* uti etiam habent codices plerique in Locut. lib. 2. loc. 135. Porrò in Græco LXX. libri alij θῇς, alij teste Nobilio ferunt θῇς.

d In editis, *De satione.* Abest, *de*, à nostris MSS. quorum unus aut alter pro *requiesces*, habet *requies*, sicuti LXX.

e Sic MSS. & Græc. LXX. At editi, *per tria tempora anni.*

tur, & præcipit ne tunc sit in domo fermentum, A quoniam dies sunt azymorum.

QUÆST. CLXIII. *Exodi* 34. 25. QUID est quod ait, *Et non dormiet in manè immolatio sollemnitatis Paschæ*: nisi quod superiùs apertè præcepit, ne aliquid ex pecore, quod immolatur, carnium relinquatur in manè? Sed locutio fecit obscuritatem: *Dormiet* enim dixit, pro Manebit.

QUÆST. CLXIV. *Exodi* 34. 26. NON *coques agnum in lacte matris suæ*. Ecce dixit iterum, quod quemadmodum intelligi possit ignoro. Magna tamen est de Christo prophetia, etiam si B fieri ad litteram possit. quanto magis si non potest? In sermonibus enim Dei non sunt ad proprietatem operum omnia revocanda, sicut nec illud de petra, *Exodi* 33. 22. & caverna ejus, & manûs superpositione. Sed planè de fide narratoris hoc exigendum est, ut quæ dicit facta esse, verè facta sint, & quæ dicit dicta esse, verè dicta sint. Quod exigitur etiam à narratoribus Evangelij: cùm enim Christum narrent quædam dixisse, quæ in parabolis dixit; tamen hæc eum dixisse non parabola, sed historica narratio est.

QUÆST. CLXV. *Exodi* 34. 28. ET *erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non manducavit, & aquam non bibit*. Quod & antè dixerat, quando tabulas accepit, quas fregit, hoc etiam modò repetit: non recapitulando quod factum est, sed iterum factum esse commendans. Repetitio quippe Legis jam quid significet diximus. Quod autem ait, *Panem non manducavit, & aquam non bibit*, intelligitur jejunavit, à parte totum: id est D nomine panis omnem cibum, & nomine aquæ omnem potum significante Scripturâ.

QUÆST. CLXVI. *Exodi* 34. 28. * *v.* 27. a *v.* 1. 1. ET *scripsit in tabulis* * *verba Testamenti, decem verba*. De Moyse dictum est quòd ipse scripserit, cui etiam Deus paulò antè dixerat, * *Scribe tibi verba hæc*. Cùm verò primùm Legem accepit, cujus tabulas abjecit & fregit, nec ipse excidisse dictus est tabulas lapideas, & modò dictum est, *Excide tibi duas tabulas lapideas*: nec ei dictum est ut scriberet, sicut ei modò dicitur: nec eas ipse scripsisse E narratur, sicut modò narrat Scriptura, & dicit, *Scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba*: sed *Exodi* 31. 18. tunc dictum est, *Et dedit Moysi, statim ut cessavit loqui ad eum in monte Sina, duas tabulas testimonij, tabulas lapideas scriptas digito Dei*. Deinde paulò *Exodi* 32. 15. pòst, *Et conversus*, inquit, *Moyses descendit de monte, & duæ tabulæ testimonij in manibus ejus, tabulæ lapideæ scriptæ ex utraque parte earum, hinc atque hinc erant scriptæ, & tabulæ opus Dei erant, & scriptura scriptura Dei insculpta in tabulis*. Proinde magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyses Deo utique præsciente fracturus, non hominis opus esse dicantur, sed Dei; nec ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei: posteriores verò tabulæ tamdiu mansuræ, ac in tabernaculo ac templo Dei futuræ, jubente quidem Deo, tamen ab homine excisæ sint, ab homine scriptæ. An fortè in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hominis opus, qua gratiâ indigni facti sunt revertentes corde in Ægyptum, & facientes idolum; unde G illo beneficio privati sunt, & propterea Moyses tabulas fregit: istis verò tabulis posterioribus significati sunt qui de suis operibus gloriantur; unde dicit *Rom.* 10. 3. Apostolus, Ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti; & ideo tabulæ humano opere exsculptæ, & humano opere conscriptæ datæ sunt, quæ cum ipsis manerent, ad eos significandos de suis operibus gloriaturos, non de digito Dei, hoc est de Spiritu Dei.

2. Certè ergo repetitio Legis novum Testamentum significat: illud autem vetus significabat, unde confractum & abolitum est: maximè quoniam cùm secundò Lex datur, nullo terrore datur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium & tubarum; unde tremefactus populus dixit, Non loquatur Deus *Exodi* 20. 19. ad nos, ne moriamur: unde significatur timor esse in vetere Testamento, in novo dilectio. Quomodo igitur hæc solvitur quæstio, quare illæ opus Dei, istæ opus hominis; & illæ conscriptæ digito Dei, istæ scriptæ ab homine? An fortè ideo magis in illis prioribus vetus significatum est Testamentum, quia Deus ibi præcepit, sed homo non fecit? Lex enim posita est in vetere Testamento, quæ convinceret transgressores, quæ subintravit ut abundaret delictum. *Rom.* 5. 20. NON enim IMPLEBATUR TIMORE, quæ non impletur nisi caritate. Et ideo dicitur opus C Dei, quia Deus Legem constituit, Deus conscripsit: nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperavit, & eum potiùs reum Lex fecit. In secundis autem tabulis homo per adjutorium Dei tabulas facit, atque conscribit; quia novi Testamenti caritas Legem facit. Unde dicit Dominus, Non veni Legem solvere, sed implere. Dicit au- *Matth.* 5. 17. tem Apostolus, Plenitudo Legis caritas. & Fides *Rom.* 13. 10. quæ per dilectionem operatur. Factum est itaque *Gal.* 5. 6. homini facile in novo Testamento, quod in vetere D difficile fuit, habenti fidem quæ per dilectionem operatur; atque illo digito Dei, hoc est, Spiritu Dei intus eam in corde scribente, non foris in lapide. Unde dicit Apostolus, Non in tabulis lapi- 2. *Cor.* 3. 3. deis, sed in tabulis cordis carnalibus: quoniam caritas Dei, qua veraciter impletur præceptum, dif- *Rom.* 5. 5. fusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis. Hoc est ergo primò data Lex, (ubi significatur vetus Testamentum, quod est opus tantummodo Dei, & conscriptio digiti Dei,) E quod Apostolus dicit, Itaque Lex quidem sancta, *Rom.* 7. 12. & mandatum sanctum & justum & bonum. Lex ergo sancta & bona, Dei opus est: ubi homo nihil agit, quia non obtemperat; sed reatu potiùs premitur, Lege minante atque damnante. Peccatum enim, inquit, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Beatus autem homo est, cùm hoc mandatum sanctum & justum & bonum [b] est etiam opus ejus, sed per gratiam Dei. b

MOYSES ad filios Israël, postea quàm de mon- QUÆST. CLXVII. te descendit, habens alias tabulas Legis, circumposito sibi velamine propter gloriam vultus ejus, F quam filij Israël non poterant intueri, *Hæc*, inquit, *Exodi* 35. 1. *verba, quæ dixit Dominus facere ea*: ambiguè positum est, utrùm ea facere ipse Dominus, an illi: sed utique manifestum est quod illi; jussit quippe ille quæ fierent. Sed fortè ideo sic positum est, ut ex utroque accipiatur; quia & Dominus facit, cùm facientes adjuvat, secundùm illud Apostoli, In ti- *Philip.* 2. 12. & 13. more & tremore vestram ipsorum salutem operamini, Deus enim est qui operatur in vobis & velle, & operari, pro bona voluntate.

OMNIS *afferens demtionem, argentum & æs adtulerunt demtionem Domino*: tamquam diceret, Omnis QUÆST. CLXVIII. *Exodi* 35. 24. qui adtulit, adtulit illud atque illud, inter cetera quæ dicebàt, & argentum & æs commemorans. *Demtionem* sanè interpretati sunt Latini, quod Græcus

[a] In editis omittitur hîc, *verba*. Habetur in MSS. & apud LXX. [b] Ita MSS. Editi verò, *& bonum facit, hoc etiam opus ejus*.

habet ἀφαίρεμα. Appellata est autem demtio, eo A quòd sibi demeret qui Domino afferret.

QUÆST. CLXIX. *Exodi* 35. 29. NARRANTE Moyse commemoratum est quod ei dixit Deus de Beseleel eisdem verbis ac totidem, quòd eum impleverit Spiritu divino sapientiæ & intellectus & scientiæ ad tabernaculi opera facienda, quæ pertinent ad artes opificum: unde quid *suprà q.* 138. nobis videretur jam diximus. Sed ideo nunc hoc idem commemorandum putavi, quia non frustra eisdem omnino verbis repetitum est, quibus antea Moysi à Domino fuerat intimatum. Sanè novo B more hîc ars architectonica perhibetur, opificum ex auro & argento & quocumque metallo, cùm illa dici soleat architectonica, quæ pertinet ad fabricas ædificiorum.

QUÆST. CLXX. *Exodi* 36. 2. & 3. a ET *omnes qui sponte vellent ire ad opera, ut consummarent ea, & acceperunt à Moyse omnes* [a] *demtiones*. In notitiam tantùm Moyses pertulit quæ Dominus opera fieri præceperit, tabernaculum scilicet cum omnibus quæ in eo essent, & vestes sacerdotales. Commemoravit autem quosdam, quibus di- C xit Spiritum divinitus datum, quo illa efficere possent: & tamen multi intelliguntur sponte ad eadem opera venisse quibus neque imperatum est, nec eorum nomina commemorata sunt à Domino dicta Moysi. Non ergo illi soli hoc munus divinitus habuerunt, qui nominatim commemorantur, sed fortasse præcipuè atque excellentiùs. Laudandus est autem in his omnibus non adtractus ad opus serviliter animus, sed liberaliter & sponte devotus.

QUÆST. CLXXI. *Exod.* 36. 4. & 5. NOTANDUM quòd illi qui sapientes appel- D lantur, effectores operum sancti, etiam moribus tales erant, ut cùm ipsi susciperent omnia quæ populus offerebat, existimans necessaria ex quibus illa omnia complerentur, viderunt plus offerri quàm erat necesse, & dixerunt Moysi; atque ille per præconem ultrà populum offerre prohibuit. Poterant autem, si vellent, multa auferre, sed modestia prohibuit, vel religio terruit.

QUÆST. CLXXII. *Exodi* 35. 2. POSTEAQUAM descendit Moyses de monte, opera commendantur tabernaculi construendi, & E vestis sacerdotalis, de quibus faciendis antequam aliquid præciperet, locutus est ad populum de sabbati observatione. Ubi non immeritò movet, cùm decem verba Legis, acceperit in tabulis lapideis iterum, quas ipse excidit, ipse conscripsit; quare de sabbato solo, postea quàm descendit, populum admonuit? Si enim propterea decem præcepta Legis superfluum fuit ut populus iterum audiret, cur non fuit superfluum, ut de sabbato audiret, cùm & hoc in eisdem præceptis decem legatur? An & hoc F simile est velamento, quo faciem obtexit, quia splendorem vultus ejus filij Israël non poterant intueri? Nam ex decem præceptis hoc solum populo præcepit, quod figuratè ibi dictum est: alia quippe ibi novem sicut præcepta sunt, etiam in novo Testamento observanda minimè dubitamus. Illud autem unum de sabbato usque adeo figurata diei septimi observatione apud Israëlitas velatum fuit, & in mysterio præceptum fuit, & quodam sacramento figurabatur, ut hodie à nobis non observetur, G sed solum quod significabat intueamur. In illa autem requie ubi opera servilia jubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cùm fides per dilectionem ope- *Gal.* 5. 6. ratur: timor autem tormentum habet, & in tormento quæ requies? Unde timor non est in caritate: caritas autem diffusa est in cordibus nostris per *Rom.* 5. 5. Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Ideo *sabbatum* *Exodi* 35. 2. *requies sancta Domino*: Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis velut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, ut sint humana, aut [b] peccata: aut b cum timore, non cum dilectione; & ideo servilia sine requie. Plenitudo autem sabbati erit in requie sempiterna. Non enim frustra institutum est & sab- *Levit.* 25. batum sabbatorum.

SUPERIÙS quando priùs locutus est Deus de QUÆST. CLXXIII. tabernaculo unguendo, dixit eadem unctione san- *aliàs ex q.* ctificari illa omnia, & fieri sancta sanctorum. Al- 172. *Exodi* 30. 26 *&c.* tare autem holocaustomatum eadem unctione san- *Exodi* 29. ctificatum, dixerat fieri sanctum sancti: & hoc in- 37. teresse videbatur, quòd nihil eorum dixisset san- ctum sanctorum, nisi quòd tantùm velo separabatur à sancto, id est, ubi erat arca testamenti & al- C tare incensi. Nunc autem cùm eadem repeteret, dixit de tabernaculo uncto & his quæ in illo essent, *Exodi* 40. 9. quòd eadem unctione sanctificarentur, & fierent sancta: illud autem altare holocaustomatum, de quo priùs dixerat quòd fieret sanctum sancti, eadem unctione nunc dixit fieri sanctum sanctorum. Unde *v.* 10. datur intelligi tantumdem valere, quod dictum fuerat sanctum sancti, quantum valet quod dictum est sanctum sanctorum: ac per hoc & illa omnia uncta, id est totum tabernaculum, & quæcumque D in eo essent, quæ priùs appellaverat sancta sanctorum, tantumdem valere quod nunc ait sancta: nec unumquodque eorum dici tantummodo post istam unctionem sanctum sancti, verùm etiam sanctum sanctorum, sicut altare holocaustomatum, ut jam nihil intersit, quantum ad hanc appellationem adtinet, inter illa quæ interiùs intra velum fuerant, id est ubi erat arca testimonij, & cetera foris, nisi quòd illa interiùs ita dicebantur sancta sanctorum vel sanctum [c] sanctorum, ut etiam ante unctionem c sic appellarentur; cetera verò unctione sanctificata E sunt, ut hoc nomen acciperent. Quod otio discutiendum est quid ista significent.

CUM Scriptura narraret quomodo Moyses con- QUÆST. CLXXIV. stituerit tabernaculum, *Extendit*, inquit, *aulæa su-* *aliàs* 173. *per tabernaculum*: non utique desuper tectum, sed *Exodi* 40. cingens columnas; quia de columnis dixerat, quod *19.* statuerit tabernaculum.

CÙM dicit, *Et super atrium in circuitu taberna-* QUÆST. *culi & altaris*, manifestat altare holocaustomatum CLXXV. F ad ostium tabernaculi forinsecùs fuisse, ut atrio to- *aliàs ex q.* tum ambiretur, & altare esset infra atrium inter 173. *Exodi* 40. portam atrij & ostium tabernaculi. *29.*

Notanda est res multùm mirabilis, quòd nube QUÆST. descendente & implente tabernaculum, quæ tamen CLXXVI. gloria Domini dicitur, non poterat Moyses intrare *aliàs ex q.* tabernaculum, qui in monte Sina, quando Legem 173. primitus accepit, intravit in nubem ubi erat Deus. *Exodi* 40. 34. & 35. *Exodi* 9. Procul dubio ergo aliam personam tunc figurabat, *20.* aliam nunc: & tunc eorum qui participes fiunt inti- G mæ veritatis Dei; nunc autem Judæorum, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo est, quod est gratia Christi, tamquam nubes opponitur, non eam intelligentibus, & ideo non [d] intrant in taber- d

[a] Codices edd. & MSS. *demtum as*. Locum hunc vitiatum esse notat Nobilius, cùm legi debeat, *omnes demtiones*, secundùm LXX. πάντα τὰ ἀφαιρέματα; & juxta Vulgatam, *universa donaria*.

[b] Editi, *aut cum peccato*. MSS. *aut peccata*.

[c] Sic MSS. & editio Rat. Aliæ verò editiones, *vel sanctum sancti*.

[d] In editis *intravit*. in MSS. *intrant*.

naculum testimonij. Et hoc credendum est semel factum, mox ut constitutum est tabernaculum, significationis hujus caussâ, vel alicujus alterius. Neque enim semper sic erat nubes super tabernaculum, ut Exodi 13. 21. illuc Moyses intrare non posset; quandoquidem non removebatur nubes, nisi cùm eis hoc signum dabatur disjungendi, hoc est castra movendi ex eo loco ubi erant; & accedendi quò nubes ducebat per diem, flamma per noctem. Quæ duo vicissim etiam super tabernaculum manebant, ubi castra posuissent, nubes per diem, flamma per noctem.

De Tabernaculo.

Quæst. CLXXVII. aliàs 174.

1. Quoniam liber qui Exodus dicitur, in constitutione tabernaculi sumit terminum, de quo tabernaculo etiam per superiora ejusdem libri multa dicuntur, quæ faciant difficultatem intelligendi, sicut solet omnis τοπογραφία, id est loci alicujus descriptio in omni historia facere: visum est mihi de toto ipso tabernaculo separatim dicere, quò intelligatur, si fieri potest, quale illud, & quid fuerit, interim proprietate narrationis inspecta, & in aliud tempus dilata figurata significatione: neque enim aliquid ibi fuisse putandum est, quod jubente Deo constitueretur sine alicujus magnæ rei sacramento, cujus cognitio fidem formamque pietatis ædificet.

Exodi 26. 1. 2. Jubet ergo Deus Moysi facere tabernaculum decem aulæorum de bysso torta, & hyacintho, & purpura, & cocco torto, Cherubim opere textoris. αὐλαίας quas Græci appellant, Latini aulæa perhibent, quas cortinas vulgò vocant. Non ergo decem atria fieri jussit, sicut quidam negligenter interpretati sunt: non enim αὐλάς, sed αὐλαίας dixit. Opere ergo textili Cherubim jussit in aulæis fieri, quo- v. 2. rum aulæorum longitudinem esse præcepit cubitorum viginti-octo, & latitudinem cubitorum qua- v. 3. tuor. Cohærere autem invicem aulæa, & conjungi inter se quinque hinc, & quinque inde, ut spatium quod eis cingeretur, hoc esset tabernaculi spatium. Quomodo autem inter se connecterentur eadem v. 4. quina aulæa, ita præcepit, *Facies illis*, inquit, *ansas hyacinthinas in ora summa aulæi unius ex una parte in commissuram: & sic facies* [a] *super ora summa ad commissuram secundam*: id est, ubi committitur aulæum aulæo, tertium scilicet secundo, quod secundum jam cum primo commissum est, id est conjunctum atque connexum, faciem contra faciem consistentia ex adverso singula: quoniam inter se jussit [b] quina conjungi, ut ex adverso constituerentur. Utrùm autem quadrum spatium his concluderetur, an rotundum, nondum apparet; sed apparebit cùm de columnis cœperit dicere, quibus protenduntur aulæa. Non ergo ampliùs quàm de trium connexione dicere voluit, quæ fit in duabus commissuris, secundi ad primum, & tertij ad secundum, ut ex hac veluti regula cetera jungerentur. Ansas ergo præcepit fieri primo aulæo quinquaginta ex una parte, qua illi fuerat committendum secundum; & ansas quinquaginta tertio aulæo ex ea parte, qua secundo conjungebatur: ipsum autem secundum, id est inter utrasque ansas quinquagenas medium, circulos habere voluit quinquaginta aureos, utique ex una parte, per quos conjungeretur quinquaginta ansis aulæi primi; ac per hoc consequens erat, ut ex alia quoque parte circulos totidem haberet, per quos conjungeretur ansis aulæi tertij. Quod breviter Scriptura ita dixit, *Et facies circulos* v. 6. *quinquaginta aureos, & conjunges aulæum ad aulæum circulis, & erit tabernaculum unum.* Circuli ergo quinquaginta aurei secundi aulæi, inserebantur quinquaginta ansis [c] hyacinthinis primi aulæi; quinquaginta circuli inserebantur & quinquaginta ansis tertij aulæi; & deinceps ita ceteri connectebantur, ut quinque complecterentur, atque ex adversa parte alia similiter quinque.

3. Deinde dicit, *Et facies vela capillacia operire* v. 7. *super tabernaculum*: id est, quæ venirent super, non à parte tecti, sed supercingendo. Dicimus enim & sic aliquid superponi, non quemadmodum tectum domus, sed quemadmodum tectorium parietis, tamquam super lineam fasciam. *Undecim*, inquit, Ibidem. *vela facies ea.* * *Longitudo veli unius erit triginta cu-* * v. 8. *bitorum, & quatuor cubitorum latitudo veli unius: mensura eadem erit undecim velorum.* * *Et conjunges* * v. 9. *quinque vela in se, & sex vela in se.* Quomodo illa aulæa voluit quina conjungi, sic ista vela quinque & sex, quæ undecim erant, non decem. *Et dupli-* Ibidem. *cabis*, inquit, *velum sextum secundùm faciem tabernaculi:* ne [d] moveret quia impariliter alterutrum incurrebant sex & quinque. Deinde dicit etiam ista vela capillacia, quemadmodum sibimet jungerentur. Et idem dicit, sed fortasse planiùs, *Et facies*, v. 10. inquit, *ansas quinquaginta in ora veli unius, quod contra medium est*, id est, contra secundum, quia ipsum erit medium inter primum & tertium: *secundùm commissuram*, id est, juncturam. *Et quinqua-* Ibidem. *ginta ansas facies super oram veli, quod conjunctum est ad secundum velum*, id est super oram tertij veli, qua conjungitur secundo. *Et facies circulos æreos quin-* v. 11. *quaginta, & conjunges circulos de ansis; & conjunges vela, & erit unum.* Circulos ergo medio velo voluit apponi, id est secundo, quibus quinquagenis ansis jungeretur primo & tertio. Nihil hîc aliud est, nisi quòd circulos non aureos, sed æreos fieri nunc præcepit. Ansas autem in aulæis hyacinthinas dixerat: in velis autem capillaciis quoniam tacuit cujusmodi essent ansæ, quid nisi capillacias eas credibiliùs accipimus?

4. Quod deinde sequitur ita est ad intelligen- v. 12. dum difficile, ut verear ne exponendo fiat obscurius. Dicit enim, *Et suppones in velis tabernaculi dimidium veli quod superaverit, subteges quod abundat de velis tabernaculi, subteges post tabernaculum.* * *Cu-* v. 13. *bitum ex hoc, & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi, hinc atque hinc ut operiat.* Cùm sextum velum jusserit duplicari secundùm faciem tabernaculi, quid dicat superare in velis dimidium veli; & quid dicat, *Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc*, cùm dimidium veli quindecim cubita sint, quoniam triginta cubitorum jussit esse unum velum, quis facilè intelligat? Aut si propterea superat de longitudine velorum, quia prima aulæa de bysso & cocco & purpura & hyacintho viginti-octo cubitis longa esse præcepit, ista verò capillacia triginta cubitorum esse voluit, duobus cubitis superantur singula aulæa à singulis velis capillaciis: quæ in summam ducta, excepto undecimo quod dupli-

a Sic in MSS. & apud LXX. At in editis, *facies summam*.
b Editi, *una conjungi*. MSS. *quina*.
c In excusis deerant hîc decem verba, nunc restituta ex MSS. qui paulò post habent, *complerentur*; pro *complecterentur*.
d Excusi, *ne moveretur*. MSS. *ne moveret*, id est ne facesseret difficultatem.

cari jussit, viginti cubita excrescunt, quibus superatur ambitus aulæorum ambitu capillaciorum. Decem quippe velorum cubita bina, quibus longiora erant, viginti faciunt: quorum ex utroque latere decem hinc & decem inde poterant superare, non cubitum ex hoc & cubitum ex hoc, sicut Scriptura loquitur. Quapropter differenda mihi videtur hujus loci expositio, donec tabernaculum columnis omnibus, cum atrio, quod circumponitur, omni ex parte consistat. Fortassis enim per anticipationem aliquid dicit de his velis capillaciis, quod ad illa proficiat, de quibus nondum locutus est. Quod v. 7 enim dicit, *Et facies vela capillacia operire super tabernaculum*, utrùm universum tabernaculum his velis cooperiri velit, cum atrio scilicet, de quo circumponendo postea loquitur; an hoc interius tabernaculum, quod decem aulæis fieri jussit, in- v. 14. certum est. Sequitur ergo & dicit, *Et facies operimentum tabernaculo, pelles arietum rubricatas.* Etiam hoc operimentum utrùm universo tabernaculo fieri jusserit in circuitu, an interiori tantùm, similiter habetur incertum. Quod verò adjungit, *Et operimenta pelles hyacinthinas desupèr*, hoc non in circuitu, sed à tecto velut camera accipiendum est.

v. 15. 5. *Et facies*, inquit, *columnas tabernaculo de lignis* v. 16. *imputribilibus:* * *decem cubitorum columnam unam, & cubiti unius & dimidij latitudinem columnæ unius:* v. 17. * *duos anconiscos columnæ uni consistentes ex adverso: sic facies* [a] *omnibus columnis tabernaculi.* Quare jusserit Suprà q. 109. fieri hos anconiscos, de quibus antea dixi quid essent, non satis mihi apparet. Si enim ad columnas portandas fierent, quatuor ut [b] minimum fierent: si autem ubi seræ incumberent, etiam plures fierent; nam quinas seras singulis columnis distribuit. Nisi fortè in his anconiscis non aliquis usus, sed sola significatio sit, sicut in velo undecimo capillacio. Nam columna duos anconiscos velut brachia hinc atque hinc extendens, figuram crucis reddit. Nunc jam videamus numerum columnarum, in quibus & forma tabernaculi possit adverti, utrùm quadra, an rotunda sit, an oblongam habeat quadraturam, lateribus longioribus brevioribus fron- Basilicarum forma. tibus sicut pleræque basilicæ construuntur: hoc enim potiùs hîc evidenter exprimitur. Nam ita di- v. 18. cit, *Et facies columnas tabernaculo, viginti columnas* v. 19. *ab latere isto, quod respicit ad Aquilonem.* * *Et quadraginta bases argenteas facies viginti columnis, duas bases columnæ uni in ambas partes ejus. Et latus secundum contra Austrum viginti columnas, & quadraginta earum bases argenteas; duas bases columnæ uni in ambas partes ejus, & duas bases columnæ uni in ambas partes ejus.* Repetitio non moveat; quia locutionis est, ut omnes ita intelligantur de quibus non Sup. q. 110. dicit. De basibus autem jam antea diximus, cur una columna duas habeat, quia & capita hoc loco bases vocat.

6. Videmus igitur vicenis columnis porrecta duo latera tabernaculi Aquilonis & Austri: duo sunt reliqua, Orientale & Occidentale, quæ si totidem columnas habuissent, procul dubio quadrum esset. Quot autem habeat, de Occidentali non tacetur, de Orientali tacetur: utrùm quia non habuit, & sola illic sine columnis extendebantur aulæa ab extrema columna unius lateris usque ad alterius alteram extremam; an aliquâ caussâ taceantur, ut etiam tacitæ intelligantur, nescio. Postea quippe ex ipsa parte Orientis decem columnæ commemorantur, sed atrij de quo pòst loquitur, quod huic tabernaculo circumponi jubet. Commemoratis ergo lateribus tabernaculi Aquilonio & Australi in vicenis columnis, deinde sequitur & adjungit, di- v. 22. cens, *Et retro tabernaculum per partem quæ est contra mare, facies sex columnas:* * *& duas columnas facies in* v. 23. *angulis tabernaculi à posterioribus* * *& æquales deorsum* v. 24. *versùs, & in se convenientes erunt, æquales de capitibus in commissuram unam. Sic facies* [c] *ambobus duobus angulis; æquales sint.* * *Et erunt octo columnæ, & bases* v. 25. *earum argenteæ sedecim: duæ bases columnæ uni, & duæ bases columnæ uni in ambas partes ejus.* De basibus similis ratio & similis locutio est. Latus itaque Occidentis, nam hoc est ad mare, columnis octo extenditur, sex mediis, & duabus angularibus quas æquales ad unam commissuram dicit esse debere; credo quòd angulus duo in se latera committat; & sit columna angularis lateri utrique communis, ista Occidentali & Aquiloniæ, illa Occidentali & Australi. Quod autem dicit etiam æquales deorsum versùs, hoc utique dicit, ut ad perpendiculum librarentur, ne robustiores essent infrà quàm suprà, sicut pleræque columnæ sunt.

7. Deinde dicit, *Et facies seras de lignis imputri-* v. 26. *bilibus, quinque uni columnæ ex una parte tabernaculi:* * *& quinque seras columnæ lateri tabernaculi secun-* v. 27. *do, & quinque seras columnæ posteriori lateri tabernaculi, quod est ad mare.* Mirum si dubitari potest, latus Orientale columnas non habuisse in hoc interiore tabernaculo, cui postea circumponitur atrium. Singulas quasque igitur columnas omnium trium laterum habere seras quinas jubet. *Et sera*, inquit, v. 28. *media inter medias columnas pertranseat ab uno latere in aliud latus.* Hoc videtur dicere, ut de columna in columnam sera perveniret, & per intervallum columnarum porrigeretur à latere unius usque in latus alterius: ac per hoc una ex his omnibus columna non erat habitura proprias quinque seras, ad quam extremam quinque perveniebant à columna sibi proxima venientes. *Et columnas*, inquit, *inau-* v. 29. *rabis auro, & anulos facies æreos, in quos induces seras, & inaurabis auro seras.* Ne columnæ foraminibus cavernarentur, quo intrarent seræ, anulos fieri jussit, quibus ex utraque parte continerentur fines serarum. Proinde intelliguntur hi anuli fixis in ligno ansulis pependisse, ut extremas partes serarum possent capere & continere.

8. *Et eriges*, inquit, *tabernaculum secundùm spe-* v. 30. *ciem, quæ monstrata est tibi in monte.* * *Et facies vela-* v. 31. *men de hyacintho & purpura & cocco torto & bysso neta; opus textile facies illud* [d] *Cherubim.* * *Et superimpo-* v. 32. *nes illud super quatuor columnas imputribiles inauratas auro, & capita earum aurea, & bases earum quatuor argenteæ.* * *Et pones velamen super columnas, &* v. 33. *induces* [e] *illuc, interiùs quàm velamen est, arcam testimonij: & dividet vobis velamen inter medium sancti & inter medium sancti sanctorum.* * *Et cooperies de* v. 34. *velamine arcam testimonij in sancto sanctorum.* Hæc omnia manifesta sunt, interiùs intra velamen hoc

a Editi, *omnes columnas*. MSS. & LXX. *omnibus columnis*.
b Sic MSS. At editi excepto Rat. sic habent: *Si enim ad columnas portandas, fierent quatuor, ut in unum fierent.*
c Editi, *Sic facies angulos duobus angulis*. MSS. *ambobus duobus*: secundùm LXX. ἀμφοτέραις ταῖς δυσὶ γωνίαις.
d In editis, *super Cherubim*. At in MSS. & apud LXX. absque particula *super*, legitur *facies illud Cherubim*. Hebraïsmus est, quo præcipitur velamen artificis industriâ spargendum imaginibus alatis, sive potiùs, uti habet versio Vulgata, *pulcra varietate contexendum*.
e Sic MSS. juxta Græc. LXX. καὶ εἰσοίσεις ἐκεῖ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος. Adeoque perperam in antea excusis, *& induces illud interiùs ubi velamen est*.

quatuor columnis impoſitam fuiſſe arcam teſtimonij: quam non ſic operiri juſſit velamine, ut ſuper
v. 35 arcæ cooperculum jacêret velamen, ſed ut contrà
a * ſtatueretur. Deinde dicit, *Et pones menſam foris extra velamen; & candelabrum contra menſam in parte tabernaculi, quæ reſpicit ad Auſtrum: & menſam pones in parte tabernaculi, quæ reſpicit ad Aquilonem.*
v. 36. Etiam hoc planum eſt. Quod autem ſequitur, *Et facies adductorium de hyacintho & purpura & cocco*
v. 37. *torto & byſſo torta, opus variatoris.* * *Et facies velamini quinque columnas, & inaurabis illas atero, & capita earum aurea; & conflabis eis quinque baſes æreas.* Cui uſui velamen hoc fiat quinque columnis extentum, pòſt apparebit, nam hîc non apparet. Vult enim illud eſſe velamen oſtij tabernaculi, hujus videlicet interioris, cui circumponitur atrium. Deinde jubet altare fieri ſacrificiorum & holocauſtomatum; & dicit quemadmodum fiat: nondum autem dicit ubi ponatur; ſed hoc quoque pòſt apparebit.

9. Hinc jam de atrio loquitur uſque in finem, quod circumponendum eſt tabernaculo illi, de quo priùs
Exodi 27. 9. conſtituendo locutus eſt. *Et facies*, inquit, *atrium*, quod dicitur Græcè αὐλεὼ, non αὐλαία: quod quidam interpretes noſtri non diſcernentes, & hoc & illa aulæa, quas αὐλαίας non αὐλεὼς Græci dicunt,
Exodi 26. 1. atria interpretati ſunt dicentes, *Et facies tabernaculum decem atriorum*, ubi *decem aulæorum* dicere debuerunt. Nonnulli autem multo imperitiores, januas interpretati ſunt, & αὐλὰς & αὐλαίας. Sicut autem in lingua Latina invenimus aulæa, quas Græci αὐλαίας vocant: ita quam illi appellant αὐλεὼ, noſtri aulam vocaverunt. Sed jam non atrium iſto nomine, ſed domus regia ſignificatur in Lati-
Ex. di 27 9. na lingua: apud Græcos autem, atrium. Ergo *Et facies*, inquit, *atrium tabernaculo in latere quod reſpicit ad Auſtrum; & tentoria atrij ex byſſo torta;*
v. 10. *longitudo ſit centum cubitorum uni lateri:* * *columnæ* b *eo-*
b *rum viginti, & baſes earum æreæ viginti, & circuli ea-*
v. 11. *rum, & arcus earum argentei.* * *Sic & lateri quod eſt ad Aquilonem, tentoria centum cubitorum longitudinis; & columnæ eorum viginti, & baſes earum æreæ viginti; & circuli earum, & arcus columnarum, & ba-*
v. 12. *ſes inargentatæ argento.* * *Latitudo autem atrij quæ eſt ad mare, tentoria ejus quinquaginta cubitorum; co-*
v. 13. *lumnæ eorum decem, & baſes earum decem.* * *Et latitudo atrij quod eſt ad Orientem, quinquaginta cubitorum; columnæ ejus decem, & baſes earum decem.*

10. Hîc jam videmus commemorari columnas ab Oriente, cùm loquitur de atrio, & eas decem dicens cum baſibus æreis, ſicut dixit etiam de Occi-
dentalibus: ubi difficillima oritur quæſtio. Nam facile eſt quidem, ut accipiamus ab Oriente unum ordinem columnarum ad atrium pertinentium, quo tabernaculum interius per omnes quatuor partes cingitur; quia non habebat ex ea parte columnas tabernaculum interius. Ab occidente autem ubi jam erant interioris tabernaculi columnæ octo, quomodo etiam iſtas decem, quas exterioris atrij commemorat, accepturi ſumus, tamquam ab Occidente duo ſint ordines columnarum, interiorum octo, & exteriorum decem? Quod ſi ita eſt, longiora erunt etiam latera atrij exterioris, quàm tabernaculi interioris, ut ſit unde ab extremo in extremum alius columnarum ordo dirigatur, & non incurrat in ordinem priorem ad interius tabernaculum pertinentem. Et ſi hoc eſt, conſequens erit, ut vicenæ illæ columnæ duorum laterum tabernaculi interioris, Auſtri & Aquilonis, intervallis brevioribus dirimantur, quàm illæ vicenæ quas habet atrium exterius ex eiſdem lateribus. Et quia illi exteriores ordines vicenarum columnarum, ſicut Scriptura loquitur, centena cubita tenent; iſti interiores totidem columnarum quotlibet minùs cubita teneant, quoniam hoc Scriptura non expreſſit, conſequens erit, ut octo columnæ illæ tabernaculi interioris in latere Occidentali rariores ſint quàm vicenæ illæ ejuſdem tabernaculi Auſtrales & Aquilonia, ut poſſit comprehendi ſpatium quantum ſufficit decem illis aulæis circumtendendis, quibus primitus dixit hoc tabernaculum fieri. Habent enim cubita vicena & octona, quæ fiunt ſimul ducenta-octoginta: quorum ſi centena eſſent in lateribus duobus Auſtri & Aquilonis, ubi vicenarum columnarum ordines ſunt, quadragena utique cubita tenderentur per alia duo latera Orientis & Occidentis, & proportione occurrerent in octo columnis cubita quadraginta, ſicut in viginti columnis cubita centum; ſed non eſſent longiora latera exterioris atrij, quoniam centenis cubitis definita ſunt; & ideo non eſſet quemadmodum ille ordo decem columnarum ab angulo Auſtrali in angulum Aquilonium includeret ordinem interiorum octo columnarum. Proinde ut atrio undique circumdetur interius tabernaculum, oportet illud eſſe etiam longitudinis brevioris: atque ita neceſſè ſit, vicenas ejus columnas in duobus lateribus, quibus in longum porrigitur, denſiùs conſtitui, quàm ſunt atrij exterioris etiam ipſæ vicenæ: & rariùs octo columnas tabernaculi interioris à parte Occidentis, quàm decem ex eadem parte atrij exterioris: quoniam quidquid minus cubitorum ex illis aulæis extenditur in columnis vicenis duorum laterum ad Auſtrum & ad Aquilonem, compenſandum eſt latitudine Orientalis & Occidentalis lateris, ut ducenta-octoginta cubita conſummentur aulæorum. Non enim ſicut de velis capillaciis, ubi unum plus eſt, ita & de his aulæis juſſit aliquid duplicari. Quapropter ſi tantùm breviatur longitudo tabernaculi interioris, quòd ab atrio exteriore poſſet includi, ut in vicenis ejus columnis non centena cubita tendantur aulæorum, ſed verbi gratiâ, ut minimùm nonagena & ſena, ut quaternis cubitis breviora ſint: hæc ipſa quaterna cubita, id eſt octo cubita in duobus aliis lateribus utique tendenda ſunt, Orientali & Occidentali: ac ſic in illis octo columnis Occidentalibus tabernaculi interioris non extenduntur cubita quadraginta, ſed quadraginta-quatuor, & alia quadraginta-quatuor ab Oriente. Cùm ergo in decem columnis exterioris atrij tenduntur cubita quinquaginta, in octo autem interioris tabernaculi tenduntur cubita quadraginta-quatuor, rariora inveniuntur intervalla interiorum octo columnarum quàm exteriorum decem: quia ſi paria eſſent, ita in columnis octo quadraginta cubita tenderentur, ſicut quinquaginta tendebantur in decem; quoniam quod ſunt proportione octo ad decem, hoc ſunt quadraginta ad quinquaginta. Quinarium quippe numerum quadraginta octies habent, quinquaginta decies.

11. Nec nos moverent columnarum intervalla diſparia, quòd denſiores in lateribus longitudinis ponerentur, ubi vicenæ ſunt, rariores autem in latere latitudinis, ubi octo ſunt, niſi aliud exſiſteret quod

a In editis, *contra menſam ſtatueretur.* Abeſt *menſam*, à MSS.

b Editi, *earum.* At MSS. *eorum.* referunt ad tentoria.

urgeret

urgeret mutare ſententiam. Cùm enim commemoraſſet longitudinem atrij ad mare habere tentoria quinquaginta cubitorum, & columnas decem, & baſes earum decem; & latitudinem atrij ad Orientem item quinquaginta cubitorum, & columnas decem & baſes decem; atque his dictis perfecta videretur forma tabernaculi cum atrio ſuo undique ambiente, injecit aliud, quod ubi & quomodo in-
v. 14. telligendum ſit, difficillimè reperitur: *Et quindecim*, inquit, *cubitorum tentoriorum altitudo lateri uni:*
v. 15. *columnæ eorum tres, & baſes earum tres.* * *Et latus ſecundum, quindecim cubitorum tentoriorum altitudo: co-*
v. 16. *lumnæ eorum tres, & baſes earum tres.* * *Et portæ atrij tegumen viginti cubitorum altitudo de hyacintho & purpura & cocco neto & byſſo torta, varietate acu-picta: columnæ earum quatuor, & baſes earum quatuor.* Hæc ubi conſtituantur, perfectâ illâ formâ tabernaculi non video: ſed planè video eumdem eſſe numerum columnarum decem, in tribus & tribus & quatuor, ternis ſcilicet à lateribus & quatuor in medio. Ac per hoc tentoria illa quinquaginta cubitorum non contexta erunt, ne aditus in atrio nullus ſit: ſed quindenis cubitis media viginti cubita ſeparabuntur, ut faciant portæ tabernaculi tegimen, hoc eſt velum, quod ornamento velamentoque dependeat, & teneat ſpatium quatuor columnarum, quod portæ atrij deputatum atque ſeparatum eſt. Ideo velamen ipſum à lateribus quindenûm cubitorum diviſum atque ſeparatum, etiam ſpecie diſtingui voluit, ut opere acu-picto quatuor illis coloribus variaretur. Sed latera illa quindenûm cubitorum hinc atque hinc ternas columnas habentium, ſi ad eamdem lineæ rectitudinem portæ atrij conjungantur, non erit ſpatium inter decem columnas exterioris atrij & octo interioris tabernaculi, ubi ſit altare quinque cubitorum, quadrum occupans ſpatium; & ante ipſum altare, ubi ſerviatur altari; & inter ipſum & oſtium tabernaculi interioris, ubi ſit labrum æneum. Sic enim poni juſſum eſt, unde manus & pedes ſacerdotes lavent, quando intrant tabernaculum, vel quando accedunt ut altari deſerviant: quod niſi foris à tabernaculo in atrio intellexerimus, quomodo poſſunt priùs lavare manus & pedes, & ſic tabernaculum introire? Foris autem ab atrio non poſſumus altare ſtatuere; quia & tabernaculum & altare circumdari atrio præcepit. Reſtat igitur ut illa latera quindenûm cubitorum hinc atque hinc, & columnarum ternarum, ſic accipiamus à lateribus, ut ipſa faciant intervallum a totidem cubitorum inter portam atrij & oſtium tabernaculi interioris: portam quidem patentem viginti cubitis in quatuor columnis, & habentem velum acu-picto opere variatum viginti cubitorum; oſtium verò tabernaculi interius, ubi ponatur velamen illud in quinque columnis extentum: quod utique non intra illum ordinem octo columnarum, ſed extrà foris ad atrium poſitum intelligere debemus. Tunc enim erit velum oſtij tabernaculi, quod oſtium tamquam valuis aperiebatur, ubi aulæa inter ſe circulis & anſis non conjungebantur. Aut ſi fortè intra illum ordinem octo columnarum tabernaculi interioris, opponebatur hoc velamen in quinque columnis oſtio tabernaculi, ut quando aperiebatur, interiora non nudarentur, ne à proſpicientibus viderentur: quod tamen velamen ſive interiùs ab illo ordine columnarum, ſive exteriùs poneretur, quod non ſatis elucet, procul dubio diſtabat moderato intervallo ab eodem ordine columnarum, ne quinque columnæ ad quatuor columnas denſiùs conſtipatæ, intercluderent potiùs aditum, quàm velarent.

12. Secundùm iſtum itaque modum, & ſecundùm hanc formam tabernaculi nihil jam opus eſt vicenas illas columnas laterum interioris tabernaculi ad Auſtrum & Aquilonem conſtituere denſiores, & rariores illas octo facere quæ ab Occidente fuerant. Decem quippe illæ atrij exterioris ab eadem parte Occidentis non longum ordinem faciunt columnarum, quo includantur octo interiores, ſed ternis ab utroque latere conſtitutis, & quatuor b in porta, ſpatium concludunt, ubi & altare ſit holocauſtomatum intra portam atrij ante oſtium tabernaculi; & labrum inter oſtium tabernaculi & altare; & intervallum neceſſarium miniſterio inter altare & portam atrij: & ſic illud totum ſpatium atrij concluditur columnis decem, tribus ab Aquilone, & tribus ab Auſtro, & quatuor ab Occidente, tamquam ſi, Π, Græcam litteram facias. Et ſic adjungebatur idem ſpatium longiori ordini columnarum tabernaculi interioris, tamquam ſi ad litteram memoratam ex ea parte qua non habet adjungas litteræ productionem quæ iota dicitur; ut ejus parte quæ in medio eſt, ab eo latere concludatur, & reſtent hinc atque inde ex ipſo iota reliquæ partes. Poterant ergo numerari decem columnæ in illo longo ordine partis Occidentalis tabernaculi interioris, ſed cùm illis octo adderentur duæ, quæ fuerant ultimæ in ordinibus laterum atrij Aquilonis & Auſtri. Nam & illæ decem quæ propriè ad atrium pertinerent à parte Occidentis, unde & intrabatur ad tabernaculum, ternas habebant in lateribus, & quatuor in fronte, ubi porta erat, atque ita ſpatium uſui ſacrificiorum neceſſarium intra atrium ante tabernaculum amplectebantur. In ternis autem columnis, quæ fuerant à lateribus, tentoria erant de byſſo quindenorum cubitorum: in quatuor autem ubi porta erat, velum erat viginti cubitorum acu-picto opere variatum.

13. Nec moveat quod ait Scriptura, *Quindecim cu-* v. 14.
bitorum tentoriorum altitudo lateri uni: columnæ eorum
tres, & baſes earum tres. * *Et latus ſecundum quindecim* v. 15.
cubitorum tentoriorum altitudo: columnæ eorum tres, &
baſes earum tres. * *Et portæ atrij tegumen viginti cubito-* v. 16.
rum altitudo. Altitudinem quippe eamdem dicit, quæ fuerat longitudo tentoriorum. Eadem quippe altitudo eſt cùm texuntur, quæ longitudo eſt cùm tenduntur. Quod ne ſuſpicari videamur, alio loco idipſum Scriptura commemorans ait, *Et fecerunt* Exodi 37.
atrium quod eſt ad Auſtrum, tentoria atrij de byſſo ſec. LXX.
torta, centum per centum: id eſt, centum cubita ten- Confer Vulg. Exodi 38. 9.
toriorum per centum cubita ſpatij, quod tenebant &c.
viginti columnæ. Deinde ſequitur, *Et columnæ eo-* Ibidem.
rum viginti, & baſes earum viginti æreæ. Et latus
quod ad Aquilonem centum per centum, & columnæ
eorum viginti, c *& baſes earum viginti æreæ: & latus*
quod eſt ad mare, aulæa quinquaginta cubitorum: co-
lumnæ eorum decem, & baſes earum decem. Eadem dicit aulæa quæ tentoria. *Et latus quod eſt ad Orientem quinquaginta cubitorum tentoria.* Poſt hæc redit ad poſteriora tabernaculi, ut oſtendat quemadmodum illæ decem columnæ ſpatium, de quo loquebatur, atrij complectebantur. *Quindecim cubitorum,* Ibidem.

a Sic MSS. At editi, *aliquot cubitorum.*

b Rat. & Lov. *impar.* Am. Er. & quinque MSS. *in portum.* Alij MSS. *in porta.*

c Editi excepto Rat. *viginti aræa.* Abeſt *aræa* à MSS. & à LXX.

inquit, *quod est à dorso.* Dorsum appellat, quia posteriora tabernaculi erant, id est à parte Occidentis. *Et columnæ*, inquit, *eorum tres, & bases earum tres. Et à dorso secundo hinc & hinc secundùm* [a] *portam atrij aulæa quindecim cubitorum: columnæ eorum tres, & bases earum tres.* Manifestum est certè, eadem duo dorsa dici hoc loco, cùm commemorantur omnia quemadmodum facta sint, quæ tabernacula dicebantur, quando præcipiebatur ut fierent: latera scilicet, quia hinc atque inde conjuncta [b] portæ Occidentalis atrij spatium concludebant: dorsa verò, quòd à tergo tabernaculi erat hæc pars atrij, id est à parte Occidentali. Sequitur autem & dicit, *Omnia aulæa atrij de bysso tortâ, & bases columnarum æreæ, & ansæ earum argenteæ, & capita earum inargentata argento; & columnæ inargentatæ argento, omnes columnæ atrij.* Deinde adjungit, quod nondum isto loco commemoraverat, *Et* [c] *vela memorati atrij opus variatoris, de hyacintho & purpura & cocco neto & bysso tortâ; viginti cubitorum longitudinem & latitudinem.* Ecce ubi apparet eamdem dictam superiùs altitudinem, quæ aulæorum extentorum fuerat longitudo. Denique addit, *Et latitudinem quinque cubitorum.* Tot enim cubitis latitudinis erigebantur tentoria exterioris atrij, sicut interioris cubitis quatuor. Sic autem & superiùs dixerat, *Longitudo autem atrij centum per centum, & latitudo quinquaginta per quinquaginta, & altitudo quinque cubitorum ex bysso tortâ.* Hanc latitudinem dicens quam postea altitudinem dixit; quoniam quæ jacentium latitudo est, eadem erectorum altitudo. Sicut quod paulò antè commemoravi, quæ cùm texuntur altitudo est, eadem cùm tenduntur longitudo est.

Ibidem. a b Ibidem. Ibidem. c

14. Nunc jam quod distuleram, videamus, quomodo ex hac forma universi tabernaculi, quam sicut potui ante oculos collocavi, difficultas illa solvatur de capillaciis velis. Quæ fortasse ideo erat abstrusior, quia per anticipationem ibi aliquid dictum est, quod proficeret operi, de quo postea fuerat locuturus, cùm atrium tabernaculo circumponendum describeret. Nunc itaque verba ipsa videamus. *Et suppones*, inquit, *quod superabit in velis tabernaculi, dimidium veli quod superabit subteges, quod abundat in velis tabernaculi, subteges post tabernaculum.* Hoc totum quod dictum est unum sensum habet, quia dimidium veli quod superaverit, hoc est, id quod abundaverit de velis tabernaculi, subtegendum est post tabernaculum. Quomodo ergo superet, id est, abundet & restet dimidium veli, ex illa serie connexorum velorum oportet inquirere: quoniam quinque in se, & sex in secondo nectí voluit, sicut superiùs loquens dixerat, sextum velum à facie tabernaculi duplicandum, id est ab Oriente. Toties enim posteriora tabernaculi à parte Occidentis esse significavit, id est ad mare. Quid igitur facies tabernaculi, nisi pars illa intelligenda est, quæ est ad Orientem? Pars ergo illa, qua vela quinque connexa sunt, habet cubita centum-quinquaginta, hoc est quinquies tricena; (tricenorum enim cubitorum erant singula, sicut ea Deus fieri jusserat:) illa verò pars, in qua erant non quinque, sed sex vela sibimet similiter connexa, cubita habebat centum-octoginta, id est sexies tricena, ac per hoc duplicato ex eis uno velo, sicut jussum est, secundùm faciem tabernaculi, minuebantur in ea duplicatione cubita quindecim: quibus detractis, centum sexaginta-quinque remanebant. Et ideo post centum-quinquaginta cubita, quibus illi parti quinque velorum etiam ista pars sex velorum æquabatur, superabant atque abundabant cubita quindecim. Illinc enim erant à parte quinque velorum, cubita centum quinquaginta: hinc autem à parte sex velorum, duplicato uno velo secundùm faciem tabernaculi, erant cubita centum-sexaginta-quinque. Plus ergo habebat pars ista cubita quindecim. Hoc dicit dimidium veli, quod jubet subtegi post tabernaculum, ut quia illud à facie duplicatum est, hoc dimidium redundans à posteriore parte tabernaculi non duplicaretur, sed subtegeretur, id est, omnia ipsa quindecim cubita subtermissa tegerentur: ac sic & ipsa illi longitudini detraherentur, sicut illa itidem quindecim à facie tabernaculi unius veli duplicatione detracta sunt: eoque modo centum-quinquaginta cubitis quinque velorum occurrerent ex alia parte centum-quinquaginta cubita sex velorum; triginta scilicet cubitis de centum-octoginta detractis, à facie tabernaculi velo duplicato, & à posterioribus tabernaculi dimidio velo subtecto.

Exodi 26. 12. v. 9.

15 Jam illud quod sequitur aliud est, & aliam quæstionem infert, propter quam maximè hujus loci expositionem differendam putavi, ut priùs & formam constituendi tabernaculi, & de atrio circumponendo quod scriptum est videremus. Sequitur ergo, *Cubitum ex hoc & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi hinc atque hinc, ut operiat.* Aliud est quod superabit una pars sex velorum aliam partem quinque velorum, propter ampliorem velorum numerum, unde jam diximus: aliud quod superabit de longitudine velorum, unde nunc dictum est. Ita enim non pars parti comparatur, & altera alteram superare invenitur; illa scilicet, quæ vela sex habet, illam quæ vela quinque habet; quæ ambæ ut sibimet æquarentur, à facie tabernaculi facta est unius veli duplicatio, à tergo dimidij subtectio: sed ipsa vela capillacia comparata aulæis, ex quibus decem jussit fieri interius tabernaculum quatuor coloribus textis, longiora reperiuntur cubitis binis. Ea enim erant aulæa singula cubitorum viginti-octo, ista triginta: ideo hîc non ait, Ex eo quod superat de velis; sed, *Ex eo quod superat velis de longitudine velorum.* Quid est ergo, *Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, erit contegens super latera tabernaculi?* nisi quia illa longitudo, in qua binis cubitis vela capillacia longiora sunt aulæis, singulis singula, non tota in unam partem cogenda est, id est, ut quidquid superat, ad posteriora tabernaculi colligatur: sed distribuatur ex æquo, tantumque ejus ad priora tabernaculi, quantum ad posteriora tribuatur: id est, quoniam duo cubita in singulis velis eamdem quæ superat longitudinem faciunt, ut cubitum inde auferat pars ista, & cubitum illa: ita de singulis cubitis suis habebit pars ista cubita decem, & illa de suis singulis decem; quoniam decem vela binis cubitis longiora, viginti cubitorum longitudinem faciunt, qua videntur superare serie sua seriem aulæorum.

Exodi 26. 13.

16. Deinceps videndum est hæc viginti cubita, quæ superant de longitudine velorum, cui spatio cingendo proficiant. Si enim velis capillaciis interius tabernaculum circumtegitur, ita superant, ut quid

a Editi *partem*, pro quo MSS. *portam.* Sic etiam LXX.
b Cistercienſis MS. *conjuncta à parte Occidentali.*
c Legitur apud LXX. Exodi 37. *Et velamen portæ atrij.* Confer Vulgat. Exodi 38. 18.

ex eis cooperiatur non sit omnino. Unde restat etiam ipsa subtegi, & subtegendo detrahi, quod Scriptura non dicit. Aulæa quippe decem, quæ habent cubita vicena & octona, quibus interius tenditur tabernaculum, circumplectuntur spatium quantum possunt circumplecti cubita ducenta-octoginta: unde latera illa longiora Australe & aquilonium, habentia vicenas columnas, auferunt ex his cubitis centena cubita; restant octoginta, quæ duobus reliquis lateribus brevioribus, Orientali quod non habet ordinem columnarum, & Occidentali ubi erant columnæ octo, quadragena distribuantur. Proinde in capillaciis velis, quoniam detractis triginta cubitis trecenta restabant, si trecentis cubitis capillaciorum velorum, ducenta-octoginta cooperiantur aulæorum, ita supererunt viginti, ut non sit quod ex eis tegatur. Proinde duo illa cubita, quæ singula capillacia plus habent, ex quibus summa viginti cubitorum collecta est, sic distribuenda sunt, *Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc*, id est ne omnia in unam partem cogantur, ut proficiant operiendis lateribus tabernaculi, sed exterioris atrij, id est, omnia illa trecenta cubita velorum capillaciorum extrinsecùs tabernaculum cingant. Adjunctis quippe lateribus atrij exterioris centenûm cubitorum, id est, Austri & Aquilonis, quinquagena cubita supersunt Orientis & Occidentis, quæ omnia fiunt trecenta, quibus cooperiendis capillaciorum trecentena sufficiunt. Hoc est quod ait, *Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc:* id est, distributio duorum cubitorum, quibus unumquodque velum capillacium longius est, hoc est *ex eo quod superat velis de longitudine velorum, erit contegens super latera tabernaculi:* illa scilicet exteriora, quæ ad atrium pertinent, *hinc atque hinc ut operiat:* nec illa ipsius atrij, quæ centenis cubitis & vicenis columnis tenduntur; ipsa enim non sunt facta longiora, quàm illa interioris tabernaculi quæ decem aulæis tenduntur, & vicenas etiam ipsa columnas habent. Nam sicut interioris tabernaculi duo latera ab Aquilone & Austro centenis cubitis porriguntur, ita & exterioris atrij. Non ergo ad ipsa exteriora totidem columnarum latera tegenda capillaciorum velorum proficit longitudo, qua longitudinem superant aulæorum. Tantum enim dant exterioribus lateribus, quantum & interioribus darent, id est cubita centena, quæ fiunt ducenta: sed quia lateribus Orientis & Occidentis sufficerent latera quadragena, si tantummodo interius tabernaculum velis capillaciis cingeretur; additis autem lateribus atrij crevit tabernaculi latitudo, ut tegendis lateribus Orientali & Occidentali jam non quadragena, sed quinquagena cubita sint necessaria: ad ea tegenda proficere potuit capillaciorum velorum longitudo amplior quàm aulæorum; ut non ambo cubita, quibus binis longiora sunt, ex una parte impenderentur, sed *cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc:* ac sic haberet ex ipsa superabundantia latus Orientale cubita decem, & Occidentale alia decem. Viginti enim fiunt bina decem: quia veli undecimi cubita triginta duplicatione & subtectione ab hoc ambitu detrahuntur.

17. Sed quoniam id quod Latinè interpretatum est, *Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi*, Græcus habet πλάγια, quæ Latini nonnulli non *latera*, sed *obliqua* interpretati sunt, meritò movet, quia etsi nihil hîc videatur obliquum, ubi omnes anguli quatuor laterum recti sunt; πλάγια tamen dici latera illa non possunt, quorum unum est in facie, alterum retrò, id est, Orientale & Occidentale; sed πλάγια dici possunt à dextro & à sinistro, id est, Aquilonium & Australe. Cùm ergo non sint ea πλάγια, quæ habent cubita quinquagena, quibus lateribus tegendis proficere potuisse diximus superantem longitudinem capillaciorum velorum; quomodo erit verum, *Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi?* Sed nimirum de illis lateribus tegendis loquitur, quæ etiam dorsa appellat quindenorum cubitorum columnarumque ternarum, quæ cum porta atrij habente cubita viginti & columnas quatuor, quinquaginta complent cubita & columnas decem. Hæc latera ex istis suis finibus in medio posuerunt atrij portam, ex illis autem ostium tabernaculi: inter portam atrij & ostium tabernaculi spatium jacet, quantum cubita illa concludunt viginti à porta, & dextra lævaque quindena. In eo spatio [a] est altare holocaustomatum intra portam atrij ante ostium tabernaculi; & inter altare & ostium tabernaculi labrum æreum, ubi sacerdotes manus & pedes lavabant. Diligenter autem mensuris examinatis, fortasse in istis lateribus ternarum columnarum, quæ πλάγια Græcè dicta sunt, nonnulla etiam obliquitas invenitur, ut non frustra quidam interpretes nostri *obliqua* interpretarentur, quæ in Græco πλάγια repererunt. Non enim vela capillacia quindenis cubitis suis possunt tegere quindena cubita tentoriorum in illis lateribus, nisi posterioribus partibus tabernaculi, antequam ad illa latera deflectantur, non ampliùs quàm dena cubita impenderint. Ac sic ex linea recta posterioris tabernaculi, id est à parte Occidentis; quæ linea cùm habuisset octo columnas pertinentes ad interius tabernaculum, decem habere cœpit additis lateribus atrij exterioris; & cùm habuisset cubita quadraginta ad octo columnas pertinentia, quinquaginta habere cœpit in columnis decem: ex hac ergo linea cùm tecta fuerint velis capillaciis dena cubita ab utroque angulo venientia, restabunt in medio triginta non tecta velis capillaciis, sed illis tantummodo aulæis: in quorum triginta cubitorum medio, per quotlibet cubita tenderentur, erat ostium tabernaculi. Proinde illa latera ternarum columnarum & quindenorum cubitorum, si ex illis finibus suis quibus jungebantur portæ atrij, patebant inter se cubitis viginti, quia tantum habebat porta, quæ illa latera dirimebat; ex aliis autem finibus quibus hærebant posteriori illi lineæ tabernaculi, de qua locuti sumus, habebant inter se cubita triginta; procul dubio erant obliqua: quoniam plus inter se patebant ex hac parte ubi habebant media cubita triginta, quàm ex illa parte ubi habebant media cubita viginti. Ita illa decem cubita capillaciorum velorum, quod erat dimidium abundantis longitudinis, quæ proficiebant posteriori parti tabernaculi, hoc est Occidentali, sicut alia decem proficiebant priori parti, id est Orientali, quinis cubitis complebant tecturam

a Hic locus in integrum restituitur ope MSS. Vaticani unius, Corbeiensis, & Thuanei. Nam in editis Am. Er. & Lov. Sic exhibebatur: *In eo spatio est altare tabernaculi, & inter altare tabernaculi labrum* &c. Apud Rat. & aliquot MSS. *In eo spatio est altare tabernaculi, & inter altare atque ostium tabernaculi labrum* &c.

laterum illorum, quæ Græcè πλάγια dicta sunt, inde quinque & hinc quinque. Quæ si defuissent, dena cubita tegerentur in eisdem lateribus, & quina nuda essent. Itaque, quantum mihi videtur, meliùs intelligitur hinc esse dictum, *Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi*, non quia * erant, cùm hinc & inde quina essent; sed quia ex illa longitudine redundabant, in qua binis cubitis erant aulæis capillacia longiora, ex quibus duobus cubitis uniuscujusque veli cubitum profecerat parti Orientali: restabat utique alterum cubitum parti occidentali, ut cubitum ex hoc esset contegens super πλάγια tabernaculi. Unde dictum est, *hinc atque hinc ut operiat*, quia non operiebat totum, si eadem quina cubita defuissent.

* Videtur nonnihil hic deesse.

18. Nunc jam quoniam satis disputatum est, quomodo illa omnia intelligenda sint, quæ in tabernaculi constitutione videbantur obscura, breviter si possumus enitamur ostendere, quid sit eadem disputatione confectum. Ab Occidente igitur intrabatur, & prima erat ingrediendi porta atrij, quæ patebat viginti cubitis, & habebat quatuor columnas, quibus dependebat velum viginti cubitis extentum, erectum autem cubitis quinque, quatuor illis sæpe commemoratis coloribus acu-picto opere variato. Hac portâ ingrediens excipiebatur atrio, cujus latera dextera lævaque quindenis cubitis & ternis columnis porrigebantur introrsus; ut in medio ponerent ostium tabernaculi interioris, in ea parte quò perveniebant, sicut in medio ponebant portam atrij, ab ea parte unde incipiebant. Hoc itaque atrium latius erat quàm longius. Nam longitudo ejus erat à porta ipsius usque ad ostium tabernaculi interioris, in cubitis fermè quindecim: latitudo autem circa portam in cubitis viginti, circa ostium verò in cubitis triginta. Unde obliqua illa latera fuisse intelliguntur, quæ dextera lævaque in columnis ternis & quindenis cubitis erant. In hoc atrio erat altare sacrificiorum quadratum, quinque scilicet cubitis longum, & totidem latum. Inter portam & altare spatium erat, ubi versabantur qui sacrificia imponebant altari: introrsus verò inter altare & ostium tabernaculi, locus erat cineris [a] ante altare, & deinde labrum æneum ubi manus & pedes sacerdotes lavabant, vel altari in atrio servituri, vel tabernaculum interius ingressuri. Tentoria porrò hujus atrij in lateribus ternarum columnarum byssina erant, extenta cubitis quindenis, erecta cubitis quinis.

19. Ab hoc ergo atrio intrabatur ostium tabernaculi cùm transisses altare, & labrum æneum. Intrabatur autem apertis aulæis, quibus decem, quinque hinc & quinque inde ex adverso sibimet constitutis, totum ipsum interius tabernaculum cingebatur. Quod ostium ingresso occurrebat velum, quod ad ostium fuerat oppositum, in quinque columnis extentum, variatum illis quatuor coloribus: quod velum cùm faciendum præciperet, *adductorium* vocavit, credo quòd curreret, ducendo & reducendo, cùm operiret atque aperiret ingressum. Transito isto velo, excipiebat pars tabernaculi media inter hoc velum & illud alterum interius, quod columnis quatuor fuerat impositum, ex illis quatuor coloribus factum, & separabat inter sancta quæ forinsecùs erant, & sancta sanctorum interiùs posita. In hoc itaque medio spatio inter ista duo vela, mensa erat aurea, quæ habebat panes propositionis in parte Aquilonis; & contra eam candelabrum aureum septem lucernarum in parte Austri. Huc usque secundis sacerdotibus licebat intrare.

20. Interiùs autem, id est, in sancto sanctorum ultra velum quatuor columnarum, arca erat testimonij deaurata, in qua erant tabulæ lapideæ Legis, & virga Aaron, & urna aurea cum manna, & propitiatorium desuper aureum, ubi stabant duo Cherubim, alis obumbrantes propitiatorium & intuentes invicem & ipsum. Ante arcam verò, id est inter arcam & velum, positum erat altare incensi, quod aliquando aureum dicit Scriptura, aliquando deauratum, aureum utique appellans quia erat inauratum. Ad hæc sancta sanctorum nisi summo sacerdoti non licebat intrare quotidie propter inferendum incensum; semel autem in anno cum sanguine ad purificandum altare, & si quando fortè exigebat necessitas pro peccato sacerdotis, aut universæ synagogæ, sicut in Levitico scriptum est. Sic intrabatur tabernaculum ab Occidente, id est à porta [b] atrij usque ad latus Orientale introrsus ubi erat arca testimonij. *Levit. 16.*

21. Hoc autem interius tabernaculum, quod incipiebat non à porta atrij, sed ab ostio quod appellabatur ostium tabernaculi, & finiebatur in longum latere Orientis ubi erat arca testimonij, decem aulæis concludebatur, quorum erant singula viginti-octo cubitorum, quinque hinc & quinque inde, sibimet connexa ansulis & circulis, & ex adverso sibimet constituta; & columnis vicenis in lateribus longioribus Aquilonis atque Austri, & columnis octo à latere Occidentis, à latere autem Orientis nullis columnis, sed solis aulæis. Quæ aulæa decem erigebantur in cubitis quatuor, & per totum circuitum tendebantur in cubitis ducentis-octoginta: quorum centena in lateribus erant longioribus Austri & Aquilonis per vicenas columnas; quadragena verò cubita in reliquis duobus lateribus brevioribus; uno Occidentis per columnas octo; altero Orientis, ubi columnæ non erant, sed sola tendebantur aulæa de solis duabus angularibus columnis, mediis autem nullis: & erant hæc aulæa decem de quatuor coloribus texta. Hoc ergo interius tabernaculum circumdabatur atrio ab Austro viginti columnis, & ab Aquilone viginti. Quæ duo atrij latera æqualem habebant longitudinem cum lateribus interioris tabernaculi; quia & ipsa vicenis columnis porrigebantur in cubitis totidem, id est centenis. A latere autem Orientis atrium concludebatur columnis decem, cubitis quinquaginta: qui ordo columnarum rectus erat, & incurrebat in illas duas angulares interioris tabernaculi, quas solas Orientis pars habebat; proinde cum ipsis complebantur decem. A latere autem Occidentis habebat quidem atrium decem columnas, non tamen recto ordine, sed sicut jam ostendimus, tamquam triporticum, quatuor à porta, & ternas à lateribus.

22. Universum autem atrium in circuitu tabernaculi tentoriis byssinis cingebatur, quæ erigebantur cubitis quinque: his superveniebant vela capillacia undecim, ex una parte quinque sibimet connexa, ex alia sex. In connexione ergo quinque velorum, cubita erant centum quinquaginta; ex alia verò parte in connexione sex velorum, cubita erant

[a] Editio Rat. & MSS quatuor omittunt, *ante altare*.
[b] Sic vetus codex Corbeiens. At editi & plures MSS. *à porta Austri*. Vaticanus MS. *à porta atrij Austri*.

centum-octoginta: quoniam vela singula triceno-rum fuerunt cubitorum. Sed ut alia pars alteri coæquaretur, duplicatum est unum velum à facie tabernaculi, id est ab Oriente; & subtectum est dimidium velum à parte posteriore, id est ab Occidente: atque ita subtracta sunt cubita triginta, quanta erat veli unius longitudo; & remanserunt centum-quinquaginta, quot etiam ex parte altera fuerunt. Circuitus itaque velorum capillaciorum, quo cingebatur atrium tabernaculi, trecentis cubitis tendebatur, sicut circuitus decem aulæorum interioris tabernaculi cubitis ducentis octoginta. Aulæa quippe singula habebant cubita vicena & octona in longitudine, capillacia verò vela tricenis cubitis longa erant. Quapropter ex ambitu aulæorum interioris tabernaculi, qui erat in cubitis ducentis-octoginta, centena cubita in lateribus longioribus erant Austri & Aquilonis, & quadragena in duobus brevioribus Orientis & Occidentis: ex ambitu autem capillaciorum velorum, quo atrium exterius tegebatur, quia ambitus erat in cubitis trecentis, centena erant in lateribus longioribus Austri & Aquilonis, quoniam æqualia erant lateribus tabernaculi interioris, quinquagena autem in duabus reliquis partibus Orientis & Occidentis. Ac per hoc duo illa cubita, quibus longius erat aulæo velum capillacium, non lateribus Austri & Aquilonis, quæ paria erant atrij exterioris & tabernaculi interioris, sed lateribus Orientis & Occidentis proficiebant. In eis enim lateribus creverat tabernaculi latitudo, circumposito extrinsecùs atrio: sed quinquaginta cubita velorum capillaciorum à parte Orientis per decem columnarum rectum ordinem tendebantur, eisque proficiebat unum cubitum ex duobus illis, quibus eorumdem velorum major fuerat longitudo: alia verò cubita quinquaginta, quæ Occidentali lateri debebantur, quibus alterum ex duobus illis cubitum proficiebat, non tendebantur per columnarum ordinem rectum. Ibi enim erat illa tamquam triporticus, quæ concludebat spatium atrij, ubi esset altare sacrificiorum, quatuor columnis à porta & ternis à lateribus: ac per hoc non poterant etiam [a] portam cingere illa cubita quinquaginta, sed usque ad cooperienda obliqua illa latera tendebantur, quæ in columnis ternis & quindenis cubitis erant. Erigebantur autem capillacia vela cubitis quatuor, eisque tegebantur atrij tentoria byssina, quorum erat erectio in cubitis quinque.

23. Pelles verò rubricatæ super capillacia vela veniebant. Desuper autem, id est, à parte tecti, vice cameræ tabernaculum pellibus hyacinthinis tegebatur: utrùm cum atrio & spatium illud interius, non apparet: sed credibilius est, atrij spatia quæ inter exteriores & interiores columnas erant, [b] cælum apertum habuisse, maximè illud Occidentis, ubi erat altare sacrificiorum.

[a] Editi omittunt, *portam*. habent omnes MSS.
[b] Am. Er. & Lov. *velum*. At Rat. & MSS. *cælum*.

LIBER TERTIUS.

Quæstiones in Leviticum.

QUÆST. I. *Levit. 5. 1.*

SI *autem anima peccaverit, aut audierit vocem jurationis, & ipse testis fuerit aut viderit, aut conscius fuerit, si non nuntiaverit, & accipiet peccatum*: hoc est, *Si non* utique *nuntiaverit, accipiet peccatum?* Quod enim additum est, *&*, locutionis est usitatæ in Scripturis. Verùm iste sensus quia obscurus est, exponendus videtur. Hoc enim videtur dicere, peccare hominem, quo audiente jurat aliquis falsum, & scit eum falsum jurare, & tacet. Tunc autem scit, si ei rei, de qua juratur, testis fuerit, aut vidit, aut conscius fuit, id est aliquo modo cognovit, aut oculis suis conspexit, aut ipse qui jurat illi indicavit: ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem hujus peccati, & timorem proditionis hominum, non parva exsistit plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad perjurium admonendo vel prohibendo à tam gravi peccato revocare: sed si non audierit, & coram nobis de re quam novimus, falsum juraverit, utrùm prodendus sit, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia non expressit cui hoc indicandum est, utrùm illi cui juratur, an sacerdoti, vel cuipiam qui non solùm eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest, videtur mihi quòd se homo solvat etiam à peccati vinculo, si indicet talibus, qui magis possunt prodesse quàm obesse perjuro, sive ad corrigendum eum, sive ad Deum pro illo placandum: si & ipse confessionis adhibeat medicinam.

POST hoc autem peccati genus, quod de perjurio alicujus non indicato commemoravit, nullum pro eo sacrificium jussit offerri: sed deinde subjunxit, *Anima quæcumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticini, aut à fera capti immundi, aut eorum quæ sunt morticina abominationum immundarum, morticinum jumentorum immundorum:* * *aut tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immunditia ejus, quam si tetigerit, inquinabitur: & latuerit eum, post hoc autem cognoverit, & deliquerit.* Neque hîc sacrificium pro isto genere peccati quod offerretur commemoravit, sed adhuc adjecit, & ait, *Anima quæcumque juraverit distinguens labiis malefacere, aut benefacere, secundùm omnia quæcumque distinxerit homo cum jurejurando, & latuerit eum, & id cognoverit, & peccaverit unum ex his,* * *& confessus fuerit peccatum, pro quo peccavit adversus ipsum.* His omnibus sine aliqua interpositione sacrificij connexis & explicatis, adjungit, & dicit, *Et* * *offeret pro iis quæ deliquit Domino, pro peccato quo peccavit, feminam ab ovibus agnam; aut capram de capris pro peccato, & exorabit pro eo sacerdos pro peccato, & remittetur illi peccatum.* Quid est ergo, quòd pro tacito cujusquam perjurio, & pro eo quod tangitur morticinum vel aliquid immundum, nullum sacrificium commemoravit; pro eo verò peccato ubi falsum quisquam nesciens juravit, dixit offerri agnam vel capram? An pro omnibus suprà dictis hoc sacrificium oportet intelligi? Voluit enim prius omnia enumerare, & sic inferre quo sacrificio pos-

QUÆST. II. *Levit. 5. 2.*

v. 3.

v. 4.

v. 5.

v. 6.

* MSS. *afferet*. Sic etiam infrà constanter, ubi in Græc. LXX. est ἐνέγκαι.

sint expiari. Sed in eis omnibus suprà dictis generibus peccatorum, sunt quædam propter locutionum modos subobscurè posita, sicuti est quod ait, *morticinum jumentorum*. Ea enim quæ Græcè κτήνη appellantur, plerique nostrorum *jumenta* interpretati sunt, quod nomen in Latina consuetudine eorum animalium est, quorum laboribus adjuvamur, maximè in portandis oneribus, sicuti sunt equi, asini, muli, cameli, & si quid hujusmodi: quæ verò Græci κτήνη vocant, tam latè intelliguntur, ut omnia aut propè omnia pecora isto nomine concludantur. Et ideo novo genere locutionis, velut πλεονασμῷ, additum est in Græco, *immundorum*, cùm diceretur, *jumentorum*: quoniam sunt etiam munda pecora, quæ κτήνη appellantur. Quæ autem jumenta usus Latinus appellat, secundùm Legis distinctionem nonnisi immunda sunt.

QUÆST. III. Levit. 5. 4. ITEM quod ait, *Anima quæcumque juraverit, distinguens labiis malefacere aut benefacere*, quæritur quid dixerit, *distinguens*. Assiduè quippe hoc verbum ponit Scriptura. Unde est & illud, Reddam vota mea, quæ distinxerunt labia mea. (Psal. 65.14.) Item dicitur ad Ezechielem, Cùm dicam iniquo, morte morieris, & tu non distinxisti neque locutus es. (Ezech. 3.18.) Item scriptum est, Si qua in domo patris sui constituta voverit votum, distinguens labiis suis adversùs animam suam. (Num. 30.4.) Videtur ergo ista distinctio quasi definitio esse, qua secernitur aliquid à ceteris, quæ solo dicto non tenentur. Sic ergo accipiatur tamquam dictum sit, *Anima quæ juraverit, definiens labiis malefacere aut benefacere, secundùm omnia quæ definierit homo cum jurejurando, & latuerit eum*, id est, nesciens faciendum esse vel non faciendum, juraverit facere: *& id cognoverit, & peccaverit unum ex his*, sive quia juravit antequam cognosceret, sive quia fecit quod juravit, & cognovit postea quia non fuit faciendum neque jurandum: *& confessus fuerit peccatum pro quo peccavit*, id est, peccatum, quod peccavit: locutio est enim. Quod autem addidit, *adversùs ipsum*, quid intelligitur, nisi adversùs ipsum peccatum confessus fuerit, id est confitendo peccatum accusaverit? (Levit. 5. 6.) *Et offeret pro iis quæ deliquit Domino, pro peccato quo peccavit, feminam ab ovibus agnam.* Usitata locutione *agnam feminam* dicit, quasi possit esse non femina: *aut capram de capris*, sicut *agnam de ovibus*, quasi possit esse aut agna nisi de ovibus, aut capra nisi de capris. Nonnulla autem quæstio est, immo non parva, (v. 3.) quid sit quod assiduè dicit, *Post hoc autem cognoverit, & deliquerit*: quasi tunc fiat delictum, cùm fuerit cognitum. An potiùs quia nisi pro cognito satis fieri non potest? sed non ait, Post hoc autem cognoverit & pænituerit eum: quid ergo est, *Post hoc cognoverit & deliquerit*, nisi post cognitionem deliquerit; ut si sciens fecerit quod faciendum non esset, tunc delicto purgatio debeatur? Sed non ita prælocutus est. Ea quippe videtur exsequi peccata quæ ab ignorantibus, & per hoc à nolentibus, committuntur. Fortassis ergo aliquo genere locutionis *deliquerit* dictum est, delictum esse didicerit. An potiùs converso ordine dictum est (quia & talia genera locutionis habet Scriptura) quod per alia loca similia recto ordine dicebatur? Nam cùm alibi toties scriptum sit, *Et deliquerit & cognitum fuerit ei*; hîc tantùm converso, ut dixi, ordine, priùs dictum est *cognoverit*, deinde *& deliquerit*. Ordine autem suo, ita dici posset, *Anima quæcumque tetigerit omnem rem immundam aut morticini, aut à fera capti immundi, aut eorum quæ sunt morticina abominationum immundarum, morticinum jumentorum immundorum, aut tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immunditia ejus quam si tetigerit inquinetur, & si latuerit eum, & deliquerit, post hoc autem cognoverit.*

QUÆST. IV. Levit. 5. 7. SI *autem non valet manus ejus quod satis est in ovem, offeret pro peccato suo quod peccavit, duos turtures aut duos pullos columbinos Domino, unum pro peccato, & unum in holocaustoma.* Certè hîc aperit quæstionem, de qua superiùs cùm loqueretur ambigebamus. Ideo quippe videtur dicere, *unum pro peccato, alterum in holocaustoma*, quoniam non offerebatur sacrificium pro peccato nisi cum holocausto. Denique cùm priùs seorsum de holocaustis loqueretur, commemoravit turturem, & non dixit (Levit. 1.14.) duos: nunc verò ideo duos dicit, quia sacrificium pro peccato sine holocaustomate non offerebatur. Quod ergo superiùs dicebat, *Et imponet super holocaustoma*, (Lev. 4. 35.) non est dubium quòd priùs holocaustoma, deinde illud superimponebatur: nunc verò de avibus aliter dicit, ut priùs offeratur pro peccato una avis, deinde altera in holocaustoma.

QUÆST. V. Levit. 5. 15. QUOD autem ait, *Anima si latuerit eum, oblivione*, id est, si oblivione factum fuerit ut lateat eum, vel eam si ad animam refers, quoniam *eum* dicendo, ad hominem retulit. Animam quippe hîc hominem dicit.

QUÆST. VI. Levit. 5.15. [a] ET *peccaverit nolens à sanctis Domini.* Videtur obscurè positum hoc peccati genus, sed in consequentibus aperitur, ubi dicit [a] post oblatum de ariete sacrificium, *restituet illud, & quintas adjiciet.* (v. 16.) Ibi enim intelligitur hoc esse à sanctis oblivione peccare, aliquid per oblivionem usurpare quod debetur sanctis, sive sacerdotibus, sive oblationibus, vel primitiarum, vel quidquid hujusmodi.

QUÆST. VII. Levit. 5.17. [b] ET *anima quæcumque peccaverit, & fecerit unum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, & non cognoverit, & deliquerit, & [b] non cognoverit peccatum suum, * & afferet arietem sine macula de ovibus pretio argenti in delictum ad sacerdotem* (v. 18.)*: & exorabit pro eo sacerdos propter ignorantiam ejus, quam ignoravit, & ipse non scivit, & remittetur illi.* * *Deliquit enim delictum ante Dominum.* (v. 19.) Excepta locutionum invisitata densitate, quæ jam propter assiduam repetitionem debent esse notissimæ, totus iste sensus obscurus est; quoniam quæritur quomodo discernatur hoc genus delicti ab eis, quæ superiùs quadam generalitate complexus est. Videtur enim hoc ratio poscere, ut certis generibus peccatorum certa genera, quibus expientur, sacrificiorum adhibenda sint. Hoc autem quod modò commemoravi, non specialiter exprimit peccatum, sed in ea videtur generalitate versari, de qua ante cùm diceret, constituit sacrificium sacerdoti vitulum, & universæ synagogæ similiter vitulum, (Levit. 4.) principi caprum, & cuicumque animæ, hoc est cuicumque homini capram, vel si voluerit ovem, tamen femininum pecus. Deinde cœpit excepta facere quædam genera peccatorum, & nominatim exprimere pro quibus (Levit. 5.) quid offerendum sit: velut de audito & tacito cujusquam perjurio, & de tacto morticino & immundo, & juratione falsa per ignorantiam; de ovibus agnam, aut capram de capris, aut par turturum,

[a] Editi, *quòd post oblatum*. Abest, *quòd*, à MSS.
[b] Sic omnes codices hoc loco: licèt postea in q. 20. n. 5. ferant, *& acceperit peccatum suum*: quæ lectio verior est, ut liquet ex Græc. LXX.

aut duos pullos columbinos: aut decimam partem œphi similaginis, pro eo autem peccante qui per oblivionem aliquid sanctorum usurpavit, arietem & ejusdem rei restitutionem, quintis adjectis. Nunc verò non expressa specie peccati, generaliter addens, (Levit. 5.17.) *Anima quæcumque deliquerit, & fecerit unum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri*, (sic in illa generalitate dicebat, *Unum ex præceptis Domini quod non fiet*) *& non cognoverit, & deliquerit*, (Levit. 4.13. & 22. &c.) id est, per ignorantiam nolens peccaverit; arietem jubet offerri, non capram aut feminam ex ovibus, sicut superiùs in tali peccatorum generalitate constituerat. Quid sibi ergo vult ista permixtio? Nisi forte quòd hîc dicit, (Levit. 5.19.) *Deliquit enim delicto delictum ante Dominum*, hoc quod ait, *ante Dominum*, in his voluit delictum intelligi, quæ fiunt ante Dominum, id est, quibus Domino in tabernaculo deservitur: (v. 15.) unde aliquid paulò antè dixerat, cùm ait, *Peccavit à sanctis*; & intelleximus, usurpavit aliquid sanctorum, quia etiam restitui præceperat. Ac per hoc non sic tantùm peccari potest in his rebus, si aliquid inde per oblivionem usurpetur; sed etiam multis aliis modis potest quisque per ignorantiam delinquere in iis, quæ servituti Domini exhibentur: hoc voluit postea genus delictorum generaliter commemorare, & ideo & illic & hîc arietem jussit offerri. Plenæ sunt autem Scripturæ cùm dicitur, *ante Dominum*, & non intelligitur, nisi illud quod Domino exhibetur, sicut sacrificium, vel primitiæ, vel aliqua in sacris servitus.

QUÆST. VIII. Levit. 5.7. QUÆRITUR etiam, utrùm ubique sit accipiendum quod dictum est, si non valet manus ejus quod satis est ad ovem, offerre eum debere par turturum, aut duos pullos columbinos; & si hoc quoque non valet, certam similaginis quantitatem. Quoniam si ubique ita licere intelligitur, non potest quidem dici, sacerdotem non habere vitulum aut universam synagogam, aut principem non habere caprum vel ovem: & si ita est, quid opus erat postea dicere, tacitum cujusquam perjurium, aut tactum immundum, & perjurium per ignorantiam factum purgari sacrificio agnæ & capræ, cùm eadem sacrificia præcepta sint etiam in illa generalitate peccati, (Levit. 4.28. & 32.) ad quam generalitatem etiam ista potuerunt pertinere? Si autem hinc ista discernuntur, quòd licebat pro eis turtures & columbos, vel etiam, si hoc non esset, similaginem offerri, ibi autem ubi non dictum est non licebat; non videtur subventum esse pauperibus; quoniam multa possent esse delicta non specialiter expressa, quæ ad illam generalitatem referrentur, ubi gravarentur inopes, si tantummodo capram feminam, & agnam ex ovibus, & illas aviculas, & similaginem licebat offerri. Nisi fortè quis dicat, hoc discerni ista excepta & nominatim expressa peccata ab illis quæ generaliter commemorata sunt, quia hîc agnam dixit, ibi ovem, ut ætas pecorum aliquam differentiam faciat: dum tamen intelligatur pauperibus peræquè subventum, ut si non haberent ulla animalia quadrupedia, aut memoratas aves aut similaginem offerrent pro peccatis ignorantiæ suæ. Si autem movet, quare cùm generaliter omnia ignorantiæ peccata concluserit, & sacrificia non pro distantia peccatorum quam non fecerat, sed pro distantia personarum distinxerit; postea voluerit etiam peccata distinguere, & pro eorum diversitate sacrificia diversa præcipere, quasi non ad illam generalitatem omnia pertinerent: sic factam posteriùs exceptionem oportet intelligi, ut quæcumque remanserint, his exceptis quæ nominatim & speciatim commemoravit, dicta in illa generalitate intelligamus. Quem modum locutionis non est alibi reperire: sed in Scripturis sanctis tale est illud ubi Apostolus ait, Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est. (1. Cor. 6.18.) Hîc enim nihil videtur prætermisisse peccati, quandoquidem ait, Omne peccatum quodcumque fecerit homo: postea tamen excepit fornicationem, cùm intulit, Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat. (Ibidem.) Quod secundùm consuetudinem nostræ locutionis ita diceretur: Omne peccatum quodcumque fecerit homo excepta fornicatione, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat. Ita & hîc, cùm priùs generaliter omnia ignorantiæ peccata diceret illis, quæ commemoravit, sacrificiis expianda; postea tamen excepit illa, quibus expressè & distinctè positis certam sacrificiorum purgationem adhiberet, ut his exceptis quæcumque reliqua essent, ad illam generalitatem pertinerent.

QUÆST. IX. Levit. 6. 6. OFFERET *arietem ab ovibus sine macula, pretio, in quod deliquit.* Non ita distinguendum est, quasi pretio in quod deliquerit, id est in quod pretium deliquit; sed si offeret arietem, pretio offerat, id est emtum. Etiam hoc enim videtur ad sacramentum alicujus significationis pertinere voluisse, quoniam pretium ipsum non definivit. Nam si definiisset, posset videri hoc præcepisse, ne vile pecus offerretur, ut etiamsi non emeret qui offerret, tale tamen offerret quod tanti valeret. Addito autem, non solùm *pretio*, ut emtus aries offerretur, verùm etiam *siclorum sanctorum*, ita enim dicit, *Pretio argenti siclorum* [a] *siclo sancto*, aliquot siclis ut (Levit. 5. 15. [a]) ematur aries, non uno siclo voluit. Quid sibi autem velit, siclum sanctum, jam ubi visum est disseruimus. Quòd verò cùm dixisset, *Et delicti sui offeret Domino arietem ab ovibus sine macula pretio*; deinde addidit, *in quod deliquit*: intelligendum est in id offeret in quod deliquit: id est, in eam rem, propter eam rem. *Et auferet holocarpoma quod consumserit ignis, illam holocaustosim ab altari.* (Levit. 6.10.) Quid auferet, si consumtum est? Jussit enim sacerdotem auferre post totius noctis ignem holocarpoma, id est, holocaustum quod ignis consumserit. Vel quid sibi vult etiam illud quod addidit, *illam holocaustosim*: cùm hoc intelligatur holocarpoma quod holocaustosis: nisi fortè illud est verum quod in quodam Græco invenimus; non enim ait, auferet holocarposim, sed *auferet * catacarposim*, hoc est, reliquias holocausti quod ignis consumsit. (* Sic hodie apud LXX.) Has autem reliquias, veluti est cinis & carbo, appellavit illam holocaustosim, ejus rei nomine quæ consumta est, reliquias ipsius consumtionis appellans.

QUÆST. X. Levit. 6. 9. QUOD autem suprà dixit, *Ista lex holocausti*, & deinde exponens quæ sit eadem lex dicit, *Ista holocaustosis, super incensionem ejus super altare totam noctem usque in manè, & ignis altaris ardebit super illud, non exstinguetur*: planius esset secundùm nostræ consuetudinis locutionem, si non haberet, *&*: nam ista conjunctione detracta ita sensus contexitur, *Ista holocaustosis, super incensionem ejus super altare totam noctem usque in manè ignis altaris ardebit super illud*, id est, super altare. Deinde ad cumulum exprimen-

[a] In excusis, *argenti siclorum sanctorum*. In MSS. *argenti siclorum, siclo sancto*. Porrò apud LXX. legitur ἀργυρίου σίκλων, τῷ σίκλῳ τῷ ἁγίῳ, in codicibus tamen aliquot, Nobilio teste, τῷ σίκλῳ τῷ ἁγίῳ.

dæ sententiæ intulit, *non exstinguetur.* nam hoc A erat jam dictum, *tota nocte.*

Quæst. XI. Levit. 6.11. Et *induet stolam aliam, & abjiciet holocarpoma extra castra in locum mundum:* hoc appellat *holocarpoma* quod jam concrematum est: hoc autem in illo Græco κατακάρπωσις legitur. Quidam verò Latini addiderunt, *quod* [a] *concrematum est*, & ita interpretati sunt, *Et abjiciet holocarpoma quod concrematum est extra castra in locum mundum.*

Quæst. XII. Levit. 6.12. Et *ignis* [b] *super altare semper ardebit ab eo, & non exstinguetur*, id est, ab illo igne in quo arsit holocaustum usque in manè. B Non vult enim ignem prorsus exstingui, sed cùm usque in manè arserit holocaustum, ablatis inde reliquiis consumtionis nec sic exstingui ignem, sed inde iterum renovari, quò ardeant alia quæ imponuntur.

Quæst. XIII. Levit. 6.12. & 13. Quod autem sequitur & dicit, *Et exuret super illud sacerdos ligna* [c] *manè manè, & stipabit super illud holocaustum, & superponet super illud adipem salutaris; & ignis semper ardebit super altare, non exstinguetur:* videndum est utrùm *manè manè* quotidie C voluerit intelligi, ut nullus dies prætermitteretur, quo non inveniretur holocaustum, & adeps salutaris: an *manè manè*, ut quocumque die imponeretur, nonnisi manè imponeretur. Si enim quotidie intellexerimus, quid si nullus afferret? Si autem tamquam de publico vel de suo sacerdotes quotidiana holocausta procurabant; super ipsa imponebantur ea, quæ jussit à populo oblata pro peccatis super holocausta imponi; & non erat necesse offerenti sacrificia pro peccato, etiam holocaustum of- D ferre super quod illud imponeretur, nisi quando par turturum offerebatur, aut duo pulli columbini: Levit. 5. 7. nam ibi omnino definitum est, unum pro peccato, alterum in holocaustum offerri oportere; & priùs pro peccato, deinde in holocaustum. Deinde quæri potest, utrùm holocaustum quod manè manè jussit imponi, ipsum etiam per totam noctem arderet usque ad alterum manè; an illud quod ait, tota nocte ardere debere, holocaustum fuerit vespertinum, & deinde cœperit de lege holocausti E dicere, ut à vespertino holocausto inciperet: quod mirum est si taceret, nec admoneret talia vespere offerri oportere.

Quæst. XIV. Levit. 6.20. Et *locutus est Dominus ad Moysen dicens, Istud donum Aaron & filiorum ejus, quod offerunt Domino in die quacumque unxeris eum.* Alia sunt sacrificia, Exod. 29.1. quæ commemoravit in Exodo, quibus per septem dies sanctificantur sacerdotes, ut sacerdotio suo fungi incipiant; & aliud est quod modò commemorat, quid offerat summus sacerdos, quando consti- F tuitur, id est quando unguitur. Hoc enim sequitur & dicit, *In die quacumque unxeris eum.* Non dixit, unxeris eos; cùm etiam secundos sacerdotes ungui præcipiat. Deinde dicit ipsum sacrificium, *decimam partem œphi similaginis, in sacrificium sempiternum.* Quæritur quomodo sempiternum, si illud eo die offertur, quo unguitur summus sacerdos, ab illo qui unctus est, nisi ut semper hoc offeratur in die quo unguitur summus sacerdos, hoc est per successiones sacerdotum: quamvis & illo modo sempiternum G possit intelligi, non hoc, sed quod significat.

Quæst. XV. Levit 6.20. Dimidium *ejus*, inquit, *manè, & dimidium ejus post meridiem:* quod Græcus habet δειλινόν. * In * v. 21. *sartagine*, inquit, *in oleo fiet, conspersam offeret eam, fresa*, id est eam similaginem. Deinde dicit *fresa*, si tamen hoc rectè interpretatum est ex illo quod Græcus habet [d] ἐρικτὰ, & pluraliter hoc posuit genere neutro. Non enim ait fresam, tamquam eamdem similaginem, quam dixerat conspersam. Hæc autem fresa sacrificium de fragmentis esse dicitur. Utrùm ergo fresa dicat ipsa fragmenta, id est comminuta, an ipsa minutissima similaginis fresa dixerit, non est evidens.

Quæst. XVI. Levit. 6.21. & 22. Sequitur autem & dicit, *Sacrificium in odorem suavitatis Domino. Sacerdos unctus qui pro eo ex filiis ejus, faciet illud.* Propter hoc fortassis dixerat *sempiternum*, ut hoc faciat omnis summus sacerdos, quando succedit mortuo, eo die quo unctus fuerit; adjunxit enim & ait, *Lex æterna:* cùm possit etiam æternum secundùm id intelligi quod significat.

Quæst. XVII. Levit. 6.23. Sequitur autem, *Omne consummabitur.* quod habet Græcus ἐπιτελεσθήσεται, & aliqui interpretes dixerunt, *Omne imponetur:* ubi vult intelligi esse holocaustum, quia nihil exinde remanet. Denique adjungit, *Et omne sacrificium sacerdotis, holocaustum erit, & non edetur.* Ibidem. Hoc ergo dixerat, *Omne consummabitur.*

Quæst. XVIII. Levit. 6.26. De sacrificio pro peccato cùm diceret, *Sacerdos*, inquit, *qui imponet illud, manducabit illud.* Non hoc quod imponet manducabit, nam illud igni consumetur; sed quod inde remanserit: non enim holocaustum est, ut totum ardeat in altari. Dicit autem postea, *Omnia quæ pro peccato sunt, ex quibus* v. 30. *illatum fuerit à sanguine eorum in tabernaculum testimonij exorari in sancto, non edetur, sed igni concremabitur.* Quomodo ergo ad sacerdotes pertinent manducanda, quæ remanent de sacrificiis pro peccatis? Propter quod intelligendum est, hæc excepta esse, de quorum sanguine tangitur illud altare incensi in tabernaculo testimonij. Hoc enim jussit fieri superiùs de vitulo, quem pro peccato suo sacerdos offerret, Levit. 4.12. & 21. & de vitulo quem pro peccato universæ synagogæ, ut carnes quæ remanserint, foris extra castra comburantur: hoc & modò breviter commemoravit.

Quæst. XIX. Levit. 6.31. Et *ista est lex arietis, qui pro delicto est, sancta sanctorum sunt:* id est ad sacerdotes pertinent manducanda.

Quæst. XX. Levit. 6.37. 1. Quid est quod de ariete pro delicto cùm dixisset, legemque sacrificij exposuisset, ait, *Quomodo quod pro peccato, ita & id quod pro delicto: lex una est eorum?* Quæritur inter peccatum & delictum quæ sit differentia: quoniam si nulla esset, nullo modo diceretur, *Quomodo quod pro peccato, ita & quod pro delicto.* Quamvis enim lex ejusque sacrificium nihil distet, quia lex una est eorum: tamen ipsa duo, quorum unum est sacrificium, id est peccatum & delictum, si inter se nihil differrent, & si unius rei duo nomina essent, non curaret Scriptura tam diligenter commendare unum esse utriusque sacrificium.

2. Fortassis ergo peccatum est perpetratio mali, Peccatum. delictum autem desertio boni: Delictum. ut quemadmodum in laudabili vita, aliud est declinare à malo, aliud facere bonum, quod admonemur dicente Scriptura, Psal 36 27. Declina à malo, & fac bonum; ita in damnabili, aliud sit declinare à bono, aliud facere malum;

a Sic MSS At editi, *consecratum.*
b Editi, *Et ignis altaris.* MSS. juxta LXX. *super altare.*
c Editi, *manè*, hîc & infrà nonnisi semel: at MSS. & LXX. iteratò habent, pro quo Vulgata versio, *manè per singulos dies.*
d In editis & apud LXX. ἑλικτὰ, *convoluta.* Sed meliùs MS. Corbeiensis ἐρικτὰ, id est *fresa*, uti interpretatur Augustinus. Exstat eadem vox Levit. 2. 14. χίδρα ἐρικτὰ, Latinè *segetes seu farra comminuta.*

&

& illud delictum, hoc peccatum sit. Nam & ipsum A vocabulum si discutiatur, quid aliud sonat delictum nisi derelictum, & quid derelinquit qui delinquit nisi bonum? Græci etiam duo nomina usitata huic pesti imposuerunt. Nam delictum apud eos & παράπτωμα dicitur & πλημμέλεια. Isto ipso quippe loco Levitici πλημμέλεια est. Apostolus autem ubi Gal. 6.1. dicit, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, παραπτώματι Græcus habet: quorum nominum si origo discutiatur in παραπτώματι, tamquam decidere intelligitur qui delinquit. Unde cadaver quod B Latini à cadendo dixerunt, Græcè πτῶμα dicitur, ἀπὸ τοῦ πίπτειν, id est ab eo quod est cadere. Qui ergo peccando malum facit, priùs delinquendo à bono cadit. Et πλημμέλεια simile nomen est negligentiæ: nam Græcè negligentia ἀμέλεια dicitur, quia curæ non est quod negligitur. Sic enim Græcus dicit, non curo, οὐ μέλει μοι. Particula ergo quæ additur πλὴν, ut dicatur πλημμέλεια, præter significat, ut ἀμέλεια quod vocatur negligentia, videatur sonare sine cura; πλημμέλεια præter curam, C quod penè tantumdem est. Hinc & quidam nostri πλημμέλειαν non delictum, sed negligentiam interpretari maluerunt. In Latina autem lingua quid aliud negligitur, nisi quod non legitur, id est non eligitur? Unde etiam legem à legendo, id est ab eligendo Latini auctores appellatam esse dixerunt. His quodammodo vestigiis colligitur, quòd ille delinquit, qui bonum derelinquit, & relinquendo à bono cadit, quia negligit, id est, non legit. Peccatum verò unde sit dictum, quod Græcè ἁμαρτία D dicitur, in neutra lingua mihi interim occurrit.

3. Potest etiam videri illud esse delictum quod imprudenter, id est ignoranter; illud peccatum, quod ab sciente committitur. Huic differentiæ Psal. 18.13. videntur ista testimonia consonare divina: Delicta Psal. 68. 6. quis intelligit? Et illud, Quoniam tu scisti imprudentiam meam. Continuò quippe secutus adjunxit, Et delicta mea à te non sunt abscondita: velut alio modo repetens eamdem sententiam. Nec ab eadem ratione discordat quod paulò antè commemoravi E Gal. 6.1. Apostoli dictum, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: hinc enim quod præoccupatum dicit, imprudenter lapsum esse significat. Peccatum verò ad scientem pertinere apostolus Jacobus tam- Jac. 4. 17. quam definiens ait, Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Sed sive illa, sive ista, sive aliqua alia differentia sit peccati & delicti, nisi aliqua esset, non Scriptura ita loqueretur ut diceret, *Quomodo quod pro peccato, ita & quod pro delicto: lex una est eorum.* F

4. Indifferenter autem plerumque dicuntur, ut & peccatum nomine delicti, & delictum nomine peccati appelletur. Neque enim cùm dicitur in baptismo fieri remissio peccatorum, non fit etiam delictorum: nec tamen utrumque dicitur, quia in illo nomine utrumque intelligitur. Sic & Dominus Matth. 26. 28. ait, pro multis effundi sanguinem suum in remissionem peccatorum: numquid quoniam non ait, & delictorum, ideo quisquam dicere audebit in sanguine ipsius delictorum non fieri remissionem? Item G Rom. 5.16. quod scriptum est apud Apostolum, Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia verò ex multis delictis in justificationem: quid aliud quàm nomine delictorum etiam peccata comprehensa sunt?

5. In hac quoque ipsa Scriptura Levitici, qua cogimur aliquam inter delictum peccatumque distantiam vel invenire vel credere, ita legitur, cùm de his ipsis quæ pro peccatis offerenda jubebantur sacrificiis Deus loqueretur, *Si autem omnis*, inquit, Levit. 4.13. *synagoga filiorum Israël ignoraverit, & latuerit verbum ab oculis synagogæ, & fecerit unum ab omnibus mandatis Domini quod non fiet, & deliquerint, & cognitum illis fuerit peccatum quod peccaverunt in eo.* Ecce ubi dixit, *Et deliquerint*, ibi continuò *peccatum quod peccaverunt* addidit, hoc ipsum utique quod deliquerunt. Et paulò pòst, *Si autem princeps*, v. 22. inquit, *peccaverit, & fecerit unum ab omnibus præceptis Domini Dei sui, quod non* [a] *fiet nolens, & deliquerit.* Item in consequentibus, *Si autem anima*, v. 27. inquit, *una peccaverit nolens, de populo terræ, in eo quod facit ab omnibus præceptis Domini quod non fiet, & deliquerit,* * *& cognitum fuerit ei peccatum, quod* v. 28. *peccavit in ipso.* Item alibi, *Anima quæcumque juraverit distinguens labiis malefacere aut benefacere, se-* Levit. 5. 4. *cundùm omnia quæcumque distinxerit homo cum jurejurando, & latuerit eum, & hic cognoverit, & peccaverit unum ex his;* * *& confessus fuerit peccatum pro quo* v. 5. *peccavit adversùs ipsum,* * *& offeret pro eis quæ deli-* v. 6. *quit Domino, pro eo peccato quod peccavit.* Et paulò pòst, *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Ani-* v. 15. *ma si latuerit eum oblivione, & peccaverit nolens à sanctis Domini, offeret delicti sui Domino arietem sine macula de ovibus pretio argenti siclorum siclo sancto,* * *pro quo deliquit, & pro quo peccavit à sanctis, resti-* v. 16. *tuet, & quintas adjiciet super illud, & dabit illud sacerdoti: & sacerdos exorabit pro eo in ariete delicti, & remittetur illi.* Sequitur adhuc & dicit, *Anima quæ-* v. 17. *cumque peccaverit, & fecerit unum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, &* [b] *non cognoverit, & deliquerit, & acceperit peccatum suum:* * *&* v. 18. *afferet arietem de ovibus pretio argenti in delictum ad sacerdotem: exorabitque pro eo sacerdos, pro ignorantia ejus quam ignoravit, & ipse non scivit, & remittetur illi.* * *Deliquit enim delicto delictum ante Dominum.* v. 19. Et adhuc ita dicit: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Anima quæcumque peccaverit & despi-* Levit. 6. 2. *ciens despexerit præcepta Domini, & mentitus fuerit quæ sunt ad proximum de commendatione aut de societate, aut de rapina, aut injuriam fecerit aliquam proximo,* * *aut invenerit perditionem, & mentitus fuerit de* v. 3. *eo, & juraverit injustè de uno ab omnibus quæcumque fecerit homo, ita ut peccet in his:* * *& erit cùm peccave-* v. 4. *rit, & deliquerit, & reddet rapinam quam rapuit, aut injuriam quam nocuit, aut commendatum quod depositum est apud eum, aut perditionem, quam invenit, ab omni re quam juravit pro ea injustè: & restituet ipsum, & quintas ejus adjiciet ad illud, cujus est ipsi reddet, qua die convictus fuerit:* * *& delicti sui, offeret Do-* v. 5. *mino arietem ab ovibus sine macula, pretio in quod deliquit:* * *& exorabit pro eo sacerdos ante Dominum, &* v. 6. *remittetur illi de uno ab omnibus quæ fecit, & deliquit in eo.* Penè ergo in omnibus factis, quæ dicit esse peccata, eadem etiam delicta dicit. Quapropter & indifferenter ea dici manifestum est multis Scripturarum locis: & habere aliquid differentiæ Scriptura testatur, quæ dicit, *Sicut quod pro peccato, ita & quod pro delicto.*

Quæst. XXI. Levit. 7.13, 14. & 15. Omnem *adipem boum & ovium & caprarum non edetis, & adeps morticinorum & à fera captorum fiet in omne opus, & cibo non edetur. Omnis qui ederit adipem à pecoribus quæ offeretis ab eis hostiam Domino, peribit anima illa de populo suo.* Dixerat superiùs

a Ita in MSS. & apud LXX. At in editis *non fecit volens.*
b Deerat, *non*, in excusis: At in MSS. & apud LXX. reperitur.

Levit. 3.17. de adipe, *Omnis adeps Domino*; & quæsieramus utrùm omnis omnino pecoris mundi dumtaxat; (nam de immundis nulla quæstio est;) & quid de adipe fieret, quem vetuit in escam venire: nunc autem dixit quid fieret de adipe morticini & à fera capti, ut sit in omne opus; omne opus, utique illud opus cui tale aliquid necessarium est. Unde remansit quæstio, quid fiat de adipe ceterorum animalium, quæ [a] munda sunt ad vescendum. Sed cùm dicit omnem animam perire de populo suo, qui ederit adipem eorum pecorum, ex quibus Domino offertur, videtur definiisse illum tantùm adipem de pecoribus mundis prohibitum manducari, ex quibus fit sacrificium: quamvis Judæos audierimus nullum omnino adipem in escam sumere. Sed quid Scriptura voluerit, non quid illi opinati fuerint, requirendum. Denique non inveniunt, quid rectè de adipe faciant, unde se abstinent, & quomodo eum projiciant, cùm dictum sit, *Omnis adeps Domino*: si non adipem sacrificiorum tantùm, sed etiam eorum animalium de quibus non sacrificatur, quamvis immundorum, hîc volunt intelligi.

Quæst. XXII. Levit. 7.19. 20. &c. Quid sibi vult quod de sacrificiis salutaris iterum admonet, & dicit, eum qui offert donum sacrificij salutaris sui, pectusculum & brachium sacerdotibus dare debere, ita tamen, ut adeps pectusculi offeratur Domino cum pinna jocineris; Levit. 4.9. cùm superiùs loquens de sacrificiis salutaris pinnam jocineris cum adipe ventris & renum & lumborum offerri Domino præceperit, tacuerit autem de adipe pectusculi? An quod ibi prætermisit, hîc commemorat? Quare ergo de pinna jocineris & ibi & hîc? An fortè aliquid interest quod superiùs de sacrificio salutaris præcepit, hîc autem addidit *sui*, tamquam aliud sit salutaris, aliud salutaris sui?

Quæst. XXIII. Levit. 4.3. 1. Cum sacrificia pro peccatis priùs commemoraret, vitulum dixit offerendum pro peccato sacerdotis, qui fecisset populum peccare; postea etiam quando narravit Scriptura, quemadmodum Levit. 8. 2. & 14. ea quæ præcepit Dominus, gesta sunt erga Aaron & filios ejus, dicitur oblatus vitulus pro peccato; Levit. 4. 7. sed superiùs de sanguine vituli cornua tangi præcepit altaris incensi, adspergendum etiam ex ipso sanguine contra velum sanctum, reliquum verò v. 6. sanguinem fundendum ad basim altaris holocaustomatum: postea verò quando sanctificatur Aaron, de adspersione sanguinis contra velum nihil Levit. 8.15. dictum est; de cornibus autem altaris dictum est, sed non additum est *incensi*; additum est autem, effundendum sanguinem *ad basem altaris*; non dixit, ad basem ejus, tamquam necesse fuisset illud altare accipere, cujus cornua sanguine tetigisset: proinde quamvis ambiguè sit positum, liberum est tamen ita intelligere factum, ut fuerat antè præceptum de vitulo pro peccato; ut non ejus altaris cornua tacta intelligamus, ad cujus basem fusus est sanguis; sed tacta cornua altaris incensi, fusum autem sanguinem ad basem altaris sacrificiorum.

Levit. 4. 5. 2. Superiùs, quia generaliter præcipiebat, si sacerdos peccasset, ipsum sacerdotem unctum & consummatum, quem vult intelligi summum sacerdotem, sacrificia ista jussit offerre: nunc verò Levit. 8.15. & 28. cùm sanctificatur Aaron, Moyses offert & ipse accipit pectusculum impositionis, quod antea prælocutus est sacerdoti esse dandum. Inde autem puto pectusculum impositionis dictum, quia imponebatur inde adeps, sicut commemoravit superiùs de sacrificio salutaris. Cùm ergo videatur ab Aaron cœpisse summum sacerdotium, quid putamus fuisse Moysen? Si ergo sacerdos non fuit, quomodo per illum omnia illa gerebantur? si autem fuit, quomodo summum sacerdotium ab ejus fratre cœpisse definimus? Quamquam etiam Psalmus ille, ubi dictum est, Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus, Psal. 98. 6. auferat dubitationem, quòd sacerdos fuerit & Moyses. Vestem tamen illam sacerdotalem, quæ magnum continet sacramentum, Aaron jubetur Exodi 28. accipere & successores ejus summi sacerdotes. In Exodo antequam omnino aliquid de sanctificandis Exodi 29. & quodammodo ordinandis sacerdotibus præcipiatur, quando Moyse adscendente in montem, jubentur non adscendere sacerdotes, quos intelligere alios non possumus nisi filios Aaron; non quia jam erant, sed quia futuri erant, hoc eos jam tunc Scriptura appellavit per anticipationem, sicut sunt pleraque talium locutionum: nam & filius Nave, Exodi 23.11. Jesus appellatus est, cùm longè postea hoc nomen Num. 13.17. ei Scriptura narret impositum. Ambo ergo tunc summi sacerdotes erant, Moyses & Aaron; an potiùs Moyses, Aaron verò sub illo? an & ipse summus propter vestem pontificalem, ille verò propter excellentius ministerium? Nam à principio ei dicitur, Ipse tibi quæ ad populum, tu illi quæ ad Exodi 4.16. Deum.

3. Quæri etiam potest, post mortem Moysi quis unguebat successorem summi sacerdotis, qui succedere nisi defuncto non utique poterat? An quia jam unctus erat inter secundos sacerdotes (idem quippe fuit oleum, quo & summus, & secundi unguebantur,) vestem tantùm sumebat ille pontifex, qua ejus summitas appareret. Et si ita est, utrùm ipse sumebat, an eum alius induebat, sicut & post ejus mortem Moyses filium fratris sui? Si ergo ab alio vestiebatur, numquid non poterat à secundo summus? præsertim quia talis erat vestis, ut eum ab alio indui necesse fuerit: an sic induebatur priùs, ut etiam postea? Non enim semel indutus non eam ponebat; aut cùm posuisset, non eam resumebat. Fieri ergo fortasse poterat, ut secundi vestirent primum, obsequendo, non excellendo. Unde autem apparebat quisnam filiorum summo sacerdoti succedere deberet? non enim primogenitum, aut majorem Scriptura definivit: nisi intelligamus aliquo divino indicio fieri solere, sive per Prophetam, sive quolibet alio modo quo consuli Deus solet: quamquam ex contentione res provenisse videatur, ut postea propterea fuerint plures summi sacerdotes, quia contendentibus excellentioribus, litis finiendæ causâ pluribus honor ipse tribuebatur.

Quæst. XXIV. Levit. 8.35. Quid est quod dicit Moyses ad Aaron & filios ejus, cùm sanctificantur ad ineundum sacerdotium, *Ad ostium tabernaculi testimonij sedebitis septem dies, die & nocte, ne moriamini?* Numquidnam credibile est, situ corporis uno loco sedere præceptos per dies septem die & nocte, unde se omnino non commoverent? Nec tamen hinc tamquam allegoricè aliquid significatum, quod non fieret, sed intelligeretur, cogendi sumus accipere; sed potiùs agnoscere locutionem Scripturarum, ubi sessionem pro habitatione & commoratione ponit. Non enim quia dictum est de Semei quòd sederit in Jerusalem 3. Reg. 2.38. annos tres, ideo putandum est per totum illud tem-

[a] Editi, *immunda*. MSS. melioris notæ, *munda*.

pus in sella sedisse, & non surrexisse. Hinc & sedes dicuntur, ubi habent commorationem quorum sedes sunt: habitatio quippe hoc nomen accepit.

Quæst. XXV. Levit. 9. 1. Et *factum est, die octavo vocavit Moyses Aaron, & filios ejus, & senatum Israël.* Quem quidam nostri *senatum* interpretati sunt, γερουσίαν Græcus habet: hoc est ergo secutus interpres, quia & senatus à senio videtur dictus. Non autem aptè in Latino diceretur, Vocavit senectutem Israël, pro senibus vel senioribus: quamvis eadem locutio esset si diceretur, Vocavit juventutem Israël, pro juvenibus. Sed hoc usitatum est in Latina lingua, illud autem non est. Nam hoc propriè diceretur, si diceretur, Vocavit senectutem Israël. Unde quidam insolenter putantes etiam *senatum* dici, interpretati sunt *ordinem seniorum*. Compendio tamen forsitan meliùs diceretur, Vocavit seniores Israël.

Quæst. XXVI. Levit. 9. 3. & 4. 1. Moyses dicit ad Aaron, *Et senatui Israël loquere dicens, Accipite hircum ex capris unum pro peccato, & arietem & vitulum & agnum anniculum in holocarposim sine macula, & vitulum à bobus, & arietem in sacrificium salutaris ante Dominum, & similam conspersam in oleo; quoniam hodie videbitur Dominus in vobis.* Quatuor genera sacrificiorum de animalibus superiùs commendavit, holocausti, pro peccato, salutaris, & consummationis: sed consummationis ad sacerdotis sanctificationem pertinet. Tria ergo genera reliqua hîc præcipiuntur offerri, & dicitur hoc senioribus Israël, ut pertineat ad universum populum. Sed hoc loco sacrificium pro peccato habet tria pecora, hircum & arietem & vitulum: ad holocaustum verò agnus pertinet: & ad sacrificium salutaris, vitulus & aries. Quapropter non est sic distinguendum, ut pro peccato non intelligatur nisi hircus, tria verò reliqua in holocaustum, id est, aries & vitulus & agnus: sed potiùs tria prima pro peccato, id est, quod dictum est, *Accipite hircum ex capris unum pro peccato, & arietem & vitulum*, subaudiatur pro peccato; & reliquus sit agnus in holocarposim, id est in holocaustum. Quod ideo commonendum à nobis fuit, quoniam posset etiam ita distingui, ut cùm dictum esset, *Accipite hircum ex capris unum pro peccato*, reliqua jam ad holocarposim pertinere dicerentur. Quod verò adjungit, *sine macula*, ad omnia referri potest. Cùm ergo ambiguum sit, quomodo aptiùs distinguatur, illa res adducit ut tria superiora pro Levit. 4.23. peccato intelligantur, quoniam superiùs pro peccato principis hircum jussit offerri; & pro peccato cujusque proprio, cùm peccat ante Dominum, fa- Levit. 5.18. ciendo unum ex his quæ non oportet, præcepit Levit. 4.14. arietem; pro peccato verò universæ synagogæ vitulum. Oportebat ergo ut cùm senatui loqueretur quid universus populus offerre debeat, & hircus jubeatur propter principes, & aries propter proprium uniuscujusque peccatum, & vitulus propter peccatum universæ synagogæ. Aliud est enim quod in populo habet quisque peccatum suum proprium, & possunt habere omnes propria; aliud quando commune peccatum est, quod uno animo fit, & una voluntate ad aliquid multitudine comparata committitur.

2. Quòd verò sacrificia salutaris, vitulum & arietem jubet, hæc jubet quæ præcipua sunt: universi enim populi caussa est. Præcipiens autem antea de sacrificiis salutaris, undelibet jussit offerri, Levit. 3. sive masculum, sive feminam: dum tamen nonnisi de bobus & de ovibus & capris offerrentur. Si autem quæritur, quare duo præcepit, vitulum & arietem, difficile est invenire: nisi fortè vitulum voluit sacrificium salutaris universi populi; arietem autem pro unoquoque tamquam pro singulis quibusque: quia videtur etiam superiùs quasi duo genera salutaris sacrificij præcepisse; unum quod velut universorum esset, appellavit sacrificium salutaris: alterum autem ubi dixit, *Si quisque obtulerit sacrificium* Levit. 7 19. *salutaris sui.* Ubi etiam differentiam reperiebamus, Suprà q. 22. quia in illo quod appellavit salutaris, non commoravit adipem pectusculi offerendum Domino, atque ipsum pectusculum & brachium dextrum danda sacerdoti: sed in illo hoc fieri jussit quod postea dicit sacrificium salutaris sui: quod fortè intelligitur singulorum quorumque privatum, non publicum universorum. Nam & Moyses obtulit sacrificia salutaris, nec dictum est ibi, salutaris sui; credo, quoniam pro populo universo obtulit. Ubi autem universi, ibi & singuli: non autem ubi singuli, continuò ibi universi. Singula enim possunt esse sine universo: universi autem non possunt nisi ex singulis quibuscumque constare. Nam singuli quique congregati vel in summam reputati, faciunt universos.

3. Notandum est sanè, cùm pro populo offeruntur sacrificia, & pro peccato sacrificia jussa esse offerri, & holocaustum, & sacrificia salutaris: pro sacerdote autem oblatum fuisse pro peccato, & ho- Levit. 8. locaustum, & consummationis, non autem salutaris: sed consummationis tunc oblatum est, quando sacerdotes sanctificati sunt ut sacerdotio fungerentur, & hæc obtulit Moyses pro Aaron & filiis ejus: postea verò Aaron ipse jam sanctificatus & sacerdotio fungens, offerre pro se jussus est vitulum pro Levit. 9. 2. peccato, & arietem in holocaustum. Non autem jussus est pro se offerre consummationis, quia tunc ideo oblatum est, ut consummaretur sanctificatione, & sacerdotio fungi posset, quo jam quoniam fungebatur, non opus erat eum iterum consummari.

Quæst. XXVII. Levit. 9. 7. 1. Et *ait Moyses ad Aaron, Accede ad altare, & fac quod pro peccato tuo, & holocaustum tuum: & exora pro te & domo tua.* Mirum est quomodo priùs dicat faciendum quod pro peccato, deinde holocaustum, cùm sacrificia pro peccatis super holo- Levit. 4.35. causta superiùs jubeat imponi, excepto quod de avibus præcepit. An fortè hîc quod priùs fiebat, Levit 5. 8. id est holocaustum, posteriùs commemoravit? Non enim quemadmodum de avibus dixit, Fac priùs illud & postea illud; sed fac illud atque illud: quid autem priùs faciendum sit, indicat superiùs exposita instructio, ubi dicit super holocaustum imponi sacrificium pro peccatis. Quamquam valde moveat quòd etiam ita narrat Scriptura fecisse Aaron quod audivit, ut priùs commemoret eum facere pro peccato, deinde holocaustum. Quod utrùm & ipse priùs fecerit, an priùs hoc Scriptura narraverit quod postea factum est, sicut in multis facere solet, haberetur incertum, nisi quod dixi superiùs legeretur, cùm ageret de sacrificio pro peccato. Ita enim legitur, *Et superponet illud sa-* Levit. 4.35. *cerdos super altare super holocaustoma Domini, & exorabit pro eo sacerdos pro peccato quod peccavit, & dimittetur illi.* Quomodo ergo posset hoc super holocaustoma imponi, nisi holocaustoma priùs imponeretur? Præcepit autem hoc & de sacrificio salutaris, ut super holocaustoma imponeretur: sed quia hoc non ubique dicit, non per omnia sacrifi-

cia salutaris, nec per omnia sacrificia pro peccato, potest forsitan dici, non hoc regulariter fuisse præceptum: sed illic tantummodo ut fieret dictum est, id est in sacrificio salutaris, cùm sit de bobus, ibi enim id præcepit; & in sacrificio pro peccato, cùm sit de femina ex ovibus: cetera verò sive sint salutaris, sive pro peccato, non esse necesse ut super holocausta imponantur.

2. Movet etiam quòd cùm faceret Aaron do-
Levit. 9.15. na populi, quæ suprà commemoravit, non omnia commemorata sunt immolata, quæ fuerant præ-
B dicta: sed tantùm hircus pro peccato & holocaustum, ubi tamen illum agnum non expressit: duo verò alia, quæ ad sacrificia pro peccato potiùs quàm ad holocaustum pertinere diximus, tacuit, id est arietem & vitulum; nisi fortè à parte totum intelligi voluit, ut solo capro commemorato etiam illa subsecuta acciperemus.

3. Cùm de sacrificiis salutaris populi narraret, quemadmodum ea fecerit Aaron, de vitulo & ariete
v. 18. ait, *Et occidit vitulum & arietem sacrificij salutaris*
populi, & obtulerunt filij Aaron sanguinem ad eum,
v. 19. *& adfudit ad altare in circuitu,* * *& adipem qui à vi-*
tulo, & ab ariete lumbum, & adipem tegentem super
ventrem, & duos renes, & adipem qui super ipsos est,
v. 20. *& pinnam quæ est in jocinere,* * *& posuit adipem su-*
v. 21. *per pectuscula, & imposuit adipes ad altare:* * *& pe-*
ctusculum & brachium dextrum abstulit Aaron, ablationem ante Dominum, quomodo præcepit Dominus Moysi. Nunc singulariter, nunc pluraliter loquitur, cùm de duobus animalibus loquatur, vitulo &
D ariete. Quod ergo dicit duos renes, ab utroque animante intelligendum est, atque ita quatuor fiunt, ita & cetera. Quod verò ait, *Et posuit adipes super pectuscula*, cùm ipsa pectuscula non imposuerit altari, sacerdoti enim debebantur cum brachiis dextris, quid sibi vult? An intelligendum est, Et posuit adipes qui sunt super pectuscula? ipsos enim posuit, quos imponeret altari à pectusculis demtos. Nam ita & superiùs præceperat. Denique sequitur, *Et imposuit adipes super altare, & pectusculum & brachium dextrum abstulit Aaron ablationem ante Dominum:* modò singulariter inferens, & pectusculum dicens, utique utrumque ex utroque animante, quæ pectuscula dixerat.

Quæst. XXVIII. Levit. 9.22 Quid est quod ait, *Cùm extulisset Aaron manus super populum, benedixit eos, & descendit, cùm fecisset quod pro peccato, & holocaustomata, & quæ salutaris?* Ubi autem ista fecit, nisi super altare, id est, ad altare stans eique deserviens? Inde ergo descendit ubi stabat. Nimirum illius solutio quæstionis adjuvari
F Lib. 2. q. 113. hoc testimonio videtur, ubi quæsieramus in Exodo quomodo serviri potuerit ad altare, quod erat altum cubitis tribus? Gradum quippe illic intelligere prohibebamur, quia id Deus vetuerat, ne super altare pudenda virilia ministrantis revelarentur, quod utique fieret, si pars altaris gradus esset, id est si compactus adhæreret. Denique ibi hoc vetuit, ubi de altari structili loquebatur, unum enim esset altare cum gradu cujus pars esset gradus, & ideo vetitum est: hîc verò ubi altaris tanta fuerat altitudo, ut
G nisi sacerdos super aliquid staret, aptè ministrare non posset, intelligendum est, quidquid illud erat, quod ad horam ministrationis ponebatur & auferebatur, non fuisse altaris partem, & ideo non fuisse contra præceptum, quo gradum habere prohibitum est: hoc autem qualecumque fuerit, tacuit Scriptura, & ideo quæstio facta est. Sed nunc cùm
A dicit Scriptura, sacerdotem cùm fecisset sacrificia descendisse, hoc est cùm immolata imposuisset altari, utique manifestat alicubi eum stetisse unde descenderet: & quia ibi steterat, ideo trium cubitorum altari ministrando deservire potuisse.

Et *vidit omnis populus, & amens factus est.* Quod alij interpretes dixerunt, *expavit*, conantes transferre de Græco, quod dictum est, ἔξεστη, unde ἔκστασις dicitur, qui sæpe in Scripturis Latinis legitur mentis excessus. Quæst. XXIX. Levit. 9.24.

Et *exiit ignis à Domino, & devoravit quæ erant super altare, holocaustomata, & adipes.* Quid dixerit, *à Domino*, quæri potest, utrùm quia nutu & voluntate Domini factum est, an ab eo loco ignis exiit ubi erat arca testimonij. Non enim in loco aliquo ita est Dominus, quasi alibi non sit. Quæst. XXX. Levit. 9.24.

Postea quam exeunte igne à Domino, incensi & mortui sunt filij Aaron, qui ausi sunt in batillis suis adhibito igne alieno incensum imponere Domino; quod ideo non licebat, quia ex illo igne
C qui divinitus in altare venerat deinceps custodito, omnia erant accendenda quæ in tabernaculo accendi oportebat: mortuis ergo illis ait Moyses, *Hoc est quod dixit Dominus dicens, In eis qui mihi appropinquant sanctificabor, & in omni synagoga glorificabor:* eos appropinquare Domino volens intelligi, qui in tabernaculo sacerdotio fungebantur; sanctificari autem in eis etiam vindicando, sicut factum est. Utrùm ut hinc sciretur, quàm minùs aliis parcat, si illis non parcit: quo sensu dictum est, Si ju- 1. Pet. 4 18.
D stus vix salvus erit, peccator & impius ubi parebunt? An potiùs secundùm illud, Cui plus datur, Luca 12.
plus exigitur ab eo? & illud, Servus qui non cog- 48.
novit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, Ibid. 47.
vapulabit pauca: servus autem qui cognovit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa? & illud, Exiguo enim concedetur miseri- Sap. 6. 7.
cordia, potentes autem potentiora tormenta patientur. Sed ubi hoc dixerit Dominus, quod eum dixisse Moyses commemoravit, in Scriptura quæ
E retrò est non invenitur. Tale ergo est hoc, quale in Exodo, ubi dicit Domino, Tu dixisti, Scio te Exod. 33.12.
præ omnibus: quod invenitur quidem Dominus ei dixisse, sed postea: sed quoniam mendaciter numquam hoc Moyses diceret, intelligitur id ei etiam antè dixisse, quamvis scriptum non fuerit: ita & hoc. Unde apparet non omnia scripta esse, quæ Deus locutus est eis, per quos nobis sancta Scriptura ejus ministrata est.

Quid est quod Aaron & reliquos filios ejus Quæst. XXXII. Levit. 10.6.
F mortem illorum duorum lugere prohibens dicit, *Caput vestrum cidarà non denudabitis*, ubi certè ostendit cidaras tegmina capitum fuisse; nisi quia illa faciebant lugentes, quæ consuetudini ornatus essent contraria? Sicut enim in nostra consuetudine, quia caput apertum magis habetur, operitur in luctu: sic quia illi operimento capitis ornabantur, nudandum erat lugentibus. Quod ideo prohibet, ne lugerent eos, in quorum pœna sanctificatus est Dominus, id est commendatus est timor ejus. Nec
G ideo quia lugendi non erant; nam permittit alios lugere illos: sed quia illi lugere tunc non debebant, cùm dies sanctificationis eorum agerentur, nondum completis septem, quibus eos præcepit de tabernaculo non abscedere. Quamquam possit videri, quia illo oleo fuerant sanctificati, hoc dictum esse quòd numquam quemquam lugere deberent. Ita enim dicit, *Fratres autem vestri omnis domus* Ibidem.

Israël plorabunt incendium, quo incensi sunt à Domi-
A *no.* * *Et ab ostio tabernaculi testimonij non exibitis, ne*
v. 7. *moriamini: oleum enim unctionis, quod est à Domino,*
super vos est.

Quæst. XXXIII. Levit. 10.9. Et *locutus est Dominus ad Aaron dicens: Vinum & siceram non bibetis tu & filij tui tecum, cùm intrabitis in tabernaculum testimonij, aut cùm accedetis ad altare, & non moriemini.* Quando ergo eis bibere licebat, quandoquidem in tabernaculum eis quotidie necesse erat introire & accedere ad altare, propter continuam servitutem? Quòd si quisquam dicit, non omni die sacrificia imponi solere, quid di-
B cet de ingressu in tabernaculum, qui quotidianus erat propter candelabrum & panes propositionis super mensam ponendos? Si autem respondetur, *in tabernaculum testimonij* nunc quod ait, illud esse intelligendum ubi erat arca testimonij, etiam illuc necesse erat intrare summum sacerdotem propter incensum continuationis. Non enim semel in anno intrabat, sed cum sanguine purificationis semel in anno, propter incensum autem quotidie. An in-
C telligendum est, Deum præcepisse, ut vinum omnino non biberent? Cur ergo non ita præcepit potiùs ut breviter diceret, *Vinum non bibetis*; sed addidit, *cùm intrabitis in tabernaculum, aut cùm accedetis ad altare?* An quia caussa non bibendi tacenda non erat, maximè quia Deus præscius erat futuros postea tam multos etiam summos sacerdotes uno tempore, id est non per successionem, qui tabernaculo & sacrificiis & incenso & universo illi ministerio vicibus deservirent; quando utique illi non bibebant,
D quorum locus erat deserviendi, alij autem bibebant? An quid aliud hoc loco intelligendum est? Quoniam cùm vinum & siceram sacerdotes bibere pro-
Ibidem. hiberet, secutus ait, *Legitimum æternum in progenies vestras:* ambiguum est utrùm superiori sensui connectatur, id est, ad vinum non bibendum perti-
v. 10. neat; an inferiori ubi sequitur, *Distinguere inter medium sanctorum & contaminatorum, & inter medium mundorum & immundorum: & instruere filios Israël omnia legitima, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi:* ut hoc sit officio sacerdotum legiti-
E mum æternum in progenies eorum. Quomodo autem dicat *æternum*, jam sæpe diximus. Hoc quoque ambiguè positum est quod ait, *Distinguere inter medium sanctorum & contaminatorum, & inter medium mundorum & immundorum*; utrùm ab eo quòd sunt sancta & munda, vel inquinata & immunda; an ab eo quòd sunt sancti & mundi, vel inquinati & immundi: id est utrùm inter illa ipsa sacra, quæ ritè vel non ritè fierent, distinguere voluit sacerdotes; an inter ipsos homines probandos vel improbandos;
F an potiùs ad utrumque referendum est, sive homines, sive sacra.

Quæst. XXXIV. Levit. 10.14. Pectusculum[1] *segregationis & brachium ablationis manducabitis in loco sancto.* Quamvis singula singulis data sint, nimirum tamen utrumque posset dici segregationis, quia utrumque sacerdoti separatur; & utrumque ablationis sive demtionis, quod Græcè dicitur ἀφαίρεμα, quia utrumque
G demitur & aufertur eis, pro quibus offertur, ut detur sacerdoti. Pectusculum sanè impositionis superiùs legimus, & brachium ablationis; quia de brachio nihil imponebatur altari, adeps autem de pectusculo imponebatur.

Quæst. XXXV. Levit. 10. 14. Quid est quod dicit, *De sacrificiis salutarium*, cùm ea dicat quæ alibi dixit *sacrificia salutaris*; & cum singulari numero id dixit *sacrificium salutaris*,
A cùm de eadem re diceretur? An fortè hoc loco ubi ait, *A sacrificiis salutarium*, sanitatum dici debuit? Nam in illo Psalmo ubi dictum est, Exau- Psal. 64. 6.
di nos Deus sanitatum nostrarum, hoc verbum habet Græcus quod etiam hoc loco, id est σωτηρίων: qui genitivus pluralis in Græca lingua ambiguus est, utrùm à salute, an à salutari nomen declinatum sit: quoniam σωτηρία dicitur salus vel sanitas, unde fit genitivus pluralis τῶν σωτηριῶν; salutare autem σωτήριον dicitur, & inde genitivus pluralis idem ipse est. Si ergo rectè potest intelligi etiam sacrificium salu-
B tis quod est sacrificium salutaris, quoniam à salutari salus datur, & illud est salutare unde salus accipitur; non est necesse ut tamquam multorum salutarium sacrificia hîc intelligamus, ubi dictum est *sacrificiis salutarium*, sed multarum forsitan sanitatum, quæ tamen ab uno salutari accipiuntur. Quod sit autem Psal 115 13.
salutare Dei, de quo dictum est, Calicem salutaris accipiam, & de quo Simeon dicit in Evangelio, Quo- Luc. 2. 30.
niam viderunt oculi mei salutare tuum: fides Christiana novit. Possunt sanè non absurdè intelligi vel
C dici etiam sacrificia salutaria, quæ sunt salutaris.

1. Et *erit tibi & filiis tuis & filiabus tuis legiti-* Quæst. XXXVI. Levit. 10.15.
mum sempiternum. Non frustra est additum, *filiabus:* quoniam quædam ad escas pertinentia sacerdotum prohibet à feminis accipi, sed à masculis jubet.

2. Cùm quæsisset Moyses caprum oblatum pro v. 16.
populi peccatis, & non invenisset, quoniam fuerat incensus, & iratus esset, quòd ea quæ pro peccato à populo offerrentur, constituit Dominus sacerdotibus edenda, oblatis inde adipibus & renibus; ira-
D tus autem esset non fratri suo, sed filiis ejus, credo quòd ad eos suggerendi ministerium pertineret: respondit illi Aaron & ait, *Si hodie obtulerunt ea quæ* v. 19.
pro peccato illorum sunt, & holocausta sua ante Dominum, & contigerunt mihi talia, & comedam quod est pro peccato hodie, numquid placitum erit Domino?
* *Et audivit Moyses, & placuit illi.* Hoc videtur di- v. 20.
xisse Aaron, quòd ipso die quo primùm obtulerant filij Israël pro peccato suo, non debuit à sacerdotibus manducari, sed totum incendi, non inde regu-
E lam faciens ad cetera; nam deinceps sacrificia pro peccatis ipsi edebant: sed quia hoc primum fuit ipso primo die primitus oblatum, credendum est Aaron sacerdotem hoc divina inspiratione dixisse, ut & illud circa sacerdotes deinceps servaretur quod præceperat Dominus Moysi, & hoc quod Aaron dixit tamquam divinitus dictum Moyses approbaret. Quid ergo de ceteris ejusdem diei sacrificiis, id est de ariete & vitulo, quæ diximus etiam ipsa pro peccato oblata debere intelligi? An de vitulo nulla
F quæstio est, quoniam oportebat sic fieri, ut de ejus sanguine quemadmodum præceptum fuerat intromitteretur, unde & tangerentur cornua altaris incensi, & consequens erat ut totus arderet? Quid ergo de ariete? An quoniam primum caprum quæsivit Moyses, quod de capro illi responsum est, hoc & de ariete intelligendum est, quem ex ordine fuerat quæsiturus, nisi illud responsum sacerdotis ei placuisset? De vitulo autem quid quæreret, cùm ea lege fieri potuerit, quam de vitulo pro peccato universæ Levit. 4. 12.
G synagogæ præceperat Deus, sicut de vitulo pro pec- & 21.
cato sacerdotis, id est ut totus arderet extra castra? Hæc enim sunt verba irascentis Moysi ad filios fratris sui, cùm hircum pro peccato quæsitum non invenisset, quia fuerat totus incensus. *Quare non co-* Levit. 10.
medistis illud quod fuit pro peccato in loco sancto? * *Quo-* 17.
niam enim sancta sanctorum sunt, hoc vobis dedit edere, v. 18.

ut auferatis peccatum synagogæ, & exoretis pro eo ante A *Dominum. Non enim illatum est à sanguine ejus in sanctum ante faciem intus. Edetis illud in loco sancto, quomodo mihi constituit Dominus.* Utique cùm dicit, *Non enim illatum est à sanguine ejus in sanctum ante faciem intus*, procul dubio discernit illud quod ita fit pro peccato sacerdotis, sive pro peccato universæ synagogæ, non de hirco, de quo sanguis quoniam non erat jussus inferri ad tangenda cornua intus altaris incensi, non debuit totus incendi, sed à sacerdotibus manducari. Hoc autem quare sit factum, B id est ut etiam ipse totus incenderetur, respondit Aaron, & placuit Moysi.

3. Sanè quoniam sex pecora præcepta fuerunt senioribus populi ut offerrentur pro populo, quorum priùs quatuor commemoravit, hircum, & arietem, & vitulum, & agnum anniculum; quorum manifestum est hircum pro peccato, manifestum est etiam agnum anniculum in holocaustum; duo verò media, arietem & vitulum, ambiguè posita videramus, utrùm ad sacrificium pro peccato C pertinerent, & hirco adjungerentur, an potiùs agno ut in holocaustum offerrentur, unde quid nobis videretur, suo loco exposuimus: postea verò ut sex animalia complerentur, vitulum & arietem commemoravit in sacrificium salutaris; nec tamen in consequentibus cùm immolata sunt, & idemtidem commemorata, fit mentio pecorum ipsorum arietis & vituli, quæ inter caprum & agnum posuerat, sed tantùm ille vitulus & ille aries commemorantur, quos in sacrificium salutaris offerri jusse- D rat, ut jam non sex pecora, sed potiùs quatuor fuisse credantur: potest fortassis intelligi, quòd duo illa, quæ priùs inter hircum & agnum posuerat, iterum nominavit, & non est alius vitulus & alius aries in sacrificium salutaris: ut cùm dixisset hircum pro peccato, & arietem & vitulum non dicens in quid, id est in quam rem, agnum verò anniculum in holocaustum; postea dicere voluerit quid de vitulo & ariete faciendum esset, id est quia neque pro peccato sicut hircus, neque in holocaustum sicut E agnus, sed in sacrificium salutaris jubebantur inferri. Sed si hoc intellexerimus, manebit quæstio,
Levit. 10. 16. quare pro peccato synagogæ hircus oblatus sit, cùm de sacrificiis quæ pro peccatis offerenda essent ab initio Dominus loquens, vitulum offerri
Levit. 4. 14. jusserit pro peccato synagogæ, sicut pro peccato
v. 3. sacerdotis, non caprum, sed vitulum; de quo vitulo etiam sanguinem, similiter ut pro peccato sacerdotis, ad tangenda cornua altaris incensi præcepit inferri; & quæ caussa fuerit, ut pro peccato F
Levit. 8. 15. Aaron, & Moyses vitulum offerret, & ipse Aaron
Levit. 9. 8. alterum vitulum, sicut pro peccato sacerdotis secundùm Dei præceptum offerri oportebat; pro peccato autem populi non vitulus, sicut præceptum fuerat, sed hircus potiùs offerretur? Quod cùm moveret, visum est nobis, ut suprà diximus, quòd non solus hircus pro peccato populi, sed & aries & vitulus offerri jussus est, ut ad ista tria subaudiatur, pro peccato: quia & principes erant in populo, pro quibus hircus fuerat offerendus; & G singuli quique habere propria peccata potuerunt, pro quibus aries; & unum aliquod peccatum omnes, pro quo vitulus, sicut ab initio præceptum fuerat, pro peccato universæ synagogæ vitulum offerri oportebat. Ideo autem cùm immolata sunt, hircus tantummodo nominatur, ut alia etiam tacita intelligerentur, locutione à parte totum, quia omnia fuerant pro peccatis.

Quaest. XXXVII. Levit. 11. 33. Cum ageret de morticinis immundorum animalium, *Et omne vas fictile*, inquit, *in quo ceciderit ex eis* [a] *intus, quæcumque sunt intus immunda erunt; & illud conteretur*, id est, ipsum vas. *Et omnis cibus* (*v. 34.*) *qui manducatur, in quemcumque venerit super illum* B *aqua, immundus erit vobis.* Non quæcumque aqua intelligenda est, quæ supervenerit cibo, facit eum immundum: sed ex illo vase quod factum est immundum de morticinis immundis, si fortè ipsum vas habuit aquam.

Quaest. XXXVIII. Levit. 11. 47. [b] Instruere *filios Israël inter vivificantia quæ manducantur, & inter vivificantia quæ non manducantur:* quæ Græcus habet ζωογονοῦντα, nostri quidam *vivificantia* interpretari maluerunt, quia (*Vivipara.* b) utcumque hoc verbum noster usus recepit, quàm C facere novum insolitum, si dici posset vivigignentia. Non enim quæ vivificant, id est vivere faciunt, sed quæ vivos fetus gignunt, id est non ova, sed pullos, dicuntur ζωογονοῦντα.

Quaest. XXXIX. Levit. 12. 4. Quid est quod ait de muliere quæ peperit, *Omne sanctum non tanget, & in sanctuarium non introibit?* Quod sanctuarium vult intelligi, cùm legatur in tabernaculum nonnisi sacerdotes solere ingredi, & usque ad velum interius secundum; ultra velum autem ipsum ubi erat arca, nonnisi unum D summum sacerdotem? An & ante tabernaculum, ubi erat altare sacrificiorum, sanctuarium dici potuit? Nam sæpe appellatur locus sanctus etiam ipsum atrium, cùm dicitur, *In loco sancto edent ea.* (*Levit. 6. 36.*) Illuc fortassis solebant intrare mulieres, quando offerebant dona sua, quæ imponerentur altari.

Quaest. XL. Levit. 12. 2. 3. &c. 1. Quid est quod dicit, *Si masculum pepererit mulier, immunda erit septem dies, secundùm dies secessionis purgationis ejus immunda erit, & in die octavo circumcidet carnem præputij ejus, & triginta &* E *tres dies sedebit in sanguine suo mundo. Omne quod sanctum est non continget, & in sanctuarium non introibit.* Quæ differentia est inter septem dies illos quibus dicit eam immundam, & triginta-tres quibus in sanguine suo mundo sedebit. Si enim jam immunda non est per triginta-tres dies, quare non tangit quod sanctum est? An hoc adhuc interest, quia in sanguine est, licèt mundo; ut hoc distet, quia cùm immunda est, ubicumque etiam sederit, immundum facit; cùm verò jam in sanguine mundo F sedet, tantùm quod sanctum est non ei licet tangere, & in sanctuarium intrare. Hoc est enim quod ait, *secundùm dies secessionis purgationis suæ*, quod dicit alio loco, immunditiam feminæ quæ men- (*Levit. 15. 19.*) struis purgatur, septem dierum esse, quando omne super quod sederit immundum erit. *Secessionis* autem dicit, quoniam secedebat aliquantum, ne omnia coinquinaret, cùm perageret illos dies. Hos dies immunditiæ ejus, si feminam pareret, Lex duplicabat, & quatuordecim faciebat: reliquos autem qui- G bus sedebat in sanguine mundo suo, etiam ipsos duplices jusserat observari, id est sexaginta-sex, ut omnes essent in partu masculi quadraginta, in feminæ octoginta. Aliqui autem codices Græci non

[a] Hîc in editis deest, *intus:* quod in MSS. & apud LXX. habetur.

[b] Editi, *Instrue.* At MSS. *Instruere:* sicuti legendum conjiciebat Nobilius in adnotationibus ad Levit. 11. ubi insuper monet verba isthæc καὶ συμβιβάζειν τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ, quæ quidem hodie LXX. in excusis non habent, reperiri in aliquot codicibus inserta versiculo 47. proximè ad illud ἀναμέσον τῶν ζωογονούντων.

habent, *in sanguine mundo suo*, sed *in sanguine im-* A *mundo suo.*

Levit. 12. 6. 2. *Et cùm adimpleti fuerint dies purgationis ejus super filio aut super filia, offeret agnum anniculum sine* (a) *macula in holocaustum, & pullum columbinum* [a] *aut turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonij ad* (*v. 7.*) *sacerdotem:* * *& offeret eum ante Dominum, & exorabit pro ea sacerdos, & purgabit eam à fonte sanguinis ejus. Ista lex ejus quæ peperit masculum aut feminam.* (*v. 8.*) * *Si autem non invenerit manus ejus quod satis est in agnum, & accipiet duos turtures, aut duos pullos co-* B *lumbinos, unum in holocaustum, & unum pro peccato: & exorabit pro ea sacerdos, & purgabitur.* Rectè ergo superiùs non legendum est, *Offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum*, aut *pullum columbinum aut turturem pro peccato*, sicut nonnulli codices habent; sed sicut dictum est, *& pullum columbinum aut turturem pro peccato:* quandoquidem postea dicit, *Si non invenerit manus ejus quod satis est ad agnum, & accipiet duos turtures:* ubi plus videtur habere *&*; nam ea conjunctione detracta, integrè C sequitur, *accipiet duos turtures aut duos pullos columbinos*, unam avem scilicet in holocaustum, alteram pro peccato.

3. Sed quo peccato, numquid peperisse peccatum est? An hîc ostenditur illa propago ex Adam,
Rom. 5. 16. unde Apostolus dicit, Ex uno in condemnationem:
Ibid. 12. & quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit? Et hîc satis apparet quemad-
Psal. 50. 7. modum dictum sit, Ego enim in iniquitatibus con- D ceptus sum, & in peccatis mater mea in utero me aluit. Cur ergo non illud quod natum est purgari dicit Scriptura per hoc sacrificium, sed ipsam quæ peperit? An ad ipsam quidem, unde illa origo trahebatur, relata purgatio est propter sanguinis fontem: non poterat tamen sine ipsius fetus purgatione fieri, qui ex ipso sanguine exortus est? Nam quò pertinet quod superiùs ait, *Super filio, aut super filia offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, & pullum columbinum aut turturem pro pec-* E *cato*, si nihil per hoc sacrificium fiebat pro eis qui nascebantur?

4. Quod si quisquam ita distinguere conabitur, ut dicat non esse jungendum, *Super filio aut super filia offerre agnum anniculum sine macula in holocaustum, & pullum columbinum pro peccato*; sed ita potiùs legendum, *Et cùm adimpleti fuerint dies purgationis ejus super filio aut super filia*, id est dies purgationis impleti fuerint super illo aut super illa, filio scilicet vel filia; ut deinde ab alio sensu sequatur, F *Offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, & pullum columbinum pro peccato*, id est, pro peccato suo, cùm completi fuerint dies purgationis ejus super filio aut super filia: quisquis ergo ita distinguendum putaverit, ex Evangelio convincetur, ubi cùm tale aliquid nato ex virgine Domino facerent, magis propter consuetudinem Legis, quàm propter necessitatem alicujus in eo ex-
Luc. 2. 27. piandi purgandique peccati, sic legitur, Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut face- G rent secundùm consuetudinem Legis pro eo: non dictum est, pro matre ejus, sed pro eo; quamvis ea fierent, quæ hoc loco præcepta sunt de duobus turturibus aut duobus pullis columbinis. Sic enim baptizari ipse etiam dignatus est baptismo Johannis, (*Matth. 3. 13.*) qui erat baptismus pænitentiæ in remissionem peccatorum, quamvis nullum haberet ille peccatum. Meritò ergo quidam nostri ita interpretati sunt etiam istum in Levitico locum, ut non dicerent *super filio aut super filia*, sed *pro filio aut pro filia*. Hanc enim vim hujus præpositionis esse intellexerunt hoc loco, ubi Græcus ait, ἐφ᾽ υἱῷ ἢ ἐπὶ θυγατρί. Sanè advertendum est, quàm pauper Dominus nasci voluerit, ut non pro illo offerretur agnus & pullus co- B lumbinus aut turtur, sed par turturum aut duo pulli columbini, sicut in Evangelio legitur: quod (*Luc. 2. 24.*) Scriptura Levitici tunc jussit offerri, si non habuerit manus offerentis quod satis est in agnum.

Quaest. XLI. Levit. 13. 2. Homini *si cui facta fuerit in cute corporis ejus cicatrix signi lucida, & fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ.* Velut exponendo dixit posteriùs, unde quod primùm dixerat intelligeretur, quoniam dixerat, *Homini si cui facta fuerit in cute corporis ejus cicatrix signi lucida*, ne cicatricem sic intelligeremus, quo- C modo solet esse vestigium sanati vulneris, aperuit hoc se de colore dicere, cùm adjunxit, *Et fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ.* Quidquid ergo illud est, coloris vitium est, quod nomine cicatricis appellat. Quod verò ait, *tactus lepræ*, non quòd tactu color sentiatur, sed ita dicit tactum lepræ, tamquam ipse homo vel corpus ejus leprâ sit tactum, hoc est maculatum atque vitiatum: sicut dici solet, Tetigit eum, vel non tetigit febris. Denique ipsam maculam, tactum vocat, & eam semper isto nomine ap- D pellat. Unde nonnulli nostri non *tactum*, sed *maculam* interpretati sunt: quo nomine quidem planiùs videretur sonare quod legitur; sed potuit & Græcus non dicere ἁφὴν, id est *tactum*, sed μῶμον, id est *maculam*, unde ἄμωμον dicit immaculatum: quamquam non ab illo solo, quod in colore contingit, sed ab omni vitio purum solet Scriptura ἄμωμον dicere; unde non maculam coloris, sed omnis vitij notam vult intelligi, quod μῶμον appellat. Posset ergo quod ad solum colorem adtinet E σπῖλον dicere; quo verbo usus est Apostolus, ubi ait de Ecclesia, Non habentem maculam aut rugam. (*Ephes. 5. 27.*) Nec μῶμον autem, nec σπῖλον dixit, sed ἁφὴν, id est tactum: quod & in Græca lingua inusitatè dicitur in coloribus; & tamen hoc Septuaginta interpretes non piguit Græcè dicere; cur ergo Latinos piguerit? Quod autem dicitur *cicatrix signi*, vel ideo dicitur, quòd significet aliquid; vel ideo potiùs, quòd ipsum hominem signo quodam discernit à ceteris, hoc est notabilem reddit.

Quaest. XLII. Levit. 13. 3. F Quid est quod ait, *Et videbit sacerdos, & inquinabit eum?* ad quem veniet ut mundetur. Sed *inquinabit* dictum est, inquinatum pronuntiabit, si hæc in eo viderit, quæ Scriptura dicit de macula lepræ.

Quaest. XLIII. Levit. 13. 4. Si *autem lucidus albus erit in cute coloris ejus, & humilis non fuerit adspectus ejus à cute. Lucidus albus* subauditur tactus, id est, illa macula coloris, non pilus. Quod postea dicit, *Si autem conversa mutata* (*v. 7.*) *fuerit significatio in cute:* hanc dicit significationem, quod superiùs * *signum* in Latino legitur. Nam (** v. 2.*) G Græcus & suprà & hîc uno eodemque verbo usus est, σημασίαν dicens.

Quaest. XLIV. Levit. 13. 5. & 6. Et *segregabit illum sacerdos septem diebus in secundo: & videbit illum sacerdos die septimo in secundo: & ecce obscurus tactus non est conversus tactus in cute; &*

[a] Editi pluresque MSS. hîc & infrà tertio loco, *& turturem.* Corbeiensis codex & unus è Vaticanis, *aut turturem.* Cui lectioni suffragantur LXX. & versio Vulgata: neque porrò adversatur Augustinus, uti Nobilio perperam videbatur. Postea quippe codices nonnullos reprehendit S. Doctor, non quia *aut turturem*, sed quia *aut pullum columbinum*, pro *& pullum* &c. exhiberent.

purgabit eum sacerdos: signum enim est: hoc est, purgatum eum pronuntiabit; non enim est lepra, sed signum.

Quæst. XLV. Levit. 13.7.

Si autem conversa mutata fuerit significatio in cute postea quàm vidit illum sacerdos ut purget: & visus fuerit denuo sacerdoti, & viderit eum sacerdos, & ecce commutata significatio in cute; & inquinabit eum sacerdos: lepra est. Etiam hîc inquinabit dixit, inquinatum pronuntiabit: & autem plus habet, ex more locutionis Scripturæ. Hoc itaque videtur admonuisse, ut cùm visus fuerit solus color albus & lucidus, discolor sano colori, adhuc probetur à sacerdote, ut si viderit etiam pilum mutatum in album colorem, & humiliorem factum cutis locum, in quo est albus color, tunc pronuntiet lepram, id est in-
v. 4. quinet hominem pronuntiando leprosum. Si autem, inquit, lucidus albus fuerit in cute coloris ejus, id est lucidus albus fuerit ille tactus; quo nomine eamdem maculam appellat: & humilis non fuerit adspectus ejus à cute; & pilus non erit conversus in album, ipse autem est obscurus, id est ipse pilus, quia non est
v. 5 albus: & segregabit sacerdos tactum septem dies: * & videbit sacerdos tactum die septimo, id est illam maculam: & ecce tactus manet ante eum; non commutatus est tactus in cute, id est non est discolor & dissimilis inventus à cute. Ergo sanatum est quod vitiosum erat: sed adhuc jubet probari eamdem sanitatem per alios septem dies, atque ideo sequitur & di-
Ibidem. cit, Et segregabit illum sacerdos septem dies in secundo,
v. 6 id est septem alios dies: & videbit illum sacerdos die septimo in secundo: & ecce obscurus tactus, id est quia non albus & lucidus, ac per hoc concolor sano colori: non est mutatus tactus, in cute, sicut & paulò antè dixit, hoc est non est dissimilis à cetera cute: & purgabit eum sacerdos, id est purgatum pronuntiabit à suspicione lepræ; non quòd habuerit lepram, quam jam non habet, sed quoniam lepra non fuit, quod in illo lucido & albo colore tactûs, id est maculæ illius quæ apparuerat, cùm exspectaretur utrùm humilior fieret locus, & pilus illic in album converteretur, non contigit, sed potiùs ille tactus qui fuit antè lucidus & albus, obscurus inventus est, id est similis cetero colori, non lucidus: non
Ibidem. erat ergo lepra, signum est enim, non lepra, quod sic apparuerit: tamen etiam propter hoc purgatus à suspicione lepræ, lavabit vestimenta sua; quia & in illo signo aliquid fuit, propter quod lavanda fuerant vestimenta; & mundus erit.

Quæst. XLVI. Levit. 13. 7.

Deinde sequitur, Si autem conversa mutata fuerit significatio in cute, postea quàm vidit illum sacerdos ut purgaret illum: id est postea quàm vidit eum sacerdos septimo die priùs sanum, ut purgaret illum, mutata est illa significatio, id est illud signum in cute: & visus fuerit in secundo sacerdoti, id est post alios septem dies: & viderit eum sacerdos, & ecce commutata est significatio in cute, id est non stetit in illa sanitate, in qua eum viderat post pri-
v. 8. mos septem dies. Et inquinabit illum sacerdos: lepra est. Jam hîc quoniam illud quod visum fuerat post
* f. in sano. primos septem dies sanum, non stetit in * suo, sed mutatum est in pristinum vitium, lepra pronuntiatur: ita ut non illic exspectetur vel locus humilior, vel pilus in album conversus. Cùm enim lepra non sit notabilis atque vitiosa nisi varietas; hoc ipsum de vitioso colore redire ad sanum, & de sano redire ad vitiosum, ita notabile est, ut non ibi fuerit exspectandum, quod in primo exspectari præceperat, de humiliori loco & pili candore, sed jam etiam ista varietate sine dubitatione sit lepra.

Quæst. XLVII. Levit. 13. 9. & 10.

Deinde sequitur, Et tactus lepræ si fuerit in homine, veniet ad sacerdotem: & videbit sacerdos; & ecce cicatrix alba in cute; & hæc mutavit capillum album, & à sano carnis vivæ in cicatrice. Hinc si subtrahamus, &, more enim locutionis Scripturarum positum est, iste erit sensus, Et videbit sacerdos; & ecce cicatrix alba in cute; & hæc mutavit capillum album à sano carnis vivæ in cicatrice. Ordo est, Mutavit capillum album in cicatrice à sano carnis vivæ: id est, cùm caro viva & sana habeat capillum obscurum, vel nigrum, hæc cicatrix album habet. Lepra veterascens est in cute coloris ejus: & inquina- v. 11.
bit eum sacerdos, id est inquinatum pronuntiabit. Non segregabit eum, quia immundus est: hoc videtur dicere, quia ubi inventus fuerit pilus in album mutatus concolor albo vitio cutis, jam non segregatur, ut probetur; nec exspectatur utrùm etiam humilior fiat locus; sed ex hoc tantùm quòd alba est cutis discolor ceteræ, & album habet pilum discolorem ceteris qui sunt in carne viva & sana, lepra veterascens pronuntiatur: ideo veterascens, quia jam non est probanda illis bis septem diebus. Si autem restitutus fuerit color sanus, & conversus fue- v. 16.
rit albus: quoniam dixerat totum album factum per totam cutem, eo ipso jam mundum esse; quia varietas ibi jam non esset. Deinde ait, Et quacum- v. 14.
que die visus fuerit in eo color vivus, inquinabitur: ubi satis ostendit varietatem improbari. Ac per hoc quod modò dixit, Si autem restitutus fuerit co- v. 16.
lor sanus, & conversus fuerit albus, & veniet ad sacerdotem: * & videbit sacerdos: & ecce conversus ta- v. 17.
ctus in album; & purgabit sacerdos tactum; mundus est. Restitutum colorem sanum, non debemus accipere, ut color sanus esset: etenim ipse erat, per quem tamen fiebat immundus propter varietatem. Restitutum ergo dixit colorem sanum, ut illud esset quod fuerat, id est albus sano pereunte. Tunc enim rursus mundus erit, cùm totus albus fuerit, quia nulla ibi varietas erit. Sed restitutum pro pereunte accipere, nimis inusitata locutio est. Magis enim videtur dicere debuisse, Si autem restitutus fuerit color albus: nunc verò ait, restitutus sanus, & conversus fuerit albus; tamquam diceret, Sanus color si restitutus fuerit in album.

Quæst. XLVIII. Levit. 13.30. * θραῦσμα.

Quid est, quòd cùm de lepra capitis loqueretur, eam etiam * quassationem appellavit, cùm in solo colore fiat, vel cutis vel capillorum, & quòd humilior adspectus ejus à cetera cute appareat, sine dolore tamen & sine ulla vexatione? An hoc quod immundum est quassationem voluit appellare pro plaga, velut hac immunditiâ homo percussus sit?

Quæst. XLIX. Levit. 13. 47. & 48.

Quid sibi vult, quod cùm diceret de lepra vestimentorum aliarumque rerum ad usus hominum pertinentium, ait, Aut in vestimento laneo, aut in vestimento stuppeo, aut in stamine, aut in lana, aut in lineis, aut in laneis: cùm jam suprà dixisset, in vestimento laneo, aut in vestimento stuppeo? Nam stuppeum est utique lineum. An illic vestimenta intelligi voluit; hîc autem quodlibet laneum & quodlibet lineum? Non enim vestimenta sunt stramina jumentorum, cùm sint lanea; aut vestimenta sunt retia, cùm sint linea. Priùs ergo specialiter de vestimentis, deinde generaliter de omnibus rebus laneis & lineis dicere voluit.

Quæst. L. Lev. 13. 48.

Quæritur quid dixerit, In omni operaria pelle: quod nonnulli interpretati sunt, In omni confecta

confecta pelle. Sed non ait Græcus ἐργασμένῳ δέρματι: ait autem ἐργασίμῳ: quod verbum etiam in Regnorum libro positum est, ubi Jonathan loquitur ad
1. Reg. 20. 19. David, Esto in agro in die operaria, id est, in die qua fit opus. Ac per hoc etiam hîc pellem operariam in qua fit opus debemus accipere, id est alicui operi accommodatam. Sunt enim pelles quæ tantummodo ad ornamentum habentur, non ad opus.

Quæst. LI. Levit. 13. 49.

Quid est quod ait, In omni vase operario pellis: nisi quod est ex pelle factum, hoc est in omni vase pelliceo? Hoc autem isto loco vas dicit, quod Græci appellant σκεῦος, hoc enim nomen generale est omnium utensilium. Aliud est autem quod appellatur ἀγγεῖον; nam & hoc Latinâ linguâ vas dicitur: sed ἀγγεῖον, illud magis intelligitur vas quod liquorem capit.

Quæst. LII. Levit. 15. 11. a

Quid est quod ait, Et [a] quemcumque tetigerit, qui fluorem seminis patitur, & manus suas non lavit aquâ, lavabit vestimenta, & lavabit corpus suum aquâ, & immundus erit usque in vesperam? Ambiguè quippe positum est quod ait, manus suas non lavit aquâ, velut postea quàm tetigerit. Sed intelligendum est, quemcumque non lotis manibus tetigerit, ipse quem tetigerit, lavabit vestimenta &c.

Quæst. LIII. Levit. 16. 16.

1. Quid est, quod cùm præciperet quomodo intrare deberet sacerdos summus in sanctum, quod est intra velum, ait inter cetera, Et exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israël, & ab injustitiis eorum, & de omnibus peccatis eorum? Quomodo ergo pro sanctis, si ab immunditiis filiorum Israël & ab injustitiis eorum de omnibus peccatis eorum? An quia non ait, pro immunditiis filiorum Israël, sed ab immunditiis, hoc intelligendum est, Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israël, id est pro eis qui sancti sunt ab immunditiis filiorum Israël, non consentientes immunditiis eorum: non quia pro ipsis tantùm exorandum erat, sed quia etiam pro ipsis, ne quisquam putaret ita fuisse sanctos, ut nihil esset unde pro eis exoraretur, quamvis essent ab immunditiis filiorum Israël & ab injustitiis eorum alieni? De omnibus peccatis eorum, id est, quæ injustitiæ veniebant de omnibus peccatis eorum.

2. Potest & iste esse sensus: Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israël, id est ut hoc pro illis exorari intelligatur, ut ab immunditiis filiorum Israël tuti essent. Sed exorabit non potest accipi, nisi quod alio verbo dicitur, propitiabit. Unde & propitiatorium vocatur, quod alij exoratorium interpretati sunt: Græcè autem dicitur ἱλαστήριον. Et quod hoc loco Latinus ait, Exorabit pro sanctis, Græcus habet ἐξιλάσεται, quod non intelligitur nisi pro peccatis.
Psal. 102. 3. Unde scriptum est in Psalmo, Qui propitius sit omnibus iniquitatibus tuis. Hic ergo aptior sensus est, ut intelligatur sacerdos etiam pro his propitiare Deum, qui sancti sunt ab immunditiis filiorum Israël, & quia licèt ita sancti sint ut immunditiis filiorum Israël & injustitiis non consentiant, habent tamen aliquid propter quod eis necessaria sit propitiatio Dei.

3. Sanè in quodam Græco invenimus, Et exorabit sanctum: non, pro sanctis: & illud quidem sanctum, genere neutro, id est τὸ ἅγιον. Nam posset intelligi, exorabit sanctum Deum, & nulla esset quæstio: quomodo autem possit intelligi, exorabit hoc sanctum, difficile est dicere, nisi fortè illud sanctum quidquid est quod Deus est; quia & Spiritus-sanctus, qui utique Deus est, neutro genere Græcè dicitur τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Et fortè hoc est, si tamen ille codex verior est, qui emendatior videbatur, ἐξιλάσεται τὸ ἅγιον, hoc est, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod Latinè genere neutro dici non potest. Quamvis & in tribus aliis codicibus, uno Græco & duobus Latinis, non invenerimus, nisi quod suprà diximus, Exorabit pro sanctis. Quod potest & sic accipi, ut non pro sanctis hominibus, sed pro iis quæ sancta sunt intelligatur, id est tabernaculo ipso, & quæcumque in eis essent sanctificata Domino: ut hoc sit, Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israël, propitiabit Deum pro iis quæ sanctificata sunt Domino, ab immunditiis filiorum Israël; quia in medio eorum erat tabernaculum. Sic enim sequitur: nam cùm dixisset, Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israël, & ab injustitiis eorum, de omnibus peccatis eorum, continuò subjecit, Et ita faciet taber- Levit. 16. 16.
naculo testimonij quod creatum est in eis, in medio immunditiæ eorum: ut ad hoc necessaria videatur illa propitiatio pro sanctis, id est pro tabernaculo & omnibus quæ in eo sancta dicuntur. Nam & paulò v. 19.
post hoc dicit de altari, quòd adspersione sanguinis mundaret illud sacerdos, & sanctificaret ab immunditiis filiorum Israël.

Quæst. LIV. Levit. 16. 20.

Et perficiet exorans sanctum. Utrùm perficiet sanctum; an exorans sanctum, secundùm id quod suprà diximus: nam & hîc neutro genere Græcè dictum est τὸ ἅγιον. Utrùm ergo exorans Dominum perficiet sanctum, id est perfectè sanctificat quod sanctificat: an perficiet, quod ait, exorans sanctum, id est, illud sanctum quod est τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Quæst. LV. Levit. 16. 10. & 27. b

De duobus hircis, uno immolando, & alio in desertum dimittendo, quem [b] ἀποπομπαῖον vocant, solet esse disceptatio: & à quibusdam ille immolandus in bono accipitur, ille autem dimittendus in malo. Non tamen iste sensus ideo confirmandus est, quia homo in cujus manu in eremum hircus dimittitur, cùm redierit, lavare jussus est vestimenta sua & corpus suum aquâ, & sic ingredi in castra, tamquam & hoc sit indicium cur in malo sit ille hircus accipiendus, à cujus contagione homo abluendus est. Sic enim dicit abluendum & qui alterius hirci vitulique acceperit carnes, & extra castra combusserit; quia ita de illo & de vitulo fieri jubet, de quorum immolatorum sanguine fit adspersio, & sunt pro peccatis: ac per hoc non negligenter istorum duorum hircorum distinctio in allegorica significatione tractanda est. Item cùm constituisset diem decimum [c] septimi mensis sabbato sabbatorum, v. 29. c
quo fieret supradicta purgatio à sacerdote illo uno, qui patri succedit, loquens de eodem sacerdote ait, Exorabit sanctum sancti, quod jam nescio utrùm v. 33.
aliter accipiendum sit, quàm Exorabit in sancto sancti, quodam genere locutionis, in illo scilicet sancto, quò solus ipse summus sacerdos intrabat, quod est intra velum, ubi arca erat testimonij & altare incensi. Non enim eumdem locum tamquam Deum exorabit, sed quia ibi exorabit Deum, ita positum

[a] In editis, quicumque tetigerit: & infrà, quicumque non lotis. In MSS. constanter, quemcumque Porrò apud LXX. legitur, ὅσων ἐὰν ἅψηται, quæcumque tetigerit: fortè per librarios ὅσου mutatum est in ὅσων. Quippe Vulgata versio habet, Omnis quem tetigerit.

[b] Hircus emissarius Græcè ἀποπομπαῖος dicitur apud LXX. Levit. 16. 8. & 10. scilicet juxta Theodoreti observationem in Levit. q. 22. εἰς ἀποπεμπόμενος εἰς τὴν ἔρημον, ut qui emittatur in desertum: hinc enim appellatum esse colligit iis ex verbis Levit. 16. 10. ἀποστέλλει αὐτὸν εἰς τὴν ἀποπομπήν.

[c] Editi, diem decimum septimum mensis. At MSS. septimi mensis: veriùs, ut patet ex LXX. & ex Vulg.

est, *Exorabit sanctum sancti.* Nam & hoc genere neutro in Græco positum est, τὸ ἅγιον τοῦ ἁγίου. An fortè Spiritum-sanctum sancti Dei, hoc est, τὸ ἅγιον πνεῦμα τοῦ ἁγίου θεοῦ? An potiùs *Exorabit* dictum est, Exorando purgabit? Nam sic verba contexit, *Et exorabit sanctum sancti, & tabernaculum testimonij, & altare exorabit, & pro sacerdotibus & pro omni synagoga exorabit.* Quomodo ergo exorabit tabernaculum & altare, nisi (ut dictum est) intelligamus exorando purgabit?

QUÆST. LVI. Levit. 17. 3.

ILLUD quod dicit, *Quicumque occiderit vitulum, aut ovem, aut capram in castris, & quicumque occiderit extra castra, & ad ostium tabernaculi testimonij non adtulerit:* & in hoc constituit peccatum, & comminatur facienti, non de iis dicit quæ occiduntur ad usum vescendi, vel si quid aliud, sed de sacrificiis. Prohibuit enim privata sacrificia, ne sibi quisque quodammodo sacerdos esse audeat; sed illuc afferat, ubi per sacerdotem offerantur Deo. Ita enim nec vanis sacrificabunt: nam & hoc in ea consuetudine cavendum præmonuit. Cùm ergo non liceret offerri sacrificia nisi in tabernaculo, cui templum postea successit; unde & rex Israël Jeroboam (3. Reg. 12. 28.) vaccas facere ausus est, quibus populus sacrificaret, ne hujus legis necessitate seducerentur ab eo qui sub regno ejus erant, dum pergerent Jerusalem ut in templo Dei offerrent sacrificia sua, in quo facto à Domino condemnatus est: meritò quæritur, quomodo licitè sacrificaverit Elias extra templum Dei, quando & ignem de cælo impetravit, & prophetas dæmoniorum convicit (3. Reg. 18. 36.). Quod mihi non videtur alia ratione defendi, quàm illa qua defenditur & Abrahæ factum, quòd filium Deo jussus voluit immolare (Gen. 22. 3.). Cùm enim jubet ille qui legem constituit, aliquid fieri quod in lege prohibuit, jussio ipsa pro lege habetur, quoniam auctor est legis. Non enim deesse possent miracula alia præter sacrificium, quibus superarentur & convincerentur prophetæ lucorum: sed Spiritus Dei qui fuerat in Elia, quidquid in hac re fecit, contra legem esse non potest; quia dator est legis.

QUÆST. LVII. Levit. 17. 10.

1. QUID est quod prohibens edendum sanguinem dicit, *Anima omnis carnis, sanguis ejus est?* Quem totum locum sic explicat, *Et homo, homo filiorum Israël, aut de proselytis qui appositi sunt in vobis, quicumque ederit omnem sanguinem, & statuam faciem meam super animam quæ manducat sanguinem, & perdam illam de populo suo.* (v. 11.) * *Anima enim omnis carnis sanguis ejus est. Et ego dedi illud vobis exorare pro animabus vestris: sanguis enim ejus pro anima exorabit.* (v. 12.) * *Propterea dixi filiis Israël, Omnis anima ex vobis non edet sanguinem, & proselytus qui appositus est in vobis, non edet sanguinem.* Numquidnam si animam pecoris sanguinem dicimus, etiam anima hominis sanguis putanda est? Absit. Quomodo ergo non ait, Anima omnis carnis pecoris sanguis ejus est, sed *Anima*, inquit, *omnis carnis sanguis ejus est?* In omni utique carne, etiam hominis caro deputatur. An quia vitale aliquid est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne vivitur, qui in omnibus venis per corporis cuncta diffunditur, ipsam vitam corporis vocavit animam, non vitam quæ migrat ex corpore, sed quæ morte finitur? Qua locutione dicimus istam vitam temporalem esse, non æternam; mortalem, non immortalem: cùm sit immortalis animæ natura, quæ ablata est ab Angelis in sinu Abrahæ (Lucæ 16. 22.), & cui dicitur, Hodie mecum eris in paradiso (Lucæ 23. 43.); & quæ in tormentis ardebat inferni (Lucæ 16. 23.). Secundùm istam ergo significationem, qua perhibetur anima, etiam hæc temporalis vita, dixit apostolus Paulus, Non enim facio animam meam [a] pretiosiorem quàm me (Act. 20. 24.): ubi se ostendere voluit & mori paratum pro Evangelio. Nam secundùm significationem, qua anima dicitur illa quæ migrat ex corpore, magis eam pretiosam faciebat, cui tantum meritum conquirebat. Sunt & aliæ hujusmodi locutiones. Vita itaque ista temporalis maximè sanguine continetur in corpore. Sed quid est quod ait, *Dedi vobis eum ad altare Dei, exorare pro anima vestra* (Levit. 17. 11.): tamquam anima pro anima exoret. Numquid sanguis pro sanguine, quasi de nostro sanguine solliciti simus, cùm pro anima nostra volumus exorari? Absurdum est hoc.

2. Sed multo est absurdius ut sanguis pecoris exoret pro anima hominis, quæ mori non potest: cùm manifestè Scriptura testetur in epistola ad Hebræos, illum sanguinem victimarum nihil profuisse ad exorandum Deum pro peccatis hominum; sed significasse aliquid quod prodesset. Impossibile est enim, inquit, sanguinem hircorum & taurorum auferre peccata (Hebr. 10. 4.). Restat itaque ut quoniam pro anima nostra exorat mediator ille, qui omnibus illis sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur præfigurabatur, illud appelletur anima quod significat animam.

3. Solet autem res quæ significat, ejus rei nomine quam significat nuncupari; sicut scriptum est, Septem spicæ, septem anni sunt (Gen. 41. 26.): non enim dixit, septem annos significant. &, Septem boves septem anni sunt: & multa hujusmodi. Hinc est quod dictum est, Petra erat Christus (1. Cor. 10. 4.). Non enim dixit, Petra significat Christum, sed tamquam hoc esset, quod utique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Sic & sanguis quoniam propter vitalem quamdam corpulentiam animam significat, in sacramentis anima dictus est. Verùm si quisquam putat animam pecoris esse sanguinem, non est in ista quæstione laborandum. Tantùm ne anima hominis, quæ carnem humanam vivificat, & est rationalis, sanguis putetur, valde cavendum est, & hic error modis omnibus refutandus. Quærendæ etiam locutiones, quibus per id quod continet, significetur id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore, (nam si fuerit effusus abscedit,) per ipsum aptiùs significata sit anima, & ejus nomen sanguis acceperit. Sicut Ecclesia dicitur locus, quò Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam (Eph. 5. 27.). Hoc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait, Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? an Ecclesiam Dei contemnitis? (1. Cor. 11. 22.) Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut in Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum parietesque prodierit vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur. Scriptum est etiam, Et effundens sanguinem qui fraudat mercedem mercenarij (Eccli. 34. 27.). Mercedem sanguinem dixit, quoniam eâ sustentatur vita, quæ nomine sanguinis appellatur.

4. Sed cùm Dominus dicat, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis in vobis vitam (Johan. 6. 54.); quid sibi vult quod à san-

[a] Editio Rat. pretiosam mihi. Sic etiam MSS. melioris notæ, immo omnes, excepto uno qui habet, *pretiosiorem mihi.* In Græco textu Act. 20. 24. legimus τιμίαν ἐμαυτῷ: quod MSS. illis suffragatur.

guine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: à cujus tamen sacrificij sanguine in alimentum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qui volunt habere vitam? Quærendum igitur quid significet, quod homo prohibetur in Lege sanguinem manducare, eumque Deo fundere jubetur. Nam de animæ natura, cur per sanguinem significata sit, quantum in præsentia satis visum est, diximus.

QUÆST. LVIII. Levit. 18. 7.

TURPITUDINEM *patris tui & turpitudinem matris tuæ non revelabis;* [a] *turpitudo enim eorum est.* Prohibet cum matre concumbere; ibi est enim turpitudo patris & matris. Nam postea prohibet & novercæ, ubi dicit, *Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis; turpitudo enim patris tui est:* ubi exposuit quomodo in matre utriusque sit turpitudo, id est patris & matris: in noverca enim tantùm patris.

QUÆST. LIX. Levit. 18. 9.

TURPITUDINEM *sororis tuæ ex patre tuo, aut ex matre tua, quæ domi est nata, vel quæ foris nata est, non revelabis,* [b] *turpitudinem earum. Quæ domi nata est,* intelligitur ex patre: *quæ foris nata est,* intelligitur ex matre, si fortè de priore viro eam mater susceperat, & cum illa in domum venerat, quando patri ejus nupsit, quem monet Scriptura, ne revelet turpitudinem sororis suæ. Hîc videtur non prohibuisse, & quasi prætermisisse concubitum cum sorore de utroque parente nata: non enim dicit, Turpitudinem non revelabis sororis tuæ ex patre & matre, sed *ex patre aut ex matre.* Verùm quis non videat etiam illud esse prohibitum multo maximè? Si enim non licet sororis turpitudinem revelare ex quolibet parente natæ, quanto magis ex utroque? Quid est autem quod interposita prohibitione concubitus, etiam cum suis neptibus, sive de filio, sive de filia, sequitur & dicit, (v. 11.) *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui non revelabis?* Si enim huc usque dixisset, intelligeremus etiam cum filia novercæ prohibitum fuisse concubitum, quam ex priore viro noverca peperisset, nec hujus qui prohibetur soror esset, vel ex patre, vel ex matre: cùm verò addidit, *Ex eodem patre soror tua est, non revelabis turpitudinem ejus,* manifestat de sorore factam esse istam prohibitionem, cùm fuerit ex patre & ex noverca, de qua jam superiùs dixerat. An ideo iterum hoc apertiùs voluit prohibere, quia superiùs subobscurum fuit? sæpe enim hoc facit Scriptura.

QUÆST. LX. Levit. 18. 14.

TURPITUDINEM *fratris patris tui non revelabis, & ad uxorem ejus non introibis.* Exposuit quid dixerit, *Turpitudinem fratris patris tui*, id est, patrui tui, *non revelabis:* hoc est enim, *ad uxorem ejus non introibis.* In uxore quippe patrui, voluit intelligi turpitudinem patrui; sicut in uxore patris, turpitudinem patris.

QUÆST. LXI. Levit. 18. 16.

TURPITUDINEM *uxoris fratris tui non revelabis; turpitudo fratris tui est.* Quæritur utrùm hoc vivo fratre, an mortuo sit prohibitum: & non parva quæstio est. Si enim dixerimus de vivi fratris uxore locutam Scripturam (Exodi 20. 14.), uno generali præcepto, quo prohibetur homo ad uxorem accedere alienam, etiam hoc utique continetur. Quid est ergò quòd tam diligenter has personas, quas appellat domesticas, propriis prohibitionibus distinguit à ceteris? Non enim & quod prohibet de uxore patris, hoc est de noverca, vivo patre accipiendum est, & non potiùs mortuo. Nam vivo patre quis non videat multo maximè prohibitum, si cujuslibet hominis uxor aliena prohibita est maculari adulterio? De his ergo personis videtur loqui, quæ possent non habentes viros in matrimonium convenire, nisi Lege prohiberentur, sicut fertur esse consuetudo Persarum. Sed rursus, si fratre mortuo intellexerimus prohibitum esse ducere fratris uxorem, occurrit illud, quod excitandi seminis causâ, si ille sine filiis defunctus esset, jubet Scriptura esse faciendum (Deut. 25. 5.): ac per hoc collata ista prohibitione cum illa jussione, ne invicem adversentur, intelligenda est exceptio, id est, non licere cuiquam defuncti fratris ducere uxorem, si defunctus posteros dereliquit; aut etiam illud esse prohibitum, ne liceret ducere fratris uxorem, etiam quæ à fratre vivo per repudium recessisset. Tunc enim, sicut Dominus dicit, ad duritiam Judæorum Moyses permiserat dare libellum repudij (Matth. 19. 8.), & per hanc dimissionem potuit putari, quòd licitè quisquam sibi uxorem copularet fratris, ubi adulterium non timeret, quoniam repudio discessisset.

QUÆST. LXII. Levit. 18. 17.

TURPITUDINEM *mulieris & filiæ ejus non revelabis:* id est, ne putet quisquam licere sibi ducere filiam uxoris suæ. Simul enim mulieris & filiæ ejus non licet revelare turpitudinem, id est ambabus misceri, & matri & filiæ.

QUÆST. LXIII. Levit. 18. 17.

FILIAM *filij ejus & filiam filiæ ejus non accipies.* Etiam neptem uxoris de filio vel de filia duci prohibuit. (v. 18.) *Uxorem super* [c] *sororem ejus non accipies in zelum.* Hîc non prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis: sed sororem sorori noluit superduci; quod videtur fecisse Jacob (Gen. 30. 28.), sive quia nondum fuerat Lege prohibitum, sive quia suppositæ alterius fraude deceptus est, & illa magis de placito veniebat; quam posteriùs accepit; sed injustum erat priorem dimitti, ne faceret eam mœchari. Hoc autem quod ait *in zelum*, utrùm ideo positum est, ne sit [d] zelus inter sorores, qui inter illas quæ sorores non essent contemnendus fuit: an ideo potiùs, ne propter hoc fiat, id est ne hoc animo fiat, ut in zelum sororis soror superducatur?

QUÆST. LXIV. Levit. 18. 19.

ET *ad mulierem in segregatione immunditiæ ejus non accedes revelare turpitudinem ejus:* id est, ad menstruatam mulierem non accedes. Segregabatur enim secundùm Legem, propter immunditiam. Hoc cùm superiùs satis sufficienter prohibuisset (Levit. 15.), quid sibi vult quod etiam hîc hoc eisdem præceptis voluit adjungere? An fortè in superioribus quod jam dictum est, ne figuratè accipiendum putaretur, etiam hîc positum est, ubi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore novi Testamenti remotâ umbrarum veterum observatione, sine dubio custodienda sunt? Quod videtur etiam per prophetam Ezechielem significasse (Ezech. 18. 6. & 22. 10.), qui inter illa peccata quæ non figuratæ, sed manifestæ iniquitatis sunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menstruatam si quis accedat, & inter justitiæ merita si non accedat.

[a] MSS. *turpitudinem eorum.* Editi, *turpitudo enim eorum est.* Neutra lectio convenit cum Scripturæ textu, in quo post *non revelabis*, proximè subsequitur, *mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus.*

[b] Editi, *turpitudo enim earum est.* MSS. *turpitudinem earum:* hanc lectionem confirmat Græc. LXX.

[c] Sic MSS. & LXX. At editi *super uxorem sororem &c.*

[d] In omnibus propè MSS. neutro genere, *zelum . . . quod . . . contemnendum fuit.*

Qua in re non natura damnatur, sed concipiendæ proli noxium perhibetur.

QUÆST. LXV. *Levit.* 18. 20. *Exodi* 20. 14. ET *ad uxorem proximi tui non dabis concubitum seminis tui, inquinari ad eam.* Ecce ubi rursus prohibet adulterium, quod cum aliena uxore committitur, quod etiam in Decalogo prohibetur. Unde apparet illa ita prohibita, ut etiam mortuis viris suis non ducantur uxores, quarum prohibet turpitudinem revelari.

QUÆST. LXVI. *Levit.* 18. 21. ET *à semine tuo non dabis servire principi.* Hîc non video quid intelligatur, nisi principi qui pro Deo colitur. Non enim ait δουλεύειν, sed λατρεύειν in Græco, quod Latinus non solet interpretari, nisi ut dicat *servire*. plurimum autem distat. Nam servire hominibus sicut servi serviunt, quod non est λατρεύειν, sed δουλεύειν, Scriptura non prohibet: servire autem secundùm id quod est λατρεύειν, non jubetur hominibus, nisi uni vero Deo, sicut scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Non solùm autem hoc verbo, quod ait λατρεύειν, satis significat quem principem dicat, id est cui cultus tamquam Deo exhibetur, verùm etiam eo quod adjungit, *Et non profanabis nomen sanctum*, sive Dei, [b] de cujus populo datur illo modo servire principi; sive nomen sanctum ipsius populi Israël, propter quod dicitur, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Opportunissimè etiam hîc adjungit, *Ego Dominus*: hoc utique admonens, quia illi soli debetur λατρεία, id est ea servitus, qua servitur Deo.

QUÆST. LXVII. *Levit.* 18. 25. QUOD dicit, *Et exhorruit terra eos, qui insident super eam*, propter mala facta eorum, quæ superiùs commemoravit, non ideo dictum putandum est, quòd habeat terra sensum, quo ista sentiat & exhorreat: sed nomine terræ homines significat, qui sunt super terram. Proinde cùm hæc mala faciunt homines, inquinant terram, quia inquinantur homines qui hæc imitantur: & exhorret terra, quia exhorrent homines, qui nec faciunt nec imitantur.

QUÆST. LXVIII. *Levit.* 19. 11. *Exodi* 20. 15. NON *furtum facietis, neque mentiemini, neque calumniam faciet unusquisque proximo.* Illud de furto positum est in Decalogo. Quod autem dicit, *Neque mentiemini, neque calumniam faciet unusquisque proximo*, mirum si non eo præcepto continetur, quod ibi positum est, Neque falsum testimonium dices adversùm proximum tuum: quoniam neque calumnia sine mendacio fieri potest, quod falsi testimonij generalitate concluditur. Sed utrùm hæc aliqua compensatione admittenda sint, magna quæstio est: sicut de mendacio penè omnibus videtur, quòd ubi nemo læditur, pro salute mentiendum est. Utrùm ergo ita & de furto: an furtum fieri non potest, ubi nullus læditur? Quinimmo fieri potest, etiam quando ei cui fit consulitur, tamquam si quisquam homini volenti se occidere, gladium furetur. Nam calumnia nescio utrùm cuiquam ad ejus utilitatem fieri possit: nisi fortè quod ad majus gaudium fiebat, quo postea fruerentur, quod Joseph de scypho calumniabatur fratribus suis, quibus etiam explorationis falsum crimen intenderat. Quamquam si definitionibus ista determinare tentemus, fortassè furtum non est, nisi quando alieno occultè ablato proximus læditur; & calumnia non est, nisi quando falsi criminis objectione proximus læditur: mendacium autem non possumus dicere, tunc tantummodo esse, quando proximus læditur: cùm enim falsum ab sciente dicitur, procul dubio mendacium est, sive illo quisquam, sive nemo lædatur. Proinde magna quæstio de mendacio, utrùm possit aliquando justum esse mendacium, facilè solveretur fortassè, si sola præcepta intueremur, non & exempla. Nam quid isto præcepto absolutius, Non mentiemini? Sic enim dictum est, quomodo, Non facies tibi idolum: quod factum non potest aliquando justum esse. Et quomodo dictum est, Non mœchaberis: quis autem dicat aliquando mœchiam justam esse posse? Et, Non furaberis: secundùm enim definitionem illam furti, justum esse furtum numquam potest. Et, Non occides: quoniam cùm homo justè occiditur, lex eum occidit, non tu: numquid ita dici potest, cùm homo justè mentitur, lex mentitur? Sed exempla faciunt difficillimam quæstionem. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ, & bona illis Deus retribuit: mentita est Raab pro exploratoribus terræ, & ideo liberata est. An ex quo dictum est in Lege, Non mentiemini, ex illo intelligendum est, nec in tali caussa licere mendacium, in quali caussa legitur Raab esse mentita? Sed magis credibile est, quia injustum erat mendacium, ideo prohibitum; non quia prohibitum, ideo factum injustum. Fortassis ergo, sicut de obstetricibus diximus, non hoc in eis remuneratum quod mentitæ sunt, sed quod infantes Hebræos liberaverunt, ut propter hanc misericordiam illud peccatum veniale sit factum, non tamen existimetur non fuisse peccatum: sic etiam de Raab intelligendum est, remuneratam in illa liberationem exploratorum, ut propter eamdem liberationem venia sit data mendacio. Ubi autem venia datur, manifestum est esse peccatum. Sed illud cavendum est, ne ita quisque existimet etiam ceteris peccatis, si propter liberationes hominum fiant, ita veniam posse concedi. Multa enim mala intolerabilia & nimiùm detestanda istum sequuntur errorem.

Exodi 20. 4.

Mendacium prohibitum quia injustum.

QUÆST. LXIX. *Levit.* 19. 13. NON *nocebis proximo.* Si quid sit nocere & non nocere, pateret hominibus, hoc generale præceptum ad innocentiam retinendam fortassè sufficeret. Omnia enim quæ prohibentur committi in proximum, ad hoc unum referenda sunt, quod dictum est, *Non nocebis proximo.* Nam quod sequitur, *Non rapies*, nisi ad hoc referatur, ne rapiendo noceatur, aliquando evenit, ut non rapiendo quisque noceat. Nam gladius insanienti rapiendus est, & si non fecerit quis [c] ut oportuerit, magis nocuerit.

QUÆST. LXX. *Levit.* 19. 17. & 18. QUID est quòd cùm suprà dixisset, *Non odio habebis fratrem tuum in animo tuo: arguendo argues proximum tuum, & non accipies propter ipsum peccatum*, consequenter adjunxit, *Et non vindicatur manus tua*: utrùm pro eo quod est, non punitur. Animo enim bono facis, cùm disciplinam peccanti proximo imponis, ne accipias peccatum ejus negligendo. Ad hoc enim pertinet quod antè posuit, *Non odio habebis proximum tuum in animo tuo.* Videri enim potest ei qui arguitur, quòd oderis eum, cùm non sit in animo tuo. An, *non vindicatur manus tua*, hoc potiùs admonet, ne quæras vindicari manum tuam, nec ulciscendi libidine rapiaris? Nam quid est aliud, vindicari velle, nisi lætari vel consolari de alieno malo? Et ideo dictum est, *Non irascèris filiis populi tui.* Sic enim rectè ira definita est, quòd sit ulciscendi libido. Quidam verò codices habent, *Et non vindicabitur manus tua*: id est, ne arguendo vindicare te velis, sed potiùs consulere illi quem arguis.

v. 18. Ira quid.

[a] Editi, *prolis noxium prohibetur.* MSS. *proli noxium*; & ex his plerique, *perhibetur.*

[b] Sic MSS. At editi, *sive Dei, cui populo.*

[c] MSS. Michaëlinus & Beccensis, *uti potuerit.*

QUÆST. LXXI. *Levit.* 19. 28. ET *incisiones super animam non facietis in corpore vestro. Super animam dixit*, super funus mortui: de anima quippe dolor est quæ recessit. Ad hunc autem dolorem pertinet luctus, in quò luctu nonnullæ gentes habent consuetudinem secare corpora sua. Hoc fieri [a] Deus prohibet.

QUÆST. LXXII. *Levit.* 20. 5. ITA *ut fornicentur* [b] *in principes de populo suo.* Non de populo suo principes, sed de populo suo fornicentur. Eos quippe principes vult hîc intelligi, qui pro diis colebantur: sicut Apostolus dicit, Secundùm principem potestatis aëris. & in Evangelio Dominus, Nunc princeps hujus mundi missus est foras. &, Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inveniet.

Ephes. 2. 2. *Johan.* 12. 31. *Johan.* 14. 30.

QUÆST. LXXIII. *Levit.* 20. 10. HOMO, *homo quicumque adulteraverit uxorem viri, aut quicumque adulteraverit uxorem proximi sui, morte moriantur*: pluraliter dixit, *morte moriantur*, hoc est qui adulteravit, & quæ adulterata est. Hîc aliquid distare voluit inter quemlibet virum & proximum, quamvis multis locis proximum pro omni homine ponat. Sed quæ est ista locutio, ut cùm jam dixisset de viro, hoc idem repetierit de proximo, cùm sit consequens, ut multo magis ab uxore proximi abstinendum sit, si ab uxore cujuslibet viri abstinendum est? Nam si priùs de proximo dixisset, ne putaretur uxorem licere adulterare non proximi, addendum fuisset de quolibet viro: nunc verò si quod minus est non licet; quanto minùs licet quod majus malum est? Nam si non licet adulterare uxorem cujuslibet viri, quanto magis proximi? An fortè ista repetitio tamquam exponit quid priùs dictum sit, ut ideo intelligat homo quantum malum sit adulterare uxorem viri, quia si hoc fecerit, uxorem proximi adulterat? Proximus est enim omnis homo homini.

Exodi 1. 19. *Jos.* 2. 4.

QUÆST. LXXIV. *Levit.* 20. 16. ET *mulier quæ accesserit ad omne pecus, adscendi ab eo, interficietis mulierem & pecus: morte moriantur; rei sunt.* Quæritur quomodo sit reum pecus, cùm sit irrationale, nec ullo modo legis capax. An quemadmodum transferuntur verba modo locutionis, quæ Græcè appellatur μεταφορὰ, ab animali ad inanimale, sicut dicitur improbus ventus, vel iratum mare, ita & hîc translatum est à rationali ad irrationale? Nam pecora inde credendum est jussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.

QUÆST. LXXV. *Levit.* 20. 17. QUICUMQUE *acceperit sororem suam ex patre suo, aut ex matre sua, & viderit turpitudinem ejus; improperium est: exterminabuntur in conspectu generis sui. Turpitudinem sororis suæ revelavit, peccatum* [c] *suum accipient.* Quid ait in hoc loco, *viderit*, nisi concumbendo cognoverit? sicut in Lege dicitur, Cognovit uxorem suam, pro eo quod est, mixtus est ei. Et quid ait, *peccatum suum accipient*, cùm de pœna eorum loqueretur, nisi quia & ipsam pœnam peccati, peccatum voluit appellare?

Gen. 4. 1. 17. & 25.

QUÆST. LXXVI. *Levit.* 20. 20. I. QUICUMQUE *dormierit cum cognata sua, turpitudinem cognationis suæ revelavit: sine filiis morientur.* Quæritur quò usque sit intelligenda ista cognatio, cùm ex longo gradu liceat utique accipere uxorem, semperque licuerit. Sed intelligendum est ex his gradibus, quos prohibuit, non licere, & secundùm ipsos dictum, *Quicumque dormierit cum cognata sua*: ubi & aliquas non commemoratas intelligendas dimisit, sicut sororem de utroque parente, sicut uxorem fratris matris, id est avunculi. Nam de uxore patrui primùm prohibuit, quamvis hæc non cognatio, sed affinitas perhibetur. Sed quid est, *Sine filiis morientur*: cùm filij ex hujusmodi conjunctionibus & antè nati sint, & hodieque nascantur? An hoc intelligendum est Lege Dei constitutum, ut quicumque ex eis nati fuerint, non deputentur filij, id est nullo parentibus jure succedant.

2. *Et non exsecrabiles facietis animas & in pecoribus, & in volucribus, & in omnibus serpentibus terræ, quæ ego segregavi vobis in immunditiam.* Videtur hîc significare non hæc naturâ immunda esse, sed aliquo sacramenti signo; quandoquidem dicit, *quæ ego segregavi vobis in immunditiam*, tamquam immunda eis non essent, si eis segregata non essent.

Levit. 20. 25.

QUÆST. LXXVII. *Levit.* 20. 27. ET *vir aut mulier, si fortè fuerit illi ventriloquus, aut incantator, morte moriantur ambo: lapidibus lapidabitis eos; rei sunt.* Utrùm vir & mulier, an vir & ventriloquus, aut mulier & ventriloquus sive incantator. Sed hoc magis, & qui habet, & [d] quem habet.

QUÆST. LXXVIII. *Levit.* 21. 7. & 14. MULIEREM *fornicariam & profanam non accipient, & mulierem ejectam à viro suo; quoniam sanctus est Domino Deo suo.* Superiùs, *non accipient* dixerat: nunc autem, *quoniam sanctus est*, non quoniam sancti sunt: de pluribus qui uno sunt tempore sacerdotibus loquebatur, & de unoquoque eorum dixit, *quoniam sanctus est*; locutione qua solet uti Scriptura. Nam unum illum summum postea commemorat, qui intrabat ad sancta sanctorum. Nam & pluraliter conclusit, dicens, *Et sanctificabis eum:* * *dona Domini Dei vestri iste offeret; sanctus est, quoniam sanctus ego Dominus, qui sanctifico eos.* Quantum autem pertinet ad dona, quoniam dixit, *dona Domini Dei vestri ipse offeret*, non solùm summus ille offerebat, sed etiam secundi sacerdotes. Ac per hoc quod ait, *Mulierem fornicariam & profanam & ejectam à viro suo non accipient*, hoc & secundi sacerdotes prohibiti sunt: nam de summo postea dicit, qui etiam nonnisi virginem accipere jussus est.

v. 8.

QUÆST. LXXIX. *Levit.* 21. 10. ET *sacerdos magnus* [e] *à fratribus suis*: id est, qui inter fratres suos magnus est, ille scilicet unus magnus sacerdos. *Cui fusum est super caput ex oleo Christo*: ipsum oleum appellat Scriptura Christum.

QUÆST. LXXX. *Levit.* 21. 10. ET *consummatus manus induere vestimenta*: illa utique, quæ in veste sacerdotali operosissimè describuntur.

QUÆST. LXXXI. *Levit.* 21. 10. & 11. CAPUT *non reteget cidari, & vestimenta sua non scindet, & super omnem animam mortuam non introibit.* Intelligitur ea quæ suprà dixit, in luctu facere eum prohibitum, id est, caput nudare cidari, & vestimenta scindere. Vestimenta enim scindere lugentium erat antiquorum: sicut de Job scriptum est, cùm ei filij ejus ruinâ nuntiarentur oppressi. Nudare autem caput cidari propterea lugentis esse potuit, quia detractio est ornamenti. Quod verò ait, *Super omnem animam mortuam non introibit*: quomodo dicat animam mortuam corpus mortuum, difficile est intelligere: ea tamen Scripturarum est usitata locutio, quæ nobis inusitatissima

Job. 1. 20.

Levit. 21. 11.

[a] Editi, *fieri à Judæis.* MSS. non habent, *à Judæis.*

[b] In editis excideratparticula, *in*, quæ restituitur ex MSS. & ex textu LXX. qui in excusis quidem habet, ὡς ἐκπορνεύσῃ αὐτὴν, *ut fornicetur*, sive *ut fornicaretur ipse*: in aliis tamen libris (quos hîc sequitur Augustinus) pro αὐτὴν, legitur αὐτοὺς, teste Nobilio in Not. ad Levit. 20. Sic Vulgatam observamus in MSS. bibliis Germanensib. & Corb. habere, *ut fornicarentur*: licèt in editis ferat, *ut fornicaretur.*

[c] Ita editi. At MSS. hoc loco, *suum*, juxta LXX. omittunt.

[d] MSS. propè omnes, *& quæ habet.*

[e] Editi, *coram fratribus.* MSS. *à fratribus*: his consentiunt LXX.

Rom. 6. 2. — Suprà q. 57. — Levit. 17. 11. — Levit. 21. 11.

est. Nomen ergo rectricis suæ etiam corpus accipit animâ destitutum, quoniam reddendum illi est in resurrectione; sicut ædificium quod appellatur Ecclesia, etiam cùm inde Ecclesia exierit, qui homines sunt, nihilominus Ecclesia dicitur. Sed cùm corpus non accipiat animæ nomen in homine vivente, quomodo tunc vocetur anima, cùm caruerit animâ, mirum est. Porrò si animam mortuam intellexerimus à corpore separatam, ut ipsam separationem mortem dixisse videatur, id est ut anima mortua sit diremta à corpore, non natura sua perdita: (Non enim & cùm dicimur mortui peccato, natura dicitur interiisse, sed quòd jam peccato non utimur: ut sic intelligatur anima mortua, id est corpori mortua, quòd uti eo desierit, cùm in sua natura vivat:) quomodo potest quisquam intrare super animam mortuam, quod sacerdos iste prohibetur, cùm quisquis intrat, super mortuum corpus intret, non super animam quæ discessit à corpore? An ipsam vitam temporalem animæ vocabulo appellavit, quæ utique mortua est in defuncto corpore, animâ illâ emigrante, quæ mori non potest? Non quòd ipsa vita anima fuerit, sed quòd per animæ præsentiam, qua subsistebat, nomen ejus acceperit: sicut distinximus, cùm de sanguine loqueremur, quid dictum sit, Anima omnis carnis, sanguis ejus est. Est enim & ipse sanguis mortuus in corpore mortui: non enim cum abscedente anima abscessit. Vetuit ergo Scriptura summum sacerdotem etiam super patris vel matris funus intrare; quod secundum non prohibuit. Sequitur enim, *Super patrem suum & super matrem suam non inquinabitur.* Ordo est autem verborum, *Super patrem suum non inquinabitur, nec super matrem suam.*

Quæst. LXXXII. Levit. 21. 12. Levit. 8. 33. — Lev. 15. 16. — Exodi 30. 7. — * 2. Retract. 55.

Et *de sanctis non exibit:* eo procul dubio tempore, quo suorum funera celebrabantur; sicut & septem diebus, quibus sanctificabatur, de sanctis est exire prohibitus: non autem semper. Sanè si uxores ducere, vel filios gignere non vetabantur summi tunc sacerdotes, magna oritur quæstio; cùm Lex etiam conjugali concubitu immundum hominem dicat usque ad vesperam, etiam cùm abluerit corpus suum aquâ; & jubeatur summus sacerdos propter incensum continuationis bis in die quotidie intrare intra velum, ubi erat altare incensi, nec quemquam immundum ad sancta fas esset accedere; quomodo id quotidie summus sacerdos implebat, si filios procreabat? Nam si ægritudo illi accidisset, quis loco ejus fungeretur, si quis inquirat; responderi potest, quòd gratiâ Dei non ægrotabat: numquid sic etiam de filiorum procreatione responderi potest? * Unde fit consequens, ut aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum; aut si illud intermitti non posset, quod nonnisi per summum sacerdotem necesse esset imponi, non fieret immundus coitu conjugali, merito præcipuæ sanctificationis suæ. Aut si etiam ad ipsum pertinet, quod de omnibus filiis Aaron in consequentibus dicit, ut nullus eorum accedat ad sancta, si cui aliquid acciderit immunditiæ; [a] illud profectò restat accipere, quod nonnullis diebus non imponebatur incensum.

Quæst. LXXXIII. Levit. 21. 11. — * 2. Retract. 55. — Num. 20. 26.

Quod autem super funus patris sui summus sacerdos prohibetur intrare, quæri potest, quomodo jam esse poterat summus sacerdos, nondum mortuo patre suo, cùm eos patribus succedere jubeat. Ideo * necesse erat nondum sepulto summo sacerdote, continuò substitui sacerdotem propter continuationis incensum, quod per summum sacerdotem quotidie oportebat imponi. Quamquam & illa quæstio de ægritudine summi sacerdotis manet, si vel moriturum necesse erat diebus aliquibus ægrotare: nisi fortè & hoc ita solvatur, ut dicatur non solere summos sacerdotes, nisi subitò mori, non præcedente ægritudine; sicut de ipso Aaron Scriptura testatur.

Quæst. LXXXIV. Levit. 21. 15. Exodi 29. 24. — Sacramentum visibile sine invisibili sanctificatione nihil prodest: non è contra. — Act. 8. 13. — Matth. 3. 14. — * 2. Retract. 55. Luca 23. 43. — Act. 10.

Advertendum est quoties dicit, *Ego Dominus, qui sanctifico eum*, loquens de sacerdote: cùm hoc etiam Moysi dixerit, Et sanctificabis eum. Quomodo ergo & Moyses sanctificat & Dominus? Non enim Moyses pro Domino: sed Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum; Dominus autem invisibili gratiâ per Spiritum-sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia sacramenta quid prosunt? Meritò autem quæritur, utrùm etiam ista invisibilis sanctificatio sine visibilibus sacramentis, quibus visibiliter homo sanctificatur, pariter nihil prosit: quod utique absurdum est. Tolerabiliùs enim quisque dixerit, sine illis istam non esse, quàm si fuerit non prodesse; cùm in ista sit omnis utilitas illorum. Sed etiam hoc, quòd sine illis ista esse non possit, quomodo rectè dicatur, intuendum est. Nihil quippe profuit Simoni mago visibilis baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit: sed quibus ista invisibilis, quoniam affuit profuit, etiam visibilia sacramenta [b] perceperant similiter baptizati. Nec tamen Moyses, qui visibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificiis vel oleo sanctificatus ostenditur: invisibiliter verò sanctificatum, negare quis audeat, cujus tanta gratia præeminebat? Hoc & de Johanne Baptista dici potest: priùs enim baptizator, quàm baptizatus apparuit. Unde eum sanctificatum nequaquam negare possumus: id tamen in eo factum visibiliter non invenimus antequam ad ministerium baptizandi veniret. Hoc & * de latrone illo, cui secum crucifixo Dominus ait, Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim sine sanctificatione invisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse atque profuisse sine visibilibus sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, & alia modò sint: visibilem verò sanctificationem, quæ fieret per visibilia sacramenta, sine ista invisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentum visibile contemnendum est: nam contemtor ejus invisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quòd Cornelius & qui cum eo erant, cùm jam invisibiliter infuso sancto Spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen: nec superflua judicata est visibilis sanctificatio, quam invisibilis jam præcesserat.

Quæst. LXXXV. Levit. 22. 1. 2. & 3.

Et *locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Dic Aaron & filiis ejus, & adtendant à sanctis filiorum Israël, & non profanabunt nomen sanctum meum,* [c] *quanta ipsi sanctificant mihi. Ego Dominus. Et dices illis, In progenies vestras omnis homo quicumque accesserit ab omni semine vestro ad sancta, quæcumque sanctificaverint filij Israël Domino, & erit immunditia ejus in illo, exterminabitur anima illa à me. Ego Dominus Deus vester.* Ablata est omnis dubitatio,

[a] Sic MSS. At editi, *immunditia pro peccato, illud restat accipere.*

[b] MSS. Beccensis & Michaëlinus, *percepere.*

[c] Editi, *quando.* At MSS. *quanta*: juxta LXX. ὅσα.

Exodi 30. 7. — Levit. 15. 16.

neminem sacerdotum vel summorum vel secundorum debuisse accedere ad sancta, si immunditia ejus in ipso esset. Erat ergo consequens continentia sacerdotis, ne propter filiorum procreationem aliquibus diebus non imponeretur continuationis incensum, quod à solis summis sacerdotibus bis in die solebat imponi, manè & vesperâ: quandoquidem post coitum conjugalem etiam loto corpore immundus erat usque ad vesperam, à quo id necesse erat imponi. Quod autem ait, *quæ sanctificant filij Israël*, intelligendum est, offerendo sacerdotibus offerendum per eos Domino. Et notandum sanctificationis genus, quod fit voto & devotione offerentis. Sed utrùm sicut isto modo sanctificantur ea quæ offeruntur ab hominibus, ita & ipsi homines eodem modo seipsos sanctificare dicantur, cùm in aliqua re seipsos vovent, observandum est in Scripturis.

Quæst. LXXXVI. Levit. 22. 4.

Et *qui tetigerit omnem immunditiam animæ*: id est, aliquid morticinum, cujus secundùm Legem tactus inquinat.

Quæst. LXXXVII. Levit. 24. 15.

Homo, *homo si maledixerit Deum suum, peccatum accipiet: nominans autem nomen Domini, morte moriatur.* Quasi aliud sit maledicere Deum suum, aliud nominare nomen Domini; atque illud sit peccatum, hoc autem tantum nefas, ut etiam morte sit dignum. Quamvis hoc loco ita intelligendum sit, quod dictum est, *nomen Domini*, ut cum maledicto fiat, id est maledicendo nominet. Quid ergo distat inter illud peccatum & hoc tanti sceleris crimen? An fortè hoc ipsum repetendo monstravit, non leve illud esse peccatum, sed tantum scelus quod morte puniendum sit: sed quia per distinctionem hoc intulit, non dicens, nominans enim, sed *nominans autem*; subobscurum factum est? Et ideo si hoc rectè intelligitur, notandum est etiam locutionis genus.

Quæst. LXXXVIII. Levit. 24. 17. — Matth. 10. 28.

Et *homo qui percusserit omnem animam hominis, & mortuus fuerit, morte moriatur.* Non ait, Quicumque percusserit hominem, & mortuus fuerit, sed *animam hominis*; cùm potiùs corpus hominis à percussore feriatur, sicut & Dominus dicit, Nolite timere eos qui corpus occidunt. Eo more ergo, quo solet Scriptura, appellat animam vitam ipsam corporis, quæ fit per animam, & hinc voluit ostendere homicidam, quòd hominis animam percutiat, id est percutiendo vitâ hominem privet. Cur ergo addidit, *Et mortuus fuerit*, si jam hoc ipso ostendit homicidium, quòd animam hominis percusserit, id est vitâ homo à percutiente privatus sit? An exponere voluit quomodo accipiendum sit, quod dixerat, hominis animam percussam, & sic ait, *& mortuus fuerit*, tamquam diceret, id est mortuus fuerit? hoc est enim, animam hominis fuisse percussam.

Quæst. LXXXIX. Levit. 25. 2. & 3. &c. — * id est, de agro tuo.

Cum *introieritis in terram, quam ego do vobis, & requieverit terra, quam ego do vobis, sabbata Domini. Sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, & congregabis fructum ejus: anno autem septimo sabbata, requies erit terræ; sabbata Domino.* Quomodo intelligendum est, *Cùm introieritis in terram, quam do vobis & requieverit terra; sex annis seminabis agrum tuum*, &c. quasi tunc fieri præceptum sit, quando terra requieverit; cùm propterea terra requiescat, quoniam hoc fit. Requiem enim terræ septimo utique anno vult intelligi, quo jussit nihil in ea quemquam operari per agriculturam. Sed nimirum longum hyperbaton facit obscuritatem huic sensui. Videtur ergo hic esse ordo verborum, *Cùm introieritis in terram, quam ego do vobis, & requieverit terra, quam ego do vobis, sabbata Domini: quæ ab se surgunt * agrum tuum non metes, & uvam sanctificationis tuæ non vindemiabis: annus requiescendi erit terræ. Et erunt sabbata terræ esca tibi, & puero tuo, & puellæ tuæ, & mercenario tuo, & inquilino qui applicitus est ad te, & pecoribus tuis, & bestiis quæ sunt in terra tua, omne quod nascetur ex eo in escam.* Interposuit autem exponendo quomodo terra requiescat, & ait, *Sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vitem tuam, & congregabis fructum ejus: anno autem septimo sabbata, requies erit terræ, sabbata Domini. Agrum tuum non seminabis, & vineam tuam non putabis.* Et per hoc quod ait, *non putabis*, omnem culturam eo anno prohibitam debemus accipere. Neque enim si putanda non est, aranda est, aut adminiculis suspendenda, vel quodlibet aliud, quod ad culturam ejus pertineat, adhibendum: sed quomodo solet à parte totum intelligi, ita per putationem omnis cultura significata est. Et per agrum atque vineam, cùm & illum seminari, & hanc putari prohibuit, omne agri genus intelligendum est. Neque enim in oliveto, vel quolibet alterius generis agro aliquid operandum est, de quibus tacuit. Quòd verò ait, *Et erunt sabbata terræ esca tibi, & puero tuo, & puellæ tuæ*, &c. satis aperuit nec dominum agri prohibitum vesci eis, quæ non adhibitâ culturâ illo anno sponte nascantur, sed fructus redigere prohibitum. Sic ergo permissus est aliquid inde in escam sumere, quomodo transiens, ut hoc solùm caperet, quod statim vescendo consumeret, non quod in usus reponeret.

Quæst. XC. Levit. 25. 23. — Ibidem.

Et *terra non venumdabitur in profanationem*: alij codices habent, *in confirmationem*: quam mendositatem in alterutris priùs in Græco accidisse arbitror, propter verbi similem sonum: βεβήλωσις enim profanatio dicitur; βεβαίωσις autem confirmatio. Sed ille sensus apertus est, *Et terra non venumdabitur in profanationem*: id est, ne quis auderet terram, quam accepit à Deo, vendere profanis, qui ea utantur ad impietatem cultumque deorum alienorum atque falsorum. Illud autem subobscurum est, *Non venumdabitur terra in confirmationem*: quod puto non intelligendum, nisi ne ita venditio confirmetur, ut eam non recipiat venditor tempore remissionis, sicut præceptum est. Quod verò sequitur, utrique sensui potest congruere, sive legatur, *Et terra non venumdabitur in profanationem*; sive, *in confirmationem.* Secutus quippe adjunxit, *Mea enim est terra, propter quod proselyti & incolæ vos estis ante me.*

Quæst. XCI. Levit. 25. 24.

Et *per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ*, Alij autem codices habent, *redemtionem dabitis terræ*. Sensus ergo hic est, *Non venumdabitur terra in profanationem*, id est, illis qui ea utantur in injuriam Creatoris; aut *in confirmationem*, id est, ut eam emtor perpetuò possideat, nec certo secundùm Dei præceptum intervallo annorum restituat venditori. *Mea est enim*, inquit, *terra*: unde secundùm meum præceptum eâ uti debetis. Atque ut ostenderet suam esse, non ipsorum, quid ipsi in ea essent, consequenter adjunxit, dicens, *Propter quod proselyti & incolæ vos estis ante me*: hoc est, Quamvis proselyti, id est advenæ sint vobis, qui ex alienigenis adjunguntur genti vestræ; & incolæ, id est non in terra propria manentes: tamen

etiam vos omnes ante me advenæ estis & incolæ. Hoc Deus dicit, sive Israëlitis, quòd aliarum gentium terram, quas expulit, eis dederit: sive omni homini, quoniam [a] ante Deum qui semper manet, & sicut scriptum est, cælum & terram implet, utique præsentiâ suâ, omnis homo advena est nascendo, & incola vivendo; quoniam compellitur migrare moriendo.

a Jer. 23. 24.

QUÆST. XCII. Levit. 25. 24.

DEINDE adjungit & dicit, *Per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ*, tamquam inquilini, vel *redemtionem*. Illud, nisi fallor, vult intelligi, quod inde reddebant quodam modo, per cessationes septimorum quorumque annorum, & quinquagesimi anni, quem vocat remissionis; ut ipsa vacatio terræ velut merces habitationis aut redemtio esset ab illo cujus est, hoc est ab ejus creatore Deo.

QUÆST. XCIII. Levit. 26. 11.

ET *ponam tabernaculum meum in vobis, & non abominabitur anima mea vos.* Animam suam Deus voluntatem suam dicit. Non enim est animal, habens corpus & animam; neque substantia ejus ejusmodi est, cujusmodi creatura ejus, quæ anima dicitur, quam fecit, sicut per Isaiam ipse testatur, dicens, Et omnem flatum ego feci: quod eum de anima hominis dicere consequentia manifestant. Sicut ergo cùm dicit oculos suos, & labia sua, & cetera vocabula membrorum corporalium, non utique accipimus eum formâ corporis esse definitum; sed illa omnia membrorum nomina non intelligimus, nisi effectus operationum atque [b] virtutum: ita & cùm dicit, *Anima mea*, voluntatem ejus debemus accipere. Perfectè quippe simplex illa natura, quæ Deus dicitur, non constat ex corpore & spiritu; nec ipso spiritu mutabilis est, sicut anima: sed & spiritus est Deus, & semper idem ipse, apud quem non est commutatio. Hinc autem accepe- Jac. 1. 17. runt Apollinaristæ occasionem, qui dicunt animam non habuisse mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, sed tantùm Verbum & carnem fuisse, cùm diceret, Tristis est anima mea usque ad mortem: sed ipso ejus actu, qui nobis per Evangelicam declaratur historiam, sic apparent humanæ animæ officia, ut hinc dubitare dementis sit.

Isa. 57. 16.

b

Apollinaristæ. 1. Tim. 2. 5.

Matth. 26. 38.

QUID est, quod inobedientiæ pœnas cùm minaretur Deus, dixit inter cetera, *Et consumet vos perambulans gladius.* deinde ait, *Et erit terra vestra deserta, & civitates vestræ erunt desertæ: tunc bene sentiet terra sabbata sua, omnes dies desolationis suæ; & vos eritis in terra inimicorum vestrorum?* Quomodo ergo consumet eos gladius, si erunt in terra inimicorum suorum? An in ipsa terra consumet, quoniam strage mortuorum factâ non erunt ibi? An *consumet vos*, sic ait, ac si diceret, interficiet vos, ut ad istam consumtionem illi pertineant, qui gladio cadent, non omnes: quandoquidem paulò pòst dicit, *Et eis qui residui sunt ex vobis, superducam formidinem in cor eorum?* An secundùm hyperbolen dictum est, *consumet vos*: secundùm quem loquendi modum & abundantia eorum dicta est sicut arena maris? Secundùm istum modum etiam dicitur, quod deinde sequitur, *Et persequetur eos sonus folij volantis*: id est, quia nimius in eis timor erit, ut & levissima quæque formident.

QUÆST. XCIV. Levit. 26. 33. & 34.

v. 36.

Gen. 22. 17. & 32. 12. &c. Lev. 26. 36.

[a] Sic MSS. At editi, *homini qui ante Deum semper manet.* [b] MS. Corbeïens. *atque virtutem.*

LIBER QUARTUS.

Quæstiones in Numeros.

QUÆST. I. Num. 1.

QUID est quòd singulos de singulis tribubus eligi jubet principes, eosque appellat χιλιάρχους? quos quidam Latini interpretes tribunos appellaverunt. χιλίαρχοι autem videntur à mille cognominati. Sed cùm consilium Jothor socer Moysi genero suo daret, quod etiam Deus approbavit, de ordinando populo sub principibus, ut non omnes omnium caussæ Moysen ultra vires onerarent, χιλιάρχους appellavit constituendos super millenos homines, ἑκατοντάρχους super centenos, & πεντηκοντάρχους, super quinquagenos, & δεκαδάρχους super denos; ab ipsis numeris, quibus præessent, cognominatos. Numquidnam & hîc sic accipiendi sunt χιλίαρχοι, quòd singuli essent super millenos? Non utique: neque enim universus omnium populus Israël duodecim hominum millia tunc fuerunt. Singulos enim elegit de singulis tribubus, quæ duodecim tribus procul dubio non millenos homines, sed multa millia continebant. Nomen ergo commune est cum illis, qui in Exodo appellantur χιλίαρχοι, quòd unusquisque illorum esset mille hominum princeps: istorum autem unusquisque millium princeps, quoniam sive à mille, sive à millibus, eadem compositio nominis resonat, ut appellentur χιλίαρχοι.

Exodi 18. 25.

QUÆST. II.

MERITO quæritur, quid sibi velit quòd per omnes tribus, ubi computantur per singulas quasque filij Israël in ætate militari, dicitur *secundùm propinquitates eorum, secundùm populum eorum, secundùm domos familiarum eorum, secundùm numerum nominum eorum, secundùm caput eorum*: & hæc quinque similiter omnino repetuntur, donec tribus omnes compleantur: quasi aliud sit, *secundùm propinquitates eorum*, aliud *secundùm populos*, aliud *secundùm domos familiarum*, aliud *secundùm numerum nominum*, aliud *secundùm caput*; cùm potiùs videantur aliis verbis eadem significare ista omnia. Intentionem autem movet, quia tam diligenter per omnes tribus eadem repetuntur, ut non frustra fieri quivis judicet, etiamsi non intelligat. Nimirum ergo numerus ipse aliquid insinuat sacramenti, ut hoc idem quinquies variè repetatur. Nam iste numerus sicut in ipsis quinque libris Moysi, id est quinarius, in vetere Testamento maximè commendatur. Illa verò quæ deinceps quatuor connectuntur, id est, *masculina, à viginti annis & supra, omnis qui procedit in virtute, recognitio eorum*: quamvis & ipsa per omnes tribus eodem prorsus modo repetantur, habent necessariam differentiam. Cùm enim ageretur de numero universæ multitudinis ad unam tribum pertinentis, discernendus erat sexus, ideo positum est, *Omnia masculina*. Et ne parvuli etiam computarentur, adjunctum est, *à viginti annis & supra*. Rursus ne imbellis ætas senectutis annumeraretur,

Num. 1. 20. &c.

Ibidem.

raretur, additum est, *omnis qui procedit in virtute.* Et omnia concluduntur verbo ejus operis, quod fiebat, ut dicatur, *recognitio eorum.* Recognitio enim hæc fiebat, ut hominum millia computarentur. Quinque igitur illa, propinquitates, populi, domus familiarum, numerus nominum, & caput, & ista deinde quatuor, sexus, ætas, virtus, recognitio, fortasse in ipso numero aliquid insinuant. Si enim horum duorum numerorum, id est quinarij & quaternarij, alter multiplicetur ex altero, id est ut quinquies quaterni, aut quater quini ducantur, viginti fiunt. Quo numero etiam adolescentium ætas illa signatur. Qui numerus commemoratur & quando intratur in terram promissionis: & dicitur illa ætas viginti annorum, quæ non declinaverit in dextram aut sinistram. Ubi mihi videntur significari sancti fideles ex utroque Testamento fidem veram tenentes. Nam vetus Testamentum quinque libris Moysi maximè excellit, & novum quatuor Evangeliis.

QUÆST. III. Num. 1. 51. a

QUOD ait de tabernaculo [a] distendendo, levando, erigendo, *Et alienigena qui accesserit moriatur:* hîc alienigena intelligendus est etiam ex illis filiis Israël, qui non de illa tribu fuerunt, quam tabernaculo servire præcepit, id est qui non fuerit de tribu Levi. Mirum est autem, quomodo abusivè alienigena dicitur, quod magis alterius generis hominem significat, id est ἀλλογενὴς, & non magis ἀλλόφυλον, quod significat alterius tribus hominem: quo nomine magis utitur Scriptura in aliarum gentium hominibus, ut allophyli appellentur, quasi aliarum tribuum homines.

QUÆST. IV. Num. 3. 6. & 7.

ET *locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Accipe tribum Levi; & statues eos in conspectu Aaron sacerdotis, & ministrabunt ei: & custodient custodias ejus, & custodias filiorum Israël, ante tabernaculum testimonij.* Quas φυλακὰς Græcus dixit, has nostri interpretes alij *custodias*, alij *excubias* interpretati sunt. Sed mirum nisi vigiliæ meliùs dicuntur, quæ solent in castris ternarum horarum observationem habere. Unde scriptum est, Quartâ autem vigiliâ noctis venit ad eos, ambulans super mare: hoc est post nonam horam noctis, post tres videlicet vigilias. Et multis locis Scripturarum nostri vigilias interpretati sunt, quas Græci φυλακὰς vocant. Ubi nulla dubitatio est, spatia nocturni temporis significari: quod puto & hîc accipiendum. Quomodo enim Levitæ jubentur observare custodias Aaron, & custodias filiorum Israël, id est φυλακὰς, nisi fortasse dictum est, ne putarent ab observandis vigiliis, quæ propriè in castris observari solent, propter honorem quo serviebant tabernaculo, immunes se esse debere, cùm & ipsos oporteret propter opera tabernaculi non minùs vicissim observare vigilias, quæ observarentur in aliis circumquaque castris filiorum Israël.

Matth. 14. 25.

QUÆST. V. Num. 3. 10. Levit. 6. 18.

ALIENIGENA *qui tetigerit, morietur.* Quærendum quomodo dixerit in Levitico, Qui tetigerit tabernaculum, sanctificabitur: cùm hîc dicat, *Alienigena qui tetigerit, morietur:* volens intelligi eos qui non essent de tribu Levi. An fortè hîc, *tetigerit*, ad obsequium dixerit servitutis, quod à solis Levitis deberi tabernaculo præcepit? hinc enim loquebatur.

QUÆST. VI. Num. 3. 12. & 40. &c.

QUID est quòd Levitas pro primogenitis filiorum Israël sibi Deus deputat, ita ut numeratis primogenitis populi, qui plures inventi sunt quàm erat numerus Levitarum, argento redimerentur, quinque siclis pro uno datis? Quod pro pecoribus non est factum, cùm & pecora Levitarum pro primogenitis pecorum Israël sibi esse voluerit. Quomodo deinceps primogenita eorum vel pecorum eorum pertinebant ad Deum, ubi jussit immunda primogenita vel humana mutari ovibus? Quomodo non & pro istis deinceps primogenitis computabantur filij Levitarum: (manebat enim in posteris eadem tribus, quæ posset pro primogenitis posterioribus computari:) nisi quia illud justum fuit, ut qui nascerentur de illis, qui jam ad portionem Domini pertinebant, datam pro primogenitis, qui de Ægypto exierunt, jam Deus proprios haberet, tamquam suos de suis, nec possent pro illis justè computari, qui deinceps primogeniti Deo debebantur? De universo quippe populo, & de universis pecoribus populi data est portio Deo pro primogenitis: & hæc portio erat Levitæ & pecora eorum. Jam si quid genuissent, Dei erat: non poterat hoc tamquam à populo dari, quod jam alienum erat: ac per hoc debita deinceps primogenita Deo reddi oportebat; nec pro his computari posteros Levitarum vel pecorum eorum.

CUM præciperet de tollenda mensa, jussit cum illa & panes tolli, sic dicens, *Et panes qui semper super eam erunt.* Non utique isti semper super eam erunt, sed similes eorum: quia illi auferebantur, & recentes quotidie ponebantur; dum tamen sine panibus mensa non relinqueretur. Ideo dixit, *qui semper super eam erunt*: hoc est, quia semper panes, non quia illi semper.

QUÆST. VII. Num. 4. 7.

ET *super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum, & adoperient illud operimento pelliceo hyacinthino.* Posset ista locutio videri, quam velut absurdam & non integram Latini interpretes transferre noluerunt; id est, *super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum*: tamquam debuerit dici, Et altare aureum adoperient vestimento hyacinthino. Nam *adoperient vestimentum hyacinthinum*, hoc videtur significare, quòd ipsum vestimentum aliunde adoperiretur, non quòd ipso vestimento adoperiretur altare. Sed mihi videtur non tam genus locutionis esse, quàm subobscurus sensus. Hoc quippe intelligi potest, *Et super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum*, ut ipsum vestimentum hyacinthinum alia re operiendum præciperet, quod vestimentum jam super altare esset; ac sic breviter utrumque complecteretur, & vestimento hyacinthino altare operiendum, & vestimentum hyacinthinum alio tegmine operiendum. Subjunxit denique unde cooperiri vellet vestimentum hyacinthinum, cùm adjecit, *Et adoperient illud operimento pelliceo hyacinthino.*

QUÆST. VIII. Num. 4. 11.

VIR, *aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis, & despiciens despexerit, & deliquerit, anima illa annuntiabit peccatum, quod peccavit, & restituet delictum: caput & quintas ejus adjiciet super illud, & reddet cui deliquit ei. Si autem non fuerit homini proximus, ita ut reddat illi delictum ad ipsum; delictum quod redditur Domino, sacerdoti erit, excepto ariete propitiationis per quem exorabit in illo pro eo.* Hîc ea peccata intelligenda sunt, quorum in his rebus perpetratio est, quæ pecuniâ restitui possunt. Non enim aliter diceret quomodo restituenda sint, nisi damna pecuniaria fuissent. Jubet enim restitui caput & quintas, id est, totum illud quidquid est,

QUÆST. IX. Num. 5. 6. 7. & 8.

[a] Excusi *distinguendo.* MSS. Beccensis & Michaëlinus, *distendendo.* Alij melioris notæ, *distringendo.*

& quintam ejus partem, excepto ariete qui fuerat offerendus in sacrificium ad expiandum delictum. Jubet autem illud quod restituitur sacerdotis esse, id est, ipsum caput & quintam, si non est proximus ei, in quem commissum est. Ubi utique intelligitur tunc Domino reddendum quod sit sacerdotis, si homo ipse non supersit qui damnum passus est, nec proximus ejus, quem puto heredem intelligi voluisse. Sed de ipso homine nihil dixit Scriptura: verumtamen cùm dicit, *Si non ei fuerit proximus*, sub hac brevitate insinuat, tunc quæri proximum ejus, si ipse non fuerit. Si autem nec proximus erit, Domino restituetur, ne impunitum remaneat quod admissum est: quod tamen non cedat in sacrificium, sed sit sacerdotis. Sic sanè verba Scripturæ distinguenda sunt. *Si autem non fuerit homini proximus, ita ut reddat illi delictum ad ipsum:* Locutionis est enim quod addidit, *ad ipsum:* aut fortè *ad ipsum* dixit, quòd ad ipsum pertineat, id est ipse possideat. Deinde sequitur, *Delictum quod redditur Domino, sacerdoti erit.* Delictum autem dicit, cùm redditur ea res, quæ per delictum ablata est.

QUÆSTIO X. Exodi 22. 1. QUÆRI autem potest, quomodo in Exodo dicitur, si quis furatus fuerit vitulum aut ovem, restituere debere quinque vitulos vel quatuor oves, si occiderit, aut vendiderit; si autem quod abstulerit, salvum apud eum reperitur, duplum esse restituendum: cùm hîc restitui jubeat caput & quintam, quod longè est etiam à duplo; quanto magis à quadruplo vel quinquies tanto? Nisi fortè quia hîc ait, *Vir, aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis*, peccata ignorantiæ voluit intelligi humana peccata. Fieri enim potest, ut parum adtendendo per negligentiam trajiciat homo rem alienam in rem suam: quod ideo peccatum est, quia si diligenter adtenderetur, non admitteretur. Et hæc voluit capite & quintâ restitui, non sicut furta multari. Nam si furta & fraudes hîc intellexerimus, quæ non per ignorantiam negligentiæ, sed furandi & fraudandi animo committuntur, & ideo dicta *humana*, quia in homines fiunt; ille, nisi fallor, erit exitus quæstionis hujus, ut ideo qui fecit non reddat vel duplum, quia non deprehenditur vel convincitur, sed ignorantibus à quo factum sit, vel utrùm factum sit, ipse annuntiat delictum suum. Cùm enim dixisset Scriptura, *Vir, aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis, & despiciens despexerit, & deliquerit*, id est contemnendo ista commiserit, adjunxit, & ait, *Anima illa annuntiabit peccatum quod peccavit, & restituet delictum, caput & quintas ejus:* fortè ergo propterea tantum, quia ipse annuntiavit; & ideo non eo damno plectendus fuit, quo furem comprehensum vel convictum plecti oporteret. Num. 5. 7.

QUÆSTIO XI. Num. 5. 22. VERBA quæ Scriptura dicit mulieri à sacerdote dicenda, quando à suspicione adulterij eam maritus adducit, *Det eam Dominus in maledictum & in exsecramentum*, Græcus habet ἐνόρκιον. Quo verbo videtur significari juramentum per exsecrationem; velut si quisquam dicat, Sic non mihi illud & illud contingat: vel certè ita juret, Illud & illud mihi contingat, si fecero, vel non fecero. Ita hoc dictum est; *Det te Dominus in maledictum, & in exsecramentum*, tamquam diceretur, ut de te jurent quæ per exsecrationem jurabunt; sic non eis contingat, aut, hoc eis contingat, nisi [a] hoc aut illud fecerint.

QUÆSTIO XII. Num. 6. 14. A ET *offeret munus suum Domino, agnum anniculum sine vitio in holocaustoma, & agnam anniculam sine vitio unam in peccatum.* Hoc quidam nostri interpretes transferre noluerunt, veluti locutionem inusitatam vitantes, & dixerunt *pro peccato*, non, *in peccatum*, cùm sit sensus in ea locutione, qui non fuerat perturbandus. *In peccatum* quippe dictum est, quia hoc ipsum quod pro peccato offerebatur, peccatum vocabatur. Unde illud est apud Apostolum de Domino Christo, Eum qui non noverat 2. Cor. 5. 21. B peccatum, peccatum pro nobis fecit: Deus Pater scilicet, Deum Filium pro nobis fecit peccatum, id est sacrificium pro peccato. Sicut ergo agnus in holocaustoma, ut ipsum pecus esset holocaustoma; sic & agna in peccatum, ut ipsum pecus esset peccatum, id est sacrificium fieret pro peccato, sicut de ariete quod sequitur *in salutare* dicit, tamquam Num. 6. 14. ipsum sit salutare, cùm sit sacrificium salutaris. Quod postea repetendo manifestat. Nam & illud *pro peccato* dicit, quod priùs dixerat *in peccatum:* v. 16. C & hoc *sacrificium salutaris*, quod priùs dixerat *in salutare.* v. 17.

QUÆSTIO XIII. Num. 8. 24. LOCUTUS *est Dominus ad Moysen, dicens, Hoc est de Levitis.* Hoc alij interpretati sunt, *Hæc est lex de Levitis:* sed quod scriptum est, *Hoc est de Levitis*, intelligitur dictum, Hoc constituo de Levitis.

QUÆSTIO XIV. Num. 8. 24. 25. & 26. DEINDE sequitur: *A quinto & vicesimo anno & suprà, introibunt ministrare in ministerium in operibus in tabernaculo testimonij; & à quinquagenario recedet ab administratione, & non operabitur ultrà:* (*& D ministrabit frater ejus*,) *in tabernaculo testimonij custodire custodias; opera autem non operabitur.* Hunc sensum obscurum facit ὑπέρβατον, quod ita confusum est, tamquam de ipso fratre sit dictum, *custodire custodias*; cùm dictum sit de illo, qui recedit ab operibus, & remanebit illic, *in tabernaculo testimonij custodire custodias, opera autem non operabitur*; sed operabitur frater ejus, id est, qui nondum pervenit ad ætatem quinquagenariam, à viginti quinque annis incipiens operari. Ergo ita distinguendum est: E *Et à quinquagenario recedet ab administratione, & non operabitur ultrà, & ministrabit frater ejus.* Deinde redit ad illum quinquagenarium, de quo loquebatur, & de illo explicat cetera, dicens, *In tabernaculo testimonij custodire custodias, opera autem non operabitur.* Quod enim ait, *custodire*, subauditur, incipiet, tamquam id uno verbo diceret, custodiet custodias. Solet enim usitatè etiam in Latinis locutionibus infinitum verbum poni pro finito. v. 26.

QUÆSTIO XV. Num. 9. 6. CUM Paschæ tempore quidam, qui immundi F facti erant super animam hominis, id est super mortuum, quærerent quomodo Pascha facerent; quoniam oportebat eos ab immunditiis septem diebus purificari secundùm Legem: consuluit Dominum Moyses, & responsum accepit, cuicumque tale aliquid accidisset, vel tam in longinquo itinere constitutus esset, ut non posset occurrere, alio mense eum facere debere Pascha, propter diem mensis quartum-decimum, ubi lunæ numerus observabatur. Sed si quæratur quid facerent, si fortè talis G immunditia etiam ad secundum mensem occurret: arbitror id quod dictum est de secundo mense, tamquam regulariter fuisse retinendum, ut tertio mense observarent, aut certè Pascha non egisse tali necessitate, ad culpam non pertineret.

QUÆSTIO XVI. Num. 9. 15. & 16. 1. ET *die qua statutum est tabernaculum, texit nubes tabernaculum, domum testimonij: & vespere erat*

[a] MSS. quinque & Rat. *nisi illud fecerint.* Alij duo MSS. *nisi illud de te fecerint.* Am. & Er. *nisi hoc illud de te fecerint.*

super tabernaculum velut species ignis usque manè. Ita fiebat semper; nubes tegebat illud die, & species ignis nocte. Et cùm adscendisset nubes à tabernaculo, & postea promovebant filij Israël: & in loco ubicumque steterat nubes, ibi castra collocabant filij Israël. Per præceptum Domini castra collocabunt filij Israël, & per præceptum Domini promovebunt. Omnes dies, in quibus obumbrat nubes super tabernaculum, in castris erunt filij Israël; & quando [a] *protraxerit nubes super tabernaculum dies plures: & custodient filij Israël custodiam Dei, & non promovebunt. Et erit, cùm texerit nubes dies numero super tabernaculum; per vocem Domini in castris erunt, & per præceptum Domini promovebunt. Et erit cùm fuerit nubes à vespera usque manè, & adscenderit nubes manè, & promovebunt die; vel nocte &* [b] *si adscenderit nubes, promovebunt: die vel mense diei abundante nube obumbrante super illud, in castris erunt filij Israël, & non promovebunt. Quoniam per præceptum Domini promovebunt. Custodiam Domini custodierunt per præceptum Domini in manu Moysi.*

2. Totus hic locus diligenter exponendus est, C quoniam inusitatis generibus locutionum obscuratus est. *Et die*, inquit, *qua statutum est tabernaculum, texit nubes tabernaculum, domum testimonij:* idem tabernaculum appellavit domum testimonij. *Et vespere erat super tabernaculum velut species ignis usque manè.* * *Ita fiebat semper.* Deinde diligenter exprimit, quid fiebat semper, *Nubes*, inquit, *tegebat illud die, & species ignis nocte.* * *Et cùm adscendisset nubes à tabernaculo, & postea promovebant filij Israël.* Ista sententia obscura non est, nisi propter illam D locutionem ubi additur, *&*. Ordo enim verborum integer sequitur, etiamsi desit ipsa conjunctio, ut sic dicatur, *Et cùm adscendisset nubes à tabernaculo, postea promovebant filij Israël:* quamvis & ipsum quod dictum est, *postea*, si deesset, plena posset esse sententia. Deinde sequitur, dicens, *Et in loco ubicumque steterat nubes, ibi castra collocabant filij Israël.* v. 15. v. 16. v. 17.

3. Hoc autem totum quod faciebant, ad præceptum Domini referens, ita complectitur; *Per præ-* v. 18. *ceptum*, inquit, *Domini castra collocabunt filij Israël, & per præceptum Domini promovebunt.* Præceptum Domini appellat signum ipsum quod fiebat in nube, sive cùm staret obumbrans tabernaculum, ut castra consisterent; sive cùm adscendisset, atque ultrà moveretur, ut eam elevatis castris sequerentur. Mutavit sanè in hac sententia narrantis modum, & tamquam prædicens atque prænuntians verba futuri temporis habere cœpit. Neque enim ait, *Per præceptum Domini castra* collocabant *filij F Israël*, sed *collocabunt:* nec ait, *per præceptum Domini* promovebant, sed *promovebunt.* Et hunc modum etiam in consequentibus servat, qui modus in Scripturis est inusitatissimus. Nam verbis præteriti temporis sæpe futura prædicta esse novimus; sicut Psal. 21. 17. est, Foderunt manus meas & pedes. &, Sicut ovis Isa. 52. 7. ad immolandum ductus est; & innumerabilia talia: ut autem narrator rerum gestarum verbis utatur temporis futuri, sicut hoc loco, difficillimè in Scripturis inveniri potest. G

4. Ergo postea quàm dixit, de die & nocte, quo signo promoveret populus, vel maneret, ne putarentur per noctem ambulare & per diem solere considere, atque hoc diebus omnibus facere, se- Num. 9. 18. cutus adjunxit, & ait, *Omnes dies, in quibus obumbrat nubes super tabernaculum, in castris erunt filij Israël;* * *& quando protraxerit nubes super tabernaculum dies plures.* Deinde admonens non hoc ex illorum necessitate fieri, sed ex Dei voluntate. *Et custodient*, inquit, *filij Israël custodiam Dei*, id est custodiam quam præcepit Deus; *& non promovebunt.* Et tamquam diceretur, Quando ergo promovebunt? *Et erit*, inquit, *cùm texerit nubes dies* v. 20. *numero super tabernaculum*, id est, dies certo numero, qui numerus utique Deo placeret: *per vocem Domini in castris erunt, & per præceptum Domini* B *promovebunt.* Hanc videtur dicere vocem Domini signum quod dat de statione, & motu nubis; quia & vox loquentis, procul dubio signum est voluntatis. Quod ergo ait, *& per præceptum*, hoc idem signum puto intelligendum. Quamquam posset vox & præceptum Domini illud etiam accipi quod locutus est, ut solet, ad Moysen, & præcepit hoc fieri. Neque enim scirent illi promovendum esse nube promovente, & standum esse nube stante; nisi hoc eis antè præcipertur. v. 19.

5. In his autem quæ dicta sunt nondum apparuit, utrùm per diem tantùm ambularetur, an etiam per noctem, secundùm signum quod nubes motu suo dabat. Fortassis enim quamvis plures dies in castris manerent nube non promovente; potuit tamen putari nubem non solere adscendere de castris, & signum itineris dare, nisi per diem. Sequitur ergo & dicit, *Et erit, cùm fuerit nubes à vespera usque* v. 21. *manè, & adscenderit nubes manè, & promovebunt die.* Hîc illa copulativa conjunctio more Scripturæ posita est. Nam eâ detractâ plenus est sensus hoc modo: *Et erit, cùm fuerit nubes à vespera usque manè, & adscenderit nubes manè, promovebunt die.* Deinde quia & nocte si nubes adscenderet promovebant, atque iter nocturnum si illud signum acciperent agebant, adjunxit & ait, *vel nocte & si adscenderit* Ibidem. *nubes promovebunt.* Sed locutio est inusitatior: non enim tantùm positum est, *&*; sed eo more positum est, quo non solet. Unde mihi videtur præposteratus ordo verborum, sicut sæpe & in Latinis locu- E tionibus fieri solet: quod genus antistrophe dicitur. Proinde si ita dicatur, *vel & nocte si adscenderit nubes, promovebunt*; aut certè ita, *si & nocte adscenderit nubes, promovebunt*, planissimus sensus est.

6. Adhuc autem occurrebat cogitanti, ut scire vellet, utrùm quomodo cognitum est solere illos ad nubis signum diebus & noctibus ambulare, vel diebus & noctibus in castris esse, ita etiam solerent per dies tantùm manere, etiam quorum noctibus ambularent: quod arbitror Scripturam in conse- F quentibus intimasse cùm dicit, *Die vel mense diei,* v. 22. *abundante nube obumbrante super illud, in castris erunt filij Israël, & non promovebunt.* Quia enim dixerat, *vel nocte & si adscenderit nubes, promovebunt:* tamquam restabat ut diceret, die autem si non adscenderit non promovebunt, quando quasi promovere debere videbantur: sed quia hoc etiam diebus pluribus fieri poterat, ut noctibus ambularent, promovente nube, & ea manente diebus non ambula- G rent, ideo posuit, *die vel mense diei.* Non dixit mense, ne ibi & noctes ejusdem mensis acciperentur; sed *mense diei*, id est mense ex ea parte qua dies illi fuit, non ex ea qua nox. *Die ergo vel mense diei, abundante nube obumbrante*, id est, abundante in obumbrando, vel abundantiùs obumbrante, *super*

[a] Editi, *protexerit.* At MSS. *protraxerit*: juxta LXX. ἐφέλκυσαι.
[b] Ita constanter MSS. cumque iis inferiùs concordant editi, qui hoc tantùm loco habent, *& cùm sic adscenderit.*

illud, illud scilicet tabernaculum, *in castris erunt filij Israël, & non promovebunt.* Postremò repetiit, divina auctoritate factum, cui resisti utique non debebat, adjungens, *Quoniam per præceptum Domini promovebunt. Custodiam Domini custodierunt, per præceptum Domini, in manu Moysi.* Rediit ad verbum præteriti temporis, ut diceret, *custodierunt.* Quod verò in fine posuit, *in manu Moysi*, usitatissima in Scripturis locutio est, quia per Moysen hæc Deus præcipiebat.

v. 23.

Quæst. XVII. Num. 10. 7.

Et *cùm congregaveritis synagogam, tubâ canetis, & non in signo.* Non ergo ad hoc canendum præcipit, ut congregetur synagoga; nam si hoc fit, signum est: sed jam congregatâ synagogâ, præcipit tubâ canere, tamquam ad cantum jam pertineat; non ad dandum signum, quo dato fieri aliquid admoneat. Proinde cùm hoc quod jam congregatâ synagogâ tubis canebant, quisquam homo novi Testamenti ad aliquid spiritale interpretatur, illi signum est, qui intelligit quare fiat; non illis qui non intelligebant, nisi quando ad hoc fiebat, ut aliquod opus indiceretur.

Quæst. XVIII. Num. 11. 17.

Et *auferam de spiritu qui est in te, & superponam super eos; & sustinebunt tecum impetum populi, & non portabis illos tu solus.* Plerique Latini interpretes non ut in Græco est transtulerunt, sed dixerunt, *Auferam de spiritu tuo qui est in te, & ponam super eos*, aut *ponem in eis*: & fecerunt sensum laboriosum ad intelligendum. Putari enim potest de spiritu ipsius hominis dictum, quo humana natura completur corpore adjuncto, quæ constat ex corpore & spiritu, quem etiam animam dicunt: de quo & Apostolus dicit, Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic & quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Et quod adjungit ac dicit, Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est: ostendit utique alium esse Spiritum Dei, cujus particeps fit spiritus hominis per gratiam Dei. Quamvis posset etiam, sicut alij interpretati sunt, intelligi Spiritus Dei in eo quod dicitur, *de spiritu tuo qui est in te*; ut dictum sit, *tuo*, quia fit etiam noster qui Dei est, cùm accipimus eum: sicut de Johanne dictum est, In spiritu & virtute Eliæ. Non enim anima Eliæ in eum fuerat revoluta: quod si quidam hæretica perversitate opinantur, quid dicturi sunt in eo quod scriptum est, Spiritus Eliæ requievit super Elisæum? cùm jam ille utique haberet animam suam: nisi quia dictum est de Spiritu Dei, ut etiam per illum operaretur, qualia per Eliam operabatur; non ab illo recedens, ut istum posset implere; aut dispertitus minùs esset in illo, ut posset ex aliqua parte & in isto esse. Deus est enim qui possit esse in omnibus tantus, in quibus per illam gratiam esse voluerit. Nunc autem cùm ita scriptum sit, *Et auferam de spiritu qui est super te*, nec dictum sit, *de spiritu tuo*, facilior est absolutio quæstionis: quia intelligimus nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem Spiritu gratiæ illos quoque habituros adjutorium, ex quo habebat Moyses; ut & isti haberent quantum Deus vellet, non ut ideo Moyses minus haberet.

1. Cor. 2. 11.
Ibidem 12.
Lucæ 1. 17
Confer Tertull. lib. de anima c. 55.
4. Reg. 2. 15.

Quæst. XIX. Num. 11. 21.

Et *dixit Moyses, Sexcenta millia peditum, in quibus sum in ipsis; & tu dixisti, Carnes dabo eis, & edent mense dierum. Numquid oves & boves occidentur illis, & sufficient illis; aut omnis piscis congregabitur eis, & sufficiet eis?* Quæri solet utrùm hoc Moyses diffidendo dixerit, an quærendo. Sed si putaverimus eum diffidendo dixisse, nascetur quæstio cur hoc ei non exprobraverit Dominus, sicut exprobravit quòd ad petram, unde aqua profluxit, videtur de potestate Domini dubitasse. Si autem dixerimus hoc eum dixisse quærendo modum quo fieret, ipsa Domini responsio, ubi ad eum dixit, *Numquid manus Domini non sufficiet*, quasi redarguentis videtur, quòd iste ista non credidisset. Sed meliùs arbitror intelligi Dominum ita respondisse, tamquam modum futuri facti, quem ille requirebat, dicere noluerit, sed potiùs opere ipso suam potentiam demonstrare. Poterat enim & Mariæ dicenti, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, à calumniantibus objici, quòd minùs crediderit, cùm illa modum quæsiverit, non de virtute Dei dubitaverit. Quod autem responsum est illi, Spiritus-sanctus superveniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit te, poterat & sic responderi quomodo hîc, Numquid Spiritui sancto impossibile est, qui superveniet in te? ac sic idem ipse sensus conservaretur. Porrò autem talia quædam dicens Zacharias, incredulitatis arguitur, & vocis oppressæ pœnâ plectitur. Quare? nisi quia Deus non de verbis, sed de cordibus judicat. Alioquin & ad illam petram, unde aqua profluxit, poterant excusari verba Moysi, nisi in eum clara esset divina sententia, quòd diffidendo talia dixerit. Nam ita se ea verba habent, *Audite me increduli, Numquid de petra ista educemus vobis aquam?* Deinde sequitur, *Et elevata Moyses manu sua percussit petram virgâ bis, & exiit aqua multa, & bibit synagoga & pecora eorum.* Utique ad hoc congregavit populum, ad hoc illam virgam in qua tanta miracula fecerat sumsit, eâque petram percussit, atque inde solitæ virtutis est consecutus effectus. Verba ergo illa, quibus ait, *Numquid ex hac petra educemus vobis aquam*, possent sic accipi, tamquam diceretur, Nempe ex hac petra secundùm vestram incredulitatem aqua educi non potest: ut denique percutiendo ostenderetur, fieri divinitus potuisse quod illi infidelitate non crederent, maximè quia dixerat, *Audite me increduli.* Ita quidem intelligi possent hæc verba, nisi Deus qui cordis inspector est, quo animo dicta fuerint indicaret. Sequitur enim Scriptura & dicit, *Et dixit Dominus ad Moysen & Aaron, Quoniam non credidistis sanctificare me in conspectu filiorum Israël, propter hoc non inducetis vos synagogam hanc in terram, quam dedi eis.* Ac per hoc intelligitur illa verba ita dixisse Moysen, tamquam ad incertum percusserit, ut si non sequeretur effectus, hoc prædixisse putaretur, cùm ait, *Numquid ex hac petra educemus vobis aquam:* quod in animo ejus lateret omnino, nisi Dei sententiâ proderetur. E contrario itaque isto loco debemus intelligere verba Moysi de promissis carnibus, quærentis potiùs quomodo fieret, quàm diffidentis fuisse; quando sententia Domini non secuta est, quæ vindicaret, sed potiùs quæ doceret.

Num. 20. 10.
Num. 11. 23.
Ibidem 35.
Ibidem 18.
Num. 20. 10. & 11.

Quæst. XX. Num. 12. 1.

De uxore Moysi Æthiopissa quæri solet, utrùm ipsa sit filia Jothor, an alteram duxerit, vel superduxerit: sed ipsam fuisse credibile est: de Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in Paralipomenon Æthiopes dicti, quando contra eos pugnavit Josaphat. Nam in his locis dicitur eos persecutus populus Israël, ubi Madianitæ habitant, qui nunc Sarraceni appellantur. Sed nunc eos Æthiopes nemo ferè appellat, sicut solent locorum & gentium nomina plerumque vetustate mutari.

2. Paral. 14. 9. &c.

Quæst. XXI. Num. 13. 18. & 19.

Et *dixit ad eos, Ascendite ista cremo, & ascendetis in montem, & videbitis terram quæ sit, & populum qui insidet super eam, si fortis est aut infirmus, si pauci sunt aut multi.* Exposuisse intelligitur, secundùm quid dixerit, *si potens est aut infirmus*; hoc est, *si pauci sunt aut multi.* Nam quomodo possent de monte prospicientes sentire humanarum virium fortitudinem? Potest & alius sensus esse multo congruentior veritati: Quod ait, *Ascendetis in montem*, in ipsam terram dixit, quam explorare volebant. Non enim possent facilè exploratores intelligi, ubi tamquam peregrinantes omnia perquirebant. Nam si de montis vertice eos putaverimus conspexisse terram, & explorasse; quomodo possent exquirere omnia, quæ Moyses exquirenda præcepit? Quomodo intrare civitates, quas eos Scriptura dixit intrasse? Quomodo de illa valle botrum tollere, propter quem & loco nomen est inditum, ut vallis [a] Botri diceretur? In ipso ergo monte explorabatur terra, quia ipsa erat quæ exploraretur: & ibi erat quidam depressior locus, de qua valle botrus ablatus est.

Ibid. 23. & 24.

Quæst. XXII. Num. 13. 33.

Et *protulerunt pavorem terræ, quam exploraverunt. Pavorem terræ* dixit, non quo pavebat eadem terra, sed quem ex ea terra conceperant.

Quæst. XXIII. Num. 14. 9.

Caleb & Jesus Nave loquentes ad populum Israël ne timerent ingredi terram promissionis, dixerunt inter cetera, *Vos autem ne timueritis populum terræ, quoniam cibus nobis sunt. Abscessit enim tempus ab eis, Dominus autem in nobis; ne timueritis eos.* Quod dictum est, *Cibus nobis sunt*, intelligi voluerunt, consumemus eos. Quod verò adjunxerunt, *Abscessit enim tempus ab eis, Dominus autem in nobis*: satis diligenter non dixerunt, Abscessit Dominus ab eis; impij quippe antiquitus fuerunt: sed quoniam & impiis occulta dispensatione divinæ providentiæ datur tempus florendi atque regnandi, *Abscessit*, inquiunt, *tempus ab eis, Dominus autem in nobis.* Non dixerunt, Abscessit tempus ab eis, & nostrum successit: sed, *Dominus autem in nobis*, non tempus. Illi enim tempus habuerunt, isti Dominum Deum temporum creatorem & ordinatorem, & quibusque ut ei placet distributorem.

Quæst. XXIV. Num. 15. 24. &c.

Quod præcipitur quomodo expientur peccata, quæ non sponte committuntur, meritò quæritur quæ sint ipsa peccata nolentium, utrùm quæ à nescientibus committuntur; an etiam possit rectè dici peccatum esse nolentis, quod facere compellitur: nam & hoc contra voluntatem facere dici soleret. Sed utique vult propter quod facit, [b] tamquam si pejerare nolit, & facit cùm vult vivere, si quisquam nisi fecerit mortem minetur. Vult ergo facere, quia vult vivere: & ideo non per seipsum appetendo ut falsum juret, sed ut falsum jurando vivat. Quod si ita est, nescio utrùm possint dici ista peccata nolentium, qualia hîc dicuntur expianda. Nam si diligenter consideretur, fortè ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud fit quod vult qui peccat. Omnes quippe homines, qui scientes faciunt quod non licet, vellent licere: usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud quod ex eo consequitur. Hæc si ita se habent, non sunt peccata nolentium, nisi nescientium; quæ discernuntur à peccatis volentium.

Et *anima quæcumque peccaverit in manu superbiæ ex indigenis, aut ex proselytis, Deum hic exacerbat, & exterminabitur anima illa de populo suo; quoniam verbum Domini contempsit, & mandata ejus disperdidit: contritione conteretur anima illa, peccatum ejus in illa.* Quæ sint peccata quæ fiunt in manu superbiæ, id est superbiâ committuntur, Scriptura ipsa in consequentibus satis exposuit, ubi ait, *Quoniam verbum Domini contempsit.* Aliud est ergo præcepta contemnere, aliud magni quidem pendere, sed aut ignarum contra facere, aut victum. Quæ duo fortasse pertineant ad illa peccata, quæ à nolentibus fiunt, de quibus superiùs quemadmodum Deo propitiato expiarentur admonuit; ac inde subjecit peccata superbiæ, cùm quisque superbiendo, id est præceptum contemnendo perperam facit. Quod genus peccati non dixit ullo genere sacrificij purgari oportere, tamquam insanabile judicans, illa dumtaxat curatione, quæ per sacrificia gerebatur, qualia facienda in hac Scriptura præcipiuntur: quæ si per se ipsa adtendantur, [c] nulli peccato possunt mederi; si autem res ipsæ quarum hæc sacramenta sunt inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum. Quod ergo scriptum est, Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit, iste significatus est, quem Scriptura hoc loco dicit, *in manu superbiæ* delinquere. Hoc igitur sine pœna ejus qui committit, non potest aboleri; atque ideo non potest esse impunitum, & cùm pænitendo sanatur: ipsa enim afflictio pænitentis pœna peccati est, quamvis medicinalis & salubris. Meritò quippe magnum judicatur peccatum, cùm superbia præceptum contemnit: sed è contrario, ut sanari possit, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Verumtamen quia sine pœna non fit, ideo hinc talia dicta sunt: *Deum*, inquit, *hic exacerbat*; quia Deus superbis resistit. *Et exterminabitur anima illa de populo suo*; quoniam talis omnino in numero eorum, qui ad Deum pertinent, non est. *Quoniam verbum Domini contempsit, & mandata ejus disperdidit: contritione conteretur anima illa.* Quare autem contritione conteretur, consequenter adjungit, dicens, *Peccatum ejus in illa*: ac per hoc si tali peccato debitam contritionem ipse sibi adhibeat pænitendo, cor contritum, ut dictum est, Deus non spernet. Quamvis in Græco non dictum sit hoc loco, *contritione conteretur*; sed, *extritione extereturanima illa*: quod ita accipi potest, quasi omni modo terendo exstinguatur, ac non sit. Sed priùs natura immortalitatis animæ hunc intellectum recusat. Deinde si quod exteritur, omni modo efficeretur ut non sit, non diceret de sapiente, Et gradus ostiorum ejus exterat pes tuus. Verùm illa discretio magis magisque consideranda est, utrùm nemo peccet nisi aut ignarus, aut victus, aut contemnens; unde nunc longum est disputare.

Quæst. XXV. Num. 15. 30. & 31.
Num. 15. 30.
Psal. 50. 19.
Num. 15. 30.
Jac. 4. 6.
Num. 15. 30.
v. 31.
Eccli. 3. 36.

Quæst. XXVI. Num. 16. 13. & 14.

Quid est quod Dathan & Abiron, cùm in seditionem consurrexissent, vocati à Moyse, ac superbè & injuriosè respondentes, *Numquid pusillum hoc, quoniam eduxisti nos in terram fluentem lac & mel, interficere nos in eremo? quoniam [d] præes nobis, princeps es: & tu in terram fluentem lac & mel induxisti nos, & dedisti nobis sortem agri & vineas:* post hæc addiderunt, *Oculos hominum illorum abscidisses: non adscendimus.* Quorum oculos hominum dixe-

[a] In MSS. constanter, *Botrui* Apud LXX. Num. 13. Βότρυος.
[b] Editi & MSS. (uno excepto Corbeiensi codice) carent his verbis, *tamquam si pejerare nolit, & facit.*
[c] Editi, *nullo pacto possunt.* MSS. *nulli peccato.*
[d] Sic in MSS. & apud LXX. At in antea editis *præest nobis princeps: & tu* &c.

runt? Utrùm populi Israël, tamquam dicentes, Si ista præstitisses, oculos hominum illorum abscidisses, id est, ita te diligerent, ut oculos suos eruerent, & darent tibi. Quod indicium magnum dilectionis & Apostolus dicit, Quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Et deinde plenam contumaciam addiderunt, *Non adscendimus*, id est, Non veniemus; quia vocaverat eos. An potiùs *oculos hominum illorum*, dicit hostium, qui nimis acres & terribiles fuerant nuntiati: tamquam dicerent, Etsi hoc fecisses, non tibi obtemperaremus: nisi quòd modus verbi alius pro alio positus est, ut non diceremus, Non adscenderemus, sed *Non adscendimus*, quodam genere locutionis?

Gal. 4. 15.

Quæst. XXVII. Num. 16. 20.

Et *locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens, Abscedite vos de medio synagogæ istius.* Notandum est tunc jubere Dominum separationem fieri corporalem, cùm jam vindicta imminet malis: sic Noë cum domo sua separatur à ceteris diluvio periturus: sic Lot cum suis separatur à Sodomis igne cælitùs consumendis: sic ipse populus ab Ægyptiis marinis fluctibus obruendis: sic isti nunc à synagoga Chore, Abiron & Dathan, qui se primitus per seditionem abrumpere voluerunt: cum quibus tamen sancti antea viventes & conversantes, & cum ceteris quos reprobat Deus, secundùm verba quæ in eos increpans dicit, contaminari tamen ab eis minimè potuerunt: nec separare se jussi sunt, quando vindictam Dominus sive differebat, sive talem adhibebat, qua innocentes periclitari lædive non possent, sicut serpentum morsibus, sicut strage mortium, qua Deus, quem volebat, sicut volebat, alio percutiebat intacto; non sicut aquâ diluvij, aut igneâ pluviâ, aut aquâ maris, aut hiatu terræ, quæ permixtos poterat pariter absumere: non quia & ibi Deus suos conservare non posset; sed quid opus erat tentatione miraculi ubi separatio fieri poterat, ut vel aqua, vel ignis, vel hiatus terræ, quos invenisset, auferret? Sic & in fine à zizaniis separabuntur frumenta, ut malos cremantibus flammis, justi fulgeant sicut sol in regno Patris sui.

Gen. 7. 1. Gen. 19. 12. Exodi 14. 20.

Matth. 13. 30. & 43.

Quæst. XXVIII. Num. 16. 30.

Quod ait Moyses de Chore & Abiron & Dathan, *In visione ostendet Deus, & aperiens terra os suum absorbebit eos*, quidam interpretati sunt, *In hiatu ostendet Dominus:* credo, putantes dictum χάσματι, quod Græcè positum est φάσματι, quod pro eo dictum est, ac si diceretur, In manifestatione, quod apertè oculis apparebit. Non enim sic dictum est, *In visione*, quemadmodum solent dici visiones, sive somniorum, sive quarumque in ecstasi figurarum; sed ut dixi, in manifestatione. Nonnulli autem aliud opinantes, *In phantasmate* interpretari voluerunt: quod omnino sic abhorret à consuetudine locutionis nostræ, ut nusquam ferè dicatur phantasma, nisi ubi falsitate visorum sensus noster illuditur: quamvis & hoc à videndo sit dictum; sed, ut dixi, aliud loquendi consuetudo præjudicavit.

Quæst. XXIX. Num. 16. 33.

Et *descenderunt ipsi, & omnia quæcumque sunt eis, viventes ad inferos.* Notandum secundùm locum terrenum dictos esse inferos, hoc est in inferioribus terræ partibus. Variè quippe in Scripturis & sub intellectu multiplici, sicut rerum de quibus agitur sensus exigit, nomen ponitur inferorum, & maximè in mortuis hoc accipi solet. Sed quoniam istos viventes dictum est ad inferos descendisse, & ipsa narratione quid factum fuerit satis apparet; manifestum est, ut dixi, inferiores partes terræ inferorum vocabulo nuncupatas, in comparatione hujus superioris terræ in cujus facie vivitur: sicut in comparatione cæli superioris, ubi sanctorum demoratio est Angelorum, peccantes angelos in hujus aëris detrusos caliginem Scriptura dicit tamquam carceribus inferi puniendos reservari: Si enim Deus, inquit, angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in judicio puniendos reservari: cùm apostolus Paulus principem potestatis aëris diabolum dicat, qui operatur in filiis diffidentiæ.

2. Pet. 2. 4.

Ephes. 2. 2.

Et *dixit Dominus ad Moysen & ad Eleazarum filium Aaron sacerdotem, Tollite thuribula ærea è medio exustorum: & ignem alienum hunc semina ibi: quia sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis: & fac ea laminas ductiles circumpositionem altari: quoniam oblata sunt ante Dominum & sanctificata sunt: & facta sunt in signum filiis Israël.* Hoc loco cur non ad Moysen & Aaron, sicut in superioribus, Dominus locutus sit, sed ad Moysen & ad Eleazarum filium Aaron, hæc mihi caussa interim occurrit: quoniam quæstio erat de progenie sacerdotum, id est de quo genere esse deberent, (unde illi ex alio genere, quia sibi usurpare sacerdotium ausi sunt, tam horrendo & mirabili supplicio perierunt,) non ad Aaron, qui jam summus sacerdos erat, sed ad Eleazarum voluit loqui Deus, qui ei succedere debebat, & secundo jam sacerdotio fungebatur, ut eo modo seriem generis commendaret, quæ in successionibus sacerdotum esse deberet. Unde etiam in consequentibus dicit, *Et accepit Eleazar filius Aaron sacerdotis thuribula ærea,* [a] *quanta obtulerunt qui exusti sunt, & addidit ea circumpositionem altaris,* * *memoriale filiis Israël, ut non accedat quisquam alienigena, qui non est de semine Aaron, imponere incensum ante Dominum: & non erit sicut Chore & sicut conspiratio ejus, sicut locutus est Dominus in manu Moysi.* Hoc ergo modo voluit per Eleazarum Deus non sacerdotium, quod jam erat in Aaron, sed successionis sacerdotalis progeniem commendare. Quod verò ait, *Et ignem alienum hunc semina ibi*, sparge intelligendum est. Et quod addidit, *Quia sanctificaverunt thuribula* * *peccatorum horum in animabus suis*, locutione quidem inusitatâ expressa sententia est: sed notandum novo modo dicta sanctificata pœnâ eorum, à quibus hoc peccatum fuerat perpetratum; quia per eos exemplum datum est ceteris, quò timerent. Circumpositionem autem altari cur ex eis fieri voluit, addidit, dicens, *Quoniam oblata sunt ante Dominum, & sanctificata facta sunt in signum filiis Israël:* non ergo in eis reprobari voluit, quòd à talibus oblata sunt; sed hoc potiùs cogitari & attendi, ante quem oblata sint, id est quia ante Dominum, ut plus in eis valeret nomen Domini, ante quem oblata sunt, quàm pessimum meritum eorum, à quibus oblata sunt. Hoc autem jam & in Exodo commemoraverat Scriptura, quando altare fabricatum dicit: unde intelligitur genera rerum gestarum distributa esse per libros, non temporum ordo contextus. Nam & de virga Aaron, quomodo res gesta sit, ut & florens & germinans electionem sacerdotij ejus divinitus indicaret, in hoc libro Scriptura narravit, & tamen de ipsa virga in Exodo dicitur, ut in sanctis sanctorum cum manna in arca

Quæst. XXX. Num. 16. 36. 37. & 38.

v. 39. a v. 40.

v. 37. v. 38.

Ibidem.

Exod. 27. 2.

Num. 17. 8.

Exodi 28.

[a] Am. Er. & Lov. *quæ antea.* Rat. & MSS. *quanta:* juxta LXX. ὅσα.

poneretur, quando præcipitur de tabernaculo fabricando: quod utique longè antè præceptum est, quàm ipsum tabernaculum fabricatum perfectumque consisteret: stetit autem primo mense secundi anni, ex quo de Ægypto egressi sunt; & liber iste incipit à secundo mense ejusdem anni secundi, primo die mensis: unde clarum est ista, si librorum ordinem consideremus, per recapitulationem, id est præteritorum recordationem commemorari, quæ putant, qui minùs diligenter intendunt, eodem facta ordine, quo narrantur.

Exodi 40. 25.

Quæst. XXXI. Num. 18. 1.

Et *ait Dominus ad Aaron, dicens, Tu & filij tui, & domus patris tui tecum, accipietis peccata sanctorum: & tu & filij tui accipietis peccata sacerdotij vestri.* Hæc sunt peccata quæ appellantur sacrificia pro peccatis. Proinde *peccata sanctorum* dictum est, non quæ sancti committant; sed ab eo quòd sunt sancta, dictum est *sanctorum*, quia in sanctis offeruntur: & peccata dicuntur sacrificia pro peccatis: ideo appellata sunt *peccata sanctorum.* Et *peccata sacerdotij vestri*, id est, eadem ipsa quæ offeruntur pro peccatis: sicut etiam in Levitico declarat, & pertinere debere dicit ad sacerdotem.

Levit. 6. 25. & 26.

Quæst. XXXII. Num. 18. 12.

Primogenita *omnia, quæcumque fuerint in terra eorum, quantacumque adtulerint Domino, tibi erunt.* Hîc primogenita, non fetus primitivos pecorum dicit: nam ipsa Græcè πρωτότοκα nominantur, hæc autem πρωτογενήματα. Sed Latinè duabus his rebus, duo nomina reperta non sunt. Et ideo ista πρωτογενήματα quidam *primitias* interpretati sunt: sed primitiæ ἀπαρχαὶ dicuntur, & aliud sunt. Hæc igitur tria ita discernuntur, quia πρωτότοκα sunt primitivi animalium fetus, etiam hominum: πρωτογενήματα verò, primi fructus de terra sumti, vel de arbore, vel de vite: primitiæ autem de fructibus quidem, sed jam redactis ab agro; sicut de massa, de lacu, de dolio, de cupa, quæ primitus sumebantur.

Quæst. XXXIII.

1. De juvenca rufa, cujus cinerem ad aquam adspersionis, eorumque mundationem qui mortuum tetigerint, proficere Lex mandavit, hec [a] tacere permittimur; evidentissimum enim signum in ea novi Testamenti præfiguratur: nec satis dignè festinantes dicere de tanto sacramento valemus. Primò enim quòd ita cœpit de hac re loqui Scriptura, quem non moveat, & intentissimum faciat in altitudine sacramenti? *Et locutus est*, inquit, *Dominus ad Moysen & Aaron, dicens;* * *Ista distinctio Legis, quæcumque constituit Dominus.* Procul dubio non est distinctio, nisi inter aliqua duo, vel plura: nam distinctionem singularitas non requirit. Nec distinctionem cujuslibet rei commemoravit, sed addidit *Legis:* nec cujuscumque legis: assiduè quippe in Scriptura dicitur de unaquaque re, de qua legitimè præcipitur, Hæc est lex illius vel illius rei; non universalis Lex, quæ continet omnia quæ legitimè præcipiuntur: hîc verò cùm dixisset, *Hæc est distinctio Legis*; secutus adjunxit, *quæcumque constituit Dominus*, præcipiendo utique, non creando. Nam etiam nonnulli interpretes, *quæcumque præcepit Dominus*, transtulerunt. Si ergo hæc est distinctio Legis, quæcumque præcepit Dominus; procul dubio magna est ista distinctio: & rectè intelligitur duo Testamenta distinguere. Eadem quippe sunt in vetere & novo; ibi obumbrata, hîc revelata; ibi præfigurata, hîc manifestata. Nam non solùm sacramenta diversa sunt, verùm etiam promissa. Ibi videntur temporalia proponi, quibus spiritale præmium occultè significetur: hîc autem manifestissimè spiritalia promittuntur, & æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, & spiritalium atque æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quàm Passio Domini nostri Jesu Christi? in cujus morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem à Domino Deo pro magno munere sperandam & optandam: quando quidem in unigenito Filio suo, quem tanta illa perperti voluit, longè aliud à se peti exspectarique oportere apertissima distinctione declaravit. Hanc igitur passionem Domini nostri Jesu Christi, velut distinctionem duorum Testamentorum, hoc quod de juvencæ rufæ mactatione narratur, satis congruè præfigurat.

Num. 19. 1. v. 2.

a

b

2. *Locutus est Dominus, ad Moysen & Aaron, dicens, Ista distinctio Legis quæcumque constituit Dominus:* ac deinde mandare incipit hæc adjungens & dicens, *Loquere filiis Israël.* Potest etiam ita distingui, *Et locutus est Dominus ad Moysen & Aaron dicens, Ista distinctio Legis quæcumque constituit Dominus, dicens:* Non quæcumque constituit Dominus creans, sicut cælum & terram & omnia quæ in eis sunt: sed quæcumque constituit Dominus, dicens, in duobus videlicet Testamentis; ut deinde sequatur, *Loquere filiis Israël, & accipiant*[b] *ad te juvencam rufam sine vitio.* Juvenca rufa carnem Christi significat. Sexus femineus est, propter infirmitatem carnalem; rufa est, propter ipsam cruentam passionem. Quod autem ait, *Accipiant ad te*, in ipso Moyse figuram Legis ostendit: quoniam secundùm Legem sibi visi sunt occidere Christum, quia solvebat secundùm ipsos sabbatum, & sicut putabant, observationes legitimas profanabat. Quod ergo sine vitio dicitur hæc juvenca, mirum non est: hanc enim carnem etiam ceteræ hostiæ figurabant, ubi similiter sine vitio pecora immolari jubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati. Verumtamen hîc ubi evidentiùs Legis distinctionem Deus voluit commendare, parum fuit dicere *sine vitio*, nisi diceretur, *quæ non habet in se vitium:* quod si repetendi caussâ dictum est, fortasse non frustra est, quòd eam rem ipsa repetitio firmiùs commendavit. Quamquam & illud non abhorret à vero, ut ideo additum intelligatur, *quæ non habet in se vitium*, cùm jam dictum esset, *juvencam sine vitio*, quia in se non habuit vitium caro Christi, in aliis autem habuit, qui membra sunt ejus. Quæ enim caro in hac vita sine peccato, nisi illa sola, quæ non habet in se vitium? *Et non est superpositum super eam jugum.* Non enim subjugata est iniquitati, cui subjugatos inveniens liberavit, & eorum vincula disrupit, ut ei dicatur, Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Super illius quippe carnem non est positum jugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam & iterum sumendi eam.

Rom. 8. 3.

Psal. 115. 16. & 17.

Johan. 10. 18.

3. *Et dabis eam*, inquit, *ad Eleazarum sacerdotem.* Cur non ad Aaron, nisi fortè ita præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros hujus sacerdotij passionem Domini perventuram? *Et ejicient eam extra castra:* sic & ejectus est Dominus passurus extra civitatem. Quod autem ait, *in locum mundum:* ita significatum est, quia non habuit caussam malam. *Et occident eam in conspectu ejus:* sicut occisa est caro Christi in conspectu

Num. 19. 3.

[a] Sic in MSS. At in excusis *tangere.*

[b] Editi, *à te.* At MSS. juxta LXX, *ad te.*

eorum, qui jam futuri erant in novo Testamento Domini sacerdotes.

v. 4. 4. *Et accipiet Eleazar sanguinem ejus, & adsperget contra faciem tabernaculi testimonij à sanguine ejus septies.* Hæc testificatio est, Christum secundùm Scripturas fudisse sanguinem in remissionem peccatorum. Ideo *contra faciem tabernaculi testimonij*, quia non aliter declaratum est, quàm fuerat divino testimonio prænuntiatum. Et ideo *septies*, quia ipse numerus ad mundationem pertinet spiritalem.

Rom. 3. 25. Ephes. 1. 7.

Num. 19. 5. 5. *Et cremabunt eam in conspectu ejus.* Puto quia concrematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura est quippe ignis, ut in superna moveatur, & in eum convertitur quod crematur. Nam & ipsum cremare de Græco in Latinum ductum verbum est à suspensione. Quod verò additum est, *in conspectu ejus*, id est in conspectu sacerdotis, hoc mihi insinuatum videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Jam quod sequitur, *Et pellis ejus & carnes & sanguis ejus cum stercore ejus comburetur*, id ipsum expositum est, quomodo concremabitur: & significatum est, quòd non solùm substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis & carnium & sanguinis intimata est; verùm etiam contumelia & abjectio plebis, quam nomine stercoris significatam puto, converteretur in gloriam, quam combustionis flamma significat.

κρεμάω, suspendo.

v. 6. 6. *Et accipiet sacerdos lignum cedrinum & hyssopum & coccinum, & immittet in medium combustionis juvencæ.* Lignum cedrinum spes est, quæ debet in superis firmiter habitare. Hyssopus fides, quæ cùm sit herba humilis, radicibus hæret in petra. Coccinum caritas, quod fervorem spiritûs, igneo colore testatur. Hæc tria debemus mittere in resurrectionem Christi, tamquam in medium combustionis illius, ut cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus, Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Colos. 3. 3.

Num. 19. 7. 7. *Et lavabit vestimenta sua sacerdos, & lavabit corpus suum aquâ, & postea introibit in castra, & immundus erit sacerdos usque ad vesperam.* Lavatio vestimentorum & corporis quid est, nisi mundatio exteriorum & interiorum? hoc sacerdos. Deinde

v. 8. sequitur, *Et qui comburet eam, lavabit vestimenta sua, & lavabit corpus suum aquâ, & immundus erit usque ad vesperam.* In eo qui comburit, eos figuratos arbitror, qui Christi carnem sepelierunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes.

v. 9. 8. *Et congregabit homo mundus cinerem juvencæ, & ponet extra castra in locum mundum.* Quid dicimus cinerem juvencæ, reliquias videlicet illius interfectionis & combustionis, nisi famam quæ consecuta est passionem resurrectionemque Christi? Quoniam

Psal. 36. 37. sunt reliquiæ homini pacifico. Nam & cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur: & tamen mundabat, quia & resurrexisse à fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud eos maximè claruit, qui in ceteris gentibus erant, & non erant de consortio Judæorum, ideo dictum esse existimo, *Et congregabit homo mundus cinerem juvencæ:* mundus utique ab interfectione Christi, quæ Judæos fecerat reos. *Et reponet in locum mundum*, id est, honorabiliter tractabit: tamen *extra castra*, quia extra celebrationem Judaïcæ consuetudinis honor Evangelicus claruit. *Et erit synagogæ filiorum Israël in conservationem. Aqua adspersionis, purificatio est.* Postea declarat plenùs quemadmodum ex isto cinere fiebat aqua adspersionis, unde mundabantur à contactu mortuorum, quod utique significat ab iniquitate hujus moribundæ vel morticinæ vitæ.

9. Sed mirum est quod sequitur; *Et qui congregat*, inquit, *cinerem juvencæ, lavabit vestimenta sua: & immundus erit usque ad vesperam.* Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat: nisi quia & ij qui sibi videntur mundi, in fide Christiana se agnoscunt, quia omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei, justificati gratis per sanguinem ipsius? Hunc tamen vestimenta sua lavare dixit, non etiam corpus suum; credo, quòd illius cineris congregatione & repositione in loco mundo, si hæc spiritaliter intelligantur, jam intrinsecùs vult intelligi fuisse mundatum: sicut Cornelius audiens & credens quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem baptismum, cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus-sancti: verumtamen nec visibile sacramentum contemni potuit, [a] ut ablutus etiam extrinsecùs lavaret quodam modo vestimenta sua. *Et erit*, inquit, *filiis Israël, & proselytis qui apponuntur, legitimum æternum.* Quid aliud ostendit, nisi baptismum Christi quem significabat aqua adspersionis, & Judæis & gentibus profuturum, id est filiis Israël & proselytis tamquam naturalibus ramis & inserto pingue-dini radicis oleastro? Quem autem non faciat intentum, quod post ablutionem de singulis quibusque dicitur, *Et immundus erit usque ad vesperam?* Neque hîc tantùm, sed in omnibus, aut penè in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Ubi nescio utrùm aliquid aliud possit intelligi, nisi quòd omnis homo post remissionem plenissimam peccatorum permanendo in hac vita contrahit aliquid, unde sit immundus usque ad ejusdem vitæ finem, ubi ei dies iste quodam modo clauditur, quod significat vespera.

v. 10.

Act. 10. 44.

a

Num. 19. 10.

10. Deinde incipit Scriptura dicere, & exsequitur quemadmodum immundi facti homines, aquâ illâ adspersionis purificentur: *Qui tetigerit*, inquit, *mortuum, omnis anima hominis immunda erit septem diebus: * hic purificabitur die tertio & die septimo, & mundus erit.* Et hîc nihil aliud intelligendum video, nisi contactum mortui, esse hominis iniquitatem. Septem verò dierum immunditiam propter animam & corpus dictam puto, animam in ternario, corpus in quaternario. Quod quare ita sit, longum est disputare. Secundùm hoc arbitror dictum per Prophetam, In tribus & quatuor impietatibus non [b] aversabor. Adjungit autem, & dicit, *Si autem non purificatus fuerit die tertio & die septimo, non erit mundus. * Omnis qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, & mortuus fuerit, & non fuerit purificatus*, id est antè mortuus fuerit tacto mortuo, quàm fuerit purificatus, *tabernaculum Domini polluit: exteretur anima illa ex Israël.* Notandum est quòd difficillimè reperitur in his libris aliquid evidentius de vita animæ post mortem fuisse conscriptum. [c] Hîc ergo cùm dicit, si fuerit mortuus ante purificationem, manere

v. 11.

v. 12.

Amos, 1. 3.

b

Num. 19. 13.

c

a MSS. Michaëlinus & Beccensis, *nec visibile sacramentum contemni potuit oblatum, quin etiam extrinsecùs &c.*

b Editi, *adversabor.* At MSS. *aversabor*: juxta LXX. ἀποστρεφήσομαι.

c Editi & aliquot MSS. post *fuisse conscriptum*, subjiciunt proximè, *Die tertio & in die septimo: & purificabitur* &c. detractis videlicet intermediis 25. versibus, quos restituimus ope veterum codicum Corbeiensis, Thuanei, & Cisterciensis, necnon auctoritate Flori seu Bedæ vulgati in comment. super epist. ad Hebr. cap. 9.

in

in illo immunditiam, & exteri animam illam ex Israël, id est à consortio populi Dei, quid aliud vult intelligi, nisi manere animæ pœnam, etiam post mortem, si cùm vivit mundata non fuerit sacramento isto, quo Christi baptismus figuratur? *Quoniam aqua adspersionis*, inquit, *non est circumadspersa super eum, immundus est; adhuc immunditia ejus in ipso est. Adhuc*, scilicet etiam post mortem. Quod verò suprà dixit, *Tabernaculum Domini polluit*, quantum in ipso est utique, dixit: sicut Apostolus, Spiritum nolite exstinguere; cùm exstingui ille non possit. Nam si ex hoc tabernaculum immundum factum vellet intelligi, mundari utique juberet.

1. Thessal. 5. 19.

11. Postea verò immundos à mortuis factos, hoc est à mortuis operibus, quæ sunt omnes iniquitates, ita mundari jubet: *Et accipient illi immundo*, inquit, *à cinere illius exustæ purificationis, & effundent super illum*, id est super eumdem cinerem,

Num. 19. 17.

v. 18. *aquam vivam in vase: * & accipiens hyssopum, intinguens in aqua vir mundus, & circumadspergens super domum, & super vasa, & super animas, quotquot fuerunt illic, & super eum, qui tetigerit os humanum,*

v. 19. *aut vulneratum, aut mortuum, aut monumentum, * & adsperget mundus super immundum in die tertio & in die septimo: & purificabitur die septimo, & lavabit vestimenta sua, & lavabitur aquâ, & immundus erit usque ad vesperam.* Alia est aqua adspersionis, & alia utique illa qua lavabit vestimenta sua. *Et lavabitur aquâ*, quam puto spiritalem intelligendam, per significationem, non per proprietatem. Nam sine dubio visibilis erat, sicut illæ omnes umbræ futurorum. Proinde qui sacramento baptismi rectè abluitur, quod illâ adspersionis aquâ figurabatur, mundatur & spiritaliter, id est invisibiliter, & in carne & in anima, ut sit mundus & corpore & spiritu. Quod verò hyssopo dixit aquam adspersionis adspergi, qua herbâ suprà diximus fidem significari, quid aliud occurrit, nisi quod scriptum est, Fide mundans corda eorum? Non enim prodest baptismus, si desit fides. A viro autem mundo dixit hoc fieri, ubi significantur ministri portantes personam Domini sui, qui verè vir mundus est. Nam & de his ministris in consequentibus dicit, *Et qui circumadsperget aquam adspersionis, lavabit vestimenta sua*, id est, observabit & [a] corpore. *Et qui tetigerit aquam adspersionis, immundus erit usque ad vesperam.*

Act. 15. 9.

Num. 19. 21.

a

v. 22. * *Et omne quodcumque tetigerit illud immundus, immundum erit: & anima quæ tetigerit, immunda erit usque ad vesperam.* Jam dixi superiùs quid mihi significare videatur, *usque ad vesperam.*

Suprà q. 33. n. 9.

Quæst. XXXIV. Num. 19. 16. Omnis *qui tetigerit super faciem campi vulneratum, aut mortuum, aut os hominis, aut monumentum.* Quæri potest quid dictum sit *vulneratum, aut mortuum.* Si enim aliud voluit intelligi vulneratum, aliud mortuum; cavendum est, ne putetur immundus esse etiam qui tetigerit vulneratum vivum, quod utique absurdum est. Sed quia possunt & mortui esse vulnerati, ipsos mortuos intelligitur discrevisse, ut & vulneratum mortuum intelligamus, id est vulnere peremtum aut mortuum sine vulnere.

Quæst. XXXV. Num. 20. 11. 1. Cor. 10. 4. b Quod de petra aqua educta est, apostolus Paulus quid esset exposuit, ubi ait, Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant [b] enim de spiritali sequenti petra. Petra autem erat Christus. Significata est ergo de Christo profluens gratia spiritalis, qua interior sitis irrigaretur. Sed quòd virgâ petra percutitur, crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram, gratia manavit: & quòd bis percutitur, evidentiùs significat crucem. Duo quippe ligna sunt crux.

Quod de aqua illa quæ de petra profluxit dictum est, *Hæc aqua contradictionis, quia maledixerunt filij Israël ante Dominum, & sanctificatus est in ipsis:* priùs maledixerunt, quando locuti sunt contra beneficium Domini, quo educti erant de Ægypto; & postea sanctificatus est in ipsis, cùm illo miraculo profluentis aquæ ejus sanctitas declarata est. An fortè duo genera hominum demonstravit, & contradicentium gratiæ Christi, & percipientium gratiam Christi; ut illis sit aqua contradictionis, istis sanctificationis? Nam & de ipso Domino in Evangelio legitur, Et in signum cui contradicetur.

Quæst. XXXVI. Num. 20. 13.

Luc. 2. 34.

Quod inter mandata Moyses ad regem Edom dicit inter cetera, *Neque bibemus aquam de lacu tuo*, intelligendum est gratis, id est quia non gratis bibemus: quod postea manifestat, dicens, *Si autem de aqua tua bibemus, ego & pecora mea, dabo pretium tibi.*

Quæst. XXXVII. Num. 20. 17. v. 19.

Non *declinabimus in dextera neque in sinistra:* pluraliter dictum est, in ea quæ dextera sunt, vel quæ sinistra sunt.

Quæst. XXVIII. Num. 20. 17.

Non *introibitis in terram, quam dedi filiis Israël in possessionem: quoniam exacerbastis me super aquam maledictionis.* Quam dixit superiùs aquam contradictionis, ipsam dicit hîc maledictionis. Non enim ait ἀντιλογίας, sed λοιδορίας.

Quæst. XXIX. Num. 20. 24.

Et *vovit Israël votum Domino, & dixit, Si mihi tradideris populum istum subjectum*, id est si mihi eum tradendo subjeceris, *anathemabo illum & civitates ejus.* Hîc videndum est, quomodo dicatur *anathemabo*, quod vovetur, & tamen pro maledicto ponitur; sicut & de isto populo dicitur: unde illud est, Si quis vobis evangelizaverit præter quàm quod accepistis, anathema sit. Hinc vulgò ductum est, ut devotatio dicatur: nam devotare se quemquam, nemo ferè dicit, nisi maledicens.

Quæst. XL. Num. 21. 2.

Gal. 1. 8.

Et *anathemavit eum & civitatem ejus: & vocatum est nomen loci illius Anathema.* Hinc ductum est ut anathema, detestabile aliquid & abominabile videatur. Ut enim nihil inde victor in usus suos auferret, sed totum in pœnam luendam voveret, hoc erat anathemare, quod vulgò dicitur devotare. Origo autem hujus verbi est in Græca lingua ab his rebus, quæ votæ & persolutæ, hoc est, promissæ & redditæ, sursum ponebantur in templis, ἀπὸ τοῦ ἄνω τιθέναι, hoc est sursum ponere, vel figendo, vel suspendendo.

Quæst. XLI. Num. 21. 3.

In itinere filiorum Israël, quo castra promovebant, atque ponebant, inter cetera scriptum est, *Et inde castra collocaverunt trans Arnon in [c] eremo, quod exstat à limitibus Amorrhæorum. Est enim Arnon limes [d] Moab, inter Moab & inter Amorrhæum. Propterea dicitur in libro, Bellum Domini Zoob inflammavit, & torrentes Arnon, & torrentes constituit inhabitare Er.* In quo libro hoc scriptum sit, non commemoravit, neque ullus est in his, quos divinæ Scripturæ canonicos appellamus. De talibus occasiones reperiunt, qui libros apocryphos incautorum auribus & curiosorum conantur inserere, ad

Quæst. XLII. Num. 21. 13. & 14.

c

d

a Sic MSS. At editi, *& corpus.*

b Editi, *Bibebant autem.* MSS. *enim*: juxta Græc.

c Codices omnes hîc ferebant, *in Hernon*: corruptè pro *in eremo*, uti ex LXX. & ex Vulgata liquet.

d Editi omittunt hîc, *Moab*: atque infra pro *Zoob*, constanter habent, *Moab*. quæ errata emendantur ex MSS. & ex LXX.

persuadendas fabulosas impietates. Sed hîc dictum est scriptum in libro, non dictum est in cujus Prophetæ vel Patriarchæ sancto libro. Neque negandum est, fuisse jam libros sive Chaldæorum, unde egressus est Abraham; sive Ægyptiorum, ubi didicerat Moyses omnem illorum sapientiam; sive cujusque gentis alterius, in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum: qui tamen non ideo sit assumendus in eas Scripturas, quibus divina commendatur auctoritas; sicut nec Propheta ille Cretensis (Tit. 1. 12.), cujus mentionem facit Apostolus; nec Græcorum scriptores vel Philosophi vel Poëtæ, quos idem ipse Apostolus magnum sanè aliquid & veraciter promtum ad Athenienses loquens, dixisse confirmat (Act. 17. 28.): In illo enim vivimus & movemur & sumus. Licet enim divinæ auctoritati unde voluerit, quod verum invenerit, testimonium sumere; sed non ideo omnia quæ ibi scripta sunt, accipienda confirmat. Cur autem hoc isto commemoratum sit loco, non evidenter apparet, nisi fortè ut fines illic inter duas gentes constituerentur, bello actum est, quod bellum ejusdem loci homines propter magnitudinem, bellum Domini esse dixerunt, ut scriberetur in aliquo eorum libro, *Bellum Domini Zoob inflammavit:* quòd vel arserit eodem bello ista civitas, aut ad pugnandum inflammata sit, hoc est excitata, vel si quid aliud in obscuritate loci hujus latet.

Quæst. XLIII. Num. 21. 16.

Hic *est puteus, quem dixit Dominus ad Moysen, Congrega populum, & dabo eis aquam bibere.* Ita hoc commemoratum est, quasi alicubi superiùs hoc ad Moysen dixisse Dominus legatur. Sed quia nusquam reperitur, hîc intelligendum est, & illic bibisse populum, qui de siccitate conquerebatur.

Quæst. XLIV. Num. 21. 24. & 25.

Et *percussit eum Israël nece gladij: & dominati sunt terræ ejus ab Arnon usque Iaboc, & usque ad filios Ammon: quoniam Iazer termini filiorum Ammon sunt. Et accepit Israël omnes civitates istas. Et habitavit Israël in omnibus civitatibus Amorrhæorum in Esebon.* Hic certè Israël possedit civitates Amorrhæorum, quas bello superavit; quia non eas anathemavit: nam si eas anathemasset, possidere illi non liceret, nec inde ad usus suos aliquid prædæ usurparet. Notandum est sanè quemadmodum justa bella gerebantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat. Sed jam ut Deus sua promissa compleret, adjuvit hîc Israëlitas, quibus Amorrhæorum terram dari oportebat. Nam Edom (Num. 20. 21.) cùm similiter eis transitum denegaret, non pugnaverunt cum ipsa gente Israëlitæ, id est filij Jacob cum filiis Esaü, duorum germanorum atque geminorum, quia terram illam Israëlitis non promiserat; sed declinaverunt ab eis.

Quæst. XLV. Num. 21. 27.

Propterea *dicent ænigmatistæ, Venite in Esebon*, & cetera. Qui sint ænigmatistæ ideo non apparet, quia non sunt in consuetudine litteraturæ nostræ, neque in ipsis divinis Scripturis ferè alio loco reperitur hoc nomen: sed quia videntur quasi canticum dicere, quo cecinerunt bellum inter Amorrhæos & Moabitas gestum, in quo Seon rex Amorrhæorum Moabitas superavit, non incredibiliter putantur isti ænigmatistæ sic tunc appellati, quos Poëtas nos appellamus, eo quòd poëtarum sit consuetudo atque licentia miscere carminibus suis ænigmata fabularum, quibus aliquid significare intelligantur. Non enim aliter essent ænigmata, nisi illic esset tropica locutio, qua discussâ perveniretur ad intellectum, qui in ænigmate latitaret.

Quæst. XLVI. Num. 22. 4. & 5.

Quod dicit Scriptura, postea quàm Israël vicit Amorrhæos, & possedit omnes civitates eorum, misisse legatos Balac regem Moabitarum ad conducendum Balaam, à quo malediceretur Israël, satis ostenditur non omnes Moabitas venisse in conditionem Seon regis Amorrhæorum, quando eos bello superavit: si quidem remansit gens Moabitarum usque ad illud tempus, ubi regnaret Balac rex Moab. Quod verò Moab dixit senioribus Madian, id est Moabitæ senioribus Madianitarum, *Nunc* [a] *ablinguet synagoga hæc omnes qui in circuitu nostro sunt*, non una gens erat, sed vicini ad vicinos dixerunt quod pariter cavendum esset. Nam Moab filius fuit Lot (Gen. 19. 37.) ex una filiarum, Madian verò filius Abrahæ de Cethura (Gen. 25. 2.). Non itaque una gens erat, sed duæ vicinæ atque conterminæ.

Quæst. XLVII. Num. 22. 7.

Quid est quod scriptum est, *Et divinationes in manibus eorum*, cùm de iis diceretur, quos miserat Balac ad conducendum Balaam, ut malediceret Israël? Numquidnam ipsi divinabant? an aliqua ferebant unde faceret Balaam, quo posset divinare, tamquam aliqua quæ in sacrificiis incenderentur, aut quoquo modo impenderentur, & ideo dictæ sunt divinationes, quia per hæc ille poterat divinare? an quid aliud? obscurè enim dictum est. Notandum sanè, quod *venit Deus ad Balaam & dixit ei*, (v. 8.) * *Quid homines hi penes te*, &c. (v. 9.) Nec dictum est, utrùm in somnis hoc factum sit, quamvis per noctem factum satis eluceat, cùm post hæc dicit Scriptura, *Et exsurgens Balaam manè*. (v. 13.) Potest enim movere, quomodo cum homine pessimo Deus locutus sit, quod etiamsi in somnis factum esse constaret, non ideo nulla quæstio remaneret, propter ipsam indignitatem. Sic & Dominus Jesus Christus ait de divite illo, qui destruere veteres apothecas & ampliores novas disponebat implere: Dixit ad illum Deus (Luc. 12. 20.), Stulte, hac nocte anima tua auferetur à te, hæc quæ præparasti cujus erunt? Ne quisquam glorietur, quòd ei loquitur Deus eo modo, quo talibus loquendum esse novit; quando potest hoc & reprobis fieri: quia & cùm per Angelum loquitur, ipse loquitur.

Quæst. XLVIII. Num. 22. 18.

Quod ait Balaam iterum ad se missis honoratioribus nuntiis, *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argento & auro, non potero prævaricare verbum Domini, facere illud pusillum vel magnum in mente mea*, nullum habet omnino peccatum: sed quod sequitur non est sine gravi peccato. Jam enim constans esse debuit semel audito, quod ei dixerat Dominus, *Non ibis cum eis, neque maledices populum: est enim benedictus:* (v. 12.) nec eis ullam spem dare, quòd posset Dominus, tamquam ipse Balaam muneribus & honoribus flexus, adversùs populum suum, quem benedictum esse dixerat, suam mutare sententiam. Sed ibi se victum cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Quid enim opus erat quæ sequuntur adjungere? *Et nunc sustinete ibi & vos nocte hac, & sciam quid adjiciet Dominus loqui ad me.* (v. 19.) Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permisit eum ire, ut per jumentum quo vehebatur ejus avaritiam coërceret: hoc ipso confundens illam dementiam (v. 28.), quòd prohibitionem Domini per Angelum factam transgredi asina non audebat, quam ille

[a] In editis, *adjunget synagoga, hæ omnes* &c. In MSS. *ablinguet synagoga hæc.* quæ est lectio LXX.

cupiditate transgredi conaretur, quamvis eamdem cupiditatem timore supprimeret. (v. 20.) *Venit enim Deus ad Balaam nocte, & ait illi, Si vocare te venerunt homines, exsurgens sequere eos, sed verbum quodcumque locutus fuero ad te, hoc facies.* * (v. 21.) *Et exsurgens Balaam manè stravit asinam suam, & abiit cum principibus Moab.* Cur post istam permissionem Deum iterum non consuluit, & post illam prohibitionem iterum consulendum putavit, nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur? (v. 22.) Denique Scriptura sequitur, *Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse: & insurrexit Angelus Dei, ut non permitteret eum in via*, & cetera quæ sequuntur, donec asina loqueretur. Nihil hîc sanè mirabilius videtur, quàm quod loquente asinâ territus non est, sed insuper ei, velut talibus monstris assuetus, irâ perseverante respondit. Postea illi & Angelus loquitur, arguens & improbans ejus viam: quo viso tamen exterritus adoravit. Deinde ire permissus est, ut jam per ipsum prophetia clarissima proferretur. Nam omnino permissus non est dicere quod volebat, sed quod virtute Spiritus cogebatur. Et ipse quidem reprobus mansit: nam posterior de illo sancta Scriptura ita locuta est, ut quidam reprehensibiles & reprobi viam ejus secuti dicerentur (2. Pet. 2. 15.): Secuti, inquit, viam Balaam filij Beor, qui mercedem iniquitatis dilexit.

Quæst. XLIX. Num. 22.

De Angelo qui locutus est Balaam in via, quo viso asina ejus progredi non ausa est, Scriptura ita loquitur, *Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse, & insurrexit Angelus Dei differre eum in via.* Ubi primò notandum est, quemadmodum dixerit, *iratus est Deus, & insurrexit Angelus Dei:* nec interposuit iratum Deum misisse Angelum, sed tamquam in Angelo iratum Deum significavit; quoniam veritas & justitia Dei irasci Angelum fecit. Nam *insurrexit* quod dictum est, utique commotione intelligendum est. Deinde quod ait, *differre eum in via*, quod Græcè positum est διαβαλεῖν, hoc & in consequentibus dicit ipse Angelus, (v. 32.) *Et ecce ego exij in dilationem tuam*, ubi Græcus habet διαβολήν. Ubi fortassis accusatio congruentiùs intelligitur, ut hîc quod dictum est *differre eum in via*, accusare accipiatur. Unde creditur (Diabolus.) etiam diabolus appellatus, tamquam accusator Latinè dicendus sit: non quia nemo possit etiam bene rectéque accusare; sed quoniam diabolus amat accusare, utique invidentiæ stimulis agitatus, quale illi in Apocalypsi testimonium perhibetur (Apoc. 12. 9. & 10.). Positum est autem hoc verbum & in Comœdia, unde Latinum esse non dubium est, sub eadem significatione, vel certè vicina, ubi de patre irato dicitur filio (Terentius in Andr. act. 2. scen. 4.), Orationem sperat invenisse se, qua differat te. Solet autem hîc intelligi, differat, velut hac atque illac ferat tempestate verborum, quasi discerpat, & dissipet; quod utique ille accusando videbatur esse facturus. Sed & si *differre eum in via* sic intellexerimus, quia distulit Angelus ejus festinationem remorando, ut ei quod opus erat & demonstraret, & diceret; non absurda est hujus verbi etiam sub ista significatione positio.

Quæst. L. Num. 22. 23.

Et *cùm vidisset asina Angelum Dei resistentem in via, & evaginatum gladium in manu ejus, & declinavit asina de via, & ibat in campum.* Campus iste adhuc extra macerias vinearum fuit. *Et percussit asinam in virga, ut corrigeret eam in via.* * (v. 24.) *Et stetit Angelus Dei in sulcis vinearum, maceria hinc, & maceria hinc.* Meritò quæritur si hinc atque inde maceriæ in medio ponebant viam, sicut fieri solet; quomodo ibi stans Angelus, dicitur stetisse in sulcis vinearum? Neque enim in via inter macerias potuerunt sulci esse vinearum. Sed ordo verborum est, *ut corrigeret eam in via, maceria hinc, & maceria hinc.* In hac ergo via corrigere voluit asinam Balaam, ut inter macerias ambularet. Interpositum est autem, *Et stetit Angelus Dei in sulcis vinearum*, in una scilicet vinearum, quæ in medio ponebant viam. *Et cùm vidisset asina Angelum Dei, compressit se ad parietem*, (v. 25.) id est ad maceriam illius utique vineæ, in qua non erat Angelus, quoniam ab alia parte erat in sulcis vinearum. *Et compressit pedem Balaam ad parietem, & adjecit adhuc cædere eam.* * *Et apposuit Angelus Dei, &* [a] *adjiciens* (v. 26.) *substitit in loco angusto:* jam non in sulcis vinearum, sed inter ipsas macerias, id est in via: [b] *in quo non fuit declinare dextram neque sinistram.* * *Et cùm vidisset asina Angelum Dei,* [c] *consedit sub Balaam.* (v. 27.) Cæsa enim, retrò non ibat: in parietem non se premebat, quoniam non ab altera parte terrebatur, sed in media via in angusto Angelus erat: restabat ergo ut subsideret. *Et iratus est Balaam, & percutiebat asinam virgâ.* * *Et aperuit Deus os asinæ, & ait ad Balaam, Quid feci tibi, quia percussisti me tertiò hoc?* (v. 28.) * *Et ait Balaam asinæ, Quia illusisti mihi, & si haberem gladium in manu mea, jam transfixissem te.* (v. 29.) Nimirum iste tanta cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur, & responderet quasi ad hominem loquens, cùm Deus utique non asinæ animam in naturam rationalem vertisset, sed quod illi placuerat, ex illa sonare fecisset, ad illius vesaniam cohibendam: illud fortasse præfigurans, quia stulta mundi electurus erat Deus (1. Cor. 1. 27.), ut confunderet sapientes, pro illo spiritali & vero Israël, hoc est promissionis filiis.

Quæst. LI. Num. 23. 6.

Et *factus est Spiritus Dei super illum*, id est, super Balaam. Non factus est Spiritus Dei, tamquam factura sit Spiritus Dei, sed *factus est super illum*, id est, factum est ut super illum esset: quomodo, Qui post me venit, ante me factus est (Johan. 1. 15. & 2.), id est, factum est ut ante me esset, ut præponeretur mihi; quia prior me, inquit, erat. Et sicut, Dominus factus est adjutor meus (Psal. 29. 11.): non enim Dominus factura est, sed factum est ut me adjuvaret. Et, Factus est Dominus refugium pauperum (Psal. 9. 10.), id est, factum est ut ad eum refugerent pauperes. Et, facta est super me manus Domini (Ezech. 1. 3. & 3. 22.), id est, factum est ut super me esset: & multa talia in Scripturis reperiuntur.

Quæst. LII. Num. 25. 4.

Et *dixit Dominus ad Moysen, Accipe duces populi, & ostenta eos Domino contra solem; & auferetur ira animationis Domini ab Israël.* Iratus est Deus de fornicationibus Israël, & carnalibus & spiritalibus; nam & filiabus Moab se impudicè miscuerant, & idolis fuerant consecrati: hoc ad Moysen dixit, ut ostentaret Domino duces populi contra solem. In quo verbo intelligitur, eos jussos esse crucifigi, ut hoc sit, *Ostenta eos Domino contra solem*, id est palam in conspicuo lucis hujus. Nam Græcus ait παραδειγμάτισον, quod dici posset, Exempla; quia παράδειγμα exemplum dicitur. Nam præter Septuaginta interpretes, Aquila perhibetur dixisse, *confige*, vel potiùs *sursum confige*, quod est ἀνάπηξον: Symmachus autem verbo evidentiore,

[a] Apud LXX. καὶ ἀπελθών, & abiens.
[b] Sic MSS. juxta LXX. At editi, *in qua non fuit declinare in dexteram.*
[c] Editi, *concidit.* MSS. *consedit*: apud LXX. συνεκάθισεν.

suspende. Mirum est sanè, quòd Scriptura narrare desiderit, utrùm hoc fuerit ex præcepto Domini impletum; quod contemni potuisse non video, aut si contemtum est, impunè contemni. Si autem factum est & tacitum, cur ex eo quòd Phinees filius Eleazar transfixit adulteros, placatum fuisse Dominum, Scriptura testatur, plagamque cessasse; quasi crucifixis ducibus, sicut præceperat Dominus, adhuc indignatio perseverans alio modo placanda videretur: cùm procul dubio falsum esse non posset, quod prænuntiaverat & promiserat Dominus, dicens, *Accipe duces populi, & ostenta eos Domino contra solem, & avertetur ira animationis Domini ab Israël?* Si ergo factum erat, quis dubiter iram Domini aversam fuisse ab Israël? Quid itaque opus erat, ut adhuc Phinees ad placandum Deum sic in adulteros vindicaret, eique testimonium Scriptura perhiberet, quòd eo modo placaverit Dominum? Nisi fortè intelligamus, cùm illud de ducibus populi Moyses, quod præceperat Dominus, implere disponeret, eum voluisse etiam secundùm Legem talia punire flagitia, & sacrilegam audaciam, ut juberet quemque interficere proximum suum diis alienis nefariè consecratum, atque interea etiam illud Phinees faceret, ac sic irâ Domini jam placatâ, non opus fuisse duces populi crucifigi. Hæc sanè severitas illi tempori congrua, quantum malum sit fornicationis & idolatriæ, prudentium fidei satis evidenter ostendit.

Quæst. LIII. *Num.* 27. 13. & 14. *Num.* 20. 12.

Eam caussam mortis Moysi dicit Dominus, quam etiam fratris ejus. Ambobus enim etiam hoc antè prædixerat, quòd ideo non intrarent cum populo Dei in terram promissionis, quia non eum sanctificaverunt coram populo ad aquam contradictionis; id est quia dubitaverunt de dono ejus, quòd posset aqua de petra profluere, sicut expo-
Suprà q. 19. suimus in eo ipso Scripturæ loco. Hujus autem rei mysterium datur intelligi, quia nec sacerdotium quod priùs institutum est, cujus personam gerebat Aaron, nec ipsa Lex cujus personam gerebat Moyses, introducunt populum Dei in terram hereditatis æternæ; sed Jesus, in quo typus erat Domini Jesu Christi, id est gratia per fidem. Et Aaron qui-
Ibidem 29. dem antè defunctus est, quàm Israël in aliquam partem terræ promissionis intraret; Moyse autem adhùc vivente capta est terra Amorrhæorum atque possessa, sed Jordanem cum eis non est transire permissus. Ex aliqua enim parte Lex observatur in fide Christiana. Ibi enim sunt etiam præcepta, quæ hodieque observare Christiani jubemur. Sacerdotium verò illud & sacrificia nullam partem tenent hodie fidei Christianæ, nisi quòd in umbris futurorum acta atque transacta sunt. Cùm verò ambobus fratribus, id est Aaron & Moysi dicitur, ut apponantur ad populum suum, manifestum est, non esse in illos iram Dei, quæ separat à pace sanctæ societatis æternæ. Unde manifestatur, non solùm officia, sed etiam mortes eorum signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei.

Quæst. LIV. *Num.* 27. 18. & 19.

Et *locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Accipe ad teipsum Iesum filium Nave, hominem qui habet spiritum in seipso: & impones manus tuas super eum, & statues eum in conspectu Eleazari sacerdotis, & mandabis ei in conspectu omnis synagogæ*, &c. Notandum est, quòd cùm jam haberet spiritum in seipso Jesus Nave, sicut Scriptura testatur, (ubi quid aliud quàm Spiritum sanctum debemus acci-

a Editi, *sacramentum.* MSS. *sacramenta.*

pere? non enim de spiritu hominis hoc diceret, quem nullus erat qui non habebat,) jussus est tamen Moyses ei manus imponere: ne quisquam homo, qualibet præpollens gratiâ, [a] sacramenta consecrationis audeat recusare. a

Quæst. LV. *Num.* 27. 20.

Quid est quòd cùm Deus præciperet Moysi de Jesu Nave, ait inter cetera, *Et dabis de gloria tua super eum?* Nam Græca locutione ἀπὸ τῆς δόξης habet, quod tantumdem valet ac si diceret, *de gloria*, id est ἀπὸ τῆς δόξης. Latini autem nonnulli interpretati sunt, *dabis gloriam tuam*, non *de gloria tua.* Sed sive illud esset, ut *gloriam tuam* diceret, non ideo eam non habiturus erat Moyses: nec quia dixit *de gloria*, ideo minutum est quod habebat. Sic enim accipiendum est, ac si diceret, Facies eum socium gloriæ tuæ: non autem hujusmodi res, quasi partiliter divisæ, minuuntur; sed totæ sunt omnibus, totæ singulis, qui earum habent societatem.

Quæst. LVI. *Num.* 30. 3.

Homo, *homo quicumque voverit votum Domino, aut juraverit juramentum, aut definierit definitionem de anima sua, non profanabit verbum suum: omnia quæcumque exierint ex ore ejus faciet.* Non hoc ad omnem jurationem pertinet, sed ad eam ubi quisque de anima sua voverit alicujus utique rei abstinentiam, qua ei licebat uti per Legem, sed per votum sibi ipse efficit non licere.

Quæst. LVII. *Num.* 30. 4. 5. & 6.

Si *autem mulier voverit votum Domino, aut definierit definitionem in domo patris sui in juventute sua, & audierit pater ejus vota ejus, & definitiones ejus, quas definivit adversùs animam suam, & tacuerit pater ejus; & stabunt omnia vota ejus, & omnes definitiones ejus, quas definivit adversùs animam suam, manebunt ei. Si autem abnuens abnuerit pater ejus, quacumque die audierit omnia vota ejus, & definitiones ejus, quas definivit adversùs animam suam, non stabunt: & Dominus emundabit eam, quia abnuit pater ejus.* Quoniam quidem de muliere, quæ adhuc in juventute sua in domo patris est, loquitur, meritò hîc quæritur etiam de voto virginitatis: mulieres quippe etiam virgines in Scriptura appellari solere notissimum est: & videtur etiam Apostolus de patre loqui, cùm dicit, Servet virginem suam; & 1. *Cor.* 7. 37.
Det nuptum virginem suam, & cetera hoc modo: ubi nonnulli intellexerunt, virginem suam, virginitatem suam, nulla tamen hoc simili Scripturarum locutione demonstrant, cùm sit inusitatissima. Quod autem ait, *adversùs animam suam*, non sic accipiendum est, quasi animæ noceat talibus votis; sed *adversùs animam* dicitur, adversùs animalem delectationem, sicut etiam de jejunio præcipiens superiùs ait, *Et affligetis animas vestras.* *Num.* 29. 7.

Quæst. LVIII. *Num.* 30. 6.

Quod autem ait, *Et Dominus emundabit eam, quia abnuit pater ejus: emundabit* dixit, à voti non impleti crimine absolvet: sicut in multis locis dicitur, Et mundabit eum sacerdos, id est mundum habebit, mundum judicabit; sicuti est & illud, Mundatione non mundabis reum, id est, Non dices mundum eum qui immundus est.

Quæst. LIX. *Num.* 30. 7. 8. & 9.

1. Si *autem facta fuerit viro, & vota ejus super eam secundùm distinctionem labiorum ejus, quanta definivit adversùs animam suam; & audierit vir ejus, & tacuerit ei quacumque die audierit: & ita stabunt omnia vota ejus, & definitiones ejus, quas definivit adversùs animam suam stabunt. Si autem abnuens abnuerit vir ejus in quacumque die audierit omnia vota ejus, & definitiones ejus, quas definivit adversùs animam suam,*

non manebunt: quoniam vir abnuit ab ea, & Dominus mundabit eam. Feminam sub patre antequam nubat, & sub viro nuptam, noluit Lex ita vovere aliquid Deo adversùs animam suam, id est in aliquarum rerum licitarum atque concessarum absti-
a nentia, ut in eisdem votis feminea [a] valeat auctoritas, sed virilis; ita ut si adhuc innuptæ jam concesserat pater vota persolvere, si antequam persolverit nupserit, & viro ejus hoc cognitum non placuerit, non persolvat, & sit omnino sine peccato, quia *Dominus mundabit eam*, sicut dicit, id est B Non enim ait Lex, virum non debere reddere vota mundam judicabit: neque hoc contra Deum fieri putandum est, cùm ipse Deus hoc præceperit, hoc voluerit.

2. Sequitur autem de viduis, vel à viro abjectis, id est non sub potestate viri constitutis, aut patris; & earum vota ad persolvendum libera esse dicit hoc
v. 10. modo, *Et votum*, inquit, *viduæ & expulsæ, quæcumque voverit adversùs animam suam, manebunt ei.* Deinde dicit de nupta, si in domo viri sui jam constituta aliquid tale voverit. De illa enim priùs dixe- C rat, quæ in domo patris voverat, & antequam redderet nupserat. De hac ergo quæ in domo mariti
v. 11. vovit, ita loquitur: *Si autem in domo viri ejus votum ejus, aut definitio, quæ adversùs animam ejus cum*
v. 12. *jurejurando;* * *& audierit vir ejus, & tacuerit ei, & non abnuerit ei; & stabunt omnia vota ejus, & omnes definitiones, quas definivit adversùs animam suam,*
v. 13 *stabunt adversùs eam.* * *Si autem circumauferens circumauferat vir ejus, quacumque die audierit omnia, quæcumque exierint ex labiis ejus, secundùm vota ejus* D *& secundùm definitiones, quæ adversùs animam ejus, non manent ei: vir ejus circumabstulit, & Dominus*
v. 14. *mundabit eam.* * *Omne votum & omne jusjurandum vinculi affligere animam, vir ejus statuet ei, & vir*
v. 15. *ejus circumauferet.* * *Si autem tacens tacuerit ei diem ex die, & statuet ei omnia vota ejus, & definitiones, quæ super ipsam, statuet ei; quoniam tacuit ei, die quo au-*
v. 16. *divit.* * *Si autem circumauferens circumauferat vir ejus post diem, quem audivit; & accipiet peccatum suum.*

3. Manifestum est ita voluisse Legem feminam E esse sub viro, ut nulla vota ejus, quæ abstinentiæ caussâ voverit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo. Nam cùm ad peccatum ejusdem viri pertinere voluerit, si priùs permiserit, & postea prohibuerit; etiam hîc tamen non dixit ut faciat mulier quod voverat, quia permissa priùs à viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia abnuit quòd priùs concesserat: non tamen mulieri vel ex hoc permissum dedit, ut cùm priùs ei vir concesserit, posteà si prohibuerit contemnatur.

4. Utrùm autem ista etiam ad vota continentiæ F & à concubitu abstinentiæ pertineant, meritò quæritur, ne fortè ea tantùm intelligenda sint adversùs animam voveri, quæ sunt in cibis & potionibus. Quod videtur & illud significare, ubi Domi-
Matth. 6. 25. *Num.* 29. 7. nus ait, Nonne anima plus est quàm esca? Et cùm de jejunio præcipitur, ita præcipitur, *Affligetis animas vestras.* Nescio autem utrùm alicubi legi possit, adversùs animam dici votum, quod de ab- G stinentia concubitus fuerit: maximè quia cùm hîc Lex auctoritatem viro tribuat, non mulieri quæ viro subdita est, ut tunc persolvenda sint vota mulieris, si vir approbaverit; si autem renuerit, non debeantur: Apostolus tamen cùm de concubitu
1. *Cor.* 7. 3. conjugatarum loqueretur, non ibi majorem auctoritatem viro quàm feminæ dedit; sed, Uxori, inquit, vir debitum reddat, similiter & uxor viro: « uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; « similiter autem & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Quando ergo in hac re parem utriusque esse voluit potestatem, puto quòd nobis intelligendum insinuet, istam de concumbendo vel non concumbendo regulam non pertinere ad ea vota, ubi non habent parem vir & mulier potestatem, sed viri major est, ac propè ejus solius est.

5. Deinde quia & istæ justificationes dicuntur, & meminimus in illis justificationibus, quæ in Exodo sub hoc nomine aliæ commemorantur, multa præcipi, quæ accipi ad proprietatem non possint, nec in novo Testamento observentur; sicut de au- *Exodi* 21. 6. re servi pertundenda, & si quid ejusmodi est: non absurdè etiam hîc aliquid figuratè dictum intelligitur, ut quoniam sunt multæ abstinentiæ cerimoniarum irrationabiles, & aliquando etiam inimicæ veritati, hoc fortasse hîc intelligi voluerit, tunc ratas esse, cùm rationabiles fuerint, hoc est, cùm eas approbaverit ratio, quæ ad vicem viri debet regere omnem animalem motionem, quæ fit non tantùm in appetendo, verùm etiam in abstinendo; ut si mente & ratione decernitur, tunc fiat; si autem improbatur consilio rationis, non fiat. Quod si ratio quod priùs rectè faciendum esse decreverit, pòst improbet, sit peccatum consilij: etiam sic tamen nonnisi rationi motio illa consentiat.

Quæst. LX. *Num.* 31. 6.

Quid est, *Et misit eos Moyses mille ex tribu & mille ex tribu cum virtute eorum?* Utrùm virtutem eorum vult intelligi, principes eorum: an virtutem à Domino eis datam, vel per ipsum Moysen impetratam: an potiùs virtutem eorum [b] dicit, ea quibus virtus eorum sustentaretur? b

Quæst. LXI. *Num.* 31. 8.

Potest videri quæstio, quomodo quando Israëlitæ Madianitas debellaverunt, interfectum dicat Scriptura Balaam, qui fuerat conductus ad maledicendum populum Israël: cùm superiùs quando benedicere coactus est, ita eamdem actionem Scriptura concluserit, cùm ait, *Et surgens Balaam abiit*
Num. 24. 25. *reversus in locum suum, & Balac abiit ad semetipsum.* Si ergo redierat ad locum suum Balaam, quomodo F hîc interfectus est, cùm de tam longinquo, id est de Mesopotamia venerit? An fortè reversus est ad Balac, & hoc Scriptura non dixit? Quamquam etiam possit in locum suum rediisse intelligi, quòd ab ipso loco ubi sacrificia faciebat in eum locum reversus est, unde illuc exierat, id est, ubi tamquam peregrinus habebat hospitium. Non enim dictum est in domum suam, aut in patriam suam, sed *in locum suum.* Habet autem & quisque peregrinus locum suum, ubi ad tempus habitat. De ipso autem Balac, qui eum conduxerat, non dictum est ad locum suum, sed *ad semetipsum*, id est ubi dominans habitabat. Posset ergo dici *ad locum suum*, & dominans, & peregrinus: *ad semetipsum* autem, non video quomodo posset dici peregrinus, cùm ad hospitium suum venisset.

a Am. Er. & Lov. *non prævaleat.* Rat. *non valeat.* Abest *non* à MSS. è quibus plerique habent, *valeat.*

b Editi, *virtutem eorum, quia dedit ea quibus virtus &c.* Substituimus lectionem MSS. nisi quòd ex iis nonnulli habent, *quibus victus,*

QUÆST. LXIII. Num. 31. 9. ET *prædam egerunt mulieres Madian, & supellectilem eorum, & pecora eorum, & omnia quæ possederant, & virtutem eorum deprædati sunt.* Cùm jam dixisset mulieres, supellectilem, & pecora, & omnia quæ possidebant; quid deinde addit, *& virtutem eorum deprædati sunt?* Nimirum enim hæc intelligenda est virtus, de qua & suprà dictum est, misisse millenos de singulis tribubus cum virtute eorum. An fortè cibus quo sustentabantur, virtus eorum appellata est, quo subministrato vires suppetunt, & quo subtracto vires deficiunt? Unde per Isa. 3. 1. Prophetam Deus cùm minaretur ait, Auferam virtutem panis, & virtutem aquæ. Et Moyses ergo cum annona miserat illos millenos, quod dictum est, *cum virtute eorum:* & isti Madianitis victis etiam hoc eorum inter cetera fuerant deprædati.

QUÆST. LXIIII. Num. 31. 15. a UT *quid vivificastis omne femininum?* [a] *Hæc enim fuerunt filiis Israël, secundùm verbum Balaam, ut recedere facerent & despicere verbum Domini propter Phogor.* Hoc consilium malignum, ut eis ad illecebram feminæ supponerentur, per quas non solùm corporaliter, sed etiam spiritaliter in adorando idolo fornicarentur, quando dederit Balaam Scriptura non dixit; & tamen apparet factum esse, cùm hîc commemoratur. Sic ergo potuit & redire ipse b Balaam, qui jam ierat in locum suum, ut [b] non locum ejus intelligamus peregrinationis hospitium; quamvis hoc Scriptura tacuerit.

QUÆST. LXIV. QUID est quod ait, *Et erunt civitates vobis refugia à vindicante sanguinem, & non morietur is qui occidit, quoadusque stet in conspectu synagogæ in judicium,* cùm de iis loquatur, qui nolentes occiderint, & alibi dicat, tunc unumquemque in tali caussa confugientium exire liberum de civitate, quò confugerat, cùm sacerdos maximus fuerit defunctus? Quomodo ergo hîc dicit, *Et non morietur is qui occidit, quoadusque stet in conspectu synagogæ in judicium:* nisi quia ideo judicatur, ut tunc ei liceat esse in civitate refugij, si manifestum factum fuerit in judicio, quod nolens occiderit? Num. 35. 12.

QUÆST. LXV. Num. 35. 19. QUID est quod ait, *Qui vindicat sanguinem, ipse interficiet homicidam; cùm occurrerit ei, iste interficiet eum?* Sic enim sonat malè intelligentibus, quasi passim & sine judicio data fuerit ultori mortis propinqui sui, licentia occidendi ejus interfectorem. Sed hoc intelligi voluit, quia secundùm id quod suprà dictum est, qui occiderit, confugiat ad unam v. 12. de civitatibus refugiorum, quoadusque stet in judicium, ne antè inventus à propinquo occidatur: quia etsi nolens occidit, præter illas civitates inventus occiditur. Cùm verò in judicium steterit in aliqua earum civitatum, & judicatus fuerit homicida in aliqua earum in quas fugere conceditur, esse ibi non sinitur; tum demum jam judicatum, ubicumque compertum, propinquo licet occidere. Neque enim opus est eum ad judicium deduci, cùm jam fuerit judicatus homicida, & propterea de illis civitatibus pulsus sit.

[a] In editis, *Hoc enim fecerunt filij Israël.* In MSS. *Hæc enim* (scilicet feminina) *fuerunt filiis Israël.* Apud LXX. αὕται γὰρ ἦσαν τοῖς υἱοῖς Ισραὴλ.

[b] Sic MSS. At editi, *ut modò locum ejus.*

LIBER QUINTUS.

Quæstiones in Deuteronomium.

QUÆST. I. Deut. 1. 30. IN eo quod commemorat Moyses, dixisse se populo timenti hostes inhabitantes terram, quò introducendus fuit, *Ne paveatis, neque timeatis ab eis: Dominus Deus noster, qui præcedit ante faciem vestram, ipse simul debellabit eos vobiscum:* satis ostenditur ita esse adjutorem Deum, ut etiam homines agant aliquid.

QUÆST. II. Deut. 2. 30. ET *noluit Seon rex Esebon transire nos per ipsum, quoniam induraverat Dominus Deus noster spiritum ejus, & confortavit cor ejus, ut traderetur in manus tuas, sicut in hac die.* Hæc dicens Moyses, dum populum alloquitur, tale aliquid commemorat, quale dicebatur in Exodo, Ego induravi cor Pharaonis: & quod in Psalmis legitur, Convertit cor eorum, ut odissent populum ejus. Nec tacetur hîc caussa indurationis hujus, cùm dicitur, *ut traderetur in manus tuas, sicut in hac die,* id est, ut vinceretur à te; quod non fieret, nisi resisteret; non autem resisteret, nisi corde obdurato. Cujus rei justitiam si quæsierimus, inscrutabilia sunt judicia Rom. 11. 33. Dei. Iniquitas autem non est apud Deum. Sanè Rom. 9. 14. notandum est, confortatum cor posse dici etiam in malo. Exodi 10. 1. Psal. 104. 25.

QUÆST. III. Deut. 3. 11. VERUMTAMEN *Og rex Basan reliquus factus est à Raphaïn.* Hoc nomine, quod est Raphaïn, gigantes significari in Hebræa lingua dicunt, qui eam noverunt. Unde quod habent plerique codices, *derelictus est à Raphaïn,* planiùs utique dicitur, *reliquus factus est,* ut ipse ex illis remansisse intelligatur: cujus etiam consequenter longitudo & latitudo ferrei lecti commemoratur, ad ejus magnitudinem commendandam.

QUÆST. IV. Deut. 4. 16. NE *feceritis iniquitatem, & faciatis vobis ipsis sculptilem similitudinem, omnem imaginem.* Quid intersit inter similitudinem & imaginem quæri solet. Sed hîc non video quid interesse voluerit, nisi aut duobus istis vocabulis unam rem significaverit, aut similitudinem dixerit, si, verbi gratiâ, fiat statua vel simulacrum habens effigiem humanam, non tamen alicujus hominis exprimantur lineamenta, sicut pictores vel statuarij faciunt, intuentes eos quos pingunt seu fingunt. Hanc enim imaginem dici nemo dubitaverit: secundùm quam distinctionem omnis imago etiam similitudo est, non omnis similitudo etiam imago est. Unde si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cujuslibet in altero, non imago. Si autem patri filius similis sit, etiam imago rectè dicitur, ut sit pater prototypus; unde illa imago expressa videatur; quarum aliæ sunt ejusdem substantiæ, sicut filius; aliæ non ejusdem, sicut pictura. Unde illud quod in Genesi scriptum est, Gen. 1. 27. Fecit Deus hominem ad imaginem Dei: manifestum est ita dictum, ut non ejusdem substantiæ sit imago quæ facta est. Si enim ejusdem esset, non facta, sed genita diceretur. Sed quod non addidit, Et similitudinem, cùm superiùs dictum esset, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; quibusdam visum est similitudinem aliquid Ibidem 26.

amplius esse quàm imaginem, quod homini reformando per Christi gratiam postea servaretur. Miror autem si non propterea postea imaginem solam voluit commemorare, quia ubi imago, continuò & similitudo est. Unde & hîc Moyses similitudinem & imaginem fieri vetat, secundùm eam fortasse rationem quam diximus. In Decalogo autem generaliter dicitur, nullam fieri debere similitudinem, nec imago commemoratur. Cùm enim nulla similitudo fit, procul dubio nec imago fit: quoniam si imago, utique & similitudo. Non autem si fit similitudo, continuò fit & imago: tamen si nulla similitudo, sequitur ut nulla imago. Denique ubi prohibuit similitudinem & imaginem, hominis intelligi voluit, ubi & similitudo fieri potest, non hujus aut illius, sed cujuslibet hominis; & imago, id est hujus propriè, vel illius hominis. Cùm verò de pecoribus diceretur, atque irrationalibus animantibus, solam similitudinem dixit: quis enim reperiri potest, qui sibi unum constituat canem, vel quid ejusmodi, quem intuens ejus imaginem pingat, aut fingat? quod de hominibus usitatissimum est. Exodi 20. 4.

QUÆST. V. Deut. 4. 18. QUID est autem quod ait, *Similitudinem omnis piscis, quæcumque sunt in aquis sub terra.* An & aquam, propter tractabilem corpulentiam, terram intelligi voluit, & secundùm hoc in eo quod scriptum est, Gen. 1. 1. Fecit Deus cælum & terram, & aquas debemus accipere? Assiduè quippe Scriptura his duabus partibus commemoratis, universum mundum vult intelligi, secundùm illud, Auxilium meum à Domino qui fecit cælum & terram: & innumerabilia ejusmodi. An ideo dictum est, *sub terra,* quòd terra nisi superior aquis esset, habitari utique ab hominibus & animalia terrena habere non posset? Psal. 120. 2. Terra superior aquis.

QUÆST. VI. Deut. 4. 19. ET *ne suspiciens in cælum, & videns solem & lunam & stellas & omnem ornatum cæli, errans adores ea, & servias illis, quæ distribuit Dominus Deus tuus ea omnibus gentibus, quæ sunt sub cælo.* Non ita dictum est, tamquam Deus præceperit ea coli à gentibus, à solo autem populo suo non coli: sed aut ita dictum est, quòd Deus præscierit gentes culturam exhibituras his cælestibus, & tamen hoc præsciens creaverit ea; cum verò populum suum futurum esse præsciverit, qui ista non coleret: aut *distribuit* dictum est, ut intelligatur usus, qui commendatur in Genesi, Ut sint in signis, & in temporibus, & in diebus, & in annis; quem usum in eis communem habet populus Dei cum omnibus gentibus, non autem cultum quem habent aliæ gentes. Gen. 1. 14.

QUÆST. VII. Deut. 4. 23. NE *obliviscamini testamentum Domini Dei vestri, quod disposuit ad vos, & faciatis vobis metipsis sculptilem similitudinem omnium quæcumque constituit tibi Dominus Deus tuus.* Hîc certè generaliter loquens similitudinem posuit, imaginem tacuit: quoniam si nulla fit similitudo, profectò nec imago: quia ubi imago, continuò similitudo; quamvis non ubi similitudo, continuò imago.

QUÆST. VIII. Deut. 4. 32. QUÆRENDUM quomodo dictum sit, *Interrogate dies priores, qui fuerunt priores te, ex die quæ creavit Deus hominem super terram, & à summo cæli usque ad summum cæli.* Subauditur enim, interrogate. Videtur autem significare totum orbem terrarum. Sed cur *à summo cæli usque ad summum cæli* dicat, non à summo terræ usque ad summum terræ, non est facile dignoscere. Talis enim quædam locutio est & in Evangelio cùm dicit Dominus, quòd Matth. 24. 31. congregabuntur electi ejus à summis cælorum usque ad terminos eorum. Nisi fortè hîc nec in hominibus nec in Angelis auditum esse vult intelligi, quod in hoc populo factum singulariter commendat: hoc enim sequitur, *Si factum est secundùm verbum magnum hoc, si auditum est tale quid:* * *si audivit gens vocem Dei viventis loquentis è medio ignis, quemadmodum audisti tu,* & [a] *vixisti.* Quod si ita est, ut nec in hominibus nec in Angelis hoc dicat auditum; quid est ergo illud in Evangelio, A summis Matth. 24. 31. cælorum usque ad terminos eorum? cùm sine dubio Dominus hoc ait, cùm de novissima electorum suorum congregatione loqueretur. Deut. 4. 32. v. 33. a

1. QUID est quod ait, *Dominus Deus vester disposuit ad vos testamentum in Choreb: non patribus vestris disposuit Dominus testamentum hoc, sed ad vos, vos hic omnes viventes hodie, facie ad faciem locutus est Dominus ad vos in monte è medio ignis?* An quia illi qui non ingrediuntur in terram promissionis, (mortui sunt enim omnes,) non pertinent ad hoc testamentum, quorum tunc recognitio facta est, cùm à viginti annis ætatis & suprà numerarentur usque ad quinquaginta annos habiles ad bellum? Quomodo ergo illis locutus est Dominus qui hodie vivunt? An quia ex viginti annis & infrà potuerunt multi tunc esse, qui hoc bene meminissent, alieni ab illa pœna, quam Deus constituit illis, qui tunc numerati sunt, non intrare in terram promissionis: & hos utique appellat, qui quamvis viginti annorum & suprà non essent, quando Deus in monte loquebatur, ut numerari tunc possent, potuerunt tamen esse decem & novem & infrà usque ad puerilem ætatem, quæ posset illa quæ facta & dicta sunt & videre, & audire, & memoriâ retinere. QUÆST. IX. Deut. 5. 2. 3. & 4.

2. Sed quid est quod ait,[b] *Facie ad faciem locutus est Dominus ad vos:* quos paulò antè maximè admonere curavit, quòd nullam similitudinem viderint, sed solam vocem de medio ignis audierint? An propter rerum evidentiam, & quodammodo præsentiam manifestatæ divinitatis, de qua dubitare nemo posset, his verbis usus est? Quod si ita est, quid prohibet de ipso Moyse hoc intelligi, in eo quod de illo dictum est, quòd facie ad faciem Exodi 33. 11. locutus sit cum eo Dominus, ut nec ipse aliquid oculis viderit præter ignem? An aliquid amplius vidisse intelligitur, quia scriptum est, eum intrasse in nebulam vel nimbum, ubi erat Deus? Sed & Exodi 24. 18. si aliquid amplius vidit, quàm illi; non eum tamen mortalibus oculis vidisse Dei substantiam ex illis ejus verbis intelligi potest, quibus ait Deo, Si in- Exodi 33. 13. veni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum, ut scienter videam te. Neque enim arbitrandum est hunc populum, cui Moyses loquebatur, sic tunc vidisse Deum facie ad faciem, quando in monte loquebatur è medio ignis, quemadmodum Apostolus dicit in fine nos esse visuros, ubi ait, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem 1. Cor. 13. 12. facie ad faciem. Quid autem hoc, & quantum esset, consequenter aperuit, dicens, Nunc scio ex Ibidem. parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Quod etiam ipsum cautè accipiendum est, ne tantam putetur habiturus homo cognitionem Dei, quantam nunc habet hominis Deus; sed pro suo modo ita perfectam, ut ei nihil adhuc exspectetur addendum: ut quàm perfectè nunc Deus novit hominem, sed tamen sicut Deus hominem, ita tunc v. 4. b

[a] Editi, *& vidisti.* At MSS. *& vixisti:* sic etiam LXX. & Vulgata.

[b] MSS. plures, *faciem ad faciem:* uti Græc. πρόσωπον κατὰ πρόσωπον.

perfectè noverit homo Deum, sed tamen sicut homo Deum. Neque enim quia dictum est, Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est, ideo æqualitatem Patris, quam Verbum habet unigenitum, sperare debemus: quamvis non defuerint qui & hoc futurum putaverint, nisi fortè quid dicant parum intelligimus.

Matth. 5. 48.

Confer Epist. 92. n. 5. & 147. n. 36.

QUÆST. X.

1. QUID est quod ait, *Et ego stabam inter Dominum & vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini:* tamquam in loco esset Dominus, hoc est in monte unde illi voces audiebant. Quod sic accipiendum est, ut non ex hoc suspicemur Dei substantiam in ullo aliquo esse corporali loco, qui est ubique totus, nec per locorum intervalla propinquat aut recedit: sed demonstrationes ejus in ea creatura, quæ non est quod ipse, non aliter humanis sensibus exhibentur. Unde Dominus volens auferre ab hujusmodi suspicionibus mentem nostram, „ quibus putatur Deus loco aliquo contineri, Veniet, inquit, hora, quando neque in monte hoc, „ neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos ado- „ ratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus; „ quia salus ex Judæis est. Sed venit hora & nunc est, „ quando veri adoratores adorabunt Patrem in spi- „ ritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui ado- „ rent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant „ eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Medium ergo se dixit Moyses non inter Dei substantiam & populum intervallo aliquo loci: sed quia per eum placuit populo audire cetera Dei verba, postea quàm vehementer est territus, audita de medio ignis voce Dei dicentis Decalogum Legis.

Deut. 5. 5.

Johan. 4. 21. &c.

2. Sed meritò quæritur, quomodo accipiantur hæc verba Deuteronomij dicente Moyse, *Et ego stabam inter Dominum & vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini; quoniam timuistis à facie ignis & non adscendistis in montem, dicens,* * *Ego sum Dominus Deus tuus*, & cetera: quæ jam verba Dei sunt, quæ Decalogus continet. Quid ergo vult quod addidit, *dicens?* Si enim putaverimus hyperbaton, ut ordo verborum sit, *Et ego stabam inter Dominum & vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini dicens, Ego sum Dominus Deus tuus:* non erit verum. Non enim hæc verba per Moysen populus, sed de medio ignis audivit: quod cùm sustinere non posset audito Decalogo, postulavit ut per Moysen cetera audiret. Restat ergo ut quod positum est, *dicens*, pro eo positum intelligamus, ac si esset, Cùm diceret, ut iste sit sensus, *Et ego stabam inter Dominum & vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini; quoniam timuistis à facie ignis, & non adscendistis in montem, cùm diceret, Ego sum Dominus Deus tuus:* ut subaudiatur, cùm diceret utique Dominus. Cùm enim hæc verba diceret Dominus, quæ consequenter ex Decalogo cuncta commmemorat, tunc timuit populus à facie ignis, & non adscendit in montem, & rogavit ut per Moysen potiùs verba Domini audiret.

Deut. 5. 5.

v. 6.

Exod. 20. 18. 19.

3. Quæ verba Moyses commemorat in Deuteronomio dicta sibi à populo, cùm audire jam nollent vocem Dei, sed per eum peterent sibi dici quæ dicebat Deus, id est, *Ecce ostendit Dominus Deus noster nobis gloriam suam, & vocem ejus audivimus è medio ignis*, & cetera: non eadem prorsus leguntur in Exodo, ubi primùm narrata sunt, quæ modò repetuntur. Unde intelligamus, quod aliquoties jam commemoravi, non esse in mendacio deputandum, si aliis quibuslibet verbis eadem voluntas manifestatur, propter Evangelistarum etiam verba, quæ ab imperitis & calumniosis tamquam repugnantia reprehenduntur. Neque enim magnum erat Moysi adtendere quæ in Exodo scripserat, & eisdem omnino verbis illa repetere, nisi pertineret ad sanctos doctores nostros hoc ipsum insinuare discentibus, ut nihil aliud in verbis loquentium quærant, nisi voluntatem propter quam enuntiandam verba instituta sunt.

Deut. 5. 5.

Exod. 20. 19.

QUID est quod ait Moyses, dictum sibi esse à Domino de populo Hebræo, *Quis dabit esse sic cor eorum in eis, ut timeant me, & custodiant mandata mea?* An hîc jam vult intelligi, gratiâ suâ concedi hoc beneficium, ut sit in hominibus justitia Dei ex fide, non quasi propria velut ex Lege? Hoc enim & per Prophetam significat, dicens, Auferam eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Quod propter sensum dictum est, quem caro habet, & lapis non habet, verbo utique translato. Hoc ipsum & alibi dicit, Ecce dies veniunt dicit Dominus, & consummabo super domum Israël & super domum Juda Testamentum novum, non secundùm Testamentum quod disposui ad patres eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: quoniam hoc est Testamentum quod disposui ad eos, post dies illos, dans leges meas in cor eorum, & in mente eorum superscribam eas, & iniquitatum eorum & peccatorum eorum non memor ero ampliùs. Hoc enim discernit novum Testamentum à veteri, quòd in veteri data est Lex in tabulis lapideis, in novo autem in cordibus, quod fit per gratiam. Unde & Apostolus dicit, Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Et alio loco, Idoneos nos, inquit, fecit ministros novi Testamenti, non [a] litteræ, sed spiritus.

QUÆST. XI.

Deut. 5. 29.

Ezech. 11. 19. & 36. 26.

Jer. 31. 31. &c.

2. Cor. 3. 3.

Ibidem 6.

a

QUON ait de Domino, *Et in nomine ejus jurabis*, non ita præceptum accipiendum est, quasi jurari jusserit: sed in alterius alicujus Dei nomine jurari prohibuit. Melius autem fit si secundùm Evangelium nec juraveris; non quia mala est vera juratio, sed ne in perjurium incidatur facilitate jurandi. Qui enim jurat, non solùm verum, sed etiam falsum jurare potest: qui autem omnino non jurat, à perjurio longè ambulat.

QUÆST. XII.

Deut. 6. 13.

Matth. 5. 34.

ET *recordaberis omnem viam*, [b] *quam duxit te Dominus Deus tuus in deserto, ut affligeret te, & tentaret te, & cognita faceret quæ in corde tuo sunt, si observabis mandata ejus, an non.* Hîc apertiùs dictum est, quod alibi genere locutionis obscurum est, ubi legitur, Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum. Intelligitur enim positum esse, ut sciat, pro eo quod est, ut sciri faciat: quod modò dilucidè dictum est, *Vt tentaret te, & cognita faceret, quæ in corde tuo sunt:* non enim ait, & cognosceret; quod quidem si dixisset, intelligendum erat, cognita faceret.

QUÆST. XIII.

Deut. 8. 2.

b

Deut. 13. 3.

ET *scias hodie, quia non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram bonam istam hereditare: quoniam populus dura cervice es.* Cercè isti sunt, qui propterea non meruerunt perire in deserto, quia nescierunt [c] dexteram aut sinistram: ecce jam dura

QUÆST. XIV.

Deut. 9. 6.

c

[a] Sic optimæ notæ MSS. juxta Apostolum in Græco, οὐ γράμματος ἀλλὰ πνεύματος. At editi, *non litterâ, sed spiritu*

[b] Editi, *viam per quam*. Abest *per* à MSS. & à Græco LXX.

[c] MSS. hîc & inferiùs, *dextra & sinistra:* id est bonum & malum, uti legitur Num. 14. 23. & Deut. 1. 39.

cervice

cervice appellantur. Unde videndum est illud in sacramento esse dictum, non quòd istorum merita commendata sint. Nam ne quis existimet subitò istos vituperabiles factos, qui meritò fuissent antè laudati, paulò pòst eis dicitur, *Memor esto, ne obliviscaris, quanta exacerbasti Dominum Deum tuum in deserto, ex quo die* [a] *existis de terra Ægypti, donec venistis in locum hunc, increduli perseveraſtis quæ ad Dominum.* Quòd si quidam eorum tales erant, quidam verò fideles & boni, etiam sic non utique illis datur terra promissionis, qui nesciunt dexteram aut sinistram, ut hoc sic intelligamus quasi non offenderint Deum. Nam & patres eorum, qui mortui sunt, nec in eamdem terram intrare permissi sunt, tales inveniuntur fuisse, ut in eis essent quidam etiam boni. Propter quod Apostolus, non omnes, sed quosdam eorum dicit offendisse, in quibus eorum peccata commemorat. Similes quippe istos parentibus suis, ita evidentiùs docet & ista Scriptura Deuteronomij, quod consequenter adjungit, & dicit, *Et in Choreb exacerbastis Dominum.* Ubi certè illi exacerbaverunt, qui propter eadem mala merita sua non sunt in terram promissionis inducti.

v. 7.

a

1. Cor. 10. 5. &c.

Deut. 9. 8.

QUÆST. XV.

1. IN *illo tempore dixit Dominus ad me, Excide tibi duas tabulas lapideas quemadmodum priores, & adscende ad me in montem; & facies tibi arcam ligneam: & scribam in tabulis verba, quæ erant in tabulis prioribus, quas contrivisti; & immittes eas in arcam. Et feci arcam ex lignis imputribilibus, & excidi duas tabulas lapideas sicut priores, & adscendi in montem, & duæ tabulæ in duabus manibus meis. Et scripsit in tabulis secundùm scripturam priorem decem verba, quæ locutus est Dominus ad vos in monte è medio ignis: & dedit eas Dominus mihi.* Non immeritò quæritur, quomodo hæc in Deuteronomio dicantur, Moyse recolente ac repetente quæ gesta sunt; cùm in Exodo, ubi primùm hæc dicta & facta narrantur, ita sit scriptum, Et dixit Dominus ad Moysen, „ Scribe tibi verba hæc, etenim in verbis his posui „ Testamentum tibi & Israël. Et erat ibi Moyses in „ conspectu Domini quadraginta diebus & quadra- „ ginta noctibus, panem non manducavit, & aquam „ non bibit, & scripsit in tabulis verba Testamenti, „ decem verba. Cùm ergo in Exodo ipse Moyses in tabulis decem Legis verba scripsisse narretur, quomodo hîc in Deuteronomio Deus in tabulis eadem verba scripsisse recolitur?

Deut. 10. 1. 2. &c.

Exodi 34. 27. & 28.

2. Denique illud quod in Exodo, cùm transeunter tractaremus, & quid nobis in ea differentia visum fuerit litteris mandaremus, cur priores tabulæ, quæ contritæ sunt, digito Dei scriptæ referantur; secundas autem tamdiu in arca tabernaculoque mansuras, ipse Moyses scripsisse dicatur: ita per hanc differentiam duo Testamenta significata esse diximus, ut in veteri Testamento Lex commendaretur tamquam opus Dei, ubi homo nihil fecerit, eo quòd Lex timore non posset impleri: quoniam CÙM VERE FIT OPUS LEGIS, caritate fit, non timore; quæ caritas gratia est Testamenti novi. Ideo in secundis tabulis homo legitur scripsisse verba Dei, quia homo potest facere opus Legis per caritatem justitiæ, quod non potest per timorem pœnæ.

Lib. 2. quæst. in Exod. q. 166.

3. Nunc ergo cùm legitur in Deuteronomio de secundis tabulis ita dictum, *Et excidi duas tabulas lapideas sicut priores, & adscendi in montem, & duæ tabulæ in duabus manibus meis.* * *Et scripsit in tabulis secundùm scripturam priorem decem verba:* non enim ait, Et scripsi, sed, *scripsit*, hoc est Deus; sicut paulò antè dixerat verba Dei sibi dicta, *Excide tibi duas tabulas lapideas quemadmodum priores, & adscende ad me in montem; & facies tibi arcam ligneam:* * *& scribam in tabulis verba, quæ erant in tabulis prioribus:* discutienda nascitur quæstio, quòd utrasque tabulas, id est & priores & secundas, Deus hîc legitur scripsisse, non homo. Sed si in ipso quoque Exodo verba Dei legantur, ubi jubet easdem tabulas secundas excidi à Moyse, nihil aliud invenitur, quàm ipsum Deum se easdem promisisse scripturum. Nam ita scriptum est, Et dixit Dominus ad Moysen; Excide tibi duas tabulas lapideas sicut „ & priores, & adscende ad me in montem: & scri- „ bam in tabulis verba, quæ erant in tabulis priori- „ bus, quas tu contrivisti. Excepto itaque libro Deu- „ teronomij, quæstionem istam etiam solus liber Exodi continet, quomodò dixerit Deus, Et scribam in tabulis verba, quæ erant in tabulis prioribus; cùm paulò pòst legatur, Scribe tibi verba hæc, etenim in verbis his posui Testamentum tibi & Israël. Et „ erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta „ diebus & quadraginta noctibus, panem non man- „ ducavit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis „ verba Testamenti, decem verba. Si enim superiùs „ quod dictum est, Scribe tibi verba hæc, etenim in verbis his posui Testamentum tibi & Israël, ad superiora pertinet, quæ Deus ita præcipiebat, ut non in duabus lapideis tabulis scriberentur, sed in illo libro Legis, ubi multa conscripta sunt: certè illud quod sequitur, Et erat ibi Moyses in conspectu „ Domini quadraginta diebus & quadraginta nocti- „ bus, panem non manducavit, & aquam non bibit, „ & scripsit in tabulis verba Testamenti, decem ver- „ ba: satis manifestat eumdem Moysen in tabulis hæc decem verba scripsisse, non Deum. Nisi fortè violenter quidem, sed certa necessitate compellimur, ubi dictum est, Et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba, non Moysen subaudire, sed Dominum: suprà enim positum est, Et erat ibi Moyses in conspectu Domini: ut à Domino, in cujus conspectu erat Moyses, quadraginta diebus & quadraginta noctibus panem non manducans, & aquam non bibens, scripta intelligantur hæc decem verba in tabulis, sicut antè promiserat.

v. 4.

v. 5.

v. 2.

Exodi 34. 1.

v. 27. & 28.

v. 27.

v. 28.

Exodi 32. 15. & 16.

Exodi 31. 18.

4. Quod si ita est, non quidem illa differentia duorum Testamentorum, quæ nobis visa est, in his verbis commendari potest, quando & priores & secundas tabulas scripsit, non homo, sed Deus: verumtamen illa certè distantia non habet dubitationem, quòd priores tabulas & Deus fecit, & Deus scripsit. Non enim tunc dictum est ad Moysen, Excide tibi duas tabulas: sed ita potiùs legitur, Et conversus Moyses descendit de monte, & duæ tabulæ testimonij in manibus ejus: tabulæ lapideæ „ scriptæ ex utraque parte, hinc atque hinc erant „ scriptæ: & tabulæ opus Dei erant, & scriptura scri- „ ptura Dei est sculpta in tabulis. Jam enim superiùs „ dixerat easdem tabulas scriptas digito Dei, sic loquens, Et dedit Moysi statim ut cessavit loqui ad eum in monte Sina duas tabulas testimonij, tabulas „ lapideas scriptas digito Dei. Ibi ergo & tabulæ opus Dei erant, & scriptura earum digito Dei facta.

[a] Sic MSS. juxta LXX. At editi, excepto Rat. prosequuntur in singulari, *existi, venisti, increduliis perseveraſti:* paulóque pòst, *exacerbastis.*

Secundas autem tabulas ipse Moyses jubetur excidere; ut ipsæ certè opere humano intelligantur excisæ, quamvis eas Deus ipse scripserit, sicut promisit cùm juberet excidi. Porrò autem si diligentiùs adtendamus, ideo utrumque dictum esse in secundis tabulis, quia & Deus facit per gratiam suam opus Legis in homine, & homo per fidem suam suscipiens gratiam Dei pertinens ad Testamentum novum cooperator est adjuvantis Dei: (Ideo autem in primis solum opus Dei commemoratur, quia Lex
Rom. 7. 12. spiritalis est, & Lex sancta, & mandatum sanctum
B & justum & bonum: ideo verò nullum opus homi-
* f. cooperantur. nis ibi commemoratur, quia infideles non * contem-
Rom. 10. 3. perantur adjutorio gratiæ, sed ignorantes Dei justitiam & suam volentes constituere justitiæ Dei non sunt subjecti: unde illis Lex ad condemnationem valet, quod significat contritio tabularum.) profectò non cogimur violento intellectu subaudire, quòd Deus scripserit, ubi Scriptura dicit, Et erat ibi Moyses in conspectu Domini qua-
Exodi 34. 28 draginta diebus & quadraginta noctibus, panem
C non manducavit & aquam non bibit, & scripsit in
" tabulis verba Testamenti. ubi valde sonat scripsis-
* v. 1. se, Moysen. Sed ideo * superiùs Deus se promisit
Deut. 10. 4. scripturum, & in Deuteronomio non solùm ita promisisse, verùm etiam ipse scripsisse narratur,
Philip. 2. 13. ut significetur quod ait Apostolus, Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: hoc est, in eis qui ex fide gratiam suscipiunt, & non suam justitiam volunt statuere, sed
D justitiæ Dei subjecti sunt, ut ipsi sint in Christo ju-
stitia Dei. Nam & illic Apostolus utrumque dicit, & Deum operari, & ipsos. Nam si ipsi non opera-
Ibidem 12. bantur, quomodo eis dicebat, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini? Operatur ergo ille, cooperamur nos. Non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium.

Quæst. XVI. Deut. 10. 8. & 9. IN *illo tempore distinxit Dominus tribum Levi, portare arcam testamenti Domini, assistere coram Domino, ministrare, & orare in nomine ejus usque in hunc diem. Propter hoc non est Levitis pars & sors cum fratribus suis, Dominus ipse pars ejus est, sicut dixit ei.* Nisi per hanc tribum significaretur universum regale sacerdotium, quod ad novum pertinet Testamentum, nullo modo ausus esset dicere homo, qui
Psal. 72. 26. ex eadem tribu non erat, Pars mea Dominus, &
Psal. 15. 5. in alio Psalmo, Dominus pars hereditatis meæ.

Quæst. XVII. Deut. 11. 20 QUID est quod præcepit Moyses commendans verba Domini, & ait, *Scribetis ea super limina domorum vestrarum & januarum vestrarum:* cùm hoc secundùm proprietatem nemo fecisse Israëli-
F tarum commemoretur, vel legatur; quia nec quisquam potest, nisi fortè dividat ea per multas partes domus suæ? An hyperbolica commendatio est, sicut multa dicuntur?

Quæst. XVIII. Deut. 12. 11. QUÆRENDUM quomodo jubeat decimationes omnium fructuum & primitiva pecorum non manducari, nisi in civitate ubi templum erit, cùm eas Levitis dari in Lege præceperit.

Quæst. XIX. Deut. 13. 1. 2. & 3. SI *autem surrexerit in te Propheta, seu somniator somnians, & dederit tibi signum vel prodigium,* G *& venerit signum sive prodigium, quod locutus est ad te, dicens, Eamus, & serviamus diis aliis, quos nescitis: non audietis verba Prophetæ illius, vel somniantis somnium illud; quoniam tentat Dominus Deus vester vos, scire, an diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra.* Hoc quidam interpretes Latini non ita posuerunt, *scire, an diligatis*; sed, *ut sciat an diligatis.* Quamvis eadem sententia videatur: verumtamen illud quod dictum est, *scire*, faciliùs ad illos refertur; ut sic accipiamus, *tentat vos scire*, ac si diceretur, tentando vos facit scire. Ubi sanè intelligi voluit, etiam illa quæ à divinantibus non secundùm Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic ut fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potesta-
B tem Deus ostendit esse, quod ista contingunt: sed quasi quæreretur cur ea permittat, caussam tentationis exposuit, ad cognoscendam eorum dilectionem, utrùm eam habeant erga Deum suum; cognoscendam verò ab ipsis potiùs, quàm ab illo qui scit omnia antequam fiant.

Quæst. XX. Deut. 14. 28. & 29. POST *tres annos produces omnem decimam fructuum tuorum, in illo anno pones illud in civitatibus tuis, & veniet Levita, quia non est ei pars neque sors tecum; & advena & pupillus & vidua, quæ in civi-*
C *tatibus tuis; & manducabunt, & saturabuntur; ut benedicat te Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis, quæcumque feceris.* Ex ista decima non dixit ut ipse manducet cum suis: ac per hoc Levitis & advenis & pupillis & viduis eam jussit impendi. Sed obscurè positum est, quia non est distincta ista decima ab illa, quam voluit cum Levitis in eo loco manducari, quem Dominus elegisset [a] templo suo. a
Sed in ea interpretatione, quæ est ex Hebræo, apertiùs hoc distinctum reperimus. Ait enim, *An-* Sic in Vulgata.
D *no tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas, venietque Levites, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus & pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris.* Primò hoc ipsum planius est quod ait, *Anno tertio;* intelligitur enim v. 28.
uno anno interposito: in Septuaginta autem, quoniam *Post tres annos* dixit, incertum est utrùm eos
E medios esse voluerit, ut quinto quoque anno fieret. Deinde cùm ait, *Et separabis aliam decimam*, satis ostendit extrà esse illam, quam voluit eum ipsum qui offert, manducare cum suis & Levitis in eo loco, quem Dominus elegisset. Et hanc enim [b] aliam b
decimam intra januas suas eum ponere præcepit, non ad eum locum deferre, ubi Dominus se voluit invocari. *Et veniet*, inquit, *Levites, qui non habet* v. 29.
partem nec possessionem tecum, & peregrinus & pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent.
F Hinc certè manifestè verum est, non istam decimam Deum fieri voluisse communem ei qui offert, & his quibus impendenda est; sed illis solis erogari eam jussit, qui aliud non haberent, in quibus præcipuè Levitem posuit. *Post septem annos facies re-* Deut. 15. 1.
missionem. Hîc certè manifestatur, quomodo & superiùs dixerit, *Post tres annos.* Non enim & hos septem annos medios esse voluit: unoquoque anno eam fieri præcepit, tamquam sabbatismum annorum.

Quæst. XXI. Deut. 15. 9. ADTENDE *tibi ipsi, ne fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas, dicens, Appropiat annus septimus, annus remissionis; & malignetur oculus tuus in fratrem tuum egenum, & non tribuas ei: & exclamabit adversùm te ad Dominum, & erit in te peccatum magnum.* Magnificè occultum verbum hoc dixit; quoniam nemo audet hoc dicere qui potuerit cogitare, ideo

[a] Eliti & duo MSS. *tempore.* Ceteri MSS. *templo.*

[b] Am. Er. & Lov. *& aliam.* Abest conjunctio à MSS. & Rat.

non esse mutuum dandum indigenti, quoniam ap- A
propinquat annus remissionis, cùm Deus propter misericordiam utrumque præceperit, & commodari cùm quisque indiget, & remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remissurus est illo anno quo remittendum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse quo dandum est?

Quæst. XXII. Deut. 15. 12. SI *autem venumdatus fuerit tibi frater tuus Hebræus aut Hebræa, serviet tibi sex annis, & septimo dimittes eum liberum à te.* Hos emtos non anno remissionis remitti voluit, quem septimum quemque observari oportebat ab omnibus; sed anno septimo B
emtionis ejus, quotocumque anno illorum septimus iste annus occurreret.

Quæst. XXIII. Deut. 15. 19. OMNE *primogenitum quod natum fuerit in bobus tuis, & in ovibus tuis, masculina, sanctificabis Domino Deo tuo.* Quærendum utrùm quæ Græcè dicuntur πρωτότοκα, nec Latinè dici nisi *primogenita* potuerunt, in his tantùm intelligenda sint, quæ nascuntur ex matribus: ipsa enim propriè pariuntur potiùs quàm gignuntur. Parere quippe est τίκτειν, quod est ex femina, unde πρωτότοκον dicitur: C
gignere autem est γεννᾶν, unde propriè Latinè primogenitus dicitur. Ex feminis autem dabantur primitiva, id est quæ prima pariebantur, non quæ prima gignebantur à viris, si fortè ex viduis quæ jam pepererant gignerentur. Non enim aliter essent quæ aperirent vulvam, quod proprium voluit esse Lex eorum, quæ primò nata Domino debebantur. Si ergo est in his verbis certa distinctio, non frustra Dominus non dicitur à patre μονότοκος, sed μονογενὴς, id est unigenitus, quod est unicus: à D
Colossi. 1. 18. mortuis autem primogenitus quidem Latinè dicitur, quia non potuit Latinum verbum ita componi secundùm loquendi consuetudinem; Græcè autem πρωτότοκος dicitur, non πρωτογενὴς: tamquam Pater genuerit æqualem sibi, creatura verò pepererit.
Ibidem 15. Nam & quod dicitur primogenitus omnis creaturæ, quod ibi πρωτότοκος Græcè legitur, potest ita intelligi secundùm novam creaturam, de qua dicit
2. Cor. 5. 17. Apostolus, Si qua igitur in Christo nova creatura: ex qua ille primitivus est, quia primitus ita resurre-
E
Rom. 6. 9. xit, ut jam non moriatur, nec ei mors ultrà dominetur; quod novæ creaturæ, quæ in illo est, futurum promittitur in fine. Sed ista distinctio non temere affirmanda, sed in Scripturis diligentiùs perscrutanda est. Movet enim, quemadmodum dici
* Apud LXX. Prov. 24. vel 31. potuit in Proverbiis, * Primogenite tibi dico fili, id est, ex cujus persona dictum intelligatur. Si enim ex Dei Patris persona ad Christum dicitur, (cui sententiæ utrùm sequentia consonent vix est asserere,) eumdem dicit primogenitum quem unigenitum; F
primogenitum, quia etiam nos filij Dei sumus; unigenitum verò, quoniam solus ille de substantia Patris & Patri æqualis atque coæternus est. Mirum est autem, utrùm inter parere & gignere evidentissimis documentis sacra Scriptura distinguat.

Quæst. XXIV. Deut. 16. 2. ET *immolabis Pascha Domino Deo tuo, oves & boves.* Quid sibi vult hoc, quod addidit, *boves;* cùm
b immolationem Paschæ de ove tantummodo com-
Exodi 12. 5. mendaverit, quam jussit accipi ex ovibus & hœdis vel ex capris? quod mysticè accipitur propter Chri- G
stum, cujus ex justis & peccatoribus est origo carnalis. Non enim ait, ex ovibus aut capris, licèt propriè non possit intelligi ovis ex capris: sed ne fortè Judæi dicerent subaudiendum caprum si dictum esset, aut ex capris; dictum est, ex ovibus & capris. Quid ergo hîc sibi volunt boves? An propter alia sacrificia quæ ipsis diebus azymorum sunt immolanda?

Quæst. XXV. Deut. 16. 9. 10. & 11. QUÆRENDUM quomodo præceperit observari quod ait, *Septem septimanas integras dinumerabis tibi ipsi, inchoare te falcem injicere in messem: incipies numerare septem septimanas, & facies diem festum septimanarum Domino Deo tuo, prout valet manus tua, quæcumque Dominus tibi dederit, secundùm quod benedicet te Dominus Deus tuus: & epulaberis ante Dominum Deum tuum.* Si enim ab universo populo hæc Pentecoste jussa est observari, numquid omnes uno
B die credendum est falcem jussos mittere in messem? Si autem sibi quisque observat istam quinquagesimam, dinumerans ab illo die quo falcem mittit; non una est universo populo: illa verò una est quæ computatur ab immolatione Paschæ usque in diem datæ Legis in Sina.

Quæst. XXVI. Deut. 17. 14. & 15. SI *autem intraveris in terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in sorte, & hereditaveris eam, & habitaveris in ea, & dices, Constituam super me prin-*
C *cipes, sicut & ceteræ gentes, quæ circa me sunt; constituendo constitues super te principem, quem elegerit Dominus Deus tuus ipsum: ex fratribus tuis constitues super te principem; non poteris constituere super te homi-*
nem alienum, quia non est frater tuus. Quæri potest 1. Reg. 8. 7.
cur displicuerit populus Deo, quando regem desideravit, cùm hîc inveniatur esse permissus. Sed magis hinc intelligendum est, meritò non fuisse secundùm voluntatem Dei, quia fieri hoc non præcepit, sed desiderantibus permisit. Verumtamen præcepit, ne fieret alienus, sed frater, id est ex eo-
D dem populo indigena, non alienigena. Quod autem ait, *non poteris*, intelligendum est, non debebis.

Quæst. XXVII. Deut. 17. 17. DE rege cùm loqueretur ait, *Non multiplicabit sibi uxores, ut non discedat cor ejus: & argentum & aurum non multiplicabit sibi valde.* Unde quæritur utrùm David contra hoc præceptum non fecerit: 2. Reg. 5. 13.
non enim unam habuit uxorem. Nam de Salomone 3. Reg. 11. 1.
manifestum est, quòd transgressus fuerit hoc præ- 2. & 6.
ceptum, & in feminis, & in auro & in argento. Sed
E hinc potiùs intelligitur permissum fuisse regibus, ut plures haberent quàm unam: multiplicare enim prohibiti sunt: quæ prohibitio non habet transgressionem, si paucæ fuerint, sicut David fuerunt, non autem multæ, sicut Salomoni. Quamvis cùm addidit, *ut non discedat cor ejus*, hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando perveniat ad alienigenas feminas: per quas factum est in Salomone, ut Ibidem 4.
discederet cor ejus à Deo. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, ut etiamsi ex Hebræis
F solis eas multiplicasset, contra hoc præceptum fecisse meritò argui posset.

Quæst. XXVIII. Deut. 18. 6. SI *autem supervenerit Levites ex una civitatum tuarum, ex omnibus filiis Israël, ubi ipse incolit, secundùm quod cupit anima ejus in locum, quem elegerit Dominus*, id est, si desideraverit ire ad locum ubi Dominus invocatur: *& ministrabit nomini Domini* v. 7.
*Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui adstant ibi coram Domino: * partem partitam edet, præter* v. 8.
venditionem, quæ est secundùm familiam. Quam dicat venditionem, obscurum est: nisi fortè quia decimationes & primogenita præcepit vendi ab eis, qui in longinquo habitarent, ne multa cogerentur portare ad locum invocationis Domini, vel pecora ducere, ut illic ab eis denuo emerentur ex eodem pretio: & jusserat habere ibi partem Levitam, qui maneret in ea civitate, unde illæ decimationes &

primogenita debebantur. Et ideo dixit secundùm familiam hoc deberi Levitæ, quoniam ex successione, qua succedit parentibus suis hoc circa eum servari oportet, quod parentibus exhibitum est.

QUÆST. XXIX. Deut. 18.11.

QUONIAM portentorum inspectores prohibet esse in populo Dei, quærendum est, quomodo ista portenta, quæ inspici prohibentur, discernantur ab eis, quæ divinitus ita dantur, ut quid significent dici debeat: sicut omnia miracula, quæ in Scripturis reperiuntur significantia quod pertineat ad regulam fidei: sicut dicimus quid significaverit vellus in area compluta siccum, vel in sicca area compluta: aut virga Aaron quæ floruit, & nuces adtulit; & cetera hujusmodi. Sicut autem discernuntur divinationes, quas consequenter prohibet, à prædictionibus vel annuntiationibus Prophetarum, sic illæ inspectiones prodigiorum à significationibus divinorum miraculorum discernendæ sunt.

Judic. 6.37. Num. 17.8.

QUÆST. XXX. Deut. 20.4.

QUONIAM *Dominus Deus vester, qui præcedit vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros, & salvos faciet vos.* Ecce quemadmodum & in spiritalibus conflictibus sperandum & petendum est adjutorium Dei, non ut nos nihil faciamus, sed ut adjuti cooperemur. Sic enim ait, *debellabit vobiscum*, ut etiam ipsos acturos quod agendum esset ostenderet.

QUÆST. XXXI. Deut. 20. 5. & 7.

ET *loquentur Scribæ ad populum dicentes, Quis est homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & homo alius dedicet ea. Et quis est homo, qui pastinavit vineam, & non est epulatus ex ea? vadat, & revertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & homo alius epuletur ex ea. Et quis est homo, qui sponsavit uxorem, & non accepit eam? vadat, & redeat in domum suam, ne moriatur in bello, & homo alius accipiat eam.* Possunt movere ista, quasi meliore conditione moriantur in bello, qui jam dedicaverunt ædificia sua, jamque epulati sunt de novellis, jamque duxerunt sponsas suas, quàm ij qui nondum. Sed quoniam his rebus tenetur humanus affectus, & magni æstimantur hæc ab hominibus; intelligendum est ad hoc ista dici in bellum procedentibus, ut quisquis animo his tenetur, appareat cùm revertitur, ne propter hoc minùs fortiter agat, dum timet ne antè moriatur, quàm domum dedicaverit, aut de novella sua biberit, aut sponsam suam duxerit. Nam utique quantum ad feminam pertinet, melius alteri nubit intacta quàm vidua: sed hæc, ut dixi, instituta sunt propter virorum animos explorandos.

QUÆST. XXXII. Deut. 22.5.

NON *erunt vasa viri super mulierem:* vasa bellica vult intelligi, id est, arma. Nam quidam etiam hoc interpretati sunt.

QUÆST. XXXIII. Deut. 22. 13 &c.

SI *autem quis acceperit uxorem, & habitaverit cum ea, & oderit eam, & imponat ei occasionis verba, & detulerit ei nomen malignum, & dixerit, Mulierem hanc accepi, & accedens ad eam non inveni ejus virginalia: & accipiens pater puellæ, & mater, producent virginalia puellæ ad seniores ad portam, & dicet pater puellæ senioribus, Filiam meam hanc dedi homini huic uxorem, & odio habens eam, ipse nunc imponit ei occasionis verba dicens, Non inveni filiæ tuæ virginalia: & ecce virginalia filiæ meæ. Et replicabunt pallium coram senibus civitatis illius. Et accipient senes civitatis hominem illum, & castigabunt eum, & damnificabunt eum centum siclis, & dabunt patri adolescentulæ; quia protulit nomen malum super virginem Israëlitem: & ipsius erit uxor, non poterit dimittere eam perpetuo tempore. Si autem verum factum sit hoc verbum, & non inveniantur virginalia puellæ, & producent adolescentulam ad januam domus patris ipsius, & lapidabunt eam viri civitatis ejus in lapidibus, & morietur; quoniam fecit impudentiam in filiis Israël, prostituere domum patris sui: & auferes malignum ex vobis ipsis.* Satis hinc apparet, quemadmodum subditas feminas viris, & penè famulas Lex esse voluerit uxores: quòd dicens adversùs uxorem vir testimonium unde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur; ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc falsum esse constiterit; sed tantummodo castigatur, & damnificatur, eique perpetuò jubetur adhærere qua carere voluerat. In aliis autem caussis, eum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quem si probaretur jussit occidi, eadem pœnâ plecti jubet, qua fuerat, si verum esset, iste plectendus.

QUÆST. XXXIV. Deut. 22. 28. & 29.

SI *autem invenerit aliquis puellam virginem, quæ sponsata non est, & vim faciens ei dormierit cum ea, & inventus fuerit; dabit homo, qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta didrachma argenti, & ipsius erit uxor; quia humiliavit eam: non poterit dimittere eam per omne tempus.* Meritò quæritur, utrùm ista pœna sit, ut non eam possit dimittere per omne tempus, quam inordinatè atque illicitè violavit. Si enim ob hoc intelligere voluerimus eam non posse, id est non debere dimitti per omne tempus, quia uxor effecta est, occurrit illud quod permisit Moyses dare libellum repudij, & dimittere. In his autem qui illicitè vitiant, noluit licere, ne ad ludibrium fecisse videatur, & potiùs finxisse quòd eam uxorem duxerit, quàm verè placitoque duxisse. Hoc & de illa jussum est, cui fuerit vir calumniatus de virginalibus non inventis.

Deut. 24. 1. Deut. 22. 19.

QUÆST. XXXV. Deut. 23.3.

NON *intrabit Ammanites & Moabites in Ecclesiam Domini, & usque ad decimam generationem non intrabit in Ecclesiam Domini, & usque in æternum.* Quæstio est, quomodo intraverit Ruth quæ Moabitis fuit, de qua etiam caro Domini originem ducit. Nisi fortè istam mysticè prophetaverit intraturam, quòd ait, *usque ad decimam generationem.* Computantur enim generationes ex Abraham quando fuit & Lot, qui genuit Moabitas & Ammanitas ex filiabus; & inveniuntur cum ipso Abraham compleri decem generationes usque ad Salmon, qui genuit Booz, qui maritus secundus fuit Ruth: Sunt enim istæ, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, Naason, Salmon: Salmon quippe genuit Booz, qui viduam duxit Ruth; ac per hoc videtur post decimam generationem genus fecisse in Ecclesia Domini pariendo filios ipsi Booz. Sed cur additum sit, *& usque in æternum*, meritò adhuc quæritur. An quia deinceps nulla anima de Ammanitis & Moabitis intravit in illam Ecclesiam populi Hebræorum, postea quàm ista generatione decimâ prophetia completa est? An potiùs ita dictum est, *& usque ad decimam generationem*, ut omnino semper intelligi voluerit, per denarij numeri quamdam universitatem, ut hoc exposuerit quodammodo addendo & dicendo, *& usque in æternum?* Quod si ita est, Ruth contra præceptum vetitum videtur admissa. An Ammanitas prohibuit admitti, non Ammanitidas, id est, viros inde, non feminas? maximè quia cùm evertissent Israëlitæ ipsam gentem, omnes viros occidere jussi sunt, feminas autem non, nisi eas quæ noverant concubitum viri; quoniam ipsæ in fornicationem seduxerant populum: virgines autem salvas esse

Ruth. 1.22. Matth. 1. 5. Gen. 19. 37. 38. Num. 31. 17. & 18.

voluerunt, non eis imputantes culpam, qua everti illa gens meruit: quam etiam hîc commemoravit, velut quæreretur cur Moabitas & Ammanitas admitti noluerit in Ecclesiam Domini: subjunxit enim, *Eo quòd non obviaverint vobis cum panibus & aquâ in viâ, cùm exiretis de Ægypto, & quia conduxerunt adversùm te Balaam filium Beor de Mesopotamiâ, ut malediceret te.* Has culpas nec tunc, quando illa gens debellata est, feminis imputaverunt, quas salvas conservare maluerunt.

Deut. 23. 4. & 5.

QUÆST. XXXVI. Deut. 23.15.

NON *trades puerum domino suo, qui appositus est tibi à domino suo:* non quòd dominus ejus eum apposuerit, id est commendaverit; potiùs enim depositum diceret; sed appositum dixit à domino suo, id est huic adjunctum, cùm ab illo abscessisset: non ergo suscipi, sed reddi potiùs prohibuit fugitivos. Hoc * quidem putari potest, nisi intelligamus genti & populo ista dici, non uni homini. Ex alia itaque gente refugientem ad istam gentem cui loquebatur, hominem à domino suo, id est à rege suo, reddi prohibuit. Quod etiam alienigena servavit Achis rex Geth, quando ad eum refugit David à facie domini sui, hoc est, regis Saül. Apertissimè autem hoc explanat, cùm dicit de ipso refuga, *In vobis habitabit, in omni loco ubi placuerit ei.*

*f. iniquum.

1. Reg. 21. 10. Deut. 23. 16.

QUÆST. XXXVII. Deut. 23. 17.

NON *erit meretrix à filiabus Israël, & non erit fornicans à filiis Israël.* Ecce ubi manifestè prohibuit fornicari & viros & feminas etiam cum non alienis conjugibus: peccatum esse demonstrans misceri non conjugibus suis, quando & meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet, quarum publicè venalis est turpitudo. In Decalogo autem mœchiæ nomine non videtur hoc apertè prohibuisse, quoniam mœchia nonnisi adulterium intelligi solet. Unde quid nobis videretur, ibi tractavimus.

Exodi 20. 14. Lib. 2. quæst. in Exod. q. 71. n. 4.

QUÆST. XXXVIII. Deut. 23.18.

NON *offeres mercedem meretricis, neque commutationem canis in domum Domini Dei tui ad omne votum, quoniam abominatio Domino Deo tuo est, & utrumque:* quod ita intelligitur, quoniam abominatio Domino Deo tuo est, & hoc non unum horum, sed utrumque. De cane quippe vetat fieri commutationem primogenitorum, quam jubet fieri de aliis immundis animalibus, id est equis & asinis, & si quid est eorum quæ adjuvant hominem, & Latinè à juvando jumenta dicuntur. De cane autem noluit, utrùm & de porco; & quare noluerit, requirendum est: & si de omnibus talibus noluit, quare solum canem isto loco exceptum fecerit. De mercede autem meretricis ut diceret, videtur ea esse caussa, quia superiùs prohibuerit esse meretricem de filiabus Israël, aut quemquam filiorum Israël uti meretrice: & ne subreperet cogitationi, expiari posse hoc peccatum, si aliquid inde offerretur in templum, dicendum fuit quòd sit abominatio Domino.

v. 17.

QUÆST. XXXIX. Deut. 24.7.

MORIETUR *fur ille*, id est, qui furatus est hominem: *& auferetis malignum ex vobis ipsis.* Assiduè hoc dicit Scriptura, cùm jubet occidi malos: qua locutione usus est etiam Apostolus, cùm diceret, Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis? Auferte malum ex vobis ipsis. Nam Græcus habet ὁ πονηρὸν, quod etiam hîc scriptum est: hoc autem potiùs malignum solet interpretari, quàm malum. Nec ait τὸ πονηρὸν, id est, hoc malignum; sed ὁ πονηρὸν, quod est, hunc malignum. Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commi-

1. Cor. 5. 12. & 13.

fit, ut excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Quamvis & aliter illud Apostolicum possit intelligi, ut unusquisque malum vel malignum ex se ipso sit jussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum, vel hoc malignum, non autem hunc malignum in Græco inveniretur: nunc verò credibilius est de homine dictum, quàm de vitio. Quamquam possit eleganter intelligi etiam homo auferre à se malum hominem, quemadmodum dictum est, Exuite vos veterem hominem: quod exponens ait, Qui furabatur, jam non furetur.

Excommunicatio. Ephes. 4. 22. & 28.

QUÆST. XL. Deut. 24. 8.

SECUNDUM *legem omnem, quam juraverint vobis sacerdotes Levitæ.* Hîc apparet omnem sacerdotem Levitam fuisse: quamvis non omnis Levites sacerdos fuerit.

QUÆST. XLI. Deut. 24. 10.

SI *debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque, non intrabis in domum ejus pignerare pignus: foris stabis, & homo apud quem debitum tuum est, proferet tibi pignus foras. Si autem homo eget, non dormies in pignore ejus, redditione reddes ei vestimentum suum circa occasum solis, & dormiet in vestimento suo, & benedicet te, & tibi erit misericordia coram Domino Deo tuo.* Non immeritò videtur ad opus misericordiæ pertinere, ut non intret pignerator in domum, ne fiat perturbatio debitori: sed ex hoc etiam ipsum debitorem admonet pignus foras proferre creditori. Quòd verò jubet egenti pignus eodem die restitui, ut in eo dormiat, qui non habet ubi dormiat, meritò movet, ut requiratur cur non potiùs creditori præceperit ut non auferat pignus, quod eodem die oportet ut restituat. Quod si ad compellendum debitorem fieri voluerit, quomodo se urgeat ad reddendum, cùm sciat pignus eodem die se recepturum? An forte hoc fieri voluerit propter memoriam, ne obliviscatur reddere, & tunc non reddat si verè non habuerit: maximè quia creditoris sui misericordiâ vincitur, cui esse non debet ingratus, si pignus receperit, in quo dormiat: simul & creditor cùm ille non reddiderit, debet eum credere non habere, qui hac etiam indiget misericordiâ, ut pignus ei propterea restituatur, quòd aliud non habet ubi dormiat?

QUÆST. XLII. Deut. 24. 16. Ezech. 18. 17. Exodi 20. 5. Ibidem.

NON *morientur patres pro filiis, & filij non morientur pro patribus: unusquisque in suo peccato morietur.* Ecce non solùm Prophetæ hoc dixerunt, verùm etiam Lex dicit, suâ culpâ quemque interimendum, non autem patris sui, aut filij sui. Quid est ergo quod alibi dicitur, Deus reddens peccata patrum in filios in tertiam & quartam progeniem? An de filiis nondum natis illud intelligitur, propter originale peccatum, quod etiam ex Adam traxit genus humanum; hîc autem de filiis jam natis est facta distinctio, ut unusquisque in suo peccato moriatur? Non enim trahit aliquid ex patre, qui jam natus erat, quando pater ejus peccavit. Sed cùm & ibi dicit, his qui oderunt me; manifestum est etiam illam conditionem posse mutari, si filij parentum suorum facta non fuerint imitati. Nam & illud ex Adam temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur: non autem in æternum eis, qui fuerint per gratiam spiritaliter regenerati, in eaque permanserint usque in finem. Quamvis & illud meritò quæri possit, si redduntur peccata patrum in filios his, qui oderunt Deum, cur in tertiam & quartam generationem, vel pretermissâ primâ & secundâ, vel non etiam in ceteras perma-

nente impietate & imitatione malorum parentum. An per hunc numerum, quoniam septenarius intelligitur, universitatem significare voluit: & ideo non ipsum potiùs septenarium posuit, ut diceret in septimam generationem, ac sic omnis intelligeretur; quia caussam perfectionis hujus numeri, hoc modo potiùs intimavit? Ideo namque perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat, ternario scilicet primo impari toto, & quaternario primo pari toto. Unde esse & illud propheticum existimo, quod assiduè repetitur, In tribus & quatuor impietatibus non aversabor: per quod voluit impietates universas potiùs, quàm tres vel quatuor intelligi.

Amos. 1. 3.

Quæst. XLIII. *Deut. 24. 17.*

NON *declinabis judicium advenæ, & orphani, & viduæ. Non pignerabis vestimentum viduæ.* Cur non ait, Et non pignerabis vestimentum eorum? Quæ enim caussa est, ut trium istorum judicium declinare vetuerit, pignus autem auferri vestimentum solius viduæ, non & illorum? nisi quia judicia omnium facienda propterea commendavit, quia non habent à quibus defendantur sive advena, quia in terra aliena est; sive orphanus, id est pupillus, quia parentibus caret; sive vidua, quia maritum non habet. Pignus verò cùm prohibet vestimentum auferri viduæ, puto quòd satis eleganter admoneat, eas verè dicendas esse viduas, quæ etiam pauperes sunt. Id enim & Apostolus evidenter ostendit, ubi ait, Si qua autem vidua filios & nepotes habet, discat primùm domum suam piè tractare, & mutuam vicem parentibus reddere: hoc enim acceptum est coram Domino. Quæ autem verè vidua est, & desolata, speravit in Dominum, & persistit in orationibus nocte & die. Hanc verè viduam dixit, quæ non habet à quibus sustentetur; quia non solùm viro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est: divitem quippe non diceret desolatam. Pauperi itaque pignus non est auferendum vestimentum: nam & hoc ipso quod vestimentum prohibet auferri, pauperem ostendit. Neque enim creditor non potiùs auferret argentum, vel si quid aliud, quàm vestimentum. Porro si occurrerit animo, Quid si multa habeat vestimenta non necessaria, sed superflua? Quomodo intelligitur verè vidua, hoc est non solùm desolata, verùm etiam quæ non in deliciis agit? quam subjecit dicens, Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est. Hanc quippe opposuit, tamquam è contrario veræ viduæ, tamquam talis non sit vera vidua. Quæcumque autem divites alias nuptias experiri noluerunt, continentia in eis laudatur, non desolatio commendatur. Hæ quippe maritis tantùm viduatæ sunt, non aliis rebus.

1. Tim. 5. 4. & 5.

Ibidem 6.

Quæst. XLIV. *Deut. 24. 19.*

QUOD admonet, ut in messe oblitum manipulum nemo colligat, & olivam vel uvam relictam nemo repetat diligentiùs neglecta colligere, & dicit egentibus dimittenda: occurrit forsitan cogitationi, Quid si hæc quæ ab agrorum dominis dimittuntur, non egentes, sed improbi colligant? Sed considerandum primò illum misericordiâ facere, qui hoc animo dimittit, ut egentes habeant quod dimittitur. Deinde cùm hæc populo præcipiuntur, simul admonentur ij qui non indigent, ista non quærere. Quòd si quæsierint, quid aliud quàm res alienas, &, quod gravius est, pauperum invadere judicandi sunt? Utrique ergo * commemorantur his præceptis, & quorum agri sunt, ut misericorditer ea relinquant; & qui indigentes non sunt, ut inde se abstineant: quando utrumque dicitur, & à quibus dimittenda sint, & quibus dimittenda sint.

** id est commonentur.*

Quæst. XLV. *Deut. 25. 1.*

SI *autem fuerit altercatio inter homines, & accesserint ad judicium, & judicaverint, & justificaverint justum.* Judices intelligendi sunt judicare, non illi qui dicti sunt altercationem habere. Deinde sequitur, *Et reprehenderint impium.* * *Et erit, si dignus fuerit plagis, qui impiè agit; constitues eum in conspectu judicum, & flagellabunt eum ante se, secundùm impietatem ejus: * numero quadraginta flagellabunt eum; non apponent. Si autem apposuerint flagellare eum super hæc plagas plures, deturpabitur frater tuus coram te.* Valde advertendum est, quòd cùm ea peccata plagis emendanda præceperit, quæ digna non sunt mortis supplicio vindicari, & hoc tam paucis plagis; eum tamen qui cæditur, appellavit impium vel impiè agentem: ut noverimus, non sicut plurimi loquuntur, locutas esse Scripturas; quas incuriosiùs leginus, cùm putamus adulterium non esse impietatem, quia in hominem videtur peccasse, qui hoc fecerit, cùm illud peccatum morte plecti jubeat Lex; & his peccatis graviores esse dicimus impietates, cùm sint earum quædam quæ flagelli plagis quadraginta puniuntur. Est itaque levis impietas, quæ verbere digna est; & est gravior quæ morte digna est: ita etiam illa peccata quæ non in Deum, sed in hominem videntur admitti, sunt morte digna quædam; sunt alia correptione, seu verbere, seu veniâ faciliore. Ita enim locutos esse Septuaginta interpretes constat, ut etiam illius, qui plagis dignus est, impietatem vocaverint.

v. 2.

v. 3.

Deut. 22. 22.

Quæst. XLVI. *Deut. 25. 5.* a

1. SI *autem habitaverint fratres in unum, & mortuus fuerit unus ex eis, semen autem non fuerit ei;* [a] *non erit uxor defuncti foris non appropianti: frater viri ejus intrabit ad eam, & accipiet eam sibi uxorem, & cohabitabit ei. Et erit, infans quicumque natus fuerit, constituetur ex defuncti nomine, & non delebitur nomen ejus ex Israël.* Videtur hoc præcepisse Lex de fratris uxore ducenda, non ob aliud, nisi ut semen suscitet fratri, qui sine liberis defunctus est. Quod autem ait, *Constituetur ex defuncti nomine, & non delebitur nomen ejus ex Israël*, id est nomen defuncti; ex hoc videtur dictum, ut ille qui nascitur, hoc nomine appelletur, quo appellabatur defunctus, cui quodam modo propagatur. Unde nobis visum est * magis secundùm adoptionis morem solvere in Evangelio quæstionem de duobus patribus Joseph, quorum unum commemorat Matthæus, eum scilicet qui genuit Joseph, alterum Lucas, eum cujus filius [b] erat Joseph: quoniam nullius eorum nomen Joseph accepit. Nisi fortè hoc dictum est, *Constituetur ex defuncti nomine*, non ut ejus nomen accipiat, sed ut ex ejus nomine, id est tamquam filius, non ejus cujus semine est genitus, sed illius defuncti, cui semen suscitatum est, heres constituatur. Quod enim additum est, *Et non delebitur nomen ejus ex Israël*, potest ita intelligi, non quòd nomen ejus puer consequenter accipiat; sed quòd ille non sine posteritate mortuus esse videbitur, & ideo permanet ejus nomen, hoc est memoria. Neque enim etiam si ipse filium genuisset, nomen suum ei fuerat impositurus, ut nomen ejus non deleretur ex Israël: sed ex hoc utique non deleretur, quia non sine liberis ex hac vita emigraret: & hoc jubetur ex ejus uxore frater ejus implere, quod il-

** De consensu Evang. lib. 2. c. 3.*

Matt. 1. 16.

Luc. 3. 23. b

a Editi, *uxor defuncti fratris non alteri nubet appropianti.* Emendantur ad MSS. & ad LXX.

b MSS. duo Vaticani, *filius non erat.*

le non potuit. Nam etsi frater non fuisset, & propinquus ducebat uxorem ejus, qui sine filiis mortuus esset, ad suscitandum semen fratri suo: sicut fecit Booz ducendo Ruth, ut semen excitaret propinquo suo, cujus fuerat illa uxor, nec de illo pepererat; & tamen qui de illa natus est, ex nomine quidem defuncti constitutus est, quia filius ejus est dictus, atque ita factum est ut nomen defuncti non deleretur ex Israël, nec tamen ejus nomine appellatus est.

Ruth. 4. 13.

Quæstio de duobus patribus Joseph. *Matth. 2. 16. Luc. 3. 23.*

2. Quæ cùm ita sint, abundantiùs duobus modis solvi potest Evangelica quæstio, ut unus eorum, quos diversos commemorant Matthæus & Lucas, ita fuerit propinquus alteri ad ducendam ejus uxorem, ut alios etiam sursum versùs parentes atque majores iste, alios ille habere potuerit. Nam si fratrum filij fuissent, unum habuissent avum; quod non ita est: nam secundùm Matthæum, Mathan est avus Joseph; secundùm Lucam verò, non Mathan, sed Mathath. Quòd si quisquam putat esse tantam similitudinem nominis, ut ab scriptoribus in una littera erratum sit, ut fieret tam parva & penè nulla diversitas; quid de istorum patribus dicturus est? Nam secundùm Lucam, Mathath filius fuit Levi; secundùm Matthæum autem, Mathan ex Eleazar genitus invenitur: atque ita inde sursum versùs diversi sunt patres & avi; & deinde majores usque ad Zorobabel, qui ferè est vigesimus sursum ab Joseph apud Lucam, apud Matthæum autem undecimus. Qui propterea idem ipse esse creditur, quia pater ejus apud utrumque Evangelistam Salathiel invenitur: quamvis fieri potuerit, ut alius fuerit eodem nomine, habens ejusdem nominis patrem, cujus & ille habuit. Nam & inde sursum versùs diversi sunt: alium quippe habet Zorobabel avum apud Lucam, qui est Neri; alium apud Matthæum, qui est Jechonias; atque inde superiùs nusquam est consonantia, quò usque veniatur ad David, apud Matthæum per Salomonem, apud Lucam per Nathan. Difficillimum autem videtur, non fuisse aliquem propinquiorem, qui duceret uxorem fratris sui, quàm eum qui ex David esset consanguineus tam longinquo gradu, non aliqua infrà propinquitate conjunctus; cùm sit apud Lucam David penè quadragesimus à Joseph, apud Matthæum autem fermè vigesimus-septimus. Aut si propinqui ad uxores defunctorum ducendas etiam illi quærebantur, qui ex feminarum sanguine propinquabant, fieri potuit ut esset aliquis ita propinquus, qui Joseph genuerit de uxore propinqui sui, qui sine liberis decessit: ac sic ei esset alter ex natura pater, alter ex Lege; in quorum patribus & avis & deinde majoribus ideo nulla propinquitas appareret, quòd non ex maribus, sed ex feminis propinquarent. Verumtamen si ita esset, nec David aliquando unus pater occurreret. Aut si quisquam potuisse contendit, ubi ponimus quòd consuetudo Scripturæ non est feminas in genealogia pro * maribus ponere, sicut eas nullus Evangelista interposuit? Ubi enim commemorantur matres, non ponuntur nisi cum patribus. Ac per hoc aut ita propinquior defuit ad uxorem defuncti sibi copulandam, ut origo cognationis [a] David repeteretur: aut adoptio fecit alterum patrem, quem posset habere Joseph.

** 2. Retract. cap. 55.*

a

Quæst. XLVII.

QUID est quod inter illa, quæ jubet dicere hominem, qui in dandis decimis, & quæcumque dare vel impendere jussus est, omnia mandata complevit, etiam hoc cum laude & commendatione sua dicere jubet, *Non dedi ex eis mortuo.* An per hoc prohibet parentalia, quæ observare gentes solent?

Deut. 26. 14.

Quæst. XLVIII. *Deut. 28. 14.* b

1. NON *præteribis ab omnibus verbis, quæ ego mando tibi hodie,* [b] *dextra aut sinistra ire post deos alienos, servire illis.* Quæri potest, quomodo possit intelligi ire in dextra, qui post deos alienos ierit servire illis; cum dextra in laude ponatur, illud autem numquam laudabiliter fieri possit: nam & quòd reprehenditur in via vitæ, qui declinat in dextra, non ibi ea reprehenduntur quæ dextra sunt, sed ille qui declinat in ea, id est, qui sibi arrogat quæ Dei sunt. Ideo dicitur in Proverbiis, Non declines in dextra aut in sinistra. Vias enim quæ à dextris sunt novit Dominus: perversæ autem sunt quæ à sinistris. Ergo bonæ sunt dextræ quas novit Dominus. Novit enim Dominus vias justorum, sicut in Psalmo legitur. Cur ergo dictum sit, Ne declines in dextra, consequenter ostendit addendo, Ipse enim rectos faciet cursus tuos. Absit autem ut dextras, quas novit Dominus, negemus esse rectas: sed, ut dixi, declinare in eas est, non illius gratiæ, sed sibi tribuere velle quod rectum est. Denique, ut dixi, adjungit & dicit, Ipse enim faciet rectos cursus tuos, & omnia itinera tua in pace producet.

Prov. 4. 27.

Psal. 1. 6.

Prov. 4. 27.

2. Quapropter hoc quod isto loco Deuteronomij, de quo agimus, dictum est. *Non præteribis ab omnibus verbis, quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra ire, post deos alienos servire illis*, non ideo dictum est, quia dij alij possunt etiam in dextris accipi: sed aut terrena loca significata sunt, quia & in dextra & in sinistra habebant gentes alios deos colentes: aut hoc de diis aliis separatim pronuntiandum est, ut duo sint sensus; unus videlicet, *Non præteribis ab omnibus verbis, quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra*, secundùm illum scilicet intellectum, quem suprà exposui; alius autem sit sensus, *ire post deos alienos, servire illis*, ut & hîc subaudiatur, *Non præteribis ab omnibus verbis, quæ ego mando tibi hodie.* Quem totum sensum si dicere velimus, superiora verba, quæ utrique sensui sunt communia, repetituri sumus, ut quomodo illic dicitur, *Non præteribis ab omnibus, quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra*, sic & istic repetatur, *Non præteribis ab omnibus, quæ ego mando tibi hodie, ire post deos alienos servire illis.* Prætereundo enim à verbis quæ mandata sunt, etiam hoc fit, ut eatur post deos alienos. Non enim hoc solum mandatum est, aut hoc solum præteriri Deus non vult, quod mandavit, ne post deos alienos eatur, sed omnia quæ mandavit: hoc tamen ita præcipuè, ut post generalitatem præcepti, quo admonuit non esse prætereundum ab omnibus verbis mandatorum suorum, etiam hoc seorsum commendare voluerit.

3. Potest hoc quod ait, *dextra aut sinistra*, etiam sic intelligi, ut nec eorum caussâ, quæ propter felicitatem appetuntur, nec eorum quæ propter infelicitatem fugiuntur, ire mandaverit post deos alios: id est, nec pro iis quæ amantur, nec contra ea quæ odio habentur, à diis aliis auxilium esse poscendum: aut certè illo modo, [c] ut vel concilientur, quò prosint; vel placentur, ne noceant. Nam & de quibusdam scriptum est in Psalmo, Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera ini-

Psal. 143. 8. c

a Editi, *à David.* Delendum *à*; quo MSS. carent.

b Editi, *in dextra.* Abest *in* à MSS. & à LXX.

c Sic MSS. At excusi, *veluti consulantur, quæ prosint.*

quitatis: ideo quia his rebus opinantur fieri homi- A nem beatum, quas & boni & mali possunt habere: & ideo dextera est iniquitatis, quia iniqui sunt, qui eam dexteram putant. Non enim est vera dextera, sed dextera est eorum, quorum os locutum est vanitatem. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, cùm potiùs, sicut mox adjungit & docet, Beatus sit populus, cujus Dominus Deus ipsius. Hæc est vera dextera, æquitatis, non iniquitatis. Non est ergo eundum post deos alienos, neque in dextra, ut existimet homo ex ipsis se fieri beatum; neque in B sinistra, ut existimando ipsis adversantibus se fieri miserum, ad hoc eos colat ut avertat. Aut certè si dextra intelligimus æterna, sinistra verò temporalia bona; nec propter illa, nec propter ista eos colendos sancta Scriptura hoc loco admonuisse credatur.

QUÆST. XLIX. Deut. 29. 1. HÆC *verba Testamenti quod mandavit Dominus Moysi, statuere filiis Israël in terra Moab, præter Testamentum quod testatus est eis in Choreb.* Ostendit unde appellatus sit liber Deuteronomium, quasi se- C cunda Lex; ubi magis illius repetitio est, quàm aliquid aliud: pauca enim sunt, quæ ibi non sint in eo quod primum datum est. Nec tamen appellantur hæc duo Testamenta, quamvis ita hæc verba sonare videantur: utrumque enim unum est Testamentum, quod in Ecclesia dicitur Vetus. Nam si propter hæc verba duo Testamenta dicenda essent, jam non duo, sed plura essent, excepto Novo. Multis enim locis Scriptura dicit Testamentum: sicut Gen. 17. 4. illud quod factum est ad Abraham de circumcisio- D Gen. 9. 9. ne, vel illud superius ad Noë.

QUÆST. L. Deut. 29. 2. 3. & 4. ET *vos vidistis omnia, quæcumque fecit Dominus Deus vester in terra Ægypti coram vobis Pharaoni, & omnibus servis ejus, & omni terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa & prodigia illa magna, & manum validam. Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire, & oculos videre, & aures audire usque in diem istam.* Quomodo ergo ait superiùs, *Vos vidistis tentationes magnas, quas viderunt oculi tui*, si *non dedit Dominus eis oculos videre, & aures* E *audire*: nisi quia viderunt corpore, & corde non viderunt? quia oculi dicuntur & cordis: propterea inde cœpit, *Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire.* Ad hoc pertinent duo quæ sequuntur, *& oculos videre, & aures audire*, id est intelligere, & obtemperare. Quod verò dicit, *Et non dedit Dominus Deus vobis*: nullo modo increpans & arguens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet, ne quisquam se ex hoc excusabilem putet. SIMUL ENIM OSTENDIT & sine F adjutorio Domini Dei eos intelligere & obedire non posse oculis cordis, & auribus cordis: & tamen si adjutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis vitium; quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen justa sunt.

QUÆST. LI. Deut. 29. 5. & 6. ET *adduxit vos quadraginta annis in deserto: non inveteraverunt vestimenta vestra, & calceamenta vestra non sunt adtrita à pedibus vestris: panem non manducastis, vinum & siceram non bibistis, ut sciretis quia iste Dominus Deus vester.* Hinc apparet tantum vini G in suis impedimentis potuisse portare Israëlitas, quando exierunt de Ægypto, quod possent citò consumere. Nam si omnino nihil secum tulissent, Exodi 32. 6. unde esset illud de quo dictum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere? Non enim hoc de aqua diceretur, cùm & ipsius Moysi manifestissima verba sint, non fuisse illam vocem principium belli, sed principium vini. Ibidem 18.

QUÆST. LII. Deut. 29. 18. 19. &c. NUMQUID *est aliquis inter vos vir, aut mulier,* a *aut familia, vel tribus, cujus mens declinavit à Domino Deo vestro, ire servire diis gentium illarum? Num quæ est in vobis radix sursum germinans in felle & amaritudine? Et erit, cùm audierit verba maledictionis hujus, & opinabitur in corde suo, dicens, Sancta mihi fiant, quoniam in errore cordis mei incedo: ut non simul perdat* b *peccator cum qui sine peccato est; nolet Deus propitiare ei, sed tunc incendetur ira Domini, & zelus ejus in homine illo, & adhærebunt in eo omnia maledicta Testamenti hujus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Ita dictum est, *Numquid est in vobis*, ut tamquam requirentem intelligamus, ne fortè sit. Si quis autem esset, eum terruit vehementer, ne fortè quisquam diceret in corde suo, audiens illa maledicta, *Sancta mihi sint*, id est, maledicta sancta mihi sint: *quoniam in errore cordis mei incedo*, id est, absit ut mihi ista eveniant, non mihi sint hæc mala, sed sancta, id est propitia & innoxia; *quoniam in errore cordis mei incedo*, eundo scilicet post deos gentium, & eis tamquam impunè serviendo. Non, inquit, erit sic. *Non perdat simul peccator cum qui sine peccato est*: tamquam diceret, Cavete ne cui vestrûm talia persuadeat, qui talia cogitat. *Nolet Deus propitiare ei*, sive talia cogitanti, sive illi cui talia fuerint persuasa, sicut ipse opinatus est dicendo, *Sancta mihi sint*; & quasi hoc modo avertendo à se vim illius maledicti. *Sed tunc accendetur ira Domini, & zelus ejus in homine illo*, quando putabit eam se avertere, ista in corde suo dicendo. *Et adhærebunt in eo omnia maledicta Testamenti hujus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Non possunt quidem omnia evenire uni homini: non enim etiam toties mori potest, quot genera mortis hîc dicta sunt: sed *omnia* dixit, pro quibuslibet, ut non sit immunis ab omnibus, cui evenerint aliqua eorum quibus pereat. Quod autem ait, *Vt non simul perdat peccator eum qui sine peccato est*, quod Græcus habet ἀναμάρτητον, non sic accipiendum est, tamquam ab omni prorsus peccato mundum & immunem hoc dixerit ἀναμάρτητον, id est sine peccato; sed eum qui sine peccato isto esset, de quo loquebatur: sicut dicit Dominus in Evangelio, Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum Johan. 15. 22. non haberent; non utique omne, sed hoc peccatum quo non crediderunt in eum. Dicit etiam Deus Contra Julianum lib. 3. cap. 10. ad Abimelech de Sara uxore Abrahæ, Scio quia in Gen. 20. 6. mundo corde fecisti hoc: non utique mundum illius cor ita voluit intelligi, ut similis eis esset, de quibus dictum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi Matth. 5. 8. Deum videbunt: sed ab illo peccato, de quo agebatur, mundum cor habebat; quoniam quantum ad ipsum pertinebat, non concupiverat conjugem alienam.

ET *circumpurgabit Dominus cor tuum, & cor seminis tui, diligere Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut vivas tu.* Evidens pollicitatio gratiæ: promittit enim Deus se esse facturum, quod solet jubere ut fiat. QUÆST. LIII. Deut. 30. 6.

QUIA *mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est supra modum, neque longè abs te est: non in cælo* QUÆST. LIV. Deut. 30. 11. 12. &c.

a Editi & plures MSS. *aut familia*. paulòque post, *Nequam est in eo radix*. Locum hunc redintegrant, & cum LXX. conciliant codices aliquot melioris notæ.

b Editi, *non simul perdat peccatorem & eum* &c. At MSS. juxta LXX. *non simul perdat peccator eum qui sine peccato est*. Hanc lectionem confirmat expositio, quæ mox ab Augustino subjiciebatur.

est,

est, dicens, id est ut dicas, *Quis adscendet nobis in* A *cælum, & accipiet nobis illud, & audientes illud faciemus? Neque trans mare est, dicens*, id est, ut dicas, *Quis transfretabit nobis trans mare, & accipiet nobis illud, & audientes illud faciemus? Propè est verbum hoc valde in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis* Rom. 10. 8. *facere illud.* Hoc esse verbum fidei dicit Apostolus: quod ad novum pertinet Testamentum. Sed quæri potest, cur ea superiùs * mandata dixerit, quæ Deut. 29. 21. scripta sunt, in libro Legis hujus: nisi quia his omnibus spiritalia significantur ad novum Testamen- * f. maledicta. B tum pertinentia, si bene intelligantur. Item quæri potest, cur hoc quod hîc positum est, *Neque trans mare est, ut dicas, Quis transfretabit nobis trans mare,* Rom. 10. 7. *& accipiet nobis illud*, Apostolus dixerit, Aut quis descendet in abyssum; atque id exponens adjunxerit, Hoc est Christum à mortuis reducere: nisi quia mare appellavit totam in hoc sæculo vitam, quæ morte transitur, ut quodam modo mare finiatur, & trans mare mors ipsa appelletur, velut trans istam vitam, quæ maris vocabulo significa- C tur. Deinde quod hîc additum est, *& in manibus tuis*; non ait Apostolus, nisi, in ore tuo & in corde Ibid. v. 8. tuo. Et hoc usque in finem exsecutus est, dicens, v. 10. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Meritò quod ex Hebræo translatum est, quantum à nobis inspici potuit, non habet, *in manibus tuis*. Nec frustra tamen hoc à Septuaginta interpretibus additum existimo: nisi quia intelligi voluerunt etiam ipsas manus, quibus significantur opera, in corde accipi debere, ubi D Gal. 5. 6. est fides quæ per dilectionem operatur. Nam si forinsecùs ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus qui præcep- Rom. 13. 10. ta arbitretur impleri. Porro si caritas, quæ plenitudo est Legis habitet in corde, etiamsi manibus corporis quisquam non possit operari, pax illi est utique cum hominibus bonæ voluntatis.

QUÆST. LV. Deut. 32. 5. PECCAVERUNT *non ei filij vituperabiles.* Quod in Græco est τέκνα μωμητὰ, quidam interpretati sunt sicut hîc, id est *filij vituperabiles*, qui- E dam *filij commaculati*; quidam *filij vitiosi*. Unde non magna quæstio, immo nulla est. Sed illud meritò ad quærendum movet, si generaliter dictum est, *Peccaverunt non ei*, quoniam qui peccat, non ei peccat, id est, eum qui sine peccato sibi; quo- Psal. 50. 6. modo intelligendum sit quod in Psalmo legitur, Jerem. 14. 7. Tibi soli peccavi; & in Jeremia, Tibi peccavimus, Psal. 40. 5. patientia Israël Domine; & iterum in Psalmo, Sana animam meam, quia peccavi tibi: & utrùm hoc 1. Reg. 2. 25. sit peccare Deo, quod peccare in Deum. Unde ait F Heli sacerdos, Si in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? Dicam ergo interim, quid mihi in præsentia videatur. Intelligent fortasse aliquid melius, qui meliùs hæc sapiunt, aut etiam nos alio tempore, quantum adjuverit Dominus. Peccare in Peccare in Deum & peccare Deo. Deum, est in iis peccare, quæ ad Dei cultum pertinent. Nam hoc quod commemoravi, nihil aliud indicat: sic enim peccabant filij Heli, quibus hoc pater eorum dixit. Sic existimandum est peccari etiam in homines, qui pertinent ad Deum: nam G hoc Deus legitur dixisse ad Abimelech de Sara, Gen. 20. 6. Propterea peperci tibi, ne peccares in me. Pecca- re autem Domino, vel potiùs a peccasse Domino, a (nisi fortè alicubi scriptum occurrat, quod huic sensui resistat,) hi mihi videntur non immeritò dici, qui piam pænitentiam peccati sui nunc agunt, ut glorificetur ignoscens Dominus. Caussam quippe reddens David cur dixerit, Tibi soli peccavi, & Psal. 50. 6. b malum coram te feci; subjecit & ait, Ut justificeris b in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris: sive cùm dicit Deus, Judicate inter me & vineam meam: Isaiæ 5. 3. sive de Domino Jesu Christo intelligatur, qui solus verissimè dicere potuit, Venit enim princeps mun- Johan. 14. 30. di, & in me non habet quidquam, (id est, quid- " quam peccati quod morte sit dignum,) sed ut co- " gnoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut man- " datum dedit mihi Pater, sic facio; surgite eamus " hinc: tamquam diceret, Etiamsi levissima peccata mortis supplicio persequatur princeps mundi, in me non habet quidquam, sed surgite eamus hinc, id est, ut patiar; quia in eo quòd patior, voluntatem impleo Patris mei, non pœnam solvo peccati mei. Et quod Jeremias ait, Tibi peccavimus patien- Jerem. 14. 7. tia Israël, Domino utique suppliciter dicitur in pænitentia cum spe salutis c ex venia. Et quod dictum c est, Sana animam meam, quia peccavi tibi, hoc Psal. 40. 5. idem agitur ut Deus ignoscendo glorificetur: quia magna est ejus misericordia super confitentes sibi & redeuntes ad se, qui dicit se nolle mortem pec- Ezech. 33. 11. catoris, d quantum ut revertatur & vivat. Hinc & d ipse David non solùm in Psalmo, verùm etiam cùm eum Deus argueret per Prophetam, non sine spe 2. Reg. 12. 13. D propitiationis Domini respondit, Peccavi Domino. Medico enim vulneratus videtur quodam modo, qui ut sanetur se subdit manibus medici, ut in eo medicinæ opus impleatur. In hoc autem cantico prævidebat Propheta futuros quosdam, qui sic fuerant peccaturi Deum offendendo magnis iniquitatibus suis, ut nec pænitentiam agere vellent, & ad Deum redire ut sanarentur: de quibus etiam alibi dicitur, Quoniam caro sunt, & spiritus am- Psal. 77. 39. bulans, & non revertens. Potest etiam sic intelligi, E *Peccaverunt non ei*, secundùm id quod non ei nocuerunt peccato suo, sed sibi.

ET *hæc benedictio*, e *quam benedixit Moyses homo* QUÆST. LVI. Deut. 33. 1. 2. &c. *Dei filios Israël, priusquam defungeretur. Et dixit, Dominus ex Sina venit, & alluxit ex Seir nobis: fe- c stinavit ex monte Pharan cum multis millibus Cades. Ad dexteram ejus Angeli cum eo, & pepercit populo suo. Et omnes sanctificati sub manus tuas, & hi sub te sunt. Et accepit de verbis ipsius Legem, quam mandavit nobis Moyses, hereditatem congregationibus Iacob.* F *Et erit in dilecto princeps, congregatis principibus populorum simul tribubus Israël.* Non negligenter prætereunda est ista prophetia. Apparet quippe ista benedictio ad novum populum pertinere, quem Dominus Christus sanctificavit; ex cujus persona ista dicuntur à Moyse, non ex persona ipsius Moysi, quod in consequentibus evidenter apparet. Nam si propterea dictum est, *Dominus ex Sina venit*, quia v. 2. in monte Sina Lex data est; quid sibi vult quod sequitur, *& alluxit ex Seir nobis*: cùm Seir mons Idumeæ sit, ubi regnavit Esaü? Deinde cùm Moyses filios Israël benedicat his verbis, sicut Scriptura prædixit, quomodo idem dicit, *Et accepit de verbis* v. 4.

a Editi, *peccare in Dominum*. At MSS. *peccasse Domino*. Rectè quidem, sed paulò infrà MSS. iidem & omnes editi perperam ferebant, *qui piam pænitentiam peccati sui non agunt*: cùm certo certiùs legi debeat, *nunc agunt*: vel fortè, *qui per piam pænitentiam peccati sui hoc agunt*.

b MSS. *malienum*.

c Sic MSS. At Am. Er. & Lov. *& venia*. Rat. *& venia*.

d In editis *tantùm ut revertatur*. In MSS. verò, *quantum*, juxta LXX. ὡς ἀποστρέψαι.

e Editi, *qua benedixit*: & infeliùs, *hereditatem congregationis Jacob*. paulòque pòst, *simul cum tribubus Israël*. His in locis sequimur MSS. qui cum Græco LXX. conveniunt.

ipsius Legem, quam mandavit nobis Moyses? Nimi- A
rum ergo prophetia est, ut diximus, populum no-
vum Christi gratiâ sanctificatum prænuntians, ideo
sub nomine filiorum Israël, quia semen est Abra-
ham, hoc est, filij sunt promissionis, & interpreta-
tio ejus est, videns Deum. Dominus ergo qui ex
Sina venit, Christus intelligendus est, quoniam
Sina interpretatur, tentatio. Venit ergo ex tenta-
v. 2. tione passionis crucis mortis. *Et alluxit ex Seir.* Seir
interpretatur pilosus, quod significat peccatorem:
Gen. 25. 25. sic enim natus est Esaü odio habitus: sed quoniam B
Isaiæ 9. 2. qui sedebant in tenebris & in umbra mortis, lux or-
ta est eis; ideo alluxit ex Seir. Simul etiam non ab-
surdè intelligitur esse prædictum, ex gentibus quæ
significantur per nomen Seir, quia mons est perti-
nens ad Esaü, venturam gratiam Christi populo Is-
Rom. 11. 31. raël. Unde dicit Apostolus, Ita & hi nunc non cre-
diderunt in vestra misericordia, ut & ipsi miseri-
Deut. 33. 2. cordiam consequantur. Ipsi ergo dicunt, *Alluxit
ex Seir nobis, & festinavit ex monte Pharan*, id est,
ex monte fructifero: id enim interpretatur *Pharan*, C
quo significatur Ecclesia. *Cum multis millibus Cades.*
Et mutata interpretatur *Cades*, & sanctitudo. Mu-
tata sunt ergo multa millia, & sanctificata per gra-
tiam, cum quibus venit Christus ad Israëlitas po-
stea colligendos. Sequitur & dicit, *Ad dexteram
ejus Angeli cum eo.* Hoc non indiget expositione.
v. 3 *Et pepercit*, inquit, *populo suo:* donans remissionem
peccatorum. Inde ad ipsum convertit sermonem
atque ait, *Et omnes sanctificati sub manus tuas, &
hi sub te sunt:* non utique superbientes, & suam ju-
stitiam volentes constituere, sed agnoscentes gra- *Rom. 10. 4.*
tiam, ut justitiæ Dei subjiciantur. *Et accepit*, inquit, *Deut. 33. 4.*
de verbis ipsius Legem: populus utique de quo ait,
Et pepercit populo suo. Accepit ergo de verbis ipsius *v. 3.*
Legem, *quam mandavit*, inquit, *nobis Moyses:*
hoc est, populus ejus de verbis ejus accepit Legem,
quia de doctrina ejus intellexit Legem eam ipsam,
quam mandavit nobis Moyses. Ipse quippe ait in
Evangelio, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: *Johan. 5. 46.*
de me enim ille scripsit. Non enim accepit popu-
lus ille Legem, quam non intellexit: sed tunc acce-
pit, quando intellexit de verbis ejus, carens velami-
ne veteri, conversus ad Dominum: hanc dicit *here-
ditatem congregationibus Iacob*, quæ intelligenda est
non terrena, sed cælestis; non temporalis, sed æter-
na. *Et erit*, inquit, *in dilecto princeps:* ipse utique in *v. 5.*
dilecto populo erit princeps Dominus Jesus: *congre-
gatis principibus populorum*, id est, gentium: *simul tri-
bubus Israël*, ut impleatur quod suprà dictum est,
Lætamini gentes simul cum populo ejus; quia cæ-
citas ex parte in Israël facta est, donec plenitudo *Rom. 11. 25.*
gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fieret.

QUAEST. LVII. *Deut. 33. 17.* CUM Joseph benediceret, ait inter cetera, *Pri-
mogenitus tauri pulcritudo ejus.* Quod non ita legen-
dum est, tamquam dixerit, primogenitus tauri;
sed, cùm sit primogenitus, pulcritudo ejus tauri
est: propter crucis cornua de Domino intelligitur
figuratum.

LIBER SEXTUS.

Quæstiones in Josue.

QUAEST. I. *Josu. 1. 5.* DOMINUS dicit ad Jesum Nave, *Et sicut* D
eram cum Moyse, ita ero & tecum. Non
solùm autem hoc testimonio, sed etiam
in Deuteronomio multis documentis
probatur Moyses ita defunctus, ut Dei famulus &
Deo placens: quamvis in eo illa vindicta completa
sit, ne terram promissionis intraret. Ex quo datur
intelligi, Dominum etiam bonis servis suis in aliquo
succensentem, & temporaliter vindicare, & tamen
in eorum habere numero, quæ sunt in domo ejus
2. Tim. 2. 21. vasa in honorem utilia Domino, quibus daturus est E
promissa sanctorum.

QUAEST. II. *Josue 1. 11.* QUÆSTIO est, quomodo postea quàm locutus
est Dominus ad Jesum Nave, exhortans & confir-
mans eum, seque promittens cum illo futurum,
mandaverit idem Jesus populo per scribas, ut præ-
pararent cibaria, quòd post tres dies Jordanem fue-
rant transituri, cùm inveniantur post multò plures
Ibidem 2. 1. dies transisse Jordanem. Cùm enim hæc populo
mandasset, misit exploratores in Jericho, quoniam
Jordane trajecto ipsa proxima civitas occurrebat: F
illi autem diverterunt ad Raab mulierem fornica-
riam, & ab illa occultati, atque à rege quæsiti &
minimè inventi, eadem dimittente illos per fene-
stram, & monente ut triduo laterent in montanis,
Ibid. 3. 1. quatuor dies videntur esse consumti: inde postea
quàm nuntiaverunt quæ circa illos gesta fuerint,
promovit Jesus cum populo universo de loco ubi
erat diluculo: qui cùm venisset ad Jordanem, di-
vertit & mansit: tunc rursus populus admonetur ut
post triduum se præparet transire Jordanem, arcâ
Domini præcedente. Hinc ergo intelligitur huma-
nam fuisse dispositionem, quam fecit populo nun-
tiari, ut cibaria præpararent, tamquam post tres
dies memoratum fluvium transituri. Potuit enim
hoc sicut homo sperare fieri posse, si exploratores
celeriter revertissent. Quibus tardantibus intelligi-
tur, quamvis Scriptura tacuerit, ex divina disposi-
tione cetera impleta, ut jam inciperet apud popu-
lum glorificari Jesus, & ostendi quòd cum illo Do-
minus esset, sicut fuerat cum Moyse. Nam & hoc
illi dicitur fluvium transituro, sicut scriptum est, *Et* *Josue 3. 7.*
*dixit Dominus ad Iesum, In die isto incipiam exaltare
te coram omnibus filiis Israël, ut sciant quoniam sicut
eram cum Moyse, sic ero & tecum.* Nec incredibile
debet videri, etiam illos cum quibus Deus loque-
batur, aliquid ex humana dispositione agere vo-
luisse, in qua sibi Deum tamen [a] fiderent esse recto-
rem, eorumque ex illius à quo regebantur provi- *Exod. 18. 14. &c.*
dentia, consilia fuisse mutata. Nam & Moyses ipse
utique tamquam homo putaverat esse faciendum,
ut caussas populi sic audiret, quemadmodum & sibi
& illis, onus intolerabile subeundo, prodesse non
posset: ejusque dispositio divinitus, & hoc ipsum
socero ejus suggerente & monente, atque hanc ad-
monitionem Deo approbante, mutata est.

QUAEST. III. *Jos. 3. 3. & 4.* SCRIBÆ populo dicunt, *Cùm videritis arcam
testimonij Domini Dei* [b] *nostri, & sacerdotes nostros &*

[a] MSS. decem & editio Rat. *viderent.*

[b] Sic MSS. At editi. *Dei vestri & sacerdotes vestros.*

Levitas tollentes eam, proficiscemini de locis vestris; A
*& ite post eam: sed longum intervallum sit inter vos &
illam, quantum duo millia cubitorum stabitis, ne pro-
pinquetis ei, ut sciatis viam, quam ibitis in eam. Non
enim abiistis viam ab hesterna & nudiustertiana die.*
Longè jussum est arcam præcedere, ut posset à po-
pulo videri. Tam grande quippe agmen, si post
eam proximum pergeret, non eam videret præire,
nec nosset quà sequeretur. Ex hoc autem facto
Exod. 13. 21. intelligendum est, quòd columna illa nubis, quæ
solebat movendis castris signum dare, & iter osten- B
dere, jam recesserat, nec eis apparebat: hinc fa-
** de quo in superiori q.* ctum est ut etiam triduum * illud ex humana dispo-
sitione prædiceretur. Nunc ergo duce Jesu arcam
Domini sequuntur nube subtracta, tamquam vela-
Josue 3. 15. mine ablato. *Iordanis autem plenus erat per totam
crepidinem suam, sicut in diebus messis tritici.* Hoc in-
credibile videtur regionibus nostris. Ibi autem,
sicut perhibent qui noverunt, in initio veris est
messis tritici: tunc autem ille fluvius repletur am-
pliùs quàm per hyemem. C

QUAEST. IV. *Josue 4. 7. Matth. 24. 35.* ET *erunt vobis lapides isti memoriale filiis Israël us-
que in æternum.* Quomodo *in æternum*, cùm cælum
& terra transeant? An quoniam æternum aliquid
significant hi lapides, cùm ipsi æterni esse non pos-
sint? Quamvis possit quod in Græco est, ἕως τοῦ αἰῶ-
νος, dici Latinè, & usque in sæculum, quod non
est consequens ut intelligatur æternum.

QUÆST. V. *Josue 4. 15. & 16.* ET *dixit Dominus ad Iesum, dicens, Manda sa-
cerdotibus portantibus arcam testamenti testimonij.* So-
let dici arca testamenti, vel arca testimonij: nunc D
dicta est arca testamenti testimonij, ut non solùm
arca, sed etiam ipsum testamentum, appellaretur
testamentum testimonij. Hinc enim dicit Aposto-
Rom. 3. 21. lus, Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata
est, testimonium habens per Legem & Prophetas.
In cujusdam enim rei alterius venturæ testimonium
datum fuerat illud, quod dicitur Testamentum
vetus.

QUÆST. VI. *Josue 5. 2.* DIXIT *Dominus ad Iesum, Fac tibi ipsi cul-
tros de petra acutos*, vel, sicut habet Græcus, *de pe-* E
tra acuta, & sedens circumcide filios Israël iterum. In
hoc præcepto quæritur cur dixerit, *iterum.* Non
enim unus homo bis circumcidendus erat: sed quia
unus populus erat in quibusdam circumcisus, in
quibusdam non circumcisus, ideo dictum est *ite-
rum*, ut circumcisus iterum circumcideretur, non
homo, sed populus. Nam & sequentia id osten-
dunt. Dicit enim Scriptura, *Et fecit Iesus cultros
petrinos sibi ipsi acutos, & circumcidit filios Israël in
loco, qui vocatur collis præputiorum. Hoc autem modo* F
*circumpurgavit Iesus filios Israël, qui aliquando fue-
rant in via, & qui aliquando incircumcisi erant eorum,
qui exierant ex Ægypto, omnes istos circumcidit Iesus.
Quadraginta enim & duobus annis conversatus est Is-
raël in deserto Mabdaritide, & ideo incircumcisi erant
illorum plurimi pugnatorum qui exierunt de terra Æ-
gypti, qui inobedientes fuerant mandatis Dei, in qui-
bus & definierat Dominus eis, ne viderent illi terram,
quam juraverat Dominus patribus eorum dare illis ter-
ram fluentem lac & mel. Pro his autem substituit filios* G
*eorum, quos circumcidit Iesus, eo quòd fuissent in iti-
nere incircumcisi.* Manifestum est ergo non omnes
fuisse, sed quosdam. Quidam enim de Ægypto
exeuntium filij in illo populo incircumcisi erant,
quos potuit circumcidere Jesus; illorum scilicet fi-
lios qui genuerunt in deserto, & contemserunt eos
circumcidere, quòd inobedientes erant legi Dei.
Nulla itaque caussa est, cur ij qui putant rebapti- Obviat hæreticorum rebaptizantium errori.
zandos eos, qui habent Christiani baptismi sacra-
mentum, hoc testimonio Legis adjuvari se putent:
quia nullus bis numero unus homo est circumcisus;
sed populus qui jam fuerat in quibusdam circum-
cisus, in quibusdam verò adhuc incircumcisus erat.
Et si aliquo modo id fieri posset, ut bis circumci-
di hominem Deus juberet; numquid possunt di-
cere ideo fuisse præceptum, quia illi ab Ægyptiis
fuerant circumcisi, aut ab aliquibus hæreticis ab
Israëlitarum societate segregatis? Cùm verò satis
etiam appareat, quare sit à Deo dictum; nullum hîc
possunt homines erroris sui patrocinium reperire.

QUAEST. VII. *Josue 5. 13.* QUANDO Jesus vidit virum contra se stantem
evaginato gladio, & eo respondente dicit, quòd
esset princeps militiæ virtutis Domini; & prostra-
tus in terram dixit, *Quid præcipis tuo famulo?* Quæ-
ri potest, utrùm Angelo se prostraverit, eumque
dixerit Dominum; an potiùs intelligens à quo mis-
sus fuerat, ipsum Dominum dixerit, eique se pro-
straverit. Erat autem, sicut legitur, Jesus in Jeri-
cho, non utique in ipsa civitate, cujus muri non-
dum ceciderant, quod mox futurum erat, ut in
eam possent intrare; sed in agro ad eam pertinen-
te: nam interpretatio, quæ est ex Hebræo, * sic ** sic Vulgata nostra.*
habet.

QUAEST. VIII. *Josue 7.* IN eo quod factum est ut Achar de tribu Juda
furaretur de anathemate civitatis Jericho contra
præceptum Domini: & propter ejus peccatum
tria millia quæ missa fuerant in Gaï, dederunt ter-
ga hostibus, & occisi sunt ex eis triginta sex viri: &
populo graviter territo, Jesus cum senioribus se
prostravit ad Dominum, eique responsum est ideo
factum esse, quòd peccaverit populus: minatus est
etiam Deus non se cum eis futurum, nisi abstule-
rint anathema de se ipsis: & quòd ostensus est qui
fecerat, nec solus occisus, sed cum omnibus suis:
quæri solet quomodo justè pro alterius peccatis in
alios vindicetur; maximè quia in Lege Dominus *Deut. 24. 16.*
dixit, nec patres pro filiorum, nec filios pro pa-
trum peccatis esse puniendos? An aliud judicanti-
bus hominibus est præceptum, ne quemquam pro
altero puniant: Dei autem judicia non sunt ejus-
modi, qui alto & invisibili consilio suo novit qua-
tenus extendat etiam temporalem hominum pœ-
nam salubremque terrorem: Non enim aliquid
[a] dirum, quantum adtinet ad universi mundi admi-
nistrationem, contingit mortalibus, cùm moriun-
tur quandoque morituri: & tamen apud eos qui ta-
lia metuunt, disciplina sancitur, ut non se solum
quisque curet in populo, sed invicem sibi adhi-
beant diligentiam, & tamquam unius corporis &
unius hominis alia pro aliis sint membra sollicita.
Nec tamen credendum est, etiam pœnis quæ post
mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari:
sed in his tantùm rebus hanc irrogari pœnam, quæ
finem fuerant habituræ, etiamsi non eo modo fini-
rentur. Simul etiam ostenditur, quantum connexa
sit in populi societate ipsa universitas, ut non in se-
ipsis singuli, sed & tamquam partes in toto existi-
mentur. Per unius igitur peccatum mortemque
paucorum admonitus est populus universus, tam-
quam in corpore universo quærere quod admissum
est. Simul etiam significatum est quantum mali fie-
ret, si universa illa congregatio peccasset; quando
ne unus quidem ita potuit [b] judicari, ut ab eo pos-

[a] Editi *durum.*

[b] MS. Cisterciensis, *vindicari.*

ſent ceteri eſſe ſecuri. At verò ſi Achar ab aliquo inventus atque comprehenſus, & illius criminis reus ad judicium Jeſu fuiſſet adductus, nequaquam putandum eſt hominem judicem vel pro illo vel cum illo quemquam alium, qui ſocietate facti ejus minimè teneretur, fuiſſe puniturum. Neque enim ei mandatum Legis licebat excedere, quod datum eſt hominibus, ne judicio ſuo, quod in hominem homini juſſum ſive permiſſum eſt, alterum pro alterius peccato arbitretur eſſe plectendum. Longè autem ſecretiore juſtitiâ judicat Deus, qui potens eſt etiam poſt mortem, quod homo non poteſt, vel liberare vel perdere. Viſibiles igitur afflictiones hominum ſive mortes, quoniam his quibus ingeruntur, & obeſſe & prodeſſe poſſunt, novit Dominus in occulto providentiæ ſuæ quemadmodum juſtè quibuſque diſpenſet, etiam cùm aliorum peccata in aliis videtur ulciſci. Pœnas verò inviſibiles, quæ nonniſi nocent, & prodeſſe non poſſunt, ita nullus Deo judice pro alienis peccatis luit, ſicut homine judice luere nullus niſi pro ſua culpa iſtas viſibiles debet. Hoc enim præcepit homini judici Deus, in his quæ ad humanum judicium pertinent [a] vindicanda, quod in ſuo judicio facit ipſe, quò poteſtas non adſpirat humana.

QUÆST. IX. *Joſue 7. 15. & 25.*

1. MERITÒ quæritur, cùm Dominus propter illum, qui de anathemate furtum fecerat, præcepit eum, qui fuiſſet oſtenſus, igni cremari, cur eum oſtenſum Jeſus lapidari potiùs à populo fecerit. An ita eum mori oportuit, quemadmodum Jeſus, qui propiùs Dominum ſequebatur, Domini verba jubentis intelligere potuit? Sic enim alius quiſquam non facilè potuit. Unde magis quærendum eſt, cur lapidationem ignem appellaverit Dominus, quàm credendum Jeſum aliud feciſſe quàm juſſerat Dominus. Nam neque ad intelligendum verba Domini quiſquam potuit eſſe ſapientior, neque ad faciendum quiſquam obedientior. Proinde ignis nomine pœnam potuiſſe ſignificari, Scriptura teſtis eſt in Deuteronomio, ubi dicitur ad filios Iſraël, Et eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto: ubi utique duram tribulationem intelligi voluit. *Deut. 4. 20.*

2. Duæ autem mihi cauſſæ occurrunt, (non ut ambæ ſint, ſed ut altera ex eis,) cur non ille cum ſuis omnibus evidenti igne crematus ſit. Si enim peccatum ejus Dominus tale eſſe judicavit, quod ſupplicio illo expiatum non puniret in æternum, propter ipſam expiationem & purgationem congruenter illa pœna ignis nomen accepit. Neque ad hunc intellectum quiſquam tendere admoneretur, ſi eum propriè viſibilis ignis exureret; ſed in eo quiſque remaneret, quod apertè videbat impletum, nec aliquid ultrà quæreret: nunc verò cùm propter Dei verba & factum Jeſu, à quo prævaricari illa verba non poſſent, rectiſſimè dicitur etiam lapidationem ignem fuiſſe; eleganter agnoſcitur illâ pœnâ hominem, ne in poſterum peccato illo interiret, fuiſſe purgatum. Quod ſignificant etiam vaſa in Levitico, quæ jubentur igne purgari. Si autem tale fuit illud peccatum, propter quod eum etiam poſt iſtam vitam gehenna ſuſciperet; ideo Jeſus eum voluit lapidari, ut quod à Domino dictum eſt, *igni crematbitur*, illud admoneret intelligi, quod Dominus faceret, non quod ab ipſis eſſet faciendum. Si enim dixiſſet Dominus, Igni eum cremabitis & omnia ejus; huic ſenſui locus nullus eſſet: cùm verò ita poſitum eſt, ut magis videatur Deus quod ei futurum eſſet prædixiſſe, quàm quod ei ab hominibus deberet fieri præcepiſſe; melius non potuit facere Jeſus, qui divina verba ſicut tantus Propheta intellexit, qui etiam hoc ipſum propheticè fecit, quàm ut illum lapidibus potiùs quàm flammis interimeret, ne in illis ignibus verba Domini viderentur impleta, quæ ob aliud dicta volebat intelligi. *Joſue 7. 15.*

3. Nec movere debet, quòd non ipſum tantùm, ſed etiam omnia quæ ſunt ejus, Deus cremanda igni prædixerit. Sic enim ait, *Igni crematbitur, & omnia quæcumque ſunt ei.* Omnia enim quæcumque ſunt ei, opera ejus poſſunt intelligi, quæ cum illo dixit eſſe concremanda: non ſicut dicit Apoſtolus de quibuſdam operibus igne conſumtis, ipſe autem ſalvus erit; ſi hujus peccatum ita intelligendum eſt, ut etiam æterno igne puniatur. Filios ergo ejus & filias cum pecoribus & omnibus quæ habebat, populus quidem cùm eum puniret, ſimul lapidibus obruit: non tamen hoc judicio humano, ſed propheticò ſpiritu fecit Jeſus; ſive ita intelligens, omnia quæ ſunt ei, ut nec filios cenſeret exceptos, lapidationis etiam pœnam pro igne ingerens; ſive opera ejus quæ poſt mortem Deus in illo fuerat crematurus, non ſolùm per cetera quæ illi erant, verùm etiam per filios ejus ſignificans. *1. Cor. 3. 15.*

4. Nec ideo ſanè credendum eſt eos pro peccato patris, à quo innocentes erant, etiam poſt mortem ſupplicio inferni ignis incenſos. Mors quippe iſta quæ omnes manet, quamvis de primo peccato veniat, tamen quia ita nati ſumus, ut neceſſariò moriendum ſit, accelerata quibuſdam eſt utilis. Unde legitur de quodam, Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. Quo ergo judicio Dei, vel miſericordiâ, fuerit irrogata ſive filiis ejus, ſive illis triginta ſex viris, cùm omnes ab ejus peccato alieni fuerint, latet apud eum apud quem non eſt iniquitas. Verùm illud in promtu eſt, quod & populum terribiliter oportebat quærere quod admiſſum eſt: & tanto vehementiùs timuerunt ceteri factum ejus imitari, quanto magis humana exhorret infirmitas, & in tam magnum tamquam juſtum populi odium dari, & eis quos ad ſpem propagandi generis ſe relicturum putabat, peccato ſuo ſecum conſumtis ſuis poſteris emori. *Sap. 4. 11. Rom. 9. 14.*

QUOD Deus jubet loquens ad Jeſum, ut conſtituat ſibi retrorſus inſidias, id eſt inſidiantes bellatores ad inſidiandum hoſtibus, hinc admonemur non injuſtè fieri ab his, qui juſtum bellum gerunt: ut nihil homo juſtus præcipuè cogitare debeat in his rebus, niſi ut juſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt. non enim omnibus fas eſt. Cùm autem juſtum bellum ſuſceperit, utrùm apertâ pugnâ, utrùm inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſt. Juſta autem bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per injurias ablatum eſt. Sed etiam hoc genus belli ſine dubitatione juſtum eſt, quod Deus imperat, apud quem non eſt iniquitas, & novit quid cuique fieri debeat. In quo bello ductor exercitus vel ipſe populus, non tam auctor belli, quàm miniſter judicandus eſt. *QUÆST. X. Joſue 8. 3. Quæ cenſentur bella juſta. Rom. 9. 14.*

JESUS mittens ad Gaï debellandum triginta millia bellatorum, ait illis, *Vos inſidiabimini poſt civitatem, & non longè eritis à civitate, & eritis omnes parati: & ego & omnis populus, qui mecum eſt, accedemus ad civitatem. Et erit, cùm exierint qui commorantur in Gaï, in obviam nobis, ſicut antea, & fugiemus à facie illorum. Et cùm exierint poſt nos, adducemus illos de civitate, & dicent, Fugiunt iſti à facie noſtra, ſicut antea. Vos autem exſurgetis ex inſidiis & ibitis in civitatem. Secundùm verbum iſtud facietis. Ecce præcipio vobis.* Quærendum eſt, utrùm omnis voluntas fallendi pro mendacio deputanda ſit: & ſi ita eſt, utrùm poſſit juſtum eſſe mendacium, quo ille fallitur, qui dignus eſt falli. Et ſi ne hoc quidem mendacium juſtum reperitur, reſtat ut ſecundùm aliquam ſignificationem hoc, quod de inſidiis factum eſt, ad veritatem referatur. *QUÆST. XI. Joſue 8. 4. 5. & 6.*

QUOD Gabaonitæ venerunt ad Jeſum cum vetuſtis panibus & ſaccis, ut putarentur, ſicut finxerant, de terra veniſſe longinqua, quò eis parceretur: (conſtitutum enim erat à Domino, ne alicui terras illas inhabitanti parcerent, quò ingrediebantur:) nonnulli codices & Græci & Latini habent, *Et accipientes ſaccos veteres ſuper humeros ſuos*; alij verò qui veraciores videntur, non habent, *ſuper humeros*, ſed, *ſuper aſinos ſuos.* Similitudo enim verbi in Græca lingua mendoſitatem facilem fecit, & ideo Latina quoque exemplaria variata ſunt. ὤμων quippe & ὄνων non multùm ab invicem diſſonant, quorum prius humerorum nomen eſt, poſterius aſinorum. Ideo eſt autem de aſinis credibilius, quoniam ſe à ſua gente longinqua miſſos eſſe dixerunt: unde apparet eos fuiſſe legatos, & ideo magis in aſinis quàm in humeris neceſſaria portare potuiſſe: quia nec multi eſſe poterant; & non ſolùm ſaccos, ſed etiam utres eos portaſſe Scriptura commemorat. *QUÆST. XII. Joſue 9. 3.*

QUÆRI poteſt, quomodo jurationem ſervandam eſſe crediderint Hebræi Gabaonitis, quibus ita juraverant, tamquam de longinqua terra venientibus, ſicut illi mentiti fuerant. Sciebant enim ſe debellandos, ſi cognitum eſſet Hebræis in ea terra eos habitare, quam promiſſam fuerant interfectis habitantibus retenturi. Mentientibus ergo quòd de longinqua terra ad eos veniſſent, juraverunt eis Iſraëlitæ. Poſtea quàm verò cognoverunt ibi eos habitare, ubi omnes quos invenerant ſecundùm Dei præceptum debellare oportebat, noluerunt tamen frangere jurationem: & licèt eos mentitos eſſe didiciſſent, parcere maluerunt jurationis cauſſâ; cùm poſſent utique dicere ſe tantùm illis juraſſe, quos eos eſſe crediderant, id eſt de longinquo venientes: cùm verò aliud cognoverunt, præceptum circa eos Domini implendum erat, ut ſicuti ceteri expugnarentur. Deus autem hoc approbavit, nec parcentibus ſuccenſuit: quamvis eum non interrogaſſent quinam illi eſſent, & ideo eos illi fallere valuiſſent. Unde non importunè utique credendi ſunt, etſi fallere homines pro ſua ſalute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuiſſe in populo ejus: propterea nec ſuccenſuit Dominus jurantibus aut parcentibus, adeo ut poſtea Gabaonitas ipſos tamquam populi ſui homines de domo Saül vindicaverit, ſicut Regnorum oſtendit hiſtoria. Et quoniam juratio ſic ſervata eſt, quamvis in hominibus qui mentiti ſunt, ut ad clementiam ſententia flecteretur, non diſplicuit Deo. Nam ſi è contrario juraſſent, aliquos ſe interfecturos, quos Gabaonitas in terra promiſſionis eſſe putaviſſent, & poſtea didiciſſent eos eſſe ab illa terra extraneos, & de longinquo ad ſe veniſſe, nullo modo arbitrandum eſt, quòd eos eſſent debellaturi cauſsâ juramentorum implendæ: cùm propter ipſam parcendi clementiam ſanctus David, etiam poſt verba, quibus ſe Nabal interfecturum eſſe juraverat, utique ſciens quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere juramentum; magis Deo placere exiſtimans, ſi quod irâ perturbatus ad nocendum juraverat, non feciſſet, quàm ſi perfeciſſet. *QUÆST. XIII. Joſue 9. 19. 1. Reg. 25. 22.*

CUM obſeſſi Gabaonitæ à regibus Amorrhæorum, miſiſſent ad Jeſum, ut ſibi ſubveniretur; ita Scriptura ſequitur, & dicit, *Et adſcendit Jeſus à Galgala, ipſe & omnis populus bellatorum cum illo, omnis potens in fortitudine. Et dixit Dominus ad Jeſum, Noli timere illos; in manus enim tuas tradidi eos: non ſubſiſtet ex illis quiſquam coram vobis.* Ubi neque conſultus eſt Dominus, utrùm eundum ad eos eſſet: ſed ultro ſuis redè ſubvenire volentibus, futuram victoriam prænuntiavit. Sic ergo poſſet, quamvis non conſultus, de ipſis Gabaonitis admonere qui eſſent, cùm ſe longinquos eſſe mentirentur, niſi ei placuiſſet illa juratio, quæ ſubjectis parcere cogeret. Crediderant enim Deo, quem audierant ſuo populo promiſiſſe quòd illas gentes ſubverteret, eorumque terram obtineret; & hanc eorum fidem non eos [a] prodendo remuneravit quodam modo. *QUÆST. XIV. Joſue 10. 7.*

QUÆRITUR quemadmodum rex civitatis Jeruſalem Adonibezech & ceteri quatuor cum quibus obſedit Gabaonitas, ſecundùm Septuaginta interpretes, primò reges Jebuſæorum cùm ad eos obſidendos convenerunt, poſtea verò reges Amorrhæorum dicantur ab ipſis Gabaonitis, quando nuntios miſerunt ad Jeſum, ut eos de obſidione liberaret. Sicut autem inſpicere potuimus in ea interpretatione quæ ex Hebræo eſt, utrobique * Amorrhæorum dicuntur: cùm conſtet Jebuſæorum fuiſſe regem civitatis Jeruſalem, quia ipſa eſt dicta Jebus tamquam illius gentis metropolis; & ſeptem gentes ſæpiſſimè Scriptura commemoret, quas promiſit Deus exterminaturum ſe eſſe à facie populi ſui, ex quibus una perhibetur Amorrhæorum. Niſi fortè hoc nomen univerſale fuerat omnium, aut potiùs majoris partis: ut non una, ſed plures in his ſeptem hoc nomine tenerentur: quamvis eſſet etiam una de ſeptem, quæ Amorrhæorum propriè vocaretur: ſicut eſt pars quædam quæ propriè dicitur Libya, quamvis hoc nomen univerſæ Africæ competat; & pars quædam quæ propriè dicitur Aſia, quamvis Aſiam vel dimidium terrarum orbem quidam, vel alij tertiam partem orbis poſuerint. Nam, quod conſtat, & Chananæi tamquam una gens in illis ſeptem commemorantur, & tamen univerſa illa terra originaliter terra Chanaan vocatur. *QUÆST. XV. Joſue 10. 5. 6. * Sic in Vulgata.*

NON *dimiſit in ea Jeſus quidquam ſpirans, ſicut præcepit Dominus Moyſi puero ſuo, & Moyſes ſimiliter præcepit Jeſu, & ſic fecit Jeſus: non eſt transgreſſus quidquam ab omnibus, quibus conſtituit Dominus Moyſi.* Propter hoc nullo modo putanda eſt iſta crudelitas, quòd nullum vivum in civitatibus ſibi traditis dimittebat Jeſus, quia Deus hoc juſſerat. Qui autem exiſtimant hinc Deum ipſum fuiſſe crudelem, & propter hoc veteris Teſtamenti verum Deum fuiſſe auctorem nolunt credere, tam perversè de operibus Dei quàm de peccatis hominum judicant, neſcientes quid quiſque pati dignus ſit, & magnum putantes malum cùm caſura dejiciuntur, mortaleſque moriuntur. *QUÆST. XVI. Joſue 11. 14. & 15.*

[a] Sic Rat. & MSS. At Am. Er. & Lov. *judicanda.*

[a] Sic MSS. cum Rat. & Am. At Er. & Lov. *perdendo.*

gatur, quia etsi adhuc erant ex illis gentibus reliquiæ conterendæ & exterminandæ, vel ex aliis usque ad flumen Euphratem, aut subjugandæ si non resisterent, aut perdendæ si resisterent: tamen in usum eorum relictæ sunt, in quibus exercerentur, ne carnalibus affectibus & cupiditatibus infirmi, repentinam tamquam rerum temporalium prosperitatem modestè ac salubriter sustinere non possent, sed elati citiùs interirent, quod opportunè alio loco demonstrabitur. Omnis ergo illis terra data est; quia & illa pars, quæ nondum fuerat in possessionem data, jam data fuerat in quamdam exercitationis utilitatem.

QUÆST. XXIII. *Josue* 21. 42. *Josue* 19. 48. *apud* LXX.

QUOD ait, *Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*, quæri potest quomodo verum sit, cùm de tribu Dan superiùs scriptum sit, quòd eos hostes eorum non permiserint descendere in vallem, & prævaluerint eis in montibus. Sed quod diximus cùm duodecim filios Jacob Scriptura in Mesopotamia natos commemorasset, ubi non fuerat natus Benjamin; hoc etiam hîc intelligendum est, quia pro universo populo undecim tribus deputatæ sunt, eâ regulâ, quæ aliis Scripturarum locis nobis satis innotuit. Caussa autem si quæritur, cur hæc tribus in ea sorte quæ illi obvenit, non obtinuerit sufficientes terras, & ab eis à quibus tenebantur afflicta sit, in Dei quidem secreto consilio esse credendum est. Verumtamen cùm Jacob filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, ut de ipsa tribu existimetur exsurrecturus Antichristus. Unde nunc dicere plura non suscipimus, cùm etiam sic solvi possit hæc quæstio, quia *non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*, cùm simul sub unus ducis imperio bellum gerent, antequam singulis tribubus sua defendenda dividerentur loca.

Lib. 1. quæst. in Gen. q. 1. 7. — *Gen. 49. 17.*

QUÆST. XXIV. *Josue* 22. 23.

ET *in sacrificiis salutarium nostrorum.* Quia pluraliter dicta sunt sacrificia, pluraliter etiam salutaria. Ubi advertendum est diligentiùs, quemadmodum dici soleat sacrificium salutaris; quoniam si Christum acceperimus, quoniam ipse dictus est Salutare Dei, non occurrit quemadmodum pluraliter possit hoc verbum intelligi. Unus enim Dominus noster Jesus Christus: quamvis dicantur Christi per ejus gratiam, sicut in Psalmo legitur, Nolite tangere Christos meos. Sed utrùm salutares dici possint, vel salutaria, non facilè [a] audendum est: solus enim ipse Salvator corporis.

Luc. 2. 30. — *1. Cor. 8. 6.* — *Psal. 104. 15.* — a

QUÆST. XXIV. *Josue* 23. 14.

QUOD dicit Jesus de sua propinquante morte, *Ego autem recurro viam, sicut & omnes qui super terram*: in ea interpretatione quæ est ex Hebræo invenimus, * *ingredior viam.* Ita ergo accipiendum est quod Septuaginta dixerunt, *recurro*, sicut dictum est homini, Donec revertaris in terram unde sumtus es: ut secundùm corpus dictum intelligatur. Secundùm animam verò, si voluerimus ita accipere, quemadmodum in Ecclesiaste positum est, Et spiritus revertetur ad Deum, qui dedit eum: non arbitror de omnibus posse dici, sed de iis qui sic vixerint, ut ad Deum redire mereantur, tamquam ad auctorem à quo creati sunt. Neque enim hoc & de illis rectè intelligi potest, de quibus dicitur, Spiritus ambulans & non revertens. Iste autem vir sanctus Jesus Nave si non addidisset, *sicut & omnes qui super terram*, nulla esset quæstio; neque enim aliud de illo crederemus, quàm quo eum dignum esse legimus: cùm verò additum est, *sicut & omnes qui super terram*; mirum si hoc, quod Latinus interpres *recurro* potuit, non magis *percurro* vel *excurro* dicendum est, si hoc potest dici quod Græcus habet ἀποτρέχω. Omnes enim percurrunt, vel excurrunt hujus vitæ viam, cùm ad ejus finem pervenerint. Sed quia hoc verbum positum est, ubi parentes Rebeccæ dicunt ad servum Abrahæ, Ecce Rebecca, accipiens recurre, & sit uxor domini tui: ideo & hîc ita hoc verbum interpretatum est.

Sic Vulgata. — *Gen. 3. 19.* — *Eccle. 12. 7.* — *Psal. 77. 39.* — *Gen. 24. 51.*

QUÆST. XXV. *Josue* 24. 3.

QUOD Septuaginta interpretes habent, *Et adsumsi patrem vestrum Abraham de trans flumen, & deduxi eum in omnem terram*: interpretatio quæ est ex Hebræo habet, *& induxi eum in terram* * *Chanaan.* Mirum est ergo si Septuaginta pro terra Chanaan, omnem terram ponere voluerunt, nisi intuentes prophetiam, ut magis ex promissione Dei tamquam factum accipiatur, quod certissimè futurum in Christo & in Ecclesia prænuntiabatur, quod est verum semen Abrahæ; non in filiis carnis, sed in filiis promissionis.

* *Sic Vulgata.*

QUÆST. XXVI. *Josue* 24. 11.

ET *bellaverunt adversùs vos qui habitabant Iericho.* Quæri potest, quomodo id verum sit, cùm clausis portis se murorum ambitu tantummodo tuerentur. Sed rectè dictum est, quia & claudere adversùs hostem portas, ad bellum pertinet. Non enim miserunt legatos qui poscerent pacem. Unde si dictum esset, pugnaverunt adversùm vos, falsum esset. Neque enim bellum continuas pugnas habet, sed aliquando crebras, aliquando raras, aliquando nullas. Bellum est tamen quando [b] est quodam modo armata dissensio.

QUÆST. XXVII. *Josue* 24. 12.

QUID est, quod inter cetera quæ Jesus Nave erga Israëlitas Dominum fecisse commemorat, dicit, *Misit ante vos vespas, & ejecit illos à facie vestra*: quod etiam in libro Sapientiæ legitur, nec tamen uspiam factum esse in iis, quæ gesta sunt, invenitur? An fortè translato verbo, vespas intelligi voluit acerrimos timoris aculeos, quibus quodam modo volantibus rumoribus pungebantur, ut fugerent, aut aërios occultos spiritus, quod in Psalmo dicit, per angelos malignos. Nisi fortè quis dicat, non omnia quæ facta sunt, esse conscripta; & hoc quoque visibiliter factum, ut veras vespas velit intelligi.

Sap. 12. 8. — *Psal. 77. 49.*

QUÆST. XXVIII. *Josue* 24. 19.

QUID est, quod dixit Jesus ad populum, *Non poteritis servire Domino, quia Deus sanctus est.* An quia illius sanctitati perfecta servitute quodam modo contemperari, humanæ fragilitati impossibile est? Quo audito, isti non solùm ejus eligere servitutem, sed etiam de adjutorio ejus & misericordia præsumere debuerunt: quam ille intellexit, qui dicit in Psalmo, Ne intres in judicium cum servo tuo; quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Isti autem de se potiùs præsumere delegerunt, quòd Deo possent sine ulla offensione servire; ut jam tunc inciperent, quod de illis expressit Apostolus, Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Ita eis jam Lex subintrabat, ut abundaret delictum, & postea superabundaret gratia per Dominum Christum, qui finis est Legis, ad justitiam omni credenti.

Psal. 142. 2. — *Rom. 10. 3.* — *Ibid. 5. 20.*

QUÆST. XXIX. *Josue* 24. 23.

QUID est quod ait idem Jesus loquens ad populum, *Et nunc circumauferte deos alienos, qui sunt in vobis, & dirigite corda vestra ad Dominum Deum*

[a] Vaticani MSS. *audiendum est.*
[b] Sic omnes MSS. At editi, *quando porta hostibus claudimtur: & quodammodo armata defensio.*

Israël. Non enim credendi sunt adhuc habuisse apud se aliqua gentium simulacra, cùm superiùs eorum obedientiam prædicaverit: aut verò si haberent, post tantas Legis comminationes, illa eos prospera sequerentur; cùm sic in eos vindicatum sit, quod unus eorum de anathemate furtum fecerat. Denique Jacob dixit hoc eis, qui cum illo exierant de Mesopotamia, ubi sic idola colebantur, ut & Rachel paterna furaretur: sed post illam admonitionem Jacob, dederunt quæ habebant: unde apparuit hoc eis ita dictum esse, quia sciebat eos habere ille qui dixerat. Nunc verò post hanc admonitionem Jesu Nave nullus tale aliquid protulit. Nec tamen putandum est hoc illum inaniter præcepisse; non enim ait, Et nunc auferte deos alienos si qui sunt in vobis; sed omnino tamquam sciens esse, *qui sunt*, inquit, *in vobis.* Proinde Propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo, & ipsas admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum qualis non est Deus, alienum Deum utique & falsum in cogitatione portat. Quis est autem qui sic cogitet Deum quemadmodum ille est? Ac per hoc relinquitur fidelibus, quamdiu peregrinantur à Domino, auferre à corde suo irruentia vana phantasmata, quæ se cogitantibus ingerunt, velut talis aut talis sit Deus, qualis utique non est: & dirigere cor ad illum fideliter, ut quemadmodum & quantum nobis expedire novit, ipse se insinuet per Spiritum suum, donec absumatur omne mendacium, unde dictum est, Omnis homo mendax; & transacta non solùm impia falsitate, verùm etiam ipso speculo & ænigmate, facie ad faciem cognoscamus, sicut & cogniti sumus: quemadmodum Apostolus dicit, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc scio ex parte; tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

Gen. 31. 19. — *Gen. 35. 4.* — *Psal. 115. 11.* — *1. Cor. 13. 12.*

QUÆST. XXX. *Josue* 24. v. 25. 26. & 27.

1. ET *disposuit Iesus testamentum ad populum in illo die, & dedit illi Legem & judicium in Silo coram tabernaculo Domini Dei Israël. Et scripsit verba hæc in libro Legis Dei; & accepit lapidem magnum, & statuit illum Iesus sub terebintho ante Dominum. Et dixit Iesus ad populum, Ecce lapis iste erit vobis in testimonium, quia hic audivit omnia quæ dicta sunt à Domino, quæcumque locutus est ad vos hodie, & hic erit vobis in testimonium in novissimis diebus, cùm mentiti fueritis Domino Deo vestro.* Hæc verba qui non in superficie tantùm audiunt, sed aliquanto altiùs perscrutantur, nequaquam tantum virum tam insipientem putare debent, ut verba Dei quæ locutus est populo, inanimum lapidem audisse crediderit: qui etiamsi ab artifice in hominis similitudinem effigiatus esset, inter illos utique deputaretur, de quibus in Psalmo canitur, Aures habent, & non audient. Neque enim idola gentium aurum & argentum sola non audiunt, & si lapidea sint audiunt. Sed per hunc lapidem profectò illum significavit, qui fuit lapis offensionis non credentibus Judæis, & petra scandali: qui cùm reprobaretur ab ædificantibus, factus est in caput anguli: quem præfiguravit & illa petra, quæ potum sitienti populo, ligno percussa profudit; de qua dicit Apostolus, Bibebant autem de spiritali sequenti petra, petra autem erat Christus. Unde & cultellis petrinis populum circumcidit iste ductor egregius: qui cultri petrini cum illo etiam sepulti sunt, ut profundum mysterium demonstrarent posteris profuturum. Sic ergo & istum lapidem, quamquam visibiliter statutum, spiritaliter debemus accipere, in testimonium futurum Judæis infidelibus, hoc est mentientibus; de quibus dicit Psalmus, Inimici Domini mentiti sunt ei. Neque enim frustra, cùm jam Dei famulus Moyses, vel potiùs per eum Deus disposuisset ad populum testamentum, quod in arca erat, quæ dicta est arca testamenti, & in libris Legis tanta sacramentorum & præceptorum multiplicitate conscriptis; tamen etiam hîc dictum est, *Disposuit Iesus ad populum testamentum in illa die.* Repetitio quippe testamenti novum Testamentum significat; quod significat & Deuteronomium, quod interpretatur secunda lex; quod significant & prioribus confractis tabulæ renovatæ. Multis enim modis significandum, quod uno modo implendum fuit. Jam verò quòd sub terebintho statutus est lapis, hoc significat, quod virga ad petram ut aqua profluceret; quia neque hic sine ligno statutus est lapis. Ideo autem subter, quia non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subjectus; vel quòd illo tempore, quo id faciebat Jesus Nave, adhuc obumbrandum mysterium fuit. Terebinthi etiam lignum medicinalem lacrymam exsudat, quæ arbor à Septuaginta interpretibus hoc loco posita est, quamvis secundùm alios interpretes quercus legatur.

Psal. 80. 16. — *Exod. 24. 3. &c.* — *Exod. 34. 1.* — *1. Pet. 2. 8.* — *Psal. 117. 22.* — *Exod. 17. 6.* — *1. Cor. 10. 4.* — *Josue 5. 2.*

2. Mirum est sanè quòd saltem in novissimis suis verbis, quibus populum allocutus est Jesus homo Dei, nihil eos objurgavit, ex eo quòd his gentibus pepercerunt, quas Dominus usque ad internecionem cum anathemate perdendas esse præcepit. Sic enim scriptum est, *Et factum est, postquam invaluerunt filij Israël, & fecerunt Chananæos obaudientes, exterminio autem eos non exterminaverunt.* Nam primò id eos non potuisse, Scriptura testata est: sed nunc postea quàm prævaluerunt, ita ut facerent obaudientes, quòd non etiam exterminaverunt, utique contra præceptum Domini factum est; quod non est cuiquam factum, cùm Jesus exercitum duceret. Cur ergo non eos objurgavit allocutione novissima, quòd in hôc Domini præcepta neglexerunt? An fortè quia priùs dixit eos Scriptura non potuisse, utique antequam prævalerent, etiam cùm prævaluissent timuisse credendi sunt, ne fortè paratis obaudire, si parcere noluissent, acriùs eos adversùm se ex ipsa desperatione pugnare compellerent, & eos superare non possent? Hunc ergo eis humanum timorem Dominus noluit imputare, etsi apparet in eo quædam subdefectio fidei, quæ si fortis in eis esset, ea sequerentur quæ ipsum Jesum bellantem secuta sunt. Quia verò non in eis tanta fides fuit, etiam cùm adversariis suis prævaluissent, pugnare cum eis usque ad internecionem eorum timore non ausi sunt. Quem timorem, ut dixi, non de malitia, neque de superbia vel contemtu præcepti Dominici, sed de animi infirmitate venientem, noluit eis Dominus imputare, cùm eis per Jesum novissima loqueretur. Unde & Apostolus, Alexander, inquit, ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundùm opera ipsius. De his autem qui eum periclitantem non malitiâ, sed timore deseruerant, ita locutus est, In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.

Josue 17. 13. — *2. Tim. 4. 14.* — *Ibidem 16.*

LIBER SEPTIMUS.

Quæstiones in Judices.

Quæst. I. IN fine libri Jesu Nave breviter narrator porrexit historiam, quò usque filij Israël ad colendos deos alienos declinaverunt: in hoc autem libro ad ordinem reditur, quomodo consequentia gesta fuerint post mortem Jesu Nave. *Judic. 1. 2.* Non ergo ab illo tempore incipit liber, quo populus ad colenda simulacra defluxit; sed à prioribus interpositis temporibus, quibus ea gesta sunt, post quæ ad illa pervenit.

Quæst. II. *Judic. 1. 1. & 2.* ET *factum est postquam defunctus est Jesus, interrogabant filij Israël* [a] *in Domino dicentes, Quis adscendet nobiscum ad Chananæum dux ad* [b] *debellandum eum? Et dixit Dominus, Judas adscendet. Ecce dedi terram in* [c] *manu ipsius.* Hîc quæritur, utrùm aliquis homo Judas vocabatur, an ipsam tribum, ita ut solet, sic appellavit. Sed illi qui interrogaverant Dominum, post mortem Jesu Nave ducem requirebant: unde putatur unius expressum hominis nomen. Verùm quia non solet duces nominare Scriptura cùm constituuntur, nisi commemorata etiam origine parentum, & constat post Jesum duces habuisse populum Israël, quorum primus est Gothoniel filius Cenez, rectiùs intelligitur nomine Judæ, tribum Juda fuisse significatam. Ab ipsa enim tribu voluit Dominus incipere conteri Chananæos. Et cùm populus de duce interrogasset, ad hoc valuit responsio Domini, ut scirent Deum [d] noluisse ab universo populo bellari adversùs Chananæos. *Ibidem v. 2.* Dixit ergo, *Judas adscendet.* Et sequitur Scriptura *v. 3.* narrans, *Et dixit Judas ad Simeon fratrem suum:* utique tribus ad tribum. Non enim adhuc vivebant illi filij Jacob, qui dicti sunt Judas & Simeon, inter ceteros fratres suos propriis nominibus appellati: sed dixit tribus Juda ad tribum Simeon, *Adscende mecum in sortem meam, & bellemus in* [e] *Chananæo, & ibo etiam ego tecum in sortem tuam.* Manifestum est auxilium sibi tribum Juda alterius tribus postulasse, quod redderet, cùm & illi in sua sorte habere inciperent necessarium.

Quæst. III. *Judic. 1. 12.* ET *dixit Caleb, Quicumque percusserit Civitatem litterarum, & ceperit eam, dabo ei filiam meam* [f] *Axam uxorem.* *Jos. 15. 16.* Jam hoc & in libro Jesu Nave commemoratum est: sed utrùm Jesu vivente factum sit, & nunc per recapitulationem repetitum; an *Judic. 1. 2.* post ejus mortem postea quàm dictum est, *Judas adscendet*, & cœpit Judas debellare Chananæos, in quo bello ista omnia gesta narrantur, meritò quæritur. Sed credibilius est post mortem Jesu factum, tunc autem per prolepsim, id est per præoccupationem commemoratum, quemadmodum & alia. Nunc enim cùm res gestæ adversùs Chananæos tribus Juda exponerentur, ita se narrationis ordo continet, inter cetera Judæ facta bellica, de quo post mortem Jesu dixerat Dominus, *Judas ad-* *v. 9.* *scendet:* * *Et postea descenderunt filij Juda pugnare ad Chananæum, qui habitabat in montana & Austrum & campestrem.* * *Et abiit Judas ad Chananæum in-* *v. 10.* *habitantem in Chebron, & exiit Chebron ex adverso. Nomen autem erat Chebron* [g] *Cartatharbocsepher, & percussit Sesi & Achiman & Cholmi filios Enach:* * *& adscenderunt inde ad inhabitantes Dabir. Nomen* *v. 11.* *autem Dabir quod erat antè Civitas litterarum.* * *Et* *v. 12.* *dixit Caleb, Quicumque percusserit Civitatem litterarum, & acceperit eam, dabo ei filiam meam in uxorem.* Constat ergo ex hoc ordine gestarum rerum tam perspicuo, post mortem Jesu hoc esse factum. Tunc verò cùm civitates datæ ipsi Caleb commemorarentur, progressus ex occasione narrator, quod postea factum est præoccupavit. Nec tamen frustra arbitror hoc de filia Caleb data in victoris præmium, bis numero Scripturam commemorare voluisse.

Quæst. IV. *Jos. 15. 18.* ALIA nascitur quæstio de filia Caleb, quòd in libro Jesu Nave sic de illa dicitur, Et factum est, cùm ingrederetur ipsa, & consilium habuit cum eo dicens, Petam patrem meum agrum. Et exclamavit de asino, & cetera: ubi agrum petiit à patre, atque concessus est. Hîc autem, *Et factum* *Judic. 1. 14.* *est*, inquit, *cùm ingrederetur ipse,* [h] *monuit eam Gothoniel, ut peteret à patre suo agrum.* Sed in eo quod dictum ibi est, cùm ingrederetur ipsa: & hîc dictum est, *cùm ingrederetur ipse*: nihil contrarium est: simul enim ingrediebantur viam. Quod verò ibi dictum est, consilium habuit cum eo id est, cum viro suo dicens, Petam patrem meum agrum; & exclamavit de asino, & petiit: in eo quod habuit consilium, ibi monita est ut peteret. quorum alterum ibi dictum est, alterum hîc. Utrumque autem ita diceretur; Et consilium habuit cum eo dicens, Petam patrem meum agrum: ille autem monuit eam: & exclamavit de asino. Porrò autem quod ibi agrum refertur petiisse, nec nomen ipsius agri tacitum est: hîc verò cùm agrum petere monita fuerit à viro suo, non agrum petiisse dicitur, *clamans de subjugali*, quod ibi dictum est de asino, sed *redemtionem aquæ*, eo quòd in terram Austri fuisset tradita; subjecitque Scriptura, *Et dedit ei Caleb secundùm cor ejus redemtionem excelsorum & redemtionem humilium;* quid sibi velit obscurum est, nisi fortè ager ipse ideo petebatur, ut haberet de fructibus ejus unde aquam redimeret, cujus inopia in illis regionibus erat, quò nupta ducebatur. Sed, *dedit ei Caleb redemtionem excelsorum, & redemtionem humilium*, non video quid subaudiamus, nisi fluentorum, excelsorum videlicet in montanis, humilium in campestribus sive in vallibus.

Quæst. V. *Judic. 1. 18.* ET *non hereditavit Judas Gazam & finem ejus, & Ascalonem & finem ejus, & Accaron & finem ejus, & Azotum & adjacentia ejus. Et erat Dominus cum Juda, & hereditavit montem, quoniam non potuit hereditare inhabitantes in valle, quoniam Rechab obstitit eis, & currus erant eis ferrei.* Quod in libro Jesu *Lib. 2. quæst. in Josue q. [illegible] Josue 21. 41.* Nave, cùm illum locum tractarem, ubi scriptum est, Et dedit Dominus Israëli omnem terram, cùm multas ejus partes nondum possiderent, dixi ita posse intelligi omnem terram datam, quia ea quæ data non est in possessionem, data est in quamdam exercitationis utilitatem: hoc multo evidentiùs hîc apparet, quandoquidem commemorantur civitates, quas non hereditavit Judas, & dicitur, *Et erat Dominus cum Juda, & hereditavit montem, quoniam non potuerunt hereditare inhabitantes in valle.* Quis enim non intelligat etiam hoc ipsum ad id pertinuisse, quod erat Dominus cum Juda, ne totum repentè obtinendo extolleretur? Quod enim adjungit, *quoniam Rechab obstitit eis, & currus erant eis ferrei:* quos currus timuerit, dictum est, non Dominus qui erat in Juda, sed ipse Judas: cur autem timuerit, cum quo Dominus erat, si quæritur, hoc est quod prudenter intelligendum est, [a] refringere Deum propitium etiam in cordibus suorum nimiæ prosperitatis excessus, ut in usum eorum convertat inimicos, non solùm quando vincuntur inimici, sed etiam quando metuuntur; illud ad commendandam largitatem suam, illud ad eorum reprimendam elationem. Nam utique inimicus sanctorum est angelus satanæ; quem tamen sibi datum colaphizantem dicit Apostolus, ne magnitudine revelationum extolleretur.

Quæst. VI. *Judic. 1. 20.* ET *dederunt Caleb Chebron sicut locutus est Moyses, & hereditavit inde tres civitates filiorum Enach, & abstulit inde tres filios Enach.* Jam hoc dictum est *Josue 15. 14.* in libro Jesu Nave, quoniam illo vivo factum est: sed hîc recapitulando commemoratum est, cùm de tribu Juda, unde fuit Caleb, Scriptura loqueretur.

Quæst. VII. *Judic. 1. 21.* QUÆRITUR quomodo dictum sit, *Et Jebusæum habitantem in Jerusalem non hereditaverunt filij Benjamin, & habitavit Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in hodiernum diem?* cùm *v. 8.* superiùs * legatur eadem civitas à Juda capta & incensa, interfectis in ea Jebusæis. Sed cognoscendum est istam civitatem communem habuisse duas tribus, Judam & Benjamin, sicut ostendit ipsa di- *Josue 15. 63. & 18. 28.* visio terrarum, quæ facta est à Jesu Nave. Ipsa est enim Jebus quæ Jerusalem: ideo duæ istæ tribus remanserunt ad templum Domini, quando ceteræ, exceptâ Levi quæ sacerdotalis fuit & terras in divisionem non accepit, separaverunt se à regno Juda cum Jeroboam. Intelligendum est ergo à Juda quidem civitatem captam & incensam, interfectis qui illic reperti fuerant: sed non omnes Jebusæos esse exstinctos; sive quia erant extra illam civitatem, sive quia fugere potuerunt: quos reliquos Jebusæos admissos esse à filiis Benjamin, quibus cum Juda erat civitas illa communis, in ea simul habitare. Quod ergo dictum est, *Non hereditaverunt Jebusæum filij Benjamin*, intelligendum est, quòd nec tributarios eos facere potuerunt, sive voluerunt. Aut certè *non hereditavit Jebusæum*, dictum est, quia non sine illo tenuit terram, quæ ab illo possidebatur.

Quæst. VIII. *Judic. 1. 27.* ET *non hereditavit Manasses Bethsan, quæ est Scytharum civitas.* Ipsa hodie perhibetur Scythopolis dici. Potest autem movere, quomodo in illis partibus multùm ab Scythia diversis potuerit esse Scytharum civitas. Sed similiter potest movere, quomodo tam longè à Macedonia Macedo Alexander condiderit Alexandriam civitatem; quod utique fecit longè latéque bellando: ita etiam, cùm Scythæ aliquando bellando in longinqua progrederentur, istam condere potuerunt. Nam legitur in historia gentium, universam penè Asiam Scythas aliquando tenuisse, cùm regi Ægyptiorum illi, qui eis ultro bellum indixerat, irent obviam, quorum adventu territus, in suum se regnum recepit.

Quæst. IX. *Judic. 1. 27.* ET *non hereditavit Manasses Bethsan, quæ est Scytharum civitas, neque filias ejus. Filias ejus* dicit civitates, quas ipsa quasi metropolis instituerat.

Quæst. X. *Judic 1. 28. Josue 17. 13.* ET *factum est, quando prævaluit Israël, & posuit Chananæum in tributum, & auferens non abstulit eum.* Jam tale aliquid dictum est in libro Jesu Nave, penè ipsis verbis. Proinde aut hîc per anacephalæosim dicitur, aut illic per prolepsim dictum est, id est aut hîc recapitulando, aut illic præoccupando.

Quæst. XI. *Judic. 1. 34. Josue 19. 48. sec. LXX.* ET *contribulavit Amorrhæus filios Dan in monte, quoniam non permisit eos descendere in vallem.* Et hoc similiter, aut in libro Jesu Nave præoccupando commemoratum est, aut hîc recapitulando.

Quæst. XII. *Judic 2. 1.* ET *adscendit Angelus Domini super Clauthmona montem.* Scriptor libri hoc nomine appellavit locum, quia postea scripsit: nam quando Angelus Domini super eum adscendit, nondum sic appellabatur. A ploratione quippe nomen accepit, eo quòd Græcè κλαυθμὸς ploratio dicitur. Ibi enim populus flevit, cùm audisset ab hoc Angelo verba Domini vindicantis in eos, quòd inobedientes fuissent, quia non exterminaverunt populos secundùm præceptum ejus, quibus prævaluerunt, eligentes eos facere tributarios, quàm interimere & perdere quemadmodum jusserat Dominus. Quod sive contemto Dei mandato, sive timore fecerint, ne hostes adversùm se acriùs pugnare pro salute obtinenda quàm pro tributo non dando cogerent, sine dubio peccaverunt, vel spernendo quod divinitus imperatum est, vel non præsumendo quod eos posset qui imperaverat adjuvare. Quod ideo per Jesum noluit eis dicere, (si tamen adhuc eo vivente jam cœperat fieri, & non potiùs præoccupando commemoratum fuerat quod illo mortuo fieri cœpit,) quia hoc omnibus voluit exprobrare per Angelum: nondum autem omnes id fecerant vivente Jesu, etsi aliqui fortè jam cœperant. Credibilius est tamen nihil tale fieri cœptum vivente Jesu Nave, tantumque terrarum sub illo tenuisse filios Israël, quantum eis ad considendum sufficeret, quamvis in sortibus suis haberent unde crescendo & convalescendo adhuc adversarios exterminarent. Proinde post mortem Jesu, postea quàm prævaluerunt ut hoc possent facere, maluerunt eos habere tributarios secundùm voluntatem suam, quàm interimere & perdere secundùm voluntatem Dei: propter hoc ad eos corripiendos Angelus missus est. Quod verò commemoratum est in libro Jesu Nave, magis exi- *Josue 13. 13. &c.* stimo præoccupando commemoratum, quod post ejus mortem vel futurum esse jam ipse noverat prophetico spiritu, si ab illo liber conscriptus est, qui appellatur Jesu Nave; vel si ab alio scriptus est, jam factum esse sciebat post mortem Jesu, quod in illo libro præoccupando commemoravit.

Quæst. XIII. *Judic. 2. 3.* QUID est quod Angelus Domini inter cetera divinæ comminationis dicit, *Non adjiciam transmi-*

[a] Editi, *Dominum*, MSS. *in Domino.* Apud LXX. διὰ τοῦ κυρίου. Istud locutionis genus notatur in Locut. lib. 7.
[b] Am. Er. & plerique MSS. *ad bellandum eum:* fortè pro, *in eum*; juxta LXX. πολεμῆσαι πρὸς αὐτόν.
[c] Ita Sorbonicus MS juxta LXX. At alij codices, *in manus.*
[d] Editi, *voluisse.* MSS. *noluisse*
[e] Editi, *in Chananæos.* At MSS. *in Chananæo:* sic legisse Augustinum liquet ex Locutionum lib. 7.
[f] MSS. omnes, *filiam meam in uxorem*, omisso nomine, *Axam.*
[g] Am. Er. & Lov. *Cariatharbe vel Sepher* At MSS. & Rat. *Cariatharvocsepher.* Apud LXX. Χαριαθαρβοκσεφέρ.
[h] Thuaneus codex hîc & infra, *movit eam.* Græc. LXX. ἐπέσεισεν αὐτήν.

[a] Sic MSS. & editio Rat. Aliæ verò editiones, *restringere.*

ex Hebræo, *vomere occisos sexcentos viros*, quod ista non habet.

QUÆST. XXVI. *Iudic. 4. 8.* QUID est quod respondens Barac Debboræ ait, *Si ibis, ibo; & si non ieris mecum, non ibo: quoniam nescio diem in qua prosperat Angelum Dominus mecum:* quasi à propherissâ diem audire non potuerit? nec illa diem respondit, sed perrexit cum illo. Et quid est, *prosperat Angelum Dominus mecum?* An hîc demonstratum est, quia & Angelorum actus prosperantur, id est adjuvantur à Domino, ut feliciter cedant? an locutionis est, *prosperat Angelum mecum*, id est facit mecum prospera per Angelum?

QUÆST. XXVII. *Iudic. 4. 15.* ET *pavefecit Dominus Sisaram & omnes currus ejus.* Ecce quemadmodum commendat Scriptura agere Deum in cordibus, ut det exitum rebus, quem constituit. Utique enim pavefecit vel obstupefecit Sisaram, ut traderet eum.

QUÆST. XXVIII. *Iudic. 4. 22.* UBI Jahel mulier quæ occidit Sisaram, cùm locuta esset ad Barac, qui eum quærebat, scriptum est de ipso Barac, quia *intravit ad eam:* animadvertendum est non esse consequens, ut cùm Scriptura dicit de viro, quòd intravit ad aliquam feminam, jam etiam concubuisse credatur. Assiduè quippe sic loquitur Scriptura, *intravit ad eam*, ut nolit intelligi nisi quòd ei mixtus sit. Hîc ergo propriè dictum est, *intravit ad eam*, id est in domum ejus intravit, non ut per hæc verba intelligatur concubitus.

QUÆST. XXIX. *Iudic. 5. 7. & 8.* IN Cantico Debboræ dicitur, *Defecerunt habitantes in Israël, defecerunt donec surrexit Debbora, donec surrexit mater in Israël, elegerunt ut panem hordeaceum deos novos: tunc expugnaverunt civitates principum.* Hîc intermixtus ordo verborum obscuritatem facit, & quæstionem movet. Quomodo enim intelligatur, *Elegerunt ut panem hordeaceum deos novos, tunc expugnaverunt civitates principum?* quasi tunc eis faverit Deus ad expugnandas civitates principum, quando elegerunt ut panem hordeaceum deos novos. Sed in aliis jam Scripturarum locis sæpe didicimus, quemadmodum fiant hyperbata: quorum directione cùm verba ad ordinem redeunt, sensus explanatur. Iste ergo est ordo: *Defecerunt habitantes in Israël, defecerunt, elegerunt ut panem hordeaceum deos novos, donec surrexit Debbora, donec surrexit mater in Israël: tunc expugnaverunt civitates principum.*

QUÆST. XXX. *Iudic. 5. 8.* QUÆRI potest, quomodo dictum sit, *Elegerunt ut panem hordeaceum deos novos:* cùm panis hordeaceus quamvis sit in comparatione triticei panis abjiciendus, tamen etiam ipse pascat, & vitale alimentum sit: dij autem novi, quos dicuntur elegisse, qui defecerunt à Deo vivo, non possunt in alimentis animæ deputari, sed potiùs in venenis. An hactenus accipienda est similitudo, quatenus valet ut propter hoc solum dictum intelligatur, quia sicut plerumque fastidio fit, ut eligenda rejiciantur, & aspernanda delectent; ita vitio pravæ voluntatis tamquam languore fastidij, cùm esset Deus eorum verus, [a] in falsis elegerunt nihil aliud quàm novitatem spreta veritate; atque ita cibum mortiferum tamquam panem hordeaceum elegerunt, non se arbitrantes inde perituros, sed etiam inde vitam velut escâ innoxiâ licèt viliore sumturos. Secundùm opinionem ergo eorum similitudo posita est, animique languorem, non secundùm veritatem. Nam dij illi novi nullis sunt cibis vitalibus comparandi.

ET *factum est, quando clamaverunt filij Israël ad Dominum propter Madian, & misit Dominus virum prophetam ad filios Israël, & dixit eis.* Cur non dicatur nomen hujus prophetæ, quod valde Scripturis inusitatum est, latens caussa est; non tamen nullam esse arbitror. Sed quia post verba quibus exprobravit inobedientiam populo, sequitur Scriptura dicens, *Et venit Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra:* non absurdè intelligitur iste Angelus significatus nomine viri, ut postea quàm hæc verba dixit, venerit ad quercum memoratam, & ibi sederit. Nomine enim virorum solere appellari Angelos notum est: quamvis cum qui esset Angelus, appellatum esse prophetam, non facilè nec evidenter occurrat: cum sanè qui propheta esset, dictum Angelum legimus: sed si Angelorum dicta prophetica nota sunt, id est quibus futura prænuntiaverunt; cur non possit Angelus prophetæ nomine nuncupari? Verumtamen, ut dixi, expressum & manifestum de hac re testimonium non occurrit. QUÆST. XXXI. *Iudic. 6. 8.* v. 11. *Gen. 19. 10.* *Matth. 11. 10.*

QUOD Angelus dicit ad Gedeon, *Dominus tecum potens in fortitudine*, nominativus casus est, non vocativus. Hoc est, *Dominus potens tecum est*: non, tu potens. QUÆST. XXXII. *Iudic. 6. 12.*

ADVERTENDUM est dixisse Angelum tamquam ex Domini auctoritate, *Nonne ecce misi te:* cùm loqueretur ad Gedeon. Quis enim eum misit, nisi qui ad eum Angelum misit? Debbora verò ait ad Barac, *Nonne mandavit Dominus Deus Israël tibi?* Hîc autem non dictum est, Nonne ecce misi te Dominus: sed, *Nonne ecce misi te.* QUÆST. XXXIII. *Iudic. 6. 14.* *Iudic. 4. 6.*

UBI respondet Gedeon ad Angelum, *In me Domine*, hoc est, In me intende: *In quo salvabo Israël, ecce mille mei humiliores in Manasse:* intelligitur præpositus fuisse mille hominum, quos Græcè χιλιάρχους appellat Scriptura, an quid aliud? QUÆST. XXXIV. *Iudic. 6. 15.*

ANIMADVERTENDUM est quod Gedeon non ait Angelo, Offeram tibi sacrificium: sed ait, *Offeram sacrificium meum, & ponam in conspectu tuo.* Unde intelligendum est, non eum Angelo, sed per Angelum sacrificium offerre voluisse. Quod & ipse Angelus evidenter ostendit, qui non ab eo sacrificium tamquam sibi sumsit: sed ait illi, *Accipe carnes & azymos, & pone ad petram illam, & jus effunde. Et cùm hoc fecisset Gedeon,* * *extendit Angelus Domini summum virgæ, quæ erat in manu ejus, & tetigit carnes & azymos; & accensus est ignis de petra, & comedit carnes & azymos.* Ita etiam ipse Angelus in sacrificio quod obtulit Gedeon, officium ministrantis implevit: ignem quippe homo minister ut homo sine miraculo subjecisset, quem mirabiliter ut Angelus iste subjecit. Denique tunc cognovit Gedeon quòd Angelus Domini esset. Nam hoc Scriptura continuò subdidit, *Et vidit Gedeon quoniam Angelus Domini est.* Priùs ergo tamquam cum homine loquebatur, quem tamen hominem Dei credidit, ut coram ipso sacrificium vellet offerre, velut adjuvandus ejus præsentiâ sanctitatis. QUÆST. XXXV. *Iudic. 6. 18.* v. 20. v. 21. v. 22.

QUÆRI potest quare Gedeon ausus fuerit sacrificium offerre Deo præter locum ubi jusserat Deus? Præter tabernaculum quippe suum Deus prohibuerat sacrificari sibi; cui tabernaculo templum postea successit: tempore autem quo fuit Gedeon, tabernaculum Dei erat in Silo: atque ideo illic tantùm legitimè posset sacrificari. Sed intelligendum est quòd illum Angelum primò prophe- QUÆST. XXXVI. *Iudic. 6. 20.* *Deut. 12. 13.*

[a] Sic MSS. Editi verò, *sibi falsos elegerunt nihil aliud quàm novitatem & spreta veritate.*

tam putaverat, & tamquam Deum in illo consuluerat de offerendo sacrificio: quod ille si prohibuisset, non utique fieret: sed quoniam approbavit, & ut fieret annuit, Dei auctoritatem Gedeon in faciendo secutus est. Ita quippe Deus legitima illa constituit, ut leges non sibi, sed hominibus daret. Unde quodcumque præter illa ipse præcepit, non à transgressoribus, sed potiùs à piis & obedientibus impletum intelligendum est: sicut Abraham de immolando filio. Nam & sic Elias extra tabernaculum Domini ad convincendos sacerdotes idolorum sacrificavit: quod ex præcepto Domini fecisse intelligendus est, qui ei tamquam prophetæ revelatione atque inspiratione jussit ut faceret. Quamquam tanta consuetudo præter tabernaculum sacrificandi crebuerat, ut etiam Salomon in excelsis sacrificasse inveniatur, nec ejus sacrificium fuisse reprobatum. Et tamen notantur reges, qui inter opera laudabilia sua non destruxerunt excelsa, ubi contra Legem Dei populus sacrificare consueverat: & qui destruxit, majore prædicatione laudatur. Ita Deus consuetudinem populi sui, qua præter ejus tabernaculum, tamen non diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo, sustinebat potiùs quàm vetabat, etiam sic exaudiens offerentes. Hoc autem quod Gedeon fecit, quis non intelligat per Angelum procuratum, ut propheticè fieret, in qua prophetia petra illa commendaretur? Cui quidem petræ non sacrificatum est, sed de illa ignis commemoratur exiisse, quo sacrificium consumeretur. Sive enim per aquam, quam percussa petra effudit in eremo, sive per ignem, donum Spiritus-sancti significatur, quod dirissimè Dominus Christus effudit super nos. Nam & in Evangelio significatum est hoc donum per aquam, ubi ipse Dominus ait, Si quis sitit, veniat & bibat: qui credit in me, sicut » dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ » vivæ: ubi Evangelista subjunxit, Hoc autem dice- » bat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Significatum est & per ignem, ubi veniente illo super congregatos legitur, Visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis, qui & insedit super unumquemque eorum. Et ipse Dominus ait, Ignem veni mittere super terram. *Gen. 22. 2.* *3. Reg. 28. 30.* *3. Reg. 3. 4.* *Joban. 7. 37. &c.* *Act. 2. 3.* *Lucæ 12. 49.*

QUÆST. XXXVII. *Iudic. 7. 6.* ET *factus est numerus eorum, qui lambuerunt manu sua, linguâ suâ, trecenti viri.* Plerique Latini codices non habent, *manu sua*, sed tantummodo *linguâ suâ*, quoniam sic intellexerunt quod suprà dictum est, *sicut canes:* Græcus autem habet utrumque, *manu sua, linguâ suâ*, ut intelligatur quòd manu aquam raptam in os projiciebant: & hoc erat simile bibentibus canibus, qui non ore apposito, sicut boves, aquam ducunt quam bibunt, sed linguâ in os rapiunt, sicut etiam isti intelliguntur fecisse, sed cùm manu in os aquam projicerent, quam linguâ exciperent. Nam & interpretatio ex Hebræo planiùs id habet his verbis, *Fuit itaque numerus eorum, qui manu in os projiciente aquam lambuerant, trecenti viri.* Neque enim solent homines ita bibere, ut sine ope manus linguâ, sicut canes, aquam hauriant: aut verò istis præceptum fuerat, ut hoc facerent: sed cùm ad bibendum descendissent ad aquam, multi genu flexo biberunt, quòd faciliùs & minore labore fieret; pauci verò quia non flexo genu se incurvaverunt, ut canes biberunt, sed aquâ manu in os jactâ. Quorum numerus, quia trecenti erant, signum insinuat crucis, propter literam T Græcam, qua iste numerus significatur; per quam etiam gentes magis in crucifixum crediturus præfiguratum est, quòd littera Græca est. Unde Græcorum nomine Apostolus omnes gentes significat, cùm dicit, Judæo primùm & Græco, &, Judæis & Græcis, sæpe ita commemorans circumcisionem & præputium, quòd in linguis gentium Græca ita excellat, ut per hanc omnes decenter significentur. Iste numerus & in vernaculis Abrahæ animadvertendus est, per quos fratrem ab hostibus liberavit, quando eum Melchisedech in magno mysterio benedixit. Quòd enim exuberant illic decem & octo (nam trecenti-decem & octo fuisse referuntur) videtur mihi significatum quo etiam tempore fieret, id est tertio, quod futurum erat sub gratia. Nam primum est ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub gratia. Singula verò tempora senario numero significata sunt propter perfectionem. Nam ter seni, decem & octo sunt. Unde & illa mulier decem & octo annos habebat in infirmitate, quam curvam Salvator cùm invenisset, erexit, & à diaboli alligamento, ut Evangelium indicat, solvit. Nam quòd ita isti probati sunt, per quos vinceret Gedeon, ut similes in bibendo canibus dicerentur, significat quòd contemtibilia & ignobilia elegit Dominus: pro contemtu enim habetur canis. Unde dicit, Non est bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus. Et David ut se tamquam contemtibilem abjiceret, canem se appellavit loquens ad Saül. *Rom. 2. 9. 10.* *1. Cor. 1. 14.* *Gen. 14. 14.* *Luca 13. 11.* *1. Cor. 1. 28.* *Matth. 15. 26.* *1. Reg. 24. 15.*

QUID sibi vult quod scriptum est, *Gedeon descendit ipse, & Phara puer ejus, in partem quinquaginta, qui erant in castris:* quod Latini quidam codices habent, *in eam partem, in qua erant quinquageni custodes in castris*; alij verò, *in partem quinquagesimam in castra?* Obscurum quippe dictum plures sententias interpretum fecit. Sed aut ea pars castrorum erat, quam servabant quinquaginta custodes: aut si quinquageni intelligendi sunt circumquaque servasse, in unam partem isti descenderunt ubi erant quinquaginta. QUÆST. XXXVIII. *Iudic. 7. 11.*

QUOD ille qui proximo suo somnium narravit, quod audivit Gedeon, ut de victoria futura confirmaretur, dixit se vidisse mensam panis hordeacei, volventem in castris, & percutientem tabernaculum Madian, & subvertentem: hoc intelligendum arbitror quod de canibus, quia per contemtibila mundi (quod significat mensa panis hordeacei) Salvator superbos fuerat confusurus. QUÆST. XXXIX. *Iudic. 7. 13.*

QUOD exclamari jussit Gedeon à trecentis suis, *Gladius Domino & Gedeon*, id est huic Gedeon, hoc significat, quòd gladius id erat operaturus quod Domino placeret & Gedeon. QUÆST. XL. *Iudic. 7. 21.*

1. QUÆRI solet quid sit Ephud, vel Ephod: quod quidem si sacerdotale est indumentum, quod plerique dicunt, vel potiùs superindumentum, quod ἐπένδυμα Græcè dicitur, vel ἐπωμὶς, quod magis superhumerale interpretari Latinè potest; meritò movet quomodo de tanto auro Gedeon id fecerit. Nam ita scriptum est, *Et factum est pondus inaurium aurearum, quas petierat, sicli mille-septingenti auri, præter brachialia & torques & operimenta purpurea, quæ erant super reges Madian, præter torques quæ erant in cervicibus camelorum ipsorum:* * *& fecit illud Gedeon in Ephud, & statuit illud in civitate sua in Ephra: & fornicatus est omnis Israël post illud ibi: & factum est Gedeon & domui ejus in scandalum.* Quomodo ergo ista vestis de tanto auro fieri potuit? Nam & mater Samuëlis fecit filio suo, sicut legimus, Ephud bar, quod nonnulli interpretati sunt. QUÆST. XLI. *Iudic. 8. 27.* *Vulgata.* v. 26. v. 27. *1. Reg. 2. 18.*

Ephud lineum, quando eum dedit Domino in templo nutriendum: ubi evidentiùs apparet hoc genus esse indumenti. An ideo dictum est, *statuit illud in civitate sua*, ut hinc intelligeretur aureum fuisse factum? Non enim dictum est, posuit, sed *statuit*, quoniam ita erat solidum & validum, ut statui posset, hoc est, positum stare.

2. Hoc ergo illicitum cùm fecisset Gedeon, *fornicatus est post illud omnis Israël*, id est, sequendo illud contra Legem Dei: ubi non frustra quæritur, cùm idolum non fuerit, id est, cujusquam Dei falsi & alieni simulacrum, sed Ephud, id est, unum de sacramentis tabernaculi quod ad vestem sacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem Scriptura dicat populi ista sectantis atque venerantis. Ideo scilicet quòd præter tabernaculum Dei, ubi erant ista quæ ibi fieri jusserat Deus, extrà simile aliquid fieri fas non erat. Ideo sequitur & dicit Scriptura, *Et factum est Gedeon & domui ejus in scandalum*, id est, ut ab offenso Deo discederet; quia & hoc quoddam genus idoli quodam modo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manufactum pro Deo coleretur; cùm illa ipsa quæ jussa sunt in tabernaculo fieri ad Dei potiùs cultum referrentur, quàm pro Deo aliquid eorum, aut pro Dei simulacro colendum haberetur.

3. Quamquam per Ephud vel Ephod, ea locutione quæ significat à parte totum, omnia possint intelligi, quæ constituit Gedeon in sua civitate, veluti ad colendum Deum similia tabernaculo Dei; & propterea per hoc, quia hoc est sacerdotalis honoris insigne, quod sæpe Scriptura commemorat: ut hoc sit peccatum Gedeon, quod extra Dei tabernaculum fecerit aliquid simile, ubi coleretur Deus: non quod solido auro velut adorandum constituerit Ephud; sed quod ex auro ipso, quod esset de præda, fecerit ea, quæ pertinerent ad ornamenta vel instrumenta sacrarij, quæ omnia per Ephud significata sunt, propter excellentiam, ut dixi, vestis sacerdotalis. Nam & ipsum Ephud non quidem ex auro solo fieri præceptum est, si hoc est superhumerale sacerdotalis vestis: verùm tamen etiam aliquid auri habet. Nam ex auro & hyacintho & purpura & coccino & bysso ut fieret, divinitus imperatum est: sed quia hoc ita posuerunt Septuaginta interpretes, ut commemoratis omnibus quæ de spoliis acceperat Gedeon, inferrent, *Et fecit illud Gedeon in Ephud*; videtur ita dictum, tamquam ex toto illo quod commemoratum est, hoc factum esse credatur: cùm possit etiam illic intelligi locutio quæ significat à toto partem, ut quod dictum est, *Fecit illud in Ephud*, intelligatur, fecit inde Ephud, vel, fecit ex eo Ephud; non scilicet illud totum consumens in Ephud, sed ex illo quantum sufficiebat impendens. Nam in illa interpretatione quæ ex Hebræo est, sic legitur, *Fecitque ex eo Gedeon Ephod*. Quod enim apud Septuaginta scriptum est *Ephud*, hoc in Hebræo perhibetur dici *Ephod*. Non autem omnes sacerdotes tali utebantur superhumerali, quod esset ex auro & hyacintho & purpura & coccino & bysso, sed solus summus sacerdos. Unde illud quod de Samuële commemoravimus factum illi ab ejus matre, non erat utique tale; quoniam cùm datus est nutriendus, non erat summus sacerdos, utique puer. Unde ut dictum est, Ephud bar appellatur, vel potiùs Ephud bat, sicut asserunt qui Hebræam linguam noverunt, & interpretatur Ephud lineum. Sed Gedeon existimo illud fecisse, quod erat præcipuum summi sacerdotis indumentum atque ornamentum, per quod & cetera significata sunt opera sacrarij, quod in sua civitate præter Dei tabernaculum constituerat; & propter hoc peccatum factum est illi & domui ejus in scandalum, ut sic interiret (quod postea Scriptura narrat) tanta ejus numerositas filiorum.

Exodi 39. 2.

Indic 8. 27.

Vulgata.

Iudic. 9. 5.

Non prætereunda oritur quæstio, quomodo quieverit terra quadraginta annos in diebus Gedeon, cùm post victoriam, qua liberavit Hebræos, ex auro spoliorum fecerit abominationem, & post illam fornicatus sit omnis Israël, & fuerit illi & domui ejus in scandalum. Quomodo ergo post hoc tantum nefas, quod & Gedeon & populus admisit, requievit terra quadraginta annos; cùm hoc Scriptura soleat ostendere, cùm à Domino Deo populus fornicaretur, tunc potiùs pacem illos perdere, non adquirere; & hostibus subjugari, non ab hostium infestatione muniri? Sed intelligendum est, sicut solet Scriptura, per prolepsim, id est per præoccupationem dixisse, quod fecerit Ephud contra Dei Legem Gedeon ex illo auro, quod fuerat hostibus devictis atque prostratis ablatum, quia uno loco dicere voluit, & unde erat aurum, & quid de illo factum sit: sed postea factum est in fine dierum Gedeon hoc peccatum, quando consecuta sunt etiam mala, quæ deinde Scriptura contexuit, postea quàm commemoravit quot annis in diebus Gedeon terra conquieverit: quos annos recapitulando commemoravit, id est ad ordinem revertendo quem præterverterat, priùs dicendo de illo scandalo quod novissimè factum est.

Quæst. XLII. Iudic. 8. 27. 28.

Et factum est cùm esset mortuus Gedeon, & aversi sunt filij Israël, & fornicati sunt post Baalim: & posuerunt ipsi sibi Baalberith testamentum, ut esset eis ipse in Deum. Et Baalim & Baalberith idola intelligenda sunt. Major itaque transgressio & fornicatio commissa est à populo post mortem Gedeon, quàm illo vivo propter Ephud: quoniam & illud, etsi illicitè factum erat, tamen de sacramentis tabernaculi erat; ista verò post idola fornicatio non habet vel falsam paternæ religionis defensionem. Unde etiam illud Ephud, si non in fine temporis Gedeon, sed antè factum est, ita Deus patienter tulit, ut pax in terra perseveraret: quia licèt factum erat quod prohibuerat, non tamen longè recessum erat ab illo, qui tale aliquid in tabernaculo suo atque in honorem suum fieri jusserat. Nunc verò graviora commissa, & apertissimam post idola fornicationem populi esse noluit impunitam.

Quæst. XLIII. Iudic. 8. 33.

Quod inducitur rhamnus, id est quoddam spinarum genus, in similitudinem dicere omnibus lignis convenientibus eam ut regnaret super ea, *Si in veritate unguitis me vos, regnare super vos, venite, confidite in protectione mea: & si non, exeat ignis de rhamno, & comedat cedros Libani*: obscurus sensus est, sed eum inventa distinctio manifestat. Non enim ita legendum est, *Et si non exeat ignis de rhamno*: sed subdistinguendum, *Et si non*, ac deinde inferendum, *exeat ignis de rhamno*, id est, Et si non confidetis in protectione mea, aut, Et si non in veritate unguitis me regnare super vos, *exeat ignis de rhamno, & comedat cedros Libani*. Comminantis enim verba sunt quid facere possit, si noluerint eam regnare super se. Verùm quia non ait, Exibit ignis de rhamno, & manducabit cedros Libani, sed ait, *Exeat, & manducet*; obscurius factum est quàm si sola distinctio lateret. Vehementioris autem comminationis

Quæst. XLIV. Iudic. 9. 14.

minationis est, & quodam modo præsentioris efficaciæ, si quis dicat, Si non vis facere quod volo, sæviat in te ira mea, id est jam sæviat, ut quid eam teneo, [a] quàm si dicat, sæviet, promissivo modo pœnam intentans futuram.

a

Et *emisit Deus spiritum malignum inter Abimelech & inter viros Sichimorum*. Hoc verbum, utrùm imperantem, an permittentem Deum significet, non facilè definiri potest. Quod enim hîc positum est, *Emisit*, Græcus habet ἐξαπέστειλεν; quod etiam est in psalmis ubi legitur, Emitte lucem tuam: quamquam in quibusdam locis interpretes nostri, & ubi est in Græco ἐξαπέστειλεν, *Misit* interpretati sunt, non *Emisit*. Potest ergo & sic intelligi, ut spiritum malignum Deus tamquam ire inter eos volentem emiserit, id est, potestatem dederit maligno spiritui ad eorum pacem perturbandam. Usque adeo autem etiam mitti à Domino malignum spiritum propter justitiam vindicandi, non absurdum visum est, ut quidam id quod est ἐξαπέστειλεν, etiam *Immisit* interpretati sint.

Quæst. XLV. Iudic. 9. 25.

Psal. 42. 3.

Verba quæ misit ad nuntios Abimelech Zebul princeps civitatis Sichimorum, etiam id habent, *Et nunc surge nocte tu & populus tuus tecum, & insidiare in agro. Et erit manè simul ut oritur sol, maturabis, & tendes super civitatem*. Quod Latini quidam habent *maturabis*, quidam verò *manicabis*, Græcus habet quod dici posset non uno verbo, *diluculo surges*. Et fortasse hinc sit dictum, maturabis, à matutino tempore, quamvis etiam aliis temporibus dici soleat ad rem accelerandam. Manicabis autem Latinum verbum esse mihi non occurrit. Sed illud movet, quod cùm dixisset, *simul ut oritur sol*, addidit, *diluculo surges*; cùm ipsum diluculum quod Græcè dicitur ὄρθρος, tempus ante solem significet, quod jam usitatissimè dicitur, cùm albescere cœperit. Sic itaque intelligendum est, ut quod positum est *manè*, ipsum diluculum intelligatur. Additum est autem, *simul ut oritur sol*, ut exprimeretur, non jam orto sole faciendum, sed ubi fulgor apparuerit solis orientis. Non enim aliunde albescit diluculum; nisi cùm cœperit partem cæli, quam videmus ab Oriente, lux solis ad eam redeuntis adtingere. Hinc est quòd etiam in Evangelio unam atque eamdem rem alius Evangelista dicit diluculo factam, cùm adhuc obscurum esset, alius oriente sole; quia & ipsa lux quantulacumque diluculi sole utique fiebat oriente, id est ad ortum veniente, & fulgorem suum de suæ præsentiæ propinquitate jactante. Quam lucem quidam idiotæ solis non esse putaverunt, sed illam esse quæ primitus condita est antequam Deus quarto die conderet solem.

Luce 24. 1.

Marci 16. 2.

Quæst. XLVI. Iudic. 9. 32. & 33.

Et *surrexit post Abimelech, qui salvum faceret Israël Thola filius Phua, filius patris fratris ejus, vir Issachar*. Filium patrui ejus, dixit *filium patris fratris ejus*, cùm ordinatiùs & usitatiùs atque apertiùs diceretur, filium fratris patris ejus: filius enim erat patrui ejus, sicut evidentiùs in ea interpretatione, quæ ex Hebræo est, invenitur. Non ergo quod dictum est *patris fratris*, ab eo declinatum est quod est in nominativo pater fratris, sed ab eo quod est patris frater, hoc est enim patruus. Nam sive ponatur in nominativo, hic pater fratris, sive ponatur hic patris frater, genitivum facit hujus patris fratris. Verùm altera oritur quæstio, quomodo fuerit patruus Abimelech *vir Issachar*, id est vir de tribu Issachar, cùm Abimelech patrem habuerit Gedeon, qui Gedeon de tribu fuit Manasse. Quomodo ergo Phua & Gedeon fratres fuerunt, ut possit esse Phua patruus Abimelech, cujus patrui filius Thola succederet, secundùm istam narrationem, ipsi Abimelech? Potuerunt ergo Gedeon & Phua unam habere matrem, ex qua diversis patribus nascerentur, & fratres essent unius matris filij, non unius patris. Solebant enim nubere feminæ de aliis tribubus in alias tribus. Unde & Saül cùm esset de tribu Benjamin, dedit filiam suam David homini de tribu Juda. Et sacerdos [b] Joiade, utique homo de tribu Levi, duxit filiam Joram regis, hominis de tribu Juda. Hinc factum est, ut Elizabeth & Mariam cognatas in Evangelio legamus, cùm fuerit Elizabeth de filiabus Aaron. Ex quo intelligitur de tribu Levi & filiabus Aaron aliquam nupsisse in tribum Juda, unde ita fieret inter ambas illa cognatio, ut Domini caro non solùm de regia, verùm etiam de sacerdotali stirpe propagaretur.

Quæst. XLVII. Iudic. 10. 1.

1. Reg. 18. 27. 21. b

2. Paral. 22. 12.

Luce 1. 36.

Inter cetera quæ Jephte mandat per nuntios regi filiorum Ammon, etiam hoc dicit. *Nonne quæcumque hereditavit tibi Chamos deus tuus, hæc hereditabis; & omnia quæcumque hereditavit Dominus Deus noster à facie vestra, hæc hereditabimus?* Quod quidam Latini sic interpretandum putaverunt, ut dicerent, *Nonne quæcumque dedit tibi in hereditatem Chamos deus tuus, hæc possidebis?* Ubi videri potest, confirmasse Jephte deum istum, qui vocatur Chamos, potuisse aliquid dare in hereditatem cultoribus suis. Quidam verò sic habent, *Nonne quæcumque possedit Chamos deus tuus, hæc possidebis?* Et hoc ita sonat, quasi aliquid potuerit possidere. An fortè secundùm hoc dictum est, quòd sub Angelis constitutæ sunt gentes, juxta Canticum Moysi famuli Dei? Numquidnam ergo ille Angelus, sub quo erant filij Ammon, Chamos appellatus est? Quis hoc audeat affirmare, cùm possit intelligi secundùm ejus opinionem dictum, quia putabat deum suum hoc possidere, vel in possessionem sibi dedisse? Magis autem iste sensus elucet in iis verbis, quæ Græcus habet, *Nonne quæcumque hereditavit tibi Chamos deus tuus, hæc hereditabis?* ut in eo quod positum est, *tibi*, intelligatur ita dictum, ac si diceretur, sicut videtur tibi. Tibi enim hereditavit qui hoc putas, non quòd ille aliquid posset hereditare. Denique in eo quod sequitur, *Et omnia quæcumque hereditavit Dominus Deus noster*, non dixit hereditavit nobis, tamquam diceret, sicut nobis videtur; sed verè hereditavit, *à facie vestra*, quoniam abstulit ipsis, & his dedit: *hæc*, inquit, *hereditabimus*.

Quæst. XLVIII.

Deut. 32. 8. sec. LXX.

Quæst. XLIX. Iudic. 11. 39.

1. De filia Jephte quòd eam pater in holocaustoma obtulit Deo; quoniam in bello voverat, si vicisset, eum se holocaustoma oblaturum, qui sibi de domo exiens occurrisset; quod cùm vovisset, vicit; & occurrente sibi filiâ, quod voverat reddidit: solet esse magna & ad dijudicandum difficillima quæstio; quibusdam quid sibi hoc velit nosse cupientibus & piè quærentibus; quibusdam verò qui Scripturis his sanctis imperita impietate adversantur, hoc maximè in crimen vocantibus, quòd Legis & Prophetarum Deus etiam humanis sacrificiis fuerit delectatus. Quorum calumniis sic primùm respondemus, ut Deum Legis & Prophetarum, atque ut expressiùs dicam, Deum Abraham & Deum Isaac & Deum Jacob nec illa sacrificia de-

[a] Sic MSS. At editi, *quasi dicat, saviat permissivo modo.*

[b] In MSS. *Iudæ*, seu *Iudæ*. Apud LXX. Ἰωδαέ.

lectaverint, ubi pecorum holocausta offerebantur; sed quòd significativa fuerint & quædam umbræ futurorum, res ipsas nobis quæ his sacrificiis significabantur, commendare voluisse: fuisse autem etiam istam utilem caussam cur illa mutarentur, nec modò juberentur, immo prohiberentur offerri, ne verè secundùm carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus.

2. Sed utrùm etiam humanis sacrificiis significari futura oportuerit, meritò quæritur: non quòd mortes hominum quandoque moriturorum in hac caussa exhorrescere & formidare deberemus, si illi qui hæc de se fieri gratanter acciperent, in æternam remunerationem commendarentur Deo: sed si hoc verum esset, hoc genus sacrificiorum Deo non displiceret: displicere autem Deo satis evidenter cadem Scriptura testatur. Nam cùm omnia primogenita sibi dicari, & sua esse voluerit, atque præceperit; redimi tamen à se voluit primogenita hominum, ne immolandos Deo crederent filios suos, quos natos primitus suscepissent. Deinde hoc apertiùs ita loquitur, quòd humana holocausta sic Deus improbet, ut prohibeat, detestans ea in aliis gentibus, & populo suo præcipiens ne audeat imitari: Si autem, inquit, exterminaverit Dominus » Deus tuus gentes, in quas tu intras hereditare terram eorum à conspectu tuo, & hereditabis eos, & » habitabis in terra eorum; adtende tibi ipsi, ne ex» quiras sequi eos, postquam exterminati fuerint à » facie tua, ne exquiras deos eorum dicens, Quem» admodum faciunt gentes diis suis; faciam & ego. » non facies ita Domino Deo tuo. Abominamenta » enim quæ Dominus odit, fecerunt diis suis; quo» niam & filios suos & filias suas comburunt igni diis » suis.

Exodi 13. 2. 12. & 13.

Deut. 12. 29. & 30.

3. Quid evidentius ostendi potest his sanctæ Scripturæ testimoniis, ut alia hujuscemodi omittam, quàm Deum à quo hæc Scriptura humano generi contributa est, non solùm non diligere, verùm etiam odisse talia sacrificia, in quibus homines immolantur? Illa planè diligit & coronat, cùm quisque justus iniquitatem patiens usque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis quos pro justitia offendit occiditur, retribuens eis bona pro malis, id est pro odio dilectionem. [a] Talem dicit Dominus sanguinem justum, à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ. Præcipuè autem quod sanguinem fudit ipse pro nobis, & sacrificium seipsum obtulit Deo; sic utique obtulit, ut ab inimicis pro justitia occideretur: hunc imitata martyrum millia usque ad mortem pro veritate certarunt, & ab inimicis sævientibus immolata sunt; de quibus dicit Scriptura, Tamquam aurum in fornace probavit illos, & sicut holocausti hostiam accepit illos. Unde & Apostolus dicit, Ego enim jam immolor.

a Matth. 23. 35.

Sap. 3. 6.

2. Tim. 4. 6.

4. Sed non sic Jephte de filia fecit holocaustoma Domino; sed sicut præceptum fuerat pecora offerri, & prohibitum fuerat homines immolari. Magis hoc illi simile videtur quod fecit Abraham, quod Dominus specialiter fieri præcepit, non generali lege ut talia sibi sacrificia fierent aliquando mandavit, immo etiam fieri omnino prohibuit. Distat itaque hoc quod Jephte fecit à facto Abrahæ, quoniam ipse jussus obtulit filium: iste autem fecit quod & Lege vetabatur, & nullo speciali jubebatur imperio. Deinde non solùm in sua Lege postea, verùm etiam tunc Deus in ipso Abrahæ filio talibus sacrificiis quàm non delectaretur ostendit; cùm patrem cujus fidem jubendo probaverat, à filij tamen interfectione prohibuit, ac arietem, quo sacrificium licitè secundùm veterum congruam temporibus consuetudinem compleretur, apposuit.

Gen. 22.

5. Si autem hoc quemquam movet, quomodo piè crediderit Abraham Deum sacrificiis talibus delectari, si hæc illicitè offeruntur Deo; & ideo putat rectè credidisse etiam Jephte quòd tale sacrificium Deo posset esse acceptum: primò consideret aliud esse ultro vovere, aliud jubenti obtemperare. Non enim si aliquid præter morem in domo à domino institutum servo jubetur, atque id laudabili obedientiâ facit, ideo non est plectendus, si hoc facere sponte præsumserit. Deinde habebat quod crederet Abraham, ut propter divinum imperium non parceret filio, non credens Deum tales victimas libenter accipere, sed hoc eum propterea jussisse, ut resuscitaret occisum, & hinc aliquid tamquam Deus sapiens demonstraret. Nam hoc de illo etiam in epistola legitur, quæ inscribitur ad Hebræos; & fides ejus, quia hoc de Deo crediderit, quòd posset filium ejus suscitare, laudatur. Iste verò & Deo non jubente neque poscente, & contra legitimum ejus præceptum, ultro sacrificium vovit humanum. Sic enim scriptum est, *Et vovit Iephte votum Domino, & dixit, Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu meâ, & erit quicumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi, in revertendo me in pace à filiis Ammon, & erit, Domino offeram eum holocaustoma.*

Hebr. 11. 17.

Iudic. 11. 30. & 31.

6. Non utique his verbis pecus aliquod vovit, quod secundùm Legem holocaustoma posset offerre. Neque enim est aut fuit consuetudinis, ut redeuntibus cum victoria de bello ducibus pecora occurrerent. Quantum autem adtinet ad muta animalia, canes solent dominis blando famulatu alludentes currere in obviam: de quibus ille in suo voto cogitare non posset, ne in injuriam Dei aliquid, non solùm illicitum, verùm etiam contemtibile & secundùm Legem immundum vovisse videretur. Nec ait, quodcumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi, offeram illud holocaustoma; sed ait, *quicumque exierit offeram eum*: ubi procul dubio nihil aliud quàm hominem cogitavit; non tamen fortasse unicam filiam: quamquam illam in tanta paterna gloria quis posset anteire, nisi fortè uxor? Nam quòd non dixit, quæcumque, sed *quicumque exierit de januis domus meæ*, solet Scriptura masculinum genus pro quolibet sexu ponere: sicut de Abraham dictum est, Surgens à mortuo; cùm ejus uxor mortua fuisset.

Gen. 23. 3.

7. Quia ergo de hoc voto atque facto nihil videtur Scriptura judicasse, sicut de Abraham, quando filium jussus obtulit, apertissimè judicavit; sed tantummodo scriptum reliquisse legentibus judicandum, quemadmodum de facto Judæ filij Jacob, quando ad nurum quidem suam nesciens intravit, verùm quantum in ipso fuerat fornicatus est, quia meretricem putavit, neque approbavit hoc Scriptura, neque reprobavit, sed justitiâ & lege Dei consultâ æstimandum pensandumque dimisit: quia ergo de isto Jephte facto in neutram partem sententiam Scriptura Dei protulit, ut noster intellectus in judicando exerceretur, possemus jam dicere Deo displicuisse tale votum, & ad illam perductum

Gen. 22. 16.

Gen. 38. 15.

[a] Vaticani duo MSS. *dilectionem talem, quòd dicat Dominus sanguinem justum à sang. Ab. usque ad sang. Zachariæ requirendum.*

esse vindictam, ut patri potissimùm filia unica occurreret: quod si speraſſet atque [a] voluisset, non continuò, ut eam vidit, scidisset vestimenta sua, & dixisset, *Heu me filiæ meæ, impedisti me, in offendiculum factæ es in oculis meis.* Deinde sexaginta dierum tam longa dilatione data filiæ suæ Dominus ab unicæ carissimæ nece cùm eum non prohibuerit, sicut prohibuit Abraham, donec perficiendo quod voverat seipsum percuteret orbitate gravissima, Deum autem nequaquam hominis immolatione placaret: & ideo hujuscemodi patri pœnam fuisse retributam, ne impunitum talis voti relinqueretur exemplum, ut aut magnum aliquid se vovere Deo putarent homines, cùm victimas humanas voverent, & quod est horribilius filiorum; aut non vera, sed potiùs simulata eadem vota essent, cùm velut exemplo Abrahæ sperarent qui vovissent, Deum prohibiturum talia vota compleri.

a

Iudic. 11. 35.

8. Possemus, inquam, hæc dicere, nisi ab ista sententia duo nos præcipuè divinarum Scripturarum testimonia retardarent, ut hanc rem gestam & in libris tantæ auctoritatis memoriæ commendatam, diligentiùs quantum Dominus adjuvat, & cautiùs perscrutemur, ne in ullam partem judicium temerarium proferamus. Unum, quòd in epistola ad Hebræos iste Jephte inter tales commemoratur, ut eum culpare vereamur, ubi sic scriptum est, Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tempus enarrandi de Gedeon, Barac, Sampson, & Jephte, & » David, & Samuël, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operantes justitiam consecuti sunt promissiones. Alterum, quòd ubi de illo ista narrantur, quòd tale voverit & impleverit votum, præmisit Scriptura dicens, *Et factus est super Iephte Spiritus Domini, & pertransit Galaad & Manasse, & transiit speculam Galaad, & de specula Galaad ad trans filios Ammon, & votum vovit Iephte Domino*, & cetera, ad hoc ipsum votum pertinentia: ut omnia quæ deinceps facta sunt, tamquam opera Spiritus Domini, qui super eum factus est, intelligenda videantur. Ista testimonia nos compellunt quærere potiùs cur factum sit, quàm facilè improbare quod factum est.

Hebr. 11. 32. & 33.

Iudic. 11. 29.

9. Sed primò illud quod ex epistola quæ ad Hebræos est, commemoravi, inter illos laudabiles viros qui ibidem recoluntur, non solùm est Jephte, verùm etiam Gedeon, de quo similiter Scriptura dicit, Spiritus Domini confortavit Gedeon: & tamen ejus factum, quod de illo auro prædæ operatus est Ephud, & fornicatus est post illud omnis Israël, & factum est domui Gedeon in scandalum, non solùm laudare non possumus; verùm etiam quia Scriptura hîc apertissimè judicavit, reprobare minimè dubitamus: nec tamen ex hoc ulla fit injuria Spiritui Domini, qui eum confortavit, ut hostes populi ejus tanta facilitate superaret. Cur ergo inter illos commemoratur, qui per fidem vicerunt regna, operantes justitiam, nisi quia sancta Scriptura quorum fidem atque justitiam veraciter laudat, non hinc impeditur eorum etiam peccata, si qua novit, & oportere judicat, notare veraciter? Nam & in eo quòd idem Gedeon signum petens, sicut ipse locutus est, tentavit in vellere, nescio utrùm non fuerit transgressus præceptum, quod scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum: verumtamen etiam in ejus tentatione Dominus quod prænuntiare volebat ostendit; in compluto scilicet vellere & area tota circumquaque sicca, figurare primum populum Israël, ubi erant sancti cum gratia cælesti, tamquam pluvia spiritali; & postea complutâ areâ sicco vellere, figurare Ecclesiam toto orbe diffusam, habentem non in vellere tamquam in velamine, sed in aperto cælestem gratiam, illo priore populo, velut ab ejusdem gratiæ rore alienato atque siccato. Nec tamen frustra inter fideles & operantes justitiam, propter bonam fidelemque vitam, in qua eum credendum est esse defunctum, tale in epistola ad Hebræos meruit testimonium.

Iudic. 6. 34.

Iudic. 8. 27.

Iudic. 6. 39.

Deut. 6. 16.

10. Utrùm autem quia postea quàm dictum est, *Factus est super Iephte Spiritus Domini*, ea secuta sunt, ut votum illud voveret, atque hostes vinceret, & quod voverat redderet, Spiritui Domini omnia deputanda sint, ut perinde habeatur & hoc sacrificium, tamquam id Dominus sicut Abrahæ fieri jusserit, non facilè dixerim; cùm utique de Gedeon possit hæc afferri differentia, quia post peccatum quod fecit, quando fecit Ephud post quod universus populus fornicatus est, nulla est ejus commemorata prosperitas: postea verò quàm Jephte votum vovit, illa est insignis ejus victoria consecuta, propter quam adipiscendam voverat, & qua adeptâ quod voverat soluit. Rursus enim considerandum est, quia Gedeon, etsi non postea quàm fecit Ephud, tamen postea quàm tentavit Dominum, quod utique peccatum est, magna strage hostibus cæsis atque superatis populo adquisivit salutem. Sic enim scriptum est, Et dixit Gedeon ad Dominum, » Non irascatur indignatio tua in me, & loquar ad » huc semel, & tentabo adhuc semel in vellere, & » cetera. Iram quippe Dei metuebat, quia noverat tentando se peccare, quod Deus in Lege sua manifestissimè prohibet. Hoc tamen peccatum ejus & mirabilis signi evidentia & magna victoriæ prosperitas liberationisque populi consecuta est. Jam enim Deus statuerat afflicto populo subvenire, atque hujus ducis, quem ad hoc opus assumserat, urebatur animo non solùm fideli & pio, verùm etiam subdeficiente & delinquente, & ad prænuntianda quæ volebat, & complenda quæ dixerat.

Iudic. 6. 39.

11. Non enim per istos tantùm, qui etiamsi peccaverunt, inter justos tamen narrantur, sed etiam per ipsum Saülem omni modo reprobatum, multa Deus populo suo præstitit, in quem insilivit etiam Spiritus Dei, & prophetavit; non cùm justè ageret, sed cùm in virum sanctum David innocentemque sæviret. Agit enim Spiritus Domini & per bonos & per malos, & per scientes & per nescientes, quod agendum novit, & statuit: qui etiam per Caïpham acerrimum Domini persecutorem, nescientem quid dixerit, insignem protulit prophetiam, quòd oporteret Christum mori pro gente. Quis enim egit nisi Spiritus Domini, curans prænuntiare ventura, ut Judici Gedeon tentare volenti Dominum, & non credenti quod ei fuerat per manum ejus de salute populi jam locutus, hoc potissimùm de vellere priùs compluto, postmodum sicco, & de area primùm sicca, postea rigata veniret in mentem? Ut quòd subdefecit à fide, infirmitati ejus delictoque deputetur; quòd verò etiam tali ejus animo ad hoc quod generi humano significari oportebat usus est Deus, ad ejus intelligatur misericordiam & mirabilem providentiam pertinere.

1. Reg. 19. 23.

Iohan. 11. 49.

Iudic. 6. 37. & 39.

12. Si quis autem dicit, omnia scientem fecisse & dixisse Gedeon ex revelatione prophetica, ut

[a] Editi *vovisset* MSS. melioris notæ, *voluisset.*

per eum signa talia monstrarentur; nec defecisse à fide, & quod ei jam promiserat Dominus credidisse; sed actione prophetica in vellere voluisse tentare, atque ita illius tentationem fuisse inculpabilem, sicut dolum Jacob: & illud quod Domino ait, Non irascatur indignatio tua in me, non ideo dixisse quòd iram ejus timeret, sed quòd cum confideret non irasci, cùm ea faceret, quæ Spiritu ejus dictante facienda esse tamquam propheta sentiret. Dicat ut videtur, dum modò illud quod de facto Ephud Scriptura ipsa culpavit, quodlibet significet, non audeat excusare à peccato. Nam & illud quòd trecenti viri ad signum crucis ipso numero pertinentes, hydrias fictiles acceperunt, eisque ardentes faculas inclusérunt, quibus hydriis fractis repentè lumina numerosè micantia tantam hostium multitudinem terruerunt, tamquam ex suo arbitrio videtur fecisse Gedeon; non enim Scriptura dicit Dominum admonuisse ut hoc faceret: & tamen tam grande signum quis ejus animo atque consilio faciendum, nisi Dominus inspiravit? Qui præfiguravit sanctos suos thesaurum Evangelici luminis in vasis fictilibus habituros, sicut Apostolus dicit, Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: quibus in passione martyrij tamquam vasculis fractis, major eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios Evangelicæ prædicationis inimicos inopinata illis Christi claritate superavit.

Gen. 27.15. Iudic. 6.39. Iudic. 7.16. 2. Cor. 4.7.

13. Seu ergo per scientes, seu per nescientes, præfigurationem prædicationemque futurorum Spiritus Domini propheticis temporibus operatus est: nec ideo peccata eorum dicendum est non fuisse peccata; quia & Deus, qui & malis nostris bene uti novit, etiam ipsis eorum peccatis usus est ad significanda quæ voluit. Proinde si propterea peccatum non fuit, sive cujuslibet necis humanæ, sive etiam parricidale sacrificium vel vovere, vel reddere, quia magnum aliquid & spiritale significavit; frustra Deus taliâ prohibuit, & se odisse testatus est; quoniam & illa quæ fieri jussit, utique ad aliquam significationem rerum spiritalium magnarumque referuntur. Cur ergo illa prohiberet, quando quidem poterant propter eamdem rerum earumdem significationem, propter quam & ista licitè fiebant, nihilominus licitè fieri: nisi quia nec tale aliquid significantia quale expedit credere, humana Deo sacrificia placuerunt, quando non pro justitia quisque ab inimicis, quia rectè vivere voluit, aut peccare noluit, interimitur, sed homo ab homine tamquam electa hostia more pecoris immolatur?

14. Quid si, ait aliquis, quoniam pecorum victimæ jam eo ipso quo fuerant usitatæ, quamvis & ipsæ à rectè intelligentibus ad significationem spiritalium referrentur, minùs tamen faciebant intentos ad magnum sacramentum Christi & Ecclesiæ requirendum, propterea Deus re insigni & inopinata volens quasi dormientes hominum animos excitare, eo magis quo talia sibi sacrificia offerri vetuerat, curavit sibi ejusmodi aliquid offerendum, ut ipsa admiratio magnam gigneret quæstionem, & magna quæstio ad perscrutandum magnum mysterium studium piæ mentis erigeret, piè verò scrutans mens hominis altitudinem prophetiæ, velut hamo piscem Dominum Christum de profundo Scripturarum levaret? Huic nos rationi & considerationi non obsistimus. Sed alia quæstio est de animo voventis, alia de providentia Dei qualicumque animo ejus optimè utentis. Quamobrem si Spiritus Domini qui factus est super Jephte, ut hoc voveret omnino præcepit, quod quidem Scriptura non aperuit; tamen si hoc ille præcepit, cujus non licet jussa contemnere, non solùm insipientia culpanda non est, verùm etiam laudanda obedientia est. Hoc enim, etiamsi se homo ipse interimat, quod utique humana voluntate atque consilio facere nefas est, profectò intelligendum est obedienter fieri potiùs quàm scelestè, si divinitus jussum est: de qua quæstione satis in primo libro de civitate Dei disputavimus. Si autem Jephte humanum secutus errorem, humanum sacrificium vovendum putavit, ejus quidem peccatum de unica filia jure punitum est, quod etiam ipse verbis suis satis videtur ostendere, ubi ait, *Heu me, filia mea, impedisti me, in offendiculum facta es in oculis meis*: discissis etiam vestimentis suis. Verumtamen etiam hic ejus error habet aliquam laudem fidei, qua Deum timuit, ut quod voverat redderet, nec divini in se judicij sententiam declinavit, sive sperans Deum prohibiturum, sicut fecit Abrahæ, sive ejus voluntatem etiam non prohibentis intellectam facere potiùs quàm contemnere statuens.

De civit. Dei lib. 1. c. 21. Iudic. 11.35.

15. Quamquam & hîc meritò quæri potest, utrùm verùs intelligitur hoc Deum nolle fieri, & in eo potiùs Deo si non fieret, obediretur, quoniam hoc se nolle & in Abrahæ filio & in legitima prohibitione monstraverat. Verumtamen si propterea Jephte non faceret, sibi potiùs in unica pepercisse, quàm Dei voluntatem secutus esse videretur. Magis ergo intellexit in eo, quòd ei filia occurrit, ultorem Deum, justæque pœnæ se fideliter subdidit, timens sæviorem tamquam de tergiversatione vindictam. Credebat enim etiam bonæ & virginis animam filiæ bene recipi, quòd non seipsa voverat immolandam, sed voto & voluntati non restiterat patris, & Dei fuerat secuta judicium. Mors enim sicut nec sibi à quoquam sponte, nec cuiquam sponte inferenda est, ita Deo jubente recusanda non est, cujus constitutione quocumque temporis obeunda est: nec quisquam qui eam perpeti detrectat, ut omnino evitetur, sed tantummodo ut differatur, laborat. Hæc [a] autem festinantibus nobis de prædicta quæstione satis esse utcumque discussa pro hac quidem parte visa sunt.

16. Nunc jam quid Spiritus Domini, sive per nescientem Jephte sive per scientem, sive per ejus imprudentiam sive per obedientiam, sive per offensionem sive per fidem, in hac re gesta præfiguraverit, quantum Deus adjuvat, requiramus, breviterque pandamus. Admonet enim nos & urget quodam modo iste sanctarum Scripturarum locus cogitare quemdam potentem virtute. Talis enim dicitur Jephte, quod nomen interpretatur aperiens. Dominus autem Christus, sicut indicat Evangelium, discipulis suis aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas. Hunc Jephte fratres ejus reprobaverunt, & de paterna domo expulerunt, objicientes ei, quòd esset filius fornicariæ, tamquam ipsi essent de uxore legitima nati. Hoc etiam egerunt adversùs Dominum principes sacerdotum & scribæ & pharisæi, qui de Legis observatione gloriari videbantur, tamquam ille solveret Legem, & ideo veluti non esset legitimus filius. Et quamquam de sancta quidem virgine corpus assumserat, quod

Luca 24. 27. Iudic. 11. 2.

[a] Quæ sequuntur, scilicet *Hæc autem festinantibus* &c. usque ad *Nunc jam*, absunt à MSS. Vaticanis & Gallicanis.

fidelibus notum est: tamen ejus mater quantum ad gentem pertinet, etiam illa Judaïca synagoga dici potest. Revolvat qui voluerit propheticos libros, & videat quoties, & quantâ verbi severitate atque indignatione Domini, illa gens velut impudica mulier de suis fornicationibus arguatur. Unde est etiam illud in hoc libro recentissimum, vel cùm post Ephud, quod fecit Gedeon, omnis Israël legitur fornicatus, vel quòd abierunt post deos gentium, quibus erant circumdati. Unde in illos divina ira commota est, ut per annos decem & octo conterentur à filiis Ammon. Sed numquid non ex eadem gente Israël etiam illi nati erant sacerdotes & scribæ & pharisæi, quos in eis diximus fuisse præfiguratos, qui Jephte, tamquam isti Dominum Christum, veluti non legitimum filium persecuti expulerunt? Sed in eo similitudo adumbrata est, quòd isti, ut dixi, veluti Legis observatores eum qui contra præcepta Legis facere videbatur, tamquam legitimi non legitimum, jure sibi visi sunt ejecisse. Secundùm hoc enim plebs illa dicta est fornicari, quòd Legis præcepta non servans, tamquam viro non exhibebat fidem.

Iudic. 8.27. & 10. 6.

17. Sic autem scriptum est de Jephte, *Et creverunt filij uxoris, & ejecerunt Iephte.* Verbum quod positum est, *creverunt*, significat in figura, prævaluerunt: quod in Judæis impletum est, qui prævaluerunt infirmitati Christi, quia ita voluit, ut ab eis quæ oportebat passione perferret; sicut hoc idem significans Jacob prævaluit Angelo, cùm quo ut idipsum portenderet luctabatur. Dixerunt ergo ad Jephte, *Non hereditabis in domo patris nostri, quoniam filius mulieris fornicariæ tu.* Tamquam dicerent quod Evangelium loquitur, Non est iste homo à Deo qui sic solvit sabbatum. Se autem velut jactantes legitimos filios Domino dixerunt, Nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum. *Et fugit Iephte à facie fratrum suorum, & habitavit in terra Tob.* Fugit, quoniam se quantus esset abscondit: Fugit, quoniam eos sævientes latuit: Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Fugit, quoniam morientis infirmitatem viderunt, virtutem autem resurgentis non viderunt. Habitavit autem in terra bona, vel ut expressiùs dicamus, opima. Quod enim Græcè ἀγαθὸν, hoc Latinè opimum dicitur. id autem interpretatur Tob. Ubi mihi videtur intelligenda ejus à mortuis resurrectio. Nam quæ terra magis opima, quàm terrenum corpus excellentiâ immortalitatis & incorruptionis indutum?

Gen. 32.24. Iudic. 11. 2. Iohan. 9.16. Iohan. 8.41. Iudic. 11. 3. 2. Cor. 2.8.

18. Quod autem dicitur de Jephte, quia postea quàm fugiens à facie fratrum suorum habitavit in terra Tob, colligebantur ad eum viri latrones, & obambulabant cum ipso: quamquam & ante passionem objectum fuerit Domino, quòd cum publicanis & peccatoribus manducaret, quando respondit, non esse necessarium sanis medicum, sed ægrotis; & inter iniquos deputatus est, quando inter latrones crucifixus est, & unum ex eis de cruce in paradisum transtulit: tamen postea quàm resurrexit, & esse cœpit, secundùm id quod suprà exposuimus, in terra Tob, collecti sunt ad illum scelerati homines propter remissionem peccatorum; qui cum illo ambulabant, quia secundùm ejus præcepta vivebant. Neque hoc fieri desinit usque nunc, & deinceps quò usque ad eum confugiunt mali, ut justificet impios qui ad eum convertuntur, & discant iniqui vias ejus.

Iudic. 11. 3. Matth. 9.11. Isaiæ 53.12. Luca 23.33. Psal. 50.15.

19. Jam illud, quòd hi qui abjecerant Jephte, (erat enim Galaadites,) conversi sunt ad eum, & quæsiverunt eum, per quem liberarentur ab inimicis suis, quàm clara præfiguratione significat, quòd hi qui abjecerunt Christum, ad eum rursus conversi in illo reperiunt salutem? sive illi intelligantur, quos Petrus apostolus cùm de ipso scelere arguisset, sicut in Actibus Apostolorum legitur, & hortatus esset ut ad eum converterentur, quem fuerant persecuti, compuncti sunt corde, & ab illo quem à se alienaverant, desideraverunt salutem: (quid est autem liberari ab inimicis, nisi à peccatis? sic enim illis ait, Agite pænitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini Jesu Christi, & remittentur vobis peccata vestra:) sive illa potiùs significetur quæ in fine speratur vocatio gentis Israël. Magis quippe ipsa videtur apparere in eo, quod dicitur, *Et factum est post dies*: quod utique post tempus significat; & per hoc insinuat non illud intelligendum quod recenti Domini passione est, sed quod postea futurum est. Quò videtur etiam id pertinere, quòd seniores Galaad venerunt ad Jephte, ut per ætatem senilem posteriora & novissima tempora accipienda sint. Interpretatur autem Galaad abjiciens sive revelatio. Quorum utrumque satis aptè huic rei congruit, quia primò Dominum Christum abjecerunt, eisque postea revelabitur.

Act. 2. 38.

20. Quòd verò contra filios Ammon dux quærebatur Jephte, quibus victis liberarentur, qui eo duce adversùs illos bellare cupiebant, quoniam interpretatur Ammon filius populi mei, sive populus mæroris, profectò aut illi significantur inimici, qui ex ipsa gente perseverantes in infidelitate prædicti sunt; aut omnino omnes gehennæ prædestinati, ubi erit eis fletus & stridor dentium, tamquam populo mæroris. Quamquam populus mæroris, etiam diabolus & angeli ejus non inconvenienter intelliguntur; sive quia æternam miseriam eis quos decipiunt adquirunt; sive quia & ipsi æternæ miseriæ deputati sunt.

Matth. 25. 30.

21. Eleganter sanè ad exprimendam multo evidentiùs prophetiam Jephte respondit senioribus Galaad, *Nonne vos odio habuistis me, & ejecistis me de domo patris mei, & emisistis me à vobis? Et quid est quod venistis, quando tribulati estis?* Tale aliquid figuratum est in Joseph, quem fratres vendentes abjecerunt; & cùm fame tribularentur, ad ejus opem misericordiamque conversi sunt. Hîc verò multo ampliùs elucet significatio futurorum, quòd non ipsi prorsus fratres, qui ejecerunt Jephte, ad eum venerunt; sed Galaad seniores pro universo illo populo eidem supplicantes. Sicut eadem gens dicitur Israël, sive in eis qui tunc fuerunt, Christumque reprobaverunt, sive in eis qui ad ejus opem postea reversi sunt. Populo enim dicitur inimico, sive in majoribus sive in posteris suis longa odia trahenti atque servanti tandemque converso in eis qui tunc convertendi sunt, *Nonne vos odio habuistis me, & ejecistis me de domo patris mei?* Hoc enim eis visum est, qui persecuti sunt, quòd ejecerunt Christum de domo David, in qua regni ejus non erit finis.

Iudic. 11. 2. Gen. 37.28. Gen. 42. & 50. Luc. 1. 33.

22. *Et dixerunt seniores Galaad ad Jephte, Non sic modò venimus ad te.* Tamquam dicerent Judæi conversi ad Christum, Tunc venimus ut persequeremur, modò venimus ut sequamur. Profitentur etiam adversùs inimicos eum futurum sibi caput. Respondet ille, si eorum vicerit inimicos, quòd erit eis in principem: quod Gedeon noluit, cùm

Iudic. 11. 8. Ibidem 9. Iudic. 8.23.

id Israëlitæ voluissent. Respondit quippe illis, A Princeps vester Dominus erit. Rex enim nomine principis significatur: quod nondum habebat gens illa tempore Judicum. Cœperunt autem habere
1. Reg. 10. 1. Saülem, & deinceps successores ejus alios, qui in
Deut. 17. 14. libris Regnorum leguntur. Nam in Deuteronomio cùm eis præcipitur qualem debeant habere regem, si hoc eis placuerit, non ibi rex, sed princeps appellatur. Sed quia iste Jephte illum figurabat, qui
Johan. 19. 19. verus est rex, quod etiam in titulo scriptum fuit, qui cruci ejus affixus est, quem Pilatus delere vel B emendare non ausus est; ideo credendum est esse dictum, *Ero vobis in principem.* Illi autem dixerant,
1. Cor 11. 3. *Eris nobis in caput:* quoniam caput viri Christus, &
Ephes. 5. 23. ipse est caput corporis Ecclesiæ. Denique postea quàm eos liberavit Jephte ab omnibus inimicis, non eis factus est rex, ut intelligeremus, illud quod dictum est, ad prophetiam potiùs pertinuisse de Christo, quàm ad ipsum propriè Jephte, de quo
Judic. 12. 7. Scriptura narrationem ita concludit: *Et judicavit Jephte Israël sex annis, & mortuus est Jephte Galaadites, & sepultus est in civitate sua Galaad.* Judicavit ergo Israël sicut ceteri Judices: non ibi regnavit ut princeps, sicut hi qui Regnorum voluminibus continentur.

Ibid. 11. 12. 23. Jam verò quòd postea quàm eis idem Jephte dux constitutus est, misit nuntios ad hostes priùs pacis verba portantes, illud ostenditur quod ait
Rom. 12. 18. Apostolus, in quo Christus loquebatur, Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Verba porrò ipsa quæ mandavit D Jephte, omnia pertractare nimis longum est festinantibus nobis: videntur tamen mihi sic intelligenda, quantum adtinet ad significationem futurorum, ut in eis advertatur doctrina Christi, admonens nos quemadmodum sit ambulandum, hoc est, vivendum inter eos, qui non secundùm pro-
2. Tim. 2. 19. positum vocati sunt. Novit enim Dominus qui sunt ejus.

24. Jam verò quòd cùm esset debellaturus inimicos, factus est super eum Spiritus Domini, si- E gnificatur Spiritus-sanctus impertitus membris Christi.

Judic. 11. 29. 25. Quòd autem *pertransiit Galaad & Manasse, & transiit speculam Galaad, & ab specula Galaad ad trans filios Ammon*, proficientia significantur membra Christi ad victoriam de inimicis reportandam. Galaad quippe interpretatur abjiciens, Manasse necessitas. Transeundi sunt ergo à proficientibus abjicientes, id est contemnentes: transeunda & necessitas, ne fortè cùm transierit qui F proficit contemnentes, cedat terrentibus. Transeunda etiam specula Galaad, quoniam Galaad etiam revelatio interpretatur. Est autem specula altitudo ad prospiciendum, vel despiciendum, id est desuper adspiciendum. Specula itaque Galaad congruenter mihi videtur significare superbiam re-
2 Cor 12. 7. velationis. Unde dicit Apostolus, Et in magnitudine revelationum ne extollar. Ergo & ipsa transeunda est, id est, non est in ea manendum propter cadendi periculum. His pertransitis facilè su- G perantur inimici: quod significat dicendo, *Et ab specula Galaad transiit ad filios Ammon*, de quibus inimicis jam suprà dictum est.

Judic. 11. 30. & 31. 26. *Et vovit Jephte votum, & dixit, Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea, & erit quicumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi in revertendo me in pace à filiis Ammon, & erit Domino, & offeram eum holocaustoma.* Quemlibet in hoc loco cogitaverit Jephte secundùm cogitationem humanam, non videtur unicam filiam cogitasse: alioquin non diceret, cùm illam cerneret occurrisse, *Heu me filia mea, impedisti me, in offen-* v. 35.
diculum facta es in oculis meis. Impedisti enim ita dictum est, tamquam ad hoc se impeditum indicaverit, ne illud quod cogitarat impleret. Sed quem potuit cogitare primitus occurrentem, qui filios alios non habebat? An conjugem cogitavit, & ut hoc fieret Deus noluit, & ut non relinqueret impunitum, ne quis deinceps id auderet; & ut magnâ providentiâ, ex hoc quoque ipso quod accidit, sacramentum Ecclesiæ figuraret? Ex utroque igitur prophetia coaptata est, & ex eo quod vovens cogitavit, & ex eo quod nolenti contigit. Si enim conjugem cogitavit, conjunx Christi Ecclesia est. Propterea relinquet homo patrem & matrem, & Gen. 2. 24.
adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, inquit Apostolus, Ephes. 5. 32.
ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Sed quia C hujus Jephte conjunx virgo esse non potuit, in eo quòd filia potiùs occurrit, & inulta non remansit prohibitum sacrificium voventis audacia, & virginitas Ecclesiæ figurata est. Nec abhorret à vero, quòd filiæ nomine eadem significatur Ecclesia: nam cujus alterius typum gerebat etiam illa mulier, cui post tactam fimbriam suam sanatæ, ait Dominus, Filia, fides tua te salvam fecit, vade in Matth. 9.
pace? Et certè, unde nullus ambigit, discipulos 22.
suos ipse sponsi filios appellavit, se apertissimè in- Matth. 9.
dicans sponsum: Non possunt, inquit, jejunare fi- 15
lij sponsi, quamdiu cum illis est sponsus: venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Holocaustoma ergo erit Ecclesia, quam virginem castam beatus Apostolus appellat, 2. Cor. 11. 2.
quando in resurrectione mortuorum fiet in universa, quod scriptum est, Absorpta est mors in victo- 1. Cor. 15.
riam. Tunc tradet regnum Deo & Patri. Quod re- 54. & 24.
gnum ipsa Ecclesia est, rex ipse cujus figuram vovens ille gestabat. Sed quoniam tunc fiet, cùm completa fuerit sexta ætas sæculi, ideo sexaginta dierum à virginitate dilatio postulata est. Ex omnibus quippe ætatibus Ecclesia congregatur. Quarum prima Sex ætates.
est, ab Adam usque ad diluvium: secunda à diluvio, id est, à Noë usque ad Abraham: tertia ab Abraham usque ad David: quarta à David usque ad transmigrationem in Babyloniam: quinta ab hac transmigratione usque ad virginis partum: sexta inde usque in hujus sæculi finem. Per quas sex F ætates tamquam per sexaginta dies flevit sancta virgo Ecclesia virginalia sua: quia licèt virginalia, tamen fuerant peccata deflenda; propter quæ universa ipsa virgo toto orbe diffusa quotidie dicit, Dimitte nobis debita nostra. Eosdem autem sexa- Matth. 6.
ginta dies, duos menses maluit appellare, quantum 12.
existimo, propter duos homines; unum per quem mors, alterum per quem resurrectio mortuorum; propter quos etiam duo Testamenta dicuntur.

27. Quod verò *factum est in præceptum in Israël,* Judic. 11. 39.
ex diebus in dies conveniebant lamentari filiam Iephte & 40.
Galaaditem, quatuor dies in anno: non puto significare aliquid post impletum holocaustoma, quod erit in vitam æternam; sed præterita tempora Ecclesiæ, in quibus erant beati lugentes. Quatriduo autem figurata est ejus universitas, propter quatuor partes orbis, per quas longè latéque diffusa est. Ad historiæ verò proprietatem, non arbitror hoc de-

crevisse Israëlitas, nisi quia intelligebant in ea re A judicium Dei magis ad percutiendum patrem fuisse depromtum, ne tale vovere sacrificium deinceps ullus auderet. Nam quare luctus & lamentatio decerneretur, si votum illud lætitiæ fuit?

Judic. 12. 4. 28. Si autem & illud, quòd populus Ephræm postea ab eodem Jephte debellatus est, ad judicium Dei, quod erit in fine, referendum est, sicut ipse
Luca 19. 27 Dominus dicit, Eos qui noluerunt me regnare sibi, adducite & interficite coram me; nec ibi quadra-
Judic. 12. 6. ginta duo millia, quæ ceciderunt, vacanti numero B commemorata sunt. Sicut enim illi duo menses propter sexaginta dies senarium numerum sex ætatum significant: ita & ibi sexies septenarius ductus hoc idem figurat, quantum ad sex ætates sæculi pertinet; sexies enim septem quadraginta duo sunt. Nec frustra & ipse Jephte sex annis populum judicavit.

Quæst. L. Judic. 13. 4 Quæri potest quomodo dixerit Angelus ad matrem Sampson, cùm annuntiaret ei filium futurum, quia sterilis erat, *Et nunc observa, & non bibas vinum & siceram, non manduces omne immundum.* C Quid est enim immundum? nisi fortè dissolutio disciplinæ, quæ esse cœperat in Israël, etiam ad ea
Levit. 11. 2. manducanda eos labefecerat, quæ prohibuerat
Deut. 14. 3. Deus in generibus animalium. Cur enim non credatur, etiam hoc eos multo proclivius facere potuisse, qui etiam ad cultum idolorum transgredicbantur?

Quæst. LI. Judic 13. 6. Quod mater Sampson viro suo indicans quemadmodum illi Angelus annuntiaverit filium futurum, dixit, *Et interrogabam eum unde esset, & nomen* D *suum non annuntiavit mihi*, quæri potest utrùm verum dixerit; quoniam hoc non legitur, cùm ei Angelus loqueretur. Sed intelligendum est hoc ibi Scripturam tacuisse, hîc autem commemorasse quod ibi tacuerat. Illud etiam quòd non ait, Interrogavi eum quid vocaretur, & nomen suum non annuntiavit mihi, sed ait, *Interrogavi unde esset*; videtur inconsequens quod addidit, *& nomen suum non annuntiavit mihi.* Non enim nomen ejus interrogaverat, cùm quæreret unde esset, sed locum vel civi- E tatem, cùm hominem putaret. Nam & hominem Dei eum appellavit, specie tamen vel habitu Angelo similem, hoc est, quia tam præclarum vidit, sicut ipsa narravit. Sed si ita distinguatur; *Et interrogabam eum unde esset, & nomen suum*, ut subaudiatur, interrogabam eum, & postea inferatur, *non annuntiavit mihi*, non habet quæstionem: ad utrumque enim referri potest, quod ait, *non annuntiavit mihi*, id est, nec unde esset, nec nomen suum.

Quæst. LII. Judic. 13. 7. Item quod ait eadem mulier, dictum sibi esse ab Angelo, quoniam *Nazaræus Dei erit puer à ventre usque ad diem mortis suæ*, non legitur ab Angelo dic-
Ibidem 5. tum. Et quod legitur dictum, *Ipse incipiet salvum facere Israël de manu Philistiim*, non est à muliere commemoratum. Itaque & aliquid non dixit, quod audivit; & tamen nihil credenda est dixisse, quod non audivit: sed Scripturam potiùs non omnia verba Angeli posuisse, cùm ipsum mulieri loquentem insinuaret narrationi. Ideo autem dictum est, *à ven-* G *tre usque ad diem mortis suæ*; quia Nazaræi dicebantur in Lege ad tempus qui votum habebant, se-
Num. 6. 2 cundùm ea quæ Scriptura per Moysen præceperat.
Judic. 13. 5. Unde est hoc, quod huic jussum est, ut ferrum non adscenderet in caput ejus, & vinum & siceram non biberet. Hoc enim totâ vitâ suâ observavit Sampson, quod illi qui vocati sunt Nazaræi certis diebus observabant, voventes votumque reddentes.

Quod dicit Scriptura, *Quoniam ignoravit Ma-* Quæst. LIII.
nue, quia Angelus Dei est, manifestum est etiam Judic. 13. 16.
ejus uxorem hominem credidisse. Quòd ergo ei dixit, *Vim faciamus tibi nunc, & faciamus in conspe-* v. 15.
ctu tuo hœdum caprarum, tamquam hominem invitavit, sed ita ut hoc cum illo epularetur, quod sacrificium fecisset. Nam facere hœdum caprarum non solet dici, nisi cùm fit sacrificium. Denique & ille ita respondit, *Si vim feceris mihi, non manduca-* v. 16.
bo de panibus tuis: ubi ostendit se fuisse ad epulas invitatum. Deinde addidit, *Et si feceris holocaustum, Domino offeres illud.* Utique ideo dixit, *Si feceris holocaustum*, quia ille dixerat, *Faciamus in conspectu tuo hœdum caprarum.* Non autem omne sacrificium holocaustum erat: nam de holocausto non manducabatur, quia totum incendebatur, & ideo vocabatur holocaustum. Sed Angelus etiam non manducaturus, holocaustum potiùs fieri admonuit, non tamen sibi, sed Domino: propter hoc maximè, quia gens Israël illo tempore consueverat, quibuslibet diis falsis sacrificare: unde & tunc offenderat Deum, ut traderetur inimicis per quadraginta an- v. 1.
nos.

Quid sibi vult, quòd postea quàm manifesta- Quæst. LIV
tus est Manue & uxori ejus Angelus, qui cum eis Judic. 13. 22.
loquebatur, dixit idem Manue uxori suæ, *Morte moriemur, quoniam Deum vidimus*: ex illa scilicet Legis sententia, ubi scriptum est, Nemo potest fa- Exod. 33. 20.
ciem meam videre & vivere. Opinabantur ergo ut homines, Deum se vidisse, tanto utique miraculo facto, quod in igni sacrificij stetit, qui cum illis priùs quasi homo loquebatur. Sed Deum in Angelo, an Deum ipsum Angelum appellabant? Sic enim scriptum est, *Et sumsit Manue hœdum capra-* Judic. 13. 19.
rum, & sacrificium, & obtulit super petram Domino 20. & 6.
mirabilia facienti, & Manue & uxor ejus exspectabant. Et factum est dum adscenderet flamma desuper altare ad cœlum, & adscendit Angelus Domini in flamma. Et Manue uxorque illius exspectabant: & *ceciderunt super faciem suam super terram. Et non ap-* E *posuit ultra Angelus Domini apparere ad Manue & ad uxorem ejus. Tunc cognovit Manue quoniam Angelus Domini est: & dixit Manue ad uxorem suam, Morte moriemur, quoniam Deum vidimus.* In his ergo verbis quia non dixit, Morte moriemur, quoniam Angelum Domini vidimus, sed, *Deum vidimus*, oritur quæstio, utrùm in Angelo intelligebant Deum, an eumdem Angelum Deum vocabant. Illud enim tertium, quod Deum putaverant qui erat Angelus, dici non potest, apertissimè dicente Scripturâ, *Tunc cognovit Manue quoniam Angelus Domini est.* Sed unde metuebat mortem? Non enim Scriptura in Exodo dixerat, Nemo vi- Exodi 33.
det faciem Angeli, & vivet, sed, faciem meam 20.
dixit, cùm Deus loqueretur. An & in hoc ipso quod in Angeli præsentia Manue, ita perturbatus est, ut mortem timeret? Quod autem illi uxor sua respondit, *Si vellet Dominus mortificare* Judic. 13. 23.
nos, non accepisset de manu nostra holocaustoma & sacrificium, nec illuminasset nos omnia hæc; sed nec audita fecisset nobis hæc: utrùm ipsum Angelum crediderunt accepisse sacrificium, quia viderunt eum in altaris flamma stetisse: an per hoc intellexerunt accepisse Dominum, quia hoc fecit Angelus, ut se ostenderet Angelum? Quodlibet autem horum sit, jam tamen Angelus dixerat, *Si autem facis holocau-* v. 16.
stum, Domino offer illud, hoc est, non mihi, sed

Domino. Quòd ergo stetit Angelus in altaris flam-
ma, magis significasse intelligendus est illum ma-
Isaiæ 9. 6. gni consilij Angelum in forma servi, hoc est, in ho-
mine quem suscepturus erat, non accepturum sa-
crificium; sed ipsum sacrificium futurum.

Quæst. LV. Iudic. 15. 8. Quid est quod dictum est, quòd *percussit alie-*
nigenas Sampson tibiam super femur? Quis enim ha-
bet tibiam super femur, cùm tibia deorsum versùs
non sit, nisi à genu usque ad talum? Deinde si lo-
cum corporis significaret, ubi eos vulneravit, num-
quidnam omnes quos percussit, in uno corporis
loco fuerant vulnerati? Quod si esset credibile,
possemus forsitan suspicari eum pugnasse tibiâ ali-
cujus animalis tamquam fuste, & eâ illos super fe-
mur percussisse: sicut de illo scriptum est, quòd
v. 15. maxillâ asini mille occiderit. Sed neque illud, ut
dixi, credibile est, quòd pugnans unum tantùm
locum observaverit ubi eos percuteret: & non ait
Scriptura, Percussit eos tibiâ super femur, sed, *ti-*
biam super femur. Nimirum ergo inusitata locutio
facit obscuritatem. Ita enim dictum est, ac si dice-
retur, Percussit eos valde mirabiliter, id est, ut
admirando stupentes tibiam super femur ponerent:
tibiam scilicet unius pedis super femur alterius, sicut
solent sedere, qui mirando stupent. Tamquam si
diceretur, Percussit eos manum ad maxillam, id
A est, tanta cæde, ut manum ad maxillam tristi ad-
miratione ponerent. Hunc sensum ita se habere
etiam interpretatio, quæ est ex Hebræo, satis edo-
cet. Nam ita legitur, *Percussit eos ingenti plagâ, ita* Vulgata.
ut stupentes suram femori imponerent. Tale est enim,
ac si diceret, tibiam femori imponerent: quoniam
sura utique retrorsus cum tibia est.

Quid est quod ait Sampson viris Juda, *Iurate* Quæst. LVI.
mihi ne interficiatis me vos, & tradite me eis, ne fortè Iudic. 15. 12.
occurratis in me vos? Quam locutionem ita nonnulli
B interpretati sunt, *ne fortè veniatis adversùm me*
vos. Sed hoc eum ne ab his interficeretur dixisse, il-
lud indicat, quod in Regnorum libro scriptum est,
jubente Salomone ut homo occideretur, & dicen- 3. Reg. 2. 29.
te, Vade occurre illi. Quod ideo non intelligitur,
quia non est consuetudinis apud nos ita dici. Sic
enim quod militares potestates dicunt, Vade alleva
illum, & significat, occide illum, quis intelligat
nisi qui illius locutionis consuetudinem novit? So-
let & vulgò apud nos dici,[a] Compendiavit illi: quod a
C est, occidit illum. Et hoc nemo intelligit, nisi qui
audire consuevit. Hæc est enim vis generalis om-
nium locutionum, ut quemadmodum ipsæ linguæ,
non intelligantur, nisi audiendo vel legendo dis-
cantur.

[a] In excusis scribebatur, *Compediavit.* At in plerisque ac melioris notæ MSS. *Compendiavit.*

DE SUBSEQUENTI OPERE.

Lib. II. Retractationum Caput XIII.

Liber cujus est titulus, *Adnotationes in Iob*, utrùm meus habendus sit, an potiùs eorum qui eas, sicut potuerunt vel voluerunt, redegerunt in unum corpus descriptas de frontibus codicis, non facilè dixerim. Suaves enim paucissimis intelligentibus sunt, qui tamen necesse est offendantur multa non intelligentes; quia nec ipsa verba, quæ exponuntur, ita descripta sunt in multis locis, ut appareat quid exponatur. Deinde brevitatem sententiarum tanta secuta est obscuritas, ut eam lector vix ferre possit, quem necesse est plurima non intellecta transire. Postremò tam mendosum comperi opus ipsum in codicibus nostris, ut emendare non possem, nec editum à me dici vellem, nisi quia scio fratres id habere, quorum studio non potuit denegari. Hic liber sic incipit: *Et opera magna erant ei super terram.*

Ætatem subsequentis opusculi non hîc significavit Augustinus, nisi ipsa Retractationum serie, in qua locum illi opusculo medium tribuit inter libros circiter annum 400. elaboratos, recensuitque illud aliquanto ante opus, quod contra Petiliani litteras, Anastasio in Romana cathedra sedente ex lib. 2. c. 51. adeoque non seriùs anno 402. conscriptum fuit.

S. AURELII

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
ANNOTATIONUM IN JOB,
LIBER UNUS. *

* Scriptus versùs Christi annum 400.

In Caput I. Et opera magna erant ei super terram: A
quia operabatur de ipsis operibus.
v. 3. v. 4. * *Faciebant convivium quotidie, do-*
nec eorum numerus impleretur. Signum
v. 5. est caritatis. * *Et offerebat pro eis*
victimas, secundùm eorum numerum.
Intelligendum, alias esse peculiares confessiones,
quasi singulas victimas; aliud verò sacrificium pro
omnium & pro omnibus peccatis, quod significat
a [a] dicens: *Ne fortè peccaverint filij mei, & maledixe-*
rint Deo in cordibus suis. Bene additur, *Ne fortè*; B
v. 6. quia in corde eos maledixisse suspicabatur. * *Et ecce*
venerunt Angeli Dei, ut starent coram Deo. Affectio
animæ ad veritatem non potuit aliter narrari, nisi
temporaliter & localiter quodam modo diceretur.
Et venit equidem diabolus cum eis. Utrùm quia non
potuit, nisi per eos audire, dictum est, *cum eis.*
v. 7. * *Et dixit Dominus diabolo, Unde ades?* Collatio
præteritæ actionis cum eo, unde permittitur aliquid
deinceps agere, responsio ad interrogationem est:
ipsa verò interrogatio vis divina est, in qua non per- C
Sap. 1. 9. mittitur agere quod libet. In cogitationibus enim
impij interrogatio erit, ad manifestandum eum no-
Job. 1. v. 11. bis. * *Sed mitte manum tuam, & tange omnia quæ*
habet: da potestatem. *Nisi in faciem tuam benedixe-*
rit tibi. Pendens locutio, id est, Si non tibi in fa-
ciem benedicet tactis rebus suis, quasi subaudire-
v. 12. tur, quid jubes? * *Et discessit diabolus à facie Domi-*
v. 15. *ni:* à consultatione ad actionem. * *Et venerunt hostes*
Eph. 2. 2. *& ceperunt eos.* Secundùm illud, Qui nunc opera-
tur in filiis diffidentiæ, etiam istos excitavit. No- D
tandum autem, quomodo in hominibus habuerit
potestatem, & in elementis, sed tamen datam à
v. 21. Deo. * *Nudus exij de utero matris meæ.* Notandum
b quàm [b] consolatoriè loquatur, quamvis secundùm
In Caput II. consuetudinem luctum fecerit. * *Ecce trado illum tibi,*
tantùm animam ejus custodi: ne vitam eripere posse
v. 6. v. 8. præsumeret. * *Et tulit sibi testam, ut raderet saniem.*
Per passionem Domini significat radi peccata con-
In Caput III. fitentium. * *Et nox in qua dixerunt, Conceptus est homo.*
v. 3. Aliquæ superiores potestates, quæ hoc scire po- E
v. 4. tuerunt. * *Nox illa sint tenebræ.* Ne patiatur jam
quæ passus est: *Nox illa sint tenebræ:* id est, sit
oblivioni. *Neque requirat eam Dominus desuper.* Non
reparetur per immortalitatem, id est, pereat mor-
talitas. *Nec veniat in eam lumen:* lumen memoriæ.
v. 5. * *Sed excipiant illam tenebræ & umbra mortis:* vita
ista, quæ umbra est futuræ pœnæ; ut sit sensus, Ju-
stus qui lumen est, non eam videat, sed tenebræ,
hoc est peccatores & carnales tribulationes de vita
ista. *Et conturbent eam, quasi amaritudines diei:* præ-
cepta bonæ vitæ, vel dies judicij, quibus pertur-
bantur carnales. * *Et noctem illam accipiant tenebræ:* v. 6.
perpetuæ. *Non sit in diebus anni:* justis spiritalibus
qui sole fruuntur, & majores sunt. * *Sed nox illa sit* v. 7.
dolor: quia dolorem facit diligentibus se. * *Neque* v. 6.
numeretur in diebus mensium. Justi in Ecclesia prop-
ter lunam tamquam minorem: ad quos dicitur, Et 1. Cor. 3. 1.
ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritalibus,
ut ipse Paulus sit de diebus anni. * *Sed maledicat* Job. 3. v. 8.
illam maledicens illi diei: Dominus, qui maledicet
amantes carnalia. * *Tenebrescant sidera noctis illius:* v. 9.
eminentes in peccatis. *Permaneat, & in lucem non*
veniat. Quia non convertentur, dicit per [c] pro- c
phetiam. * *Quia non conclusit portas ventris matris* v. 10.
meæ: civitatem terrenam, quam significat Baby-
lon. Concluderentur enim portæ, si non laudare- Psal. 9. 24.
tur peccator in desideriis animæ suæ. * *Quare enim* Job. 3. v. 11.
in ventre non obij? antequam eminerem tibi per ali-
quam actionem. Conceptus enim ad spem perti-
net. *Ex utero exij, & non protinus perij?* Hujus ergo
figura intelligenda est in his verbis, qui in talibus
concupiscentiis fuerat inveteratus. * *Et ut quid con-* v. 12.
stiterunt mihi genua: ut ibi confirmarer? *Quare ube-*
ra suxi? doctrinæ nutrientes ad nequitiam. * *Nunc* v. 13.
utique dormiens quiescerem: moriendo huic mundo.
* *Cum regibus honoratis terræ:* in Ecclesia. *Qui glo-* v. 14.
riabantur in gladiis. Unde est, Et gladium spiritus, Eph. 6. 17.
quod est verbum Dei. * *Aut cum principibus, quibus* Job. 3. v. 15.
multum fuit aurum: sapientia. *Qui compleverunt do-*
mos suas argento: eloquio Domini. * *Aut tamquam* v. 16.
abortivum prolapsum de vulva matris: ut numquam
emineret. *Aut tamquam infantes qui non viderunt*
lucem: ad nobilitatem aliquam non pervenerunt.
* *Ibi impij deposuerunt furorem suum:* in morte ab v. 17.
hoc mundo. *Ibi requieverunt fatigati corpore:* aut
fatigati corpore non animo, aut finem corporalium
consecuti. * *Non audierunt vocem exactoris.* Judex v. 18.
tradet te exactori, inde est: hoc est, donata illis Luc. 12. 58.
esse peccata: de impiis quippe dicebat. * *Pusillus &* Job. 3. v. 19.
magnus ibi est. De uno dictum puto bene intelligi,
secundùm illud quòd qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 14. 11.
* *Et servus non timens Dominum suum.* Sive secundùm Iob. 3. v. 19.
illud, Vis non timere potestatem, bonum fac: sive Rom. 13. 3.
secundùm illud, Consummata dilectio foras mittit 1. Johan. 4. 18.
timorem. * *Ut quid enim datur eis, qui in amaritudine* Job. 3. v. 20.

[a] Sic MS Regius. At Victorinus codex, *quod significat Deum.* Am Er. & duo MSS. *quod significat Dominum.* Lov. *quod significat ante Dominum.*

[b] Duo MSS. *quàm consolatoria.*

[c] Editi, *per Prophetam.* At MSS. *per prophetiam.*

sunt lux? peccatorum honor. *Et vitæ animabus quæ sunt in doloribus?* in dolorum materia, hoc est in
v. 21. peccatis. * *Quæ desiderant mortem, & non contingit illis:* [a] adeptionem fructus peccati. * *Mors viro re-*
v. 23. *quies, cujus vita abscondita est:* vel quia coram Deo vel quia paucis nota. De ea verò jam morte accipiendum, per quam morimur mundo. In illa enim non est requies. *Conclusit enim Deus adversùs eum:*
v. 24. non eum dando in desideria cordis sui. * *Ante escas quippe meas gemitus adest.* Ante gaudium ciborum Dei tribulationes præcedere. *Et fleo coartatus timore:* videns, quia evitare non possum quæ timui.
v. 25. * *Timor enim, quem verebar, venit mihi:* adversa quæ
v. 26. de misericordia Dei ad correptionem fiunt. * *Neque in pace, neque in silentio, neque in requie.* Falsa enim fuerunt, propter quæ timebat. *Venit enim mihi ira:* vindicta, secundùm quam justus vix salvus fit.

In Caput IV. v. 2. v. 6. VERBA Eliphaz. * *Pondus autem verborum tuorum quis sustinebit?* Hic ergo dicit se cogi ad loquendum, quia non sustinet dicta ejus. * *Nonne timor tuus stultus est?* Paratus enim ad hæc esse debueras, si aliis veraciter suadebas. Nec talia bene timuisti, cùm diceres, Timor enim quem verebar venit mihi. *Et spes tua & simplicitas* * *vitæ tuæ quasi stultitia:*
v. 10. qua ista bona putantur. * *Fremitus leonis & vox leænæ.* Ipse diabolus & superbiæ civitas, quæ sæpe etiam bestiæ more à Prophetis ponitur. *Et gaudium draconum exstinctum est:* superborum & insidiosorum. * *Myrmicoleon periit, eo quòd non haberet escam.*
v. 11. Quia in novissimo non erunt, quos inducens comedat. Separabuntur enim pij ab impiis. Hic autem errat, quòd ea quæ de diabolo audierat prophetata, de Job intelligebat. Myrmicoleon verò accipiendus est, vel quia utrumque in eo est, cùm & rapit & occultè persequitur frumenta, quæ sublato oculo facit non germinare; vel quia avaris & in terra thesaurizantibus dominatur; vel quia justos persequitur, quasi formicas præparantes sibi escas æstate ad hyemem, quibus non pascetur, cùm boni ab impiis fuerint separati. *Et catuli leonum divisi sunt ab invicem.* Conspiratio principum civitatis illius dissipata est, qui nati sunt de illa societatis civitate & diabolo: vel quia se invicem vastaverunt.
Marci 13. 8. Inde est, Exsurget gens [b] contra gentem. * *Nihil*
Job. 4. v. 12. *horum tibi accidisset:* vel illa damna & orbitas & plaga vulneris; vel te non penetraret dolor animi, quia & te consolareris, si aliis ex corde dixisses. *Numquid non capit auris mea ab eo magnifica?* Quia
v. 15. ista quæ dicit, ex revelatione se dicit dicere. * *Et spiritus in faciem mihi occurrit.* Quasi flatum sensisse vult intelligi: nam negat in consequentibus fuisse figuram. Reminiscendum ita etiam Spiritum in
v. 17. Apostolos descendisse. * *Quid enim? numquid homo coram Domino mundus erit?* Aut hæc audisse se dicit, aut dicit ideo se horruisse, quia nemo mundus coram Domino; [c] aut ideo sic vidisse, quia nemo coram Deo ita mundus est, ut Deum ut est videat. Modò mundus secundùm perfectionem accipiendus, ut quod superiùs negat mundum hominem perire, secundùm quemdam modum intelligamus.
v. 18. * *Si contra servos suos non credit.* Quod evenit cùm
3. Reg. 19. 14. & 18. diceret Elias, Domine, Prophetas tuos occiderunt. Et dicit illi, Reliqui mihi septem millia virorum. Non enim inde septem millia virorum jam munda

a In editis, *adeptionem.* In MSS. *adeptionem.*
b Am. Er. & plerique MSS *Exsurget gens supra vel contra gentem.* Evangel. in Græco, Ἐγερθήσεται ἔθνος.

erant. Nam Angeli dicti sunt & Prophetæ. * *Et ad-* Job. 4. 18.
versùs Angelos suos pravum quid reperit. Vel quod adversùs eos dicitur, vel quod ipsi dicunt. Hoc tamen potest etiam de veris Angelis accipi. * *Habi-* v. 19.
tantes autem domos luteas: quorum conversatio non est in cælis. *Percussit illos tamquam tinea.* Aut aliqua corruptio percussit eos tamquam tinea, aut Deus eos percussit: vel hac tineâ, vel sicut percutit tinea, hoc est, latenter intrinsecùs corruptione ab eis ipsis exorta per concupiscentias carnales, hoc
B est habitatione in domibus luteis. * *Et à manè usque* v. 20.
ad vesperam ultra non sunt. Aut ultra sæculum hoc non sunt, aut à prosperis rebus usque ad tribulationem: pœnam enim consecuti sunt. *Eo quod non possent sibi ipsis subvenire perierunt:* cùm in se habent spem. * *Interierunt, quia non habebant sapientiam:* v. 21.
non in se sperandi. * *Invoca autem, si quis tibi respon-* In Caput V.
deat. Illis enim respondetur, qui mundi sunt coram v. 1.
Deo. * *Etenim stultum perimit ira:* indignatio, qua v. 2.
quisque angitur, tamquam iniquè sibi aliquid acciderit, dum non cogitat usque adeo se immundum esse coram Deo, ut invocanti non Angeli respondere, aut se demonstrare dignati sint. Qui enim hoc non cogitat, stultus est, & irâ irrationabili interimitur. Aut idcirco Angelos non audire, non videre potest stultus, quia irâ interemtus est, & à zelo occisus. *Errantem autem occidit zelus:* ad imitandum
C peccatores. * *Ego autem vidi stultos, radicem mitten-* v. 3.
tes. Stultos nunc impios accipiendum, ut è contrario sapientia hominis pietas sit, sicut in consequentibus dicitur. * *Et conterantur super januas infirmorum:* v. 4.
D humilium, cùm recepti fuerint in cubiculum à spon- Matth. 23.
so, & stulti foris remanserint. * *Quæ enim illi con-* Job. 5. v. 5.
gregaverunt, justi comedent. Et de Judæis potest intelligi, congregantibus prophetias, quas gentiles potiùs comederunt: & de his qui facientes comedunt, quæ alij præcipiunt & non faciunt. *Ipsi verò de malis non liberabuntur:* quamvis prædicent non esse facienda. * *Exhauriatur fortitudo eorum:* qua su- v. 6.
perbiunt adversùs infirmos. Exhauriatur autem, ut jam incipiat laborare. *Non enim prodiet de terra*
E *labor:* id est, de creatura non conquerantur, sed de se. * *Sed homo in labore nascitur.* Secundùm id v. 7.
dictum est, *nascitur*, secundùm quod in laboriosam vitam ex quieta quisque convertitur. *Pulli autem vulturis altissimè volitant.* Vultur bene intelligitur Dominus, quia altitudine prophetiæ vidit mortalitatem nostram, qua descendens pasceretur, convertens nos in corpus suum. Pulli ergo vulturis, filij sponsi dicti sunt: altissimè autem volitantes, con-
F versationem in cælis habentes, ut à labore liberen- Phil. 3. 20.
tur in quo homo nascitur. Secuti sunt quippe vocem dicentis, Venite ad me omnes qui laboratis. Matth. 11.
Possunt & pulli vulturis in malo intelligi aëriæ po- 28.
testates, quæ moribus, hoc est peccatis pascuntur. Quoniam hujusmodi prævaricatores angeli non sunt deducti ad humilitatem mortalitatis multùm laboriosam, in qua homo nascitur, valde illi superbiunt, hoc est, altissimè volitant. * *Qui dat* Job. 5. v. 10.
pluviam super faciem terræ: tamquam confitentibus
G faciat misericordiam. * *Vt non faciat manus eorum* v. 12.
veritatem. Non faciant quod promittunt, minantes dominari infirmis. * *In die occurrent illis tenebræ:* ut v. 14.
Judæis, qui Dominum non cognoverunt quis esset. *Aut tamquam in nocte palpabunt in meridie:* sicut vi-

c In excusis excciderant isthæc verba, *aut ideo sic vidisse, quia nemo coram Deo ita mundus est:* quæ huc revocantur ex MSS. Floriacensi & Beccensi.

dentes signa, tamen dubitant dicentes, Propheta A
Johan. 7. 12. est; alij, seducit populum: quando nec ad lucer-
Job. 5. 15. nam videre voluerunt. * *Et pereant in bello:* in tentationibus. *Et egrediatur de manu potentis infirmus:*
v. 16. diaboli. * *Sit autem infirmo spes.* Illi enim fortes rem
v. 17. hîc quærunt. * *Beatus autem vir quem arguit Dominus.* In hoc enim errat, quia videtur sibi [a] Job, quia
a iniquitatibus suis hæc patiatur, cùm ex hoc beatus sit, quia in hac vita cùm arguitur, habet corrigen-
v. 19. di possibilitatem. * *Et in septimo non te tanget malum.*
v. 20. Sacramentum sabbati. * *In fame te liberabit à morte.* B
Verbo enim alit, & facit firmum ad tentationes. *In prœlio verò de manu ferri solvet te:* de potestate vin-
v. 21. culorum. * *A flagello linguæ abscondet te:* ne sentias
v. 22. contumelias, [b] non ne patiaris. * *Injustos & iniquos*
b *deridebis*, ut sapientia perditionem iniquorum irri-
Prov. 1. 26. debit. *Et feroces bestias non timebis:* id est, Judæos non timebis: quia tibi gentes obaudient. Hæc autem de Domino accipienda sunt. Eliphaz hic errat, quia putat de Job intelligenda, quæ ei revelata sunt,
Iob. 5. v. 23. cùm totum Domino competat. * *Quia cum lapidi-* C
bus agri habebis fœdus. Lapides agri, quia in gentibus nulla ordinatio Legis fuit, ut quasi de ædificio lapides essent. *Bestiæ enim feræ pacatæ erunt tibi.* Sive
v. 24. de Judæis, sive de gentibus. * *Deinde scies quòd in*
v. 25. *pace erit domus tua:* id est, Ecclesia. * *Et filij tui*
erunt tamquam omnis herba in campo: sine ariditate.
v. 26. * *Et venies in sepulcrum tamquam frumentum matu-*
v. 27. *rum:* post passionem. * *Ecce hæc ita exquisivimus.* Hîc auctoritas hujus prophetiæ confirmatur. *Tu verò scito temetipsum, quid egeris.* Non enim injustè D
hæc tibi Deus permisit accidere.

In Caput VI. v. 3. VERBA Job. *Sed ut videtur, verba sunt mala.* Non enim verba Job de impatientia sunt flagellorum, cùm significent dolorem, non peculiarem Job, sed quem habuit de omni genere humano.
v. 4. * *Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt.* Verba Dei, quibus anima transfigitur, cùm cogitur ad confessionem. *Quarum furor bibit sanguinem meum.* Tollunt enim peccatum. *Cùm enim incipio loqui, sti-*
v. 5. *mulant me.* Quòd enim loquor, illæ cognt. * *Quid* E
enim? Numquid frustra onager clamabit, nisi escam requirens? ut inde famem patiatur, quia liber esse voluit. *Aut bos mugiet, cùm habeat in præsepi cibos?* Asino cibaria labore bovis præparantur, sicut gentibus labore Prophetarum & Apostolorum, qui utique Judæi fuerunt. Itaque hæc verba cibum desiderantis sunt, id est auxilium, non impatientis ad
v. 6. dolorem. * *Numquid potest sine sale edi panis?* Quasi ei diceretur, Cur sic ea per figuras dicis? Respondet, quia si ex persona sua ea diceret, insulsa essent. F
Aut est sapor in sermonibus vanis? Vanos sermones hominum dicit, quia panis verba Dei sunt, sed pa-
v. 7. nis cælestis. * *Sic nec anima mea potest cessare.* Quomodo non potest sine sale edi panis, sic nunc mini-
Rom. 10. 14. sterium præbeo verbo Dei: propter illud, Quo-
Job. 6. v. 7. modo audient sine prædicante? * *Fœtidæ enim escæ*
meæ video sicut est odor leonis. Nam verba mea fœtida sunt sicut leo: vel propter superbiam, per quam jactantes putent; vel propter quod amplexantes carnalia, fœtorem leonis habent, qui propriis ver- G
e bis gaudent. [c] * *Quòd si det, & veniat postulatio mea.*
v. 8. Postulationem dicit, rem quam petebat. *Et spem meam det Dominus.* Sic enim confidens ob spem

a Sic MSS. habent. Editi verò, *videtur sibi quòd Job.*
b Editi, *Nonne patieris injustos* &c. At MSS. *non ne patiaris. Injusto*s &c.
c Editi cùm versione Vulgata, *Quis det ut.* At MSS. *Quòd si det &.* Apud LXX. *Si enim det &.*

post tribulationem venturæ consolationis, opportunè tentatur. Bene autem spem dicit; quia cùm
v. 10. res venerit, jam tentatio non erit necessaria. * *Sit* apud
mihi civitas sepulcrum, super cujus muros saliebam. LXX.
Societatem illam Babyloniæ vult sibi sepulcrum: non ut eum obruat, sed ut sciat quia mortuos tegit quicumque in illa fuerint, de cujus tamquam firmamento & munimine superbiebat. *Non parcam.*
Non enim mentitus sum: verba sunt sancta Dei mei. Quia non alia dixit quàm audivit à Deo. Id est de homine generaliter prophetantis, quia auxilio indiget in confessione. * *Quæ est enim virtus mea, ut* v. 11.
sufferam? Quod significabat vulnus ejus. *Aut quod tempus meum, ut sustineat anima mea?* Quia imminente morte terrentur homines, ut convertantur, & confiteantur Deo putredinem peccatorum, cujus consideratione se dicit cogi ad confessionem.
* *Numquid virtus lapidum virtus mea?* Duros & im- v. 12.
penetrabiles jaculis verborum Dei, qui non moventur ad confitendum. * *Aut non in ipso confidebam,* v. 13.
C *cùm mihi bene esset:* id est, cùm essem immortalis ad imaginem Dei. *Sed adjutorium à me recessit.* Factus mortalis volens in me confidere. * *Et visitatio* v. 14.
Domini me despexit. Secundum quod dictum est, Aut filius hominis, quoniam visitas eum. * *Propin-* Psal. 8. 5.
qui mei non respexerunt me. Horrui angelis. *Tam-* Lib. 6. v. 13.
quam torrens deficiens. Misericordia enim aliquando inundavit me: & siccavi; & non fui mihi fons. *Aut sicut fluctus transierunt me:* tamquam sint consolationes potus. * *Qui me metuebant, nunc irruerunt su-* v. 16.
perme: diabolus cum angelis suis. * *Perij, & exsul de* v. 18.
domo mea factus sum: aut de habitatione cælesti, aut de conscientia. Idcirco foras extra domum suam sedebat. * *Viæ Themanorum videte, semitas* v. 19.
Sabæorum intuemini. Illos significat, qui in temporalibus confidunt, de quibus se, id est, hominem quem significat, dicit non præsumere. * *Nunc au-* v. 21.
tem & vos insurrexistis in me sine misericordiæ: putantes beatitudinem hominum, si carnalibus abundent. Quia insultabant, potiùs quàm compatiebantur. *Sed videntes vulnus meum, timete.* Intelligentes
E quid significet, timete futuras pœnas. * *Quid enim?* v. 22.
numquid aliquid vos petij, aut fortitudine vestra indi-
geo? Quia coram eo infirmus est, qui eum potest salvare. * *Docete me, & ego obmutescam.* Idcirco enim v. 24.
patientes debuerunt esse ad doctrinam ejus, quia ipsi eum docere non poterant. * *Sed, ut video, per-* v. 25.
væ veri hominis verba dicitis. Eum dicit verum hominem, qui personam significat agentis pœnitentiam, conversione ad Deum, cujus parva verba
F dicebant. *Non enim à vobis auxilium peto.* Verus enim homo à Deo petit auxilium. Ille enim verus est qui confitetur. Unde est, Qui facit veritatem, Johan. 3. 21.
venit ad lucem. * *Neque enim elocutionem sermonis* Iob. 6. v. 26.
vestri sustinebo. Dei enim se locutionem dixit sustinere, qua instruatur. * *Verumtamen super* [d] *pupil-* v. 27.
d *lum irruistis.* Quod ad vos pertinet, insultare mihi voluistis, quamvis non intellexeritis quid significet. Quia neque Job, quem videbant, insultare debuerant: ideo [e] *Verumtamen.* * *Nunc autem inspi-* v. 28.
e *cientes vacate mihi:* non habentes quod me doceatis. * *Et rursum justitiæ adestote.* Quia primò videban- v. 29.
tur sibi justitiâ cogi ad loquendum. * *Non est enim* v. 30.
in ore meo iniquitas, & fauces meæ nonne sapientiam

d Lov. *super pusillum.* Am. Er. & plures MSS. *super pupillum:* juxta Vulg. & LXX.
e Editi, *ideo veniunt tamen.* Regius codex, *ideo venerunt tamen.* Alij MSS. *ideo Verumtamen*, supple, dicit Job.

meditabantur. Dicit se non Deum accusasse, sed ho- A
minem induxisse accusantem iniquitates suas, sicut
superiùs sermo ejus intellectus est. Hanc dicit me-
In Caput VII. ditationem sapientiæ. * *Numquid non tentatio est vita*
v. 1. *humana super terram.* Hîc jam apertiùs ostendit,
ex cujus significatione superiùs loqueretur. Tenta-
tionem verò dicit tamquam stadium certaminis,
ubi vincit homo vel vincitur. *Et sicut quotidiani mer-*
cenarij vita ejus: temporalem mercedem exspectan-
tis, ut jam eorum qui justitiæ suæ fructum in futu-
v. 2. rum exspectant, non sit vita super terram. * *Aut* B
tamquam servus metuens Dominum suum, & conse-
cutus umbram. Quod significat absconditio Adæ à
Gen. 3. 8. facie Domini, & tectio foliorum de quibus umbra
Job. 7. v. 2. fit, quam relicto Deo consecutus est homo. * *Aut*
tamquam mercenarius, qui exspectat mercedem operis
sui. Iste à superiori, hoc differt, quòd superior ha-
buit, hic autem habere desiderat ipsa temporalia.
v. 3. * *Sic & ego exspectavi menses vanos.* Jam ad umbram
dixit vanos, id est temporalia bona. *Et noctes dolorum*
datæ sunt mihi: in quibus & lux amittitur sapien- C
v. 4. tiæ, & materies est pœnarum. * *Si dormiero, dico,*
Quando dies? & si surrexero, rursum, Quando vesper?
Quando cupiditatem negotij patitur homo in otio,
& otij in negotio. *Repleor autem doloribus à vespere*
usque ad manè: quo occidit à Deo. Unde & ad ves-
Gen. 3. 8. peram deambulans Deus eos dimisit: quod signi-
ficat dolentes, quibus nulla exspectatio est reme-
Psal. 5. 5. dij, nisi manè. De quo dicitur, Manè adstabo ti-
bi, id est quando post judicium manè Deus reve-
Joh. 19. & 20. labitur justis. Unde & Dominus vespere sepelitur, D
& manè resurgit. Hanc ergo vitam tamquam lu-
Job. 7. v. 5. cifero potest comparare. * *Et concrescit corpus meum*
a *putredine vermium:* vermium multitudine. * [a] *Infun-*
do glebas terræ, radens saniem. Expressio cupidita-
tum vel curarum confessionis, in qua gaudent ini-
qui; quòd ad occasionem redigunt peccandi, quæ
Luca 16. 21. alij per pœnitentiam confitentur: unde sunt canes,
Job. 7. v. 6. qui Lazari vulnera lingebant. * *Et vita mea exilior*
est quàm loquela. Minùs enim facio quàm loquor.
v. 7. *Recordare ergo, quia spiritus est vita mea:* id est, E
b [b] in fame spiritali. *Et non revertar ad visibilia.* * *Non*
v. 8. *me cognoscet oculus videntis:* quia mutabor: ut *viden-*
tem hîc, diabolum accipiamus invidentem. *Oculi*
tui in me, & non subsisto. Interficis enim in me vitam
v. 9. carnalem, in qua fui. * *Tamquam nubes expurgata*
de cælo: aut per cælum purgata; quomodo dicimus
de ferro purgata: ut hîc significaverit auxilium si-
bi fuisse de cælo, ut purgaretur: aut certè ut jam
non sit nubes, sed in aërem purum extenuetur,
tamquam radiis solis expurgata, ut obscuritas car- F
1. Cor. 15. 50. nis & sanguinis non sit in cælo. Non enim caro &
sanguis regnum Dei possidebunt, cùm corruptibi-
le hoc induerit incorruptionem, & absorbebitur
Job. 7. v. 9. mors in victoriam. * *Si enim homo descenderit ad infe-*
ros, ultra non adscendet. Ad hoc ergo recordare, ut
v. 10. non descendas. * *Et non revertetur ampliùs in domum*
v. 11. *suam:* id est, ad requiem suam. * *Propterea itaque*
& ego non parcam ori meo: confitendo cùm tempus
v. 12. est. * *Vtrùmne mare sum ego, aut draco.* Non enim
sicut impios aut diabolum repulisti. *Quia statuisti su-* G
per me custodiam: ut non me moveam ad perturba-
v. 13. tionem, ut sunt maris termini. * *Quia dixi, consola-*
bitur me lectus meus: carnalia, in quibus requiesce-
bat. *Et referam ad meipsum consolationem in thoro meo.*
Ad te enim debeo referre consolationem meam.

A * *Exterres me per somnia, & per visionem me obstupe-* v. 14.
facis: per tribulationes vitæ hujus, quæ ita somnia
sunt, quomodo & bona vitæ hujus somnia. * *Ab-* v. 15.
solves à spiritu meo animam meam: propter visibiles
terrores, à quibus liberabitur anima metuens venire
ad eos. *Et à morte ossa mea repuli.* Nam ierant in
mortem ossa mea, nisi his exterritus fortior essem
& patiens, quod est ossium firmitas. * *Non enim in* v. 16.
sempiternum vivam, ut patienter feram. Brevitate vi-
tæ, & metu mortis me correxi. Unde inconvertibi-
B lis diabolus, quia non moritur, sed damnatur. Ini- Eccli. 1. 16.
tium sapientiæ timor, inde est. * *Discede à me, va-* Job. 7. v. 16.
na est enim vita mea: quia non suffero tentationes.
* *Aut quia sensu tuo intendisti in eum:* propter quod v. 17.
rationalis est. Unde illud, Nos autem sensum Domi- 1. Cor. 2. 16.
ni habemus. Rationis verò munus dicit extensionem
intellectus. * *Et in requie judicabis eum:* dignum re- Job. 7. v. 18.
quie. * *Vsquequo me non dimittis?* vinctum tribu- v. 19.
lationibus. *Neque deseris, donec deglutiam salivam*
meam? in dolore ac flagellis contineam & absor-
C beam voluptatum fluxus, per tribulationes admo-
nitus. * *Si ego peccavi, quid possum tibi facere?* Sensus v. 20. &c.
hic est, Si peccavi, nihil possum tibi facere. An for-
tè loquendo molesti tibi sunt homines? Tu ergo qui
scis sensum, quare constituisti hominem, ut loque-
retur adversùs te, ut esset tibi oneri? Si autem pec-
catum hominis, nec facto nec dicto tibi nocet, qua-
re non oblivisceris peccatum ejus, sed purgas illud
potiùs? nisi quia illa quæ suprà dicta sunt, ad boni-
tatem tuam referuntur. * *Quid est enim homo, quòd* v. 17.
D *exaltasti eum*, &c. Quæ non intelligentes amici
ejus, putaverunt ab eo Deum reprehendi. Si enim
non propterea facis mihi tentationes ut cohibeam
fluxos motus meos, ut mihi ita consulas, quæ alia
caussa est, ut corripias hominem? Non enim no-
cere tibi potest, quia peccat: aut sentis quasi ad-
versitatem loquelæ ejus, cùm scias sensum huma-
num, & utique posses, quod tibi adversarium est,
non constituere. * *Et quare non es oblitus iniquitatis* v. 21.
meæ? Si non ea caussa, ut mihi prodessent tenta-
E tiones istæ, ut bonitatis tuæ sit totum, & quòd me
corripis? *Nunc autem in terram ibo.* Cùm enim pur-
ges peccatum meum, restat mihi tamen adhuc in
terram ire per mortem corporalem. *Nam evigila-*
bo, & ultra non ero: in hac terra.
Verba Baldad Sauchitis. *Misit in* [c] *ma-* In Caput VIII.
nu iniquitates eorum. In manu misit, aut in vindicta, v. 4.
aut supputatione debitores eos, id est peccatores c
demonstravit. * *Et restituet tibi vitam justitiæ:* quæ v. 6.
debetur justitiæ, id est beatam. * *Et erunt priora tua* v. 7.
F *minima:* in comparatione posteriorum, quæ infi-
nita erunt. * *Aut numquid non hi docebunt te, & re-* v. 10.
ferent tibi. Quoniam nonnullorum major est aucto-
ritas. Jam & hîc de Christo dicturus audita narrat,
quomodo Eliphaz narravit revelationem. *Numquid* v. 11.
viret scirpus sine aqua. Ita ergo & impij arescent
sine misericordia Dei. * *Adhuc in sua radice consistit,* v. 12.
& non metetur: si aquam non habeat. *Antequam bi-*
bat omnis herba, nonne arescit? nisi bibat. non enim
aliquando viruit impius. * *Atque araneis complebi-* v. 14.
G *tur tabernaculum ejus:* opera inutilia. Jam verò de
Judæis & Domino videtur dicere. * *Quòd si & sufful-* v. 15.
serit domum suam, non stabit: aut Scripturis sanctis,
aut spe promissionis Domini, aut regnum ipsum.
Et cùm cœperit, non permanebit: sequi Deum; quod
Judæis evenit, qui secuti non sunt incipientes. * *Hu-* v. 16.

[a] Sic MSS. juxta LXX. At editi, *In fundo globos terra.*
[b] Er. & Lov. *in vita.* Am. & MSS. *in fame.*

[c] Editi, *in manum:* moxque, *aut supplantationem*, At MSS. *in manu:* juxta LXX. & postea, *aut supputatione.*

a *midus enim est ante solem:* carnalium fluxu [a] putres- A
centes. *Ante solem* verò, sub tribulationibus, ut
ante, sub significet, sicut dicimus, Ante me fac.
Et de putredine ejus germen ejus adscendet. Nisi enim
illi tam mali essent, non per passionem exaltaretur
Rom. 9. 5. Dominus, qui de illis secundùm carnem natus est.
Job. 8. v. 17. * *In congregationibus lapidum dormit.* Majores enim
illum crucifigent. *Et in medio lapillorum vivet:* hu-
v. 18. milium, de quibus fuerunt Apostoli. * *Si deglutie-*
tur, locus mentietur eum. Si absconderit quòd Filius
Dei sit, dicetur, quia non est Filius Dei. Opus est B
ergo ut ipse sese indicet: in hoc enim loco non pos-
v. 19. sunt divina cognosci. * *De terra autem alterum ger-*
minabit: vel Dominus resurgendo, vel alterum ge-
v. 20. nus piorum, id est Christianorum. * *Dominus enim*
non probabit innocentem. An, non reprobabit? Vel
illud, Impium non probabit innocentem. *Nec ul-*
lum munus: id est sacrificia, quæ habebant Judæi.
v. 21. * *Veracium autem os implebit risu:* confitentium. * *Et*
v. 22. *tabernaculum impij non permanebit:* vel ipsum tem-
plum, vel regnum. C
In Caput IX. Verba Job. * *Verè scio quia ita est:* id est, quia
secundùm iniquitates meas hæc mihi restituit: sed
v. 2. non sicut vos arbitramini: sed quia nemo est in
v. 3. conspectu ejus justus. * *Non respondebunt ei unum de*
v. 5. *mille.* In omnibus quippe convincet. * *Qui in vetusta-*
tem perducit montes, & nesciunt: id est ad infirmita-
Psal. 6. 8. tem; ut est, Inveteravi in omnibus inimicis meis.
Job. 9. v. 5. * *Qui vertit eos in ira.* Irascendo eos vertit, id est,
ut aliud inveniant quàm appetierant, cùm qui se
Luc. 14. 11. exaltat, humiliabitur. * *Qui commovet orbem à fun-* D
Job. 9. v. 6. *damentis:* per vocationem, quæ facta est, per quam
commoti sunt excellentes in mundo. *Et columnæ*
v. 7. *ejus movebuntur.* * *Qui præcipit soli, & non oritur:* ut
aut sapientia non intelligatur, aut qui scripserunt;
Dan. 12. 4. Job. 9. v. 8. ut est, Signa librum. * *Qui extendit cælum solus:*
Ecclesiam, quæ propriè Dei sedes est, quam ex-
tendit per totum orbem, *solus*, ad significandum
unitatem Trinitatis. Nam utique per Filium in Spi-
ritu sancto omnia facta sunt. *Et ambulat super mare*
tamquam super terram. Super terram, id est, firmi- E
ter confirmans Ecclesiam in sæculo, vel subjicien-
do sibi peccatores, in quibus non mergitur, non ce-
v. 11. dendo tentationibus eorum. * *Si transgressus me fue-*
* f. pertransierit. *rit, non videbo. Si altior me fuerit, aut celeritate* * *per-*
strinxerit me, non eum agnoscam. Opus est ergo, ut
& congruat infirmitati meæ, & non me deserat.
v. 12. * *Si enim morti tradiderit, quis avertet?* Morti enim
tradit, cùm vel transgreditur, vel transit ut nes-
ciatur. Hæc est mors animæ, ut Deum nesciat.
v. 13. * *Ipsius enim inavertibilis ira.* Aliorum enim potest F
b averti à potentiore. *Ab ipso subdita sunt* [b] *cetera sub*
cælo: excepto ipso cælo, id est rationali creaturâ;
quia si ipsa sibi cetera subdidisset, numquam per
ea, quæ sibi subdiderat, puniretur: quia verò
Deus ei illa subdidit, punitur per ea, quando of-
v. 15. fenderit eum qui subdidit. * *Quòd si etiam justus fue-*
ro, non exaudiet me: rogans eum, præsumens de mea
justitia. Comparans enim ea his quæ apud se sunt
incommutabilibus & perpetuis, tamquam injustum G
me non exaudiet. Ergo ejus mihi misericordia ne-
cessaria est. *Judicium ejus rogabo:* quia ego judicare,
1. Cor. 4. 3. non possum me justum esse. Unde est, Sed neque
meipsum judico, qui autem judicat me, Dominus
Job. 9. v. 16. est. * *Si verò invocavero, & non exaudierit; non cre-*

A *dam, quoniam exaudivit vocem meam.* Cùm judi-
cium ejus rogo, si non exaudierit, non credam quòd
vel aliquando exaudierit me: occultis enim caussis
me audivit, non merito deprecationis meæ. Aut
certè, non credam non me exauditum nunc: ali-
quando enim exauditus sum. Aut ita, Quia si exau-
dierit quod peto, credam etiam exauditum me:
nam si non credidero, quamvis fiat quod peto, ta-
men non exauditus sum: ut signum exauditionis
credulitas postulantis sit. * *Ne fortè in turbine me* v. 17.
B *conterat.* Propterea quæro judicium ejus, ne in tur-
bine me conterat. *Multas enim tribulationes meas*
fecit sine caussa: quorum caussa me latuit. Aut certè
confitentis vox est, flagellis Dei confitentis non se
esse correctum, & idcirco posse turbine conteri,
quasi majori supplicio. * *Non enim sinit me respirare:* v. 18.
tam multæ sunt tribulationes meæ. * *Etenim quia* v. 19.
potest, obtinet. Vincit, ut voluntatem ejus faciam,
non meam. * *Quòd etsi fuero justus, os meum impia* v. 20.
loquetur: si me justum putavero. * *Verumtamen au-* v. 21.
C *feretur vita mea.* Quamvis nesciam si impiè egi, ta-
men auferetur vita mea, ut patiar quæ nolo, aut
non faciam quæ volo. * *Vnum est quod dixi, magnum* v. 22.
& potentem disperdit ira. Id est, propter hoc unum
fiunt tribulationes hominibus, ut magnus sibi po-
tensque nemo videatur, præsumens de viribus suis.
* *Quia nequam homines in magna morte erunt:* non in v. 23.
mediocri, in qua sunt etiam justi, cùm tribulan-
tur, & ab eis deridentur. * *Terra tradita est in ma-* v. 24.
nus impij: aut corpus justorum non anima, cùm
D eos persequuntur, aut quando impius dominari per-
mittitur. Potest & accipi homo peccator in manus
diaboli secundùm mortalitatem suam. [c] *Faciens ju-* c
dicium ejus operit: aut ipsius impij judicium, aut ju-
sti: in hoc enim tempore opertum est. Aut certè
hoc ipso facit judicium ejus, id est, eo illum punit,
quo occultat ei providentiam suam: ut est, Præ Psal. 9.
magnitudine iræ suæ non requiret. Vel eo justum
vindicat, quo occultat persecutori ejus judicium
suum, id est providentiam suam, ut artiùs peccato-
E rum laqueis per impunitatem capiatur. * *Quòd si non* Job. 9. 24.
est, quis ergo est? Potest hoc de Domino intelligi,
qui & derisus est, & cujus terra, hoc est, corpus
traditum est in manus Judæorum, & cujus judicium
faciens occultavit majestatem ipsius. *Quòd si ipse*
non est, quis ergo est? qui majora faciat, quàm fecit
ipse. Vel sic, Quòd si non facit Deus judicium ju-
sti vel impij, quis potest facere? * *Vita autem mea* v. 25.
levior est cursore. Tamquam fugitivos dicit homines
à justitia discedentes: ut ille filius minor profectus Luca 15. 13.
F in regionem longinquam. * *Aut quasi aquilæ vo-* Job. 9. v. 26.
lantis, & quærentis escam. De superioribus, in qui-
bus naturaliter animæ rationales beatæ sunt, id est,
operibus justitiæ, inclinaverunt se ad terrenas vo-
luptates. * *Quod si & locutus fuero, obliviscor dum lo-* v. 27.
quor. Locutio, quemadmodum affectum habuit ad
exteriora, sic anima dum progreditur ad ea, quæ
foris sunt, cupiditate fruendi creaturâ, obliviscitur
interiorem Creatorem. *Declinans in faciem ingemis-*
G *cam.* Illam enim declinationem dolores sequun-
tur. * *Commoveor omnibus membris.* Timor, quo v. 28.
incipit recurrere. * *Et quia sum impius, quare non* v. 29.
sum mortuus, & laboro: Scio, subaudis. Aut dicit
se laborare, quia impietati mortuus non est. * *Et* v. 30.
mundatus fuero mundis manibus: aut Dei manibus,

[a] In excusis, *putrescens* In MSS. *putrescentes:* refertur ad Judæos.
[b] LXX. κάτω τὰ ὑπ' οὐρανὸν, *ceti qui sub calo.* Sed credimus labem allatam eorum versioni, quæ fortè habebat, κάθει τ ὑπερηφανίας, *adjutores superbiæ:* quod Hebræo textui consonat.
[c] Utebatur mendoso codice: nam apud LXX. legitur, *facies judicum.* In vers. Vulgata, *vultum judicum.*

aut suis, id est, bonis operibus per regenerationem.
v. 31 * *Satis in sorde me tinxisti*; in istum mortalitatem perductum. *Et exsecratum me est vestimentum meum:* im-
1. Cor. 5. 4. mortalitas, qua cupimus superveltiri: sed quia non possumus in hac corruptione, ideo dicit, *Exsecratum me est vestimentum meum.* * *Non es enim homo,*
Job. 9. 32. *sicut & ego, cui contradicam.* Homini enim possem demonstrare justitiam meam: in tuo autem judicio
v. 33. invenior injustus. * *Utinam esset nobis arbiter.* Vide-
1. Tim. 2. 5. tur blasphemare, nisi illum mediatorem Dei & hominum optare intelligatur, ut per eum alleget
preces suas. Hoc modo enim ille audit inter utrum-
Johan. 5. 22. que positus, & arguit hominem. Filio enim omne
Job. 9. v. 33. judicium Pater dedit. * *Et qui argueret, & qui audi-*
v. 34. *ret inter utrumque.* * *Avertat à me virgam suam.* Transeat timor Legis, ut adoptionis libertate & caritate
v. 35. illi conjungar. * *Non enim sum mecum:* quia his hæ-
In Caput X. reo, quæ foris sunt. * *Proferam contra me sermones.* Hæc confitentis sunt. * *Et dicam ad Dominum, Noli*
v. 1. *me docere impium esse.* Noli me tentare ultra quàm
v. 2. possum ferre, nec mihi sinas accidere, quibus mihi
v. 3. impietas persuadeatur. * *Aut bonum est tibi, si iniquè egero?* Non est autem tibi bonum, si iniquè egero:
non ergo injustè me ita constituisti. *Quia despicis opus, quod manus tuæ fecerunt?* Si quod despicis opus
manuum tuarum. *Ad consilium impiorum animadvertisti?* sed non ejus impietatis, quæ hominibus ap-
paret. Et, *Ad consilium impiorum animadvertisti?*
v. 4. non quia placet illi, ut iniquè agant. * *Aut sicut homo perspicit, perspicis?* quia utique non sicut homo
perspicis; ideo in consilio impiorum animadverti-
sti. Est enim impietas, quam tu solus vides, & ab
v. 5 hominibus non videtur. * *Aut humana est vita tua:* id est, brevis, ut non possis de perpetuitate judica-
v. 6. re. * *Et peccata mea investigasti.* Non enim latere te
v. 7. potuerunt, quæ latent homines. * *Scis enim me nihil impiè fecisse.* Nam quantum ad homines, nihil im-
a piè feci. *Sed quia est, qui de manibus tuis* [a] *eripiat?* judicantis. Sicut Deus judicas, cùm vides etiam
v. 8. eas impietates, quas homo non videt. * *Postea verò mutatus percussisti me:* se scilicet mutato, non Deo:
quia mutatus homo mutatum Deum sentit, ut per tenebrarum diuturnitatem mutati oculi mutatum
v. 9. solem sentiunt. * *Memor esto, quia de luto finxisti me.* Tuâ ergo misericordiâ indigeo. *In terram me iterum*
v. 10. *convertes:* morte, quæ pœna est peccati. * *Nonne tamquam lac mulsisti me?* Quia etiam jam mortali-
bus præbuit misericordiam, cùm homines de ho-
v. 13. minibus informi primordio formavit. * *Hæc ergo cùm in te sint, scio quia omnia potes:* quia tantæ bo-
nitatis sunt, ut carnalem quoque substantiam ope-
v. 14. rentur. * *Quòd si & peccavero, custodies me:* aut ut me
v. 15. non perdas, aut ne lateat peccatum meum. * *Et si justus fuero, non possum respicere:* in conspectu ho-
minum. Nam tu vides peccata, quæ homines la-
tent. *Plenus enim sum opprobrio:* in conspectu tuo.
v. 16. * *Et capior sicut leo ad occisionem.* Est superbiæ peccatum quod homines latet, quando etiam in factis
laudabilibus possit obrepere. *Iterum autem commutatus sævissimè crucias me:* post pœnam peccati, qua
mortalis factus est homo. Secundùm has dicit tri-
bulationes, quas in hac vita homines patiuntur, quia repentè pleræque accidunt tribulationes, quæ
turbant quietem ipsius vitæ mortalis, cùm in salute
est, vel in securitate rerum quamvis temporalium,
v. 17. quam misericordiæ Dei deputavit. * *Instaurans in me tormenta mea.* Quia jam ipsa mortalitas tormen-

[a] Sic MSS. cum LXX. At editi, *eripiatur.*

A tum est, de qua tribulationes aliæ fiunt. * *Quare er-* v. 18.
go de ventre eduxisti me? de obscuritate ad notitiam,
quæ sola majoris miseriæ est materia, cùm subver-
titur. hanc generationem superiùs etiam comme-
moravit. * *Et essem tamquam non fuissem:* penitus v. 19.
ignotus. Unde est, Vocat ea quæ non sunt, tam- Rom. 4. 17.
quam quæ sunt, id est, secundùm ignobilitatem.
* *Aut numquid non est tempus parvum vitæ meæ?* Non Job. 10. v.
enim propter longitudinem vitæ meæ mortuus non 20.
sum; cùm utique parvum sit quod vivo. *Patere me,*
B *donec requiescam pusillum.* Post misericordiam, qua
de limo fecisti me, & mutatum mortalitate per-
cussisti me, & ipsa mortalitate consolatus es me,
deinde exercuisti me tribulationibus. Patere ergo
me, ut requiescam in te: * *Antequam eam in pœnas,* v. 21.
unde reverti non licet. Ab his enim, quas supra com-
memoravit, licet reverti, si se homo ad Deum con-
verterit. Vult autem requiescere antequam eat in
pœnas æternas, ad hoc utique, ut non eat. Quem-
admodum si dicamus alicui, Corrige te, antequam
C damneris: non enim cùm se correxerit, damnabitur.
* *Vbi non est lux, nec est videre vitam hominum.* Illa v. 22.
est enim vita hominum, ubi est lumen verum, quod Johan. 1. 3.
illuminat omnem hominem. Alia est terra viven-
tium, alia terra morientium.

Verba Sophar Minæi. *Aut numquid* In Caput XI.
videbitur eloquens justus esse? Putat enim, Job verbis v. 2.
magis quàm operibus abundare. * *Beatus natus homo,* v. 3.
brevis vitæ. Sententiam suam illi replicat, quam vult
intelligi loquaciter dictam & inaniter. *Cùm nemo sit*
D *qui contradicat tibi.* Quia quando dicebat, nemo ei
contradixit. * *Sed quomodo Dominus loquatur ad te.* v. 5.
Ea loquere potiùs, quibus misereatur tui Deus.
* *Quia duplex erit super te:* corripiendo, & con- v. 6.
lando. *Et tunc scies, quia dignè reddita sint tibi à Do-*
mino quæ peccasti: post correctionem sequente illu-
minatione. * *Aut vestigium Domini invenies:* ut velis v. 7.
Deum reprehendere. * *Sublime est cælum, & quid* v. 8.
facies? ut invenias sacramenta cæli. Non enim de-
bes eum reprehendere, cujus opera non compre-
E hendis. * *Quis dicet illi, quid fecisti?* Et hoc enim re- v. 10.
ctè erit factum, si Deus hoc fecerit: quia facere
aliquid ille nisi rectè non potest. * *Ipse enim novit* v. 11.
opera hominum iniquorum. Non iniqui operis est.
Unde vult intelligi, quia stultè hic, quem iniquum
putat, reprehenderit Deum: sic enim eum loqui
existimavit. * *Homo verò aliter nutat sermonibus.* Mo- v. 12.
dò illi placet Deus, modò illi displicet; cùm apud
Deum sit firmitas. *Et vir natus mulieris tamquam*
onager erit in deserto: cupiditate libertatis, impatiens
F dominatoris atque domitoris. * *Et extendens ad eum* v. 13.
manus tuas: ut acceptet opera tua. * *Si iniquum quid* v. 14.
est in manu tua. Ipsa duo repetivit, sed ordine mu-
tato. *Et iniquitas in domo tua non maneat.* Hoc dixit
cor. * *Sic enim fulgebit facies tua tamquam aqua:* pu- v. 15.
ra conscientia. * *Tamquam fluctum qui non præterit,* v. 16.
& non terreris: nisi omnes tangat in hac vita. * *Et* v. 17.
oratio tua tamquam lucifer erit: ante illuminationem
præibit: quasi & ista ad prophetiam sanctæ civita-
tis vel ad populum Dei pertinentia, audita, vel re-
G velata dicuntur, sicut à superioribus amicis ejus di-
cta sunt. * *Et rogabunt faciem tuam multi.* Omnia ista v. 19.
de Ecclesia.

Verba Job. *Sed justus vir & sine crimine ve-* In Caput XII.
nit in derisum. De Domino intelligendus est. Sen- v. 4.
sus: Non ergo mirum, si & ego vobis in derisum
veni. * *Et domus ejus ut devastaretur ab iniquis:* Ec- v. 5.

clesia à persecutoribus. *Immo verò nullus confidat,* A *tibus meis.* Non mihi parcam, ut non solùm vos ar-
1. Pet. 4. 17. *cùm sit nequam, se impunitum futurum:* quia judicium guam, sed etiam me. *Et animam meam ponam in*
Job. 12. v. 6. à domo Dei. * *Tamquam inquisitio in eos non sit futu-* *manu:* inspiciendam, ut nihil celem, sive ut com-
v. 7. *ra:* non confidant. * *Sed tamen interroga quadrupe-* putem peccata mea. * *Licèt occidat me ille qui potens* v. 15.
dia, si tibi respondeant. Ideo rectè inquirit iniquos, *est, qui & cœpit:* quamvis occidat peccata mea. *Ta-*
quia ex operibus potuerunt cognoscere Creatorem, & colere debuerunt. Non enim creaturarum *men loquar, & coram eo arguam me:* non me justi-
responsione doceri debuerant; cùm acceperint ra- ficabo, abscondens peccata mea. * *Ecce ego appro-* v. 18.
v. 10. tionem, qua ista cognoscerent. * *Si non in manu ejus* *pinquo judicio meo:* ut judicem de me: quasi ipsa sit
est anima omnium viventium. Hinc ergo scitur, quia hominis justitia, in confessione sibi non parcere.
ipse omnia creavit, quia anima omnium viventium B * *Tunc à facie tua non abscondar:* quemadmodum v. 20.
in manu ejus. *Et spiritus omnis carnis hominis:* om- abscondunturpeccatores. * *Manum aufer à me:* ut v. 21.
v. 11. nis carnis humanæ, id est rationalis anima. * *Auris* nihil in me sit castigandum, & sit in me caritas. *Et*
enim sermones dijudicat. Quemadmodum sensus sen- *timor tuus non me terreat.* * *Quot sunt iniquitates meæ?* v. 23.
sibilia dijudicat, ita spiritalia spiritus, qui debuit Hinc potest videri illud dixisse, * *Animam meam* v. 14.
cognoscere, quoniam in manu Domini est, opera *ponam in manu mea:* ad computandum. * *Aut putas* v. 24.
v. 12. Domini. * *In multo tempore sapientia est.* Non utique *me esse contrarium tibi?* Cùm utique infirmus sum,
in multo tempore: sed apud Dominum; à quo pe- & quasi hoc metuis, ne si justificatus fuero, par tibi
v. 14. tenda est. * *Si destruxerit, quis ædificabit?* propter sim; cùm folium sim. Ergo est aliqua latens caussa,
virtutem destruxerit, & propter sapientiam clau- quando hæc non est. * *Et imposuisti mihi peccata ju-* v. 26.
v. 15. ferit, ut ad eam non perveniat. * *Si prohibuerit aquam,* C *ventutis.* Ut hæc sit caussa, quare dicat abscondi à
siccabit terram: sapientiam ipsam, terram verò ho- se peccata sua, quia superbierit, quod est peccatum
minem. *Quòd si & emiserit, perdet evertens terram.* juventutis. * *Et posuisti in compedo pedem meum:* in v. 27.
Multis enim sapientibus factis turbabuntur pecca- vinculo mortalitatis. *Et radices pedum meorum con-*
v. 17. tores. * *Qui ducit consultores captivos.* Subjugat enim *templatus es:* cupiditates meas. * *Qui veterasco sicut* v. 28.
sibi eos, qui se consulunt. *Iudices autem terræ in pa-* *uter:* ut vinum novum portare non possim: *aut* (ut
v *vorem misit:* aut Judæos, aut Pilatum, aut sensu panno novo consui) *velut vestimentum quod à tineis*
v. 18. terreno judicantes. * *Qui collocat reges super sedes:* id *comestum est.* * *Homo enim natus ex muliere,* b *brevis* In Caput XIV.
est, Apostolos. *Et circumdedit baltheo lumbos eorum:* *vitæ, & plenus iracundiæ:* pœnæ. * *Et hunc fecisti ve-* v. 1.
v. 19. id est, continentiâ. * *Qui emittit sacerdotes captivos:* *nire in judicium coram te.* Quamvis ita mortalis sit, b
ut ab hominibus ducantur: & significantur Judæi. D & ipse habet tamen unde rationem reddat: exigi- v. 3.
v. 20. * *Qui permutat labia fidelium.* Permutat in bonum, tur enim de illo quod potest, quamvis perparum
ut non de justititia sua, sed de gratia ejus præsu- possit. * *Dinumerati enim sunt menses ejus apud te.* Eo v. 5.
mant. *Et intelligentiam senum cognovit.* Cui placet enim quòd temporalis est, de peccato convincitur:
Gal. 4. 19. intelligentia senum. Unde est, Cogniti estis à Deo. nam æternum illum tu feceras. * *Discede ab eo; sine,* v. 6.
Matth. 25. 12. Cui adversarium est, Non novi vos. Et bene cœ- *requiescat:* secundùm opinionem carnalis & anima-
Job. 12. v. 22. pit à fide, & pervenit ad intelligentiæ canos. * *Qui* lis hominis, cui totum bonum hæc vita est. Et ideo
revelat profunda de tenebris: aperiendo prophetias. sibi vult parci, ut fruatur hac vitâ. * *Est enim arbori* v. 7.
Et produxit in lucem umbram mortis: id est, fecit ut *spes.* Irridenter hæc pronuntianda. Utique enim
cognosceretur vita ista, quia umbra mortis est. magis est spes homini: quod carnales nolunt cre-
v. 23. * *Decipiens gentes, & perdens eas:* putantes quòd no- E dere. * *Vir verò cùm mortuus fuerit, abiit.* Et hîc v. 10.
cerent Ecclesiæ Dei, cùm sibi nocerent; quod de ironicœs. * *Tempore enim minuetur mare; nam pòst* v. 11.
impiis intelligendum est. *Sternens gentes, & in viam* *impletur.* Dicit autem de his locis, ubi accessus &
ducens eas: ad humilitatem, tamquam illum asinum. recessus fit, vel quòd omnia littora latenter mi-
v. 24. * *Reconcilians corda principum populi terræ:* sibi recon- nuuntur & augentur, horis lunaribus scilicet, cùm
cilians vel Judæos vel reges terræ, qui primò per- oritur luna, vel nobis vel aliis usque ad medium
a sequebantur Ecclesiam. [a] *Seduxit autem eos in viam,* c cœlum crescit, & inde minuitur. c *Vsquequo cœ-* v. 12.
quam non noverant: subruendo Legis opera, ut sim- *lum est, non consuetur:* ad novum, id est ipsi cælo.
pliciter intelligerentur. hinc eis visus est peccator. * *Atque utinam apud inferos me custodisses.* Usque adeo v. 13.
v. 25. * *Quo errore tenebrati sunt tamquam ebrius.* * *Et ar-* est spes resurrectionis, ut jam & his carerem vitæ
In Caput XIII. *guam in conspectu ejus, si voluerit:* ut arguat seipsum; F incertis. *Et abscondisses me, donec requiesceret ira tua.*
v. 3. quod est confessionis. * *Et curatores malorum omnes* Hinc est, Abscondere pusillùm, donec transeat ira
v. 4. *vos.* Bonos enim non potestis consolatione curare. Domini, id est, donec transeat ista mortalitas, & Isa. 26. 20.
v. 6. * *Audite ergo objurgationem oris mei:* in vos. * *Et ante* ad resurrectionem veniatur. * *Si enim mortuus fuerit* Iob. 14. v.
v. 7. *conspectum ejus profertis dolum:* cùm vultis vos videri *homo, vivet.* Nam hæc non est vita. *Consummatis* 14.
v. 8. justos, quod non estis. * *An subtrahitis vos ipsos ju-* *diebus vitæ suæ:* tunc vivet. * *Deinde vocabis, & ego* v. 15.
dices fieri? Numquid potestis dissimulare, & non ju- *respondebo tibi:* obediens tibi, sine impedimento
v. 9. dicare, quia de vobis verum dico. * *Si enim omnia* mortalitatis. * *Si nasti in sacculo iniquitates meas:* ut v. 17.
facietis, adjiciemini ei: id est, Etiamsi omnia præ- redderes mihi. *Annotasti si quid invitus erravi:* etiam
cepta faciatis, inveniet in vobis quod arguat. Ne- hoc annotasti. Invitum autem errare pœna peccati
mo enim justus in conspectu ejus. *Quòd si & occultè* est. * *Et quidem mons cadens defluit.* Ita & homo ex v. 18.
G altitudine & firmitate sua cecidit. *Et petra veterascit*
personas mirati fuerit: suas, seipsos justificando, *in loco suo:* ut homo in genere suo & conditione sua.
v. 21. non solùm ad homines, sed etiam ad seipsos. * *Corpus autem luteum:* ut fragilitatis saltem vestræ con- * *Et alluvione frequentium gurgitum:* quasi & homo v. 19.
v. 14. sideratione timeatis. * *Apprehendens meas carnes den-* ita ad exilitatem perductus sit, cùm crebris cupi-
ditatum alluvionibus adteritur. *Spem verò hominis*

[a] Editi, *Eduxit.* MSS. verò, *Seduxit:* apud LXX. ἐπλάνησε.
[b] Sic melioris notæ MSS. At editi, *brevi vivens tempore plenus iracundiæ plena.*
[c] In excusis, *ad medium mensem.* Verùs in MSS. *ad medium cælum.*

perdidisti. Gradus fecit de monte ad petram, á petra ad lapides, à lapidibus ad arenam; quia has minutiones carnales patiuntur. Et bene jam *perdidisti*
v. 20. dixit. * *Impulisti enim in finem:* in consumtionem. Ut pereat spes ista, qua carnales gaudent. *Mutasti faciem ejus, dimisisti eum:* cùm imago Dei in eo ex-
v. 21. terminata est. * *Et cùm multi fuerunt filij ejus, nesciet:*
v. 22. quia moritur, quamvis propagetur soboles.* *Sed carnes ejus super eum doluerunt:* id est, talem conditionem suam homo carnaliter dolet, & animaliter
2. Cor. 4. 16. luget. Spiritalis enim novit, quia & si exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem: quia hoc fieri sentit in seipso.

In Caput XV. Verba Eliphaz Themanitis. *Et implevit dolore ventrem.* Spiritus enim scientiæ per
v. 2. consolationem sanat potiùs à doloribus: tu autem qui imples ventrem dolore, non spiritu scientiæ
v. 4. respondes. * *Nonne tu repulisti timorem?* Deum non
v. 5. timuisti, in eum talia dicens. * *Et elegisti linguam*
v. 6. *malorum:* qua homines maledicunt. * *Quid enim? Numquid primus homo natus es?* quia tantum super-
C bis. *Aut ante colles concretus es?* Etiam montes nomine collium accipiendos, id est, ante omnes vir-
v. 10. tutes, spiritus potentes. * *Sed & senex & decrepitus in nobis est.* Qui sciat etiam quæ nos nescimus, est
v. 12. inter nos. * *Quid ejusum fuit cor tuum, & quid fusti-*
v. 14. *nuerunt oculi tui?* speraverunt. * *Quid enim est homo*
v. 15. *ut sit sine crimine?* quod & tu dixisti. * *Si in sanctis ejus non est fides:* propter incerta temporum, quibus plerumque falluntur, ut multa dicant, & non faciant. *Et cælum non est mundum ante eum:* pro his D qui habitant in cælo: aut certè cælum pro ipsis san-
v. 18. ctis ponitur, quia in his habitat Deus. * *Quæ sapientes dixerunt, & non celaverunt parentes suos.* Quia
v. 19. etiam Judæis Apostoli prædicaverunt. * *Ipsis solis data est terra:* inhabitanda. *Nec supervenit illis quisquam extraneus:* nec sanctus homo vel Angelus:
v. 21. id est, in securitate possidebunt. * *Cùm putaverint se esse jam in pace.* Ita dicit, quasi hoc putet ipsi Job
v. 22. evenisse. * *Non credit converti à tenebris:* non credit ut convertatur à peccatis. *Et decretus est in escam* E *vulturum:* aëriarum potestatum, quæ mortibus
v. 24. peccatorum pascuntur. * *Sicut dux in prima acie de-*
v. 25. *cidet.* Audax est, & non fert tribulationes. * *Quia elevavit manus contra Deum.* An *quia* elevavit? *Et*
v. 26. *cucurrit contra eum contumeliosè:* adversaria faciendo quàm præcepit. * *In crassa cervice scuti sui:*
v. 27. præsumens de protectione sua. * *Quia operuit faciem ejus in adipe suo.* Per adipem, id est, per exaltationem superbiæ suæ abscondit à se Deum. *Et fecit capistrum super femora:* ut libidinibus suis col- F ligaretur, quo vinculo duceretur ad mortem.
v. 28. * *Quæ enim illi paraverunt, alij auferunt:* ipsum etiam regnum terrenum, vel quamcumque spem temporalem, quam cum toto mundo justi accipient.
v. 29. * *Et non ditabitur, nec permanebit substantia ejus:* impij scilicet. *Non immittet super terram umbram:* id
v. 30. est, non viret. * *Sed stirpem ejus arefaciet ventus:* ten-
v. 32. tatio. * *Præcisio ejus ante horam corrumpetur:* priusquam sperat. * *Decidat tamquam flos olivæ.* Deci-
v. 33. dat à pace, vel quia meliora hos sequuntur, quem-
v. 34. admodum florem fructus. * *Testimonium enim impij, mors:* signum. *Et ignis comburet domus eorum qui munera accipiunt.* Hi sunt enim impij, qui munera tem-
v. 35. poralia præponunt justitiæ. * *Concipiet & in ventre gemitus.* Ea quæ sperat, in pœnam illi proficiunt.

In Caput XVI. Verba Job. *Audivi talia multa:* non solùm
v. 2. A quæ vos dicitis. *Consolatores malorum omnes.* Malos potestis consolari, quia ipsi vos imitantur, non bo-
v. 3. nos. & est vocativus. A nullo enim vestrûm audivi aliquid boni. * *Quid enim? Numquid ordo in sermo-*
v. 4. *nibus est spiritus?* superbiæ. *Aut in quo molestum tibi erit?* quamvis non ames quod dicas. * *Et ego secun-*
v. 7. *dùm vos loquor:* quomodo digni estis. *Si subjecta esset anima vestra pro mea.* Si vos pateremini quod ego; loquerer sermonibus, non factis: ita nihil est
a loqui quod [a] non facitis. * *Si enim loquar, non dole-*
B *bo vulnere.* Ostendistis vos neque in loquendo, neque in tacendo prudentes esse. Nam sapientes & cùm loquuntur, in consolationibus condolescunt, vel in confessione sua loquentes, dolent vulnus
v. 8. suum; vel cùm tacent, prudenter tacent. * *Nunc autem lassavit me, & fecit stultum, & putrem:* ut non contra vos loquar, Deus fregit superbiam; ut stul-
v. 9. tus factus sapiens fiam. *Apprehendisti me,* * *& in te-*
C *stimonium factus sum.* Convicisti me de peccatis meis, & adversùm me ego sum testis. *Et surrexit super me mendacium meum:* cùm mihi justus videbar.
v. 10. * *Contra faciem meam respondi.* Hinc est, Statuam te ante faciem tuam. * *Iracundiâ usus dejecit me.* Bene-
Psal. 49. 23. Job. 16. v. 10. dixit, usus iracundiâ; non enim eam patitur; deje-
cit autem tamquam superbum. *Fremuit super me dentibus.* Objurgavit me; ut dentes, pro verbis intelligantur. *Sagittæ piratarum ejus super me deciderunt.* Aërias potestates quibus utitur Deus, & eis permittit ut aut exerceantur boni, aut puniantur mali. Piratæ autem, quia in hoc mari navigantibus
D insidiantur. *Acie oculorum irruit.* Non dissimulavit à peccatis meis, tamquam innuit ut punirer. Ipse enim tamquam lumen est, punitoribus ostendens puniendos. Ruina mihi fuit adspectio ejus. Aut ita: Fecit ut viderem peccatum meum; antè enim non sic mihi ad sensum perductum fuit. * *Acriter percussit*
Job. 16. v. 11. *me in genibus, & simul concurrerunt in me.* Deo enim
v. 13. percutiente, illi concurrerunt angeli satanæ. *In pace cùm essem, discerpsit me.* Ab ipsa pace aut à memetipso discerpsit, ut ab adversariis & sibi adver-
E santibus dilacerarer. *Et tenens comam meam divulsit:* per peccata mea me adversùm me divisit. *Statuit me sicut signum:* in quem jacularentur, ut solet signum poni jaculantibus, quò jacula dirigant. * *Cir-*
v. 14. *cumdederunt me lanceis, emittentes in renes meos, non pepercerunt:* propter desideria carnalia, quæ sibi impacta dicit, per malas persuasiones ab angelis malis. *Effuderunt in terra fel meum:* ut terrena bona zelarer in iis, qui his abundant. * *Dejecerunt me pro-*
v. 15. *stratione magna:* ne carnalem prostrationem intelligeremus. * *Cilicium assuerunt corio meo:* peccata in-
v. 16. teriora, quibus reminiscitur se fuisse in bonis. * *Et*
v. 17. *super palpebras meas umbra mortis.* Volo videre, & impedit me consuetudo carnalis. *Terra ne operiat*
v. 19. *super sanguinem carnis meæ:* id est, ne si immunda fuerit oratio mea optando terrena, accedat cumulus terræ super vinculum mortalitatis meæ; quod significavit nomine sanguinis: id est, ne cupiditate terrena majoribus calamitatibus voluntarij peccati operiar, quod est illud naturale peccatum de
G conditione mortali. *Nec sit locus clamori meo.* Interludatur meritum orationis meæ. * *Et nunc ecce in*
v. 20. *cælis est testis meus.* De Domino videtur dicere, quia nondum in terram descenderat. *Et conscius meus in*
v. 22. *excelsis:* propter participationem mortalitatis. * *Di-judicetur vir cum Domino* Veniat Dominus, ut cum eo vir judicetur, tamquam Johannes cum Christo.

[a] MSS *quod facitis:* absque negatione.

In

In quorum dijudicatione intelligitur, quid distet inter hominem perfectum, & Deum hominem fac-
Luc. 10. 30. tum. *Sicut filius hominis ad proximum suum:* Dominus homine suscepto, ad eum qui inciderat in la-
Job. 16. v. 23. trones. * *Anni enim dinumerati venerunt mihi:* quòd
Gal. 4. 4. mihi per Christum subveniatur plenitudine tem-
Job. 16. v. 23. porum. * *Et viam per quam non revertar, ingrediar:*
In Caput XVII. viam renuntiandi sæculo. * *Defeci agitatus spiritu.*
v. 1. ordo, Defeci spiritu, laboribus concussus. *Oro ut sepeliar, & non contingit mihi:* ut absorbeatur mor-
2. Cor. 5. 4. tale à vita. Ingeniscimus enim gravati, in quo no-B lumus spoliari, sed supervestiri: id est, mutemur potiùs quàm moriamur. Quod utique, quamvis hoc homo cupiat, non contingit. Debet enim mortem
Job. 17. v. 2. condemnatione peccati. * *Preces adhibeo cum labore,*
a *& quid feci:* [a] nonnihil feci impetrans. *Furati sunt externi bona mea.* Ipsam immortalitatem, qua spo-
Luc. 10. 30. liatur, significat, qui semivivus à latronibus est re-
Job. 17. v. 3. licitus. * *Quis est iste?* qui mihi subventurus est, Dominum significans. Sed ideo dicit, *Quis est*, quia inter homines futurus erat, ut vix ab eis discerne-
C retur. *Ad manum meam ligetur:* vinculo caritatis,
v. 4. ut custodiat me, & ducat quò vult. * *Quia cor eorum abscondisti à prudentia.* Qui eum non cognoverunt abscondisti. *Propter hoc non exaltabis eos.* Quia hu-
v. 5. miles non fuerunt, ideo cæcati sunt, & non potuerunt humilitate Christi exaltari. * *Parti annun-*
Rom. 11. 25. *tientur mala.* Quòd cæcitas ex parte in Israël facta est, sive quia eis mala videbantur, quæ Christus
Johan. 7. 12. annuntiabat, ut dicerent, Seducit turbas; sive per Prophetas quæ annuntiata sunt de cæcitate Is-
Job. 17. v. 5. raël, non utique toti, sed parti acciderunt. * *Et oculi super filios eorum tabuerunt:* admiratione mira-
Matth. 12. culorum, quibus dictum est, Si ego in Beelzebub
27. ejicio dæmonia, filij vestri in quo ejiciunt? * *Po-*
Job. 17. v. 6. *suisti autem me in loquelam nationibus:* hominem quem redemisti, id est, Ecclesiam de qua loquerentur nationes, sive quæ loqueretur nationibus, *Et in risum illis deveni:* aut nationibus, cùm ei detraherent; aut Judæis, qui loquebantur nationibus.
v. 7. * *Obscurati sunt ob iram oculi mei.* Obscurati sunt E oculi Ecclesiæ, id est Apostoli, cùm intellecti non sunt ab iis, qui hac pœnâ erant puniendi. *Et expugnatus sum valde ab omnibus.* Tam Judæi enim quàm
v. 8. gentes expugnaverunt Ecclesiam. * *Et mirati sunt super hoc veraces:* vel quare potestas data sit impiis in Ecclesia, vel quare ab impiis Evangelium agnitum non sit. *Justus autem super inimicum confurgat:* qui temporaliter cadit persecutionibus, ut postea
v. 9. infidelibus dominetur. * *Et purus manibus sumat au-*
v. 10. *daciam:* spei audaciam, ut confiteatur Christum & F in persecutione. * *Non enim invenit in vos veritatem.* Omnibus enim tam Judæis quàm aliis gratia neces-
v. 11. saria est. * *Et convulsæ sunt compages cordis mei:* ut
v. 12. non celem peccata mea. * *Noctem in diem posuerunt:*
Isai. 5. 20. impij. Unde est, Væ illis qui dicunt quod bonum est malum, & malum bonum; qui ponunt tenebras
Job. 17. v. 13. lucem, & lucem tenebras. * *Si sustinuero, inferi domus mea erunt:* pertulero peccata mea, ut non con-
v. 14. fitear. * *Interitum appellavi patrem meum.* Non ero filius vitæ. Appellavit autem Deus. *Matrem meam* G *& sororem tabem.* Ex eo quòd inseparabiliter hæ-
v. 15. reant, tamquam cognati. * *Quæ est enim mihi jam spes?* subauditur, Si sustinuero. *Aut bona mea videbo:* quibus seductus converti noluit, & sustinuit peccatorem?

[a] Sic MSS. Beccensis & Floriacensis. At editi, *& quid feci? non mihi feci.*

Tom. III.

A Verba Baldad Sauchitis. * *Et lumen* In Caput XVIII.
v. 5. *impiorum exstinguetur.* Noli ergo mirari, si & tuum tamquam impij lumen exstinctum est. * *Lux ejus*
v. 6. *fuerunt tenebræ in domo:* claritas domus ejus; id est, aut diabolus aut antichristus. *Et lucerna super eum*
v. 7. *exstinguetur:* exiguum & terrenum lumen. * *Acci-*
b piant infimi substantiam ejus. Quæ habere ille [b] vo-
v. 8. luit, habeant humiles. * *Immissus est enim pes ejus in*
v. 9. *laqueum.* Ipse enim captus est, Dominum perse-
v. 10. quendo. * *Confortavit super eum stricus:* ut vincant eum esurientes & sitientes justitiam. * *Absconditus est*
v. 11. *super terram funiculus ejus:* quo capiatur, hoc est, ea quæ illi quasi conceduntur. *Et captio ejus in semita:*
v. 12. quà transit. * *Per circuitum perdant eum dolores:* un-
v. 14. dique. *Et multi circa pedes ejus veniant* * *in angustia*
v. 15. *famis:* multi, qui cum sequuntur, vel qui ei obsequuntur. *Comedantur rami pedum ejus:* doctrinarum
v. 16. ejus, id est, quà it. * *Rumpatur de habitaculo ejus fi-*
v. 17. *nitas:* tranquillitas hujus vitæ. *Et teneat eum neces-*
C *sitas caussæ regalis:* opportunitas punitionis ejus, quæ valebit ad gloriam Dei, propter quod modò illi permittitur cupiditas sua. Caussam regalem dicit,
v. 18. quia se Christum jactabit. * *Habitet in tabernaculo*
v. 19. *ejus in nocte ejus.* Necessitas caussæ regalis cruciet conscientiam ejus; appetitio tyrannidis: *in nocte*, in supplicio cæcitatis ejus, quando damnatur. *Adspergentur speciosa ejus sulphure:* quibus placebat, igne
v. 16. fœtido concrementur. * *Et de sursum irruet messio*
v. 19. *ejus:* à Deo. *Et non sit nomen ejus in facie platearum*
v. 20. *ubi erat:* tollatur de memoria populi. * *Et non sit*
c *cognoscibilis in populo suo.* Ad tantam dejectionem veniat, ut à suis non agnoscatur. *Nec resalvetur sub*
v. 21. *cælo domus ejus.* Aliqui enim resalvabuntur. * *Sed in populo ejus vivant alteri.* Aliis subjugetur populus ejus.

Verba Job. * *Et destruitis me verbis.* Infirmatis In Caput XIX.
v. 2. me, qui me consolari debuistis. * *Scitote tantùm,*
v. 3. *quia Deus fecit mihi sic:* apud quem possum de pec-
v. 6. cato convinci, non apud homines. * *Et vallum suum*
v. 7. *circa me circumdedit.* Fossa circa muros est: quo co-
v. 8. actus sum ad confessionem. * *Ecce rideo opprobria,*
v. 9. *& non loquor.* Utilitatem dicit confessionis: quia si vellet ridere peccatum suum, & non illud prolo-
v. 10. qui, clamaret, & non exaudiretur. * *In vultu meo*
v. 11. *tenebras posuit.* Illuminationem vultus mei abstulit à me: quod contingit aversis. * *Et abstulit coronam*
v. 12. *de capite meo:* dignitatem spiritalem, quam dat sapientia. * *Et disrupit me undique, & abij.* Omnia te-
v. 13. nebam, & abstulit illa à me: adversùs illud quod acceperat virtutem continendi omnia. * *Et arbitratus*
v. 14. *est me tamquam inimicum.* Sic me judicavit, quasi ei nocerem, si ei par essem. * *Et circumdederunt taber-*
v. 15. *naculum meum:* cor & conscientiam. * *Fratres mei*
v. 16. *recesserunt:* in spe correctionis, quia fratres sunt: quamvis primò correctionem meam aspernati sint; & eos secuti qui sibi aliena, hoc est, perniciosa suaderent. *Et amici mei immisericordes facti sunt:* in malis spiritalibus, qui non condolent proximis suis, sed potiùs eos irrident; quos non irriderent in malis carnalibus constitutos. * *Et scientes nomen*
v. 17. *meum obliti sunt me:* non me cognoscentes, quòd mutatus sum. * *Vicini domus, & ancillæ meæ:* cum quibus secreta communicabam; adulatores, qui recedunt ab eo qui confitetur Deo: ipsi enim dicuntur ancillari. * *Servum meum vocavi, & non res-*
v. 18. *pondit:* aut corpus, aut eos qui ei ad mala servie-

[b] Editi, *noluit.* MSS. *voluit.*
[c] Sic in MSS. At in editis, *cognominatio.*

a bant. *Os meum* [a] *deprecabatur, & rogabam uxorem*
Psal. 41.12. *meam:* tamquam dicens, Quare tristis es anima
mea, & quare conturbas me? id est, cupiens ut ei
Job. 19. v. 17. consentiat. * *Invocavi blandiens filios uteri mei:* quos
v. 19. genuerat, persuadens eis spem sæculi. * *Et quos di-*
v. 20. *lexeram, consurrexerunt in me:* in illa vita. * *In cute*
computruerunt carnes meæ. Amore eorum, quæ fo-
rinsecùs sentiuntur, computruerunt interiora mea.
Nam utique leve est, si ad litteram accipiamus,
tamquam scabiem habuerit. *Et ossa mea in dentibus*
meis sunt. Firmitas & fortitudo mea in verbis est,
v. 21. non in factis. * *Miseremini mei, miseremini mei, ò*
amici. Angelos videtur postulare, ut pro eo depre-
centur, aut certè sanctos ut pro pœnitente orent.
Manus enim Domini est, quæ tetigit me. Manu Do-
mini se tactum dicit, ut doleret vulnus suum, quod
v. 22. sine sensu ei fuit. * *Quare me persequimini, sicut &*
Dominus? detestamini & horretis sicut Dominus;
vel objurgatis, cùm jam confitear. *De carnibus meis*
non saturamini. Non gaudetis, si carnaliter vivam.
v. 24. * *Stilo ferreo & plumbo:* ut quemadmodum cedit
plumbum stilo ferreo, sic cedant sermonibus meis
corda hominum. *Aut in testimonium in petris scul-*
v. 25. *pantur:* ut illi ea discant, qui firmi sunt ad evange-
v. 27. lizandum. * *Scio enim quia æternus est, qui me reso-*
luturus est: quia potest me reparare. * *Quorum ego*
mihi conscius sum: quia merui illa. *Quæ oculus meus*
1. Cor. 2.11. *vidit, & non alius.* Hoc est, Nemo scit quid aga-
Job. 19. v. 27. tur in homine, nisi spiritus qui in ipso est. * *Et om-*
nia mihi consummata sunt in sinu: in interioribus ubi
v. 28. nemo videt, in conscientia. * *Quid si & dixeritis,*
quid dicemus contra eum? Secundùm quod dictum
Gal. 6.1. est etiam spiritalibus, Intendens teipsum, ne & tu
tenteris. *Et radicem sermonis inveniemus in eo:* ut de
Job. 19. v. 29. ipsius eum convincamus. * *Ira enim super iniquos*
veniet. Qui se extollunt super peccatores, & pu-
tant se tales esse non posse, ipsos dicit iniquos.

In Caput XX. Verba Sophar Minæi. * *Non enim in-*
v. 2 *telligis magis quàm ego.* Ad alios se convertit, qui
v. 3. cum eo Job consolabantur. * *Eruditionem confusionis*
meæ audiam. Obliquè vult, ut Job audiat eruditio-
nem confusionis suæ: tunc enim potest etiam spi-
ritum sapientiæ consequi. Hæc autem locutio sol-
lemnis est, cùm dicimus, Bonum est mihi ut ca-
veam, nam malè mihi erit; cùm volumus ut alius
v. 4. caveat. * *Numquid hæc nosti à sæculis?* Ex quo sunt
sæcula, scis hæc. Et hæc putat, quòd Job ignoret
v. 9. tamquam impius. * *Oculus videbit, & non adjiciet.*
v. 10 Non enim videbitur. * *Filios ejus disperdat impius:*
sive imitatores ejus, sive seductos ab eo. *Et manus*
ejus succendantur doloribus: operibus ejus crucientur.
v. 11. * *Ossa ejus impleta sunt juventute ejus.* Superbit de
v. 12. firmitate sua. * *Abscondet eam sub lingua sua.* Non
illam demonstrabit tamquam dolosus, ut tacitè illâ
v. 13. utatur. * *Parcet ei, & non relinquet eam.* Amans
eam, & nolens eâ carere, non eam persequetur:
aut, parcet ei Dominus, & hac impunitate non
eam relinquet. *Et tenebit eam in medio gutture suo:*
tamquam quod eum delectat. *Et non poterit subve-*
v. 14. *nire sibi.* Non ideo se liberabit. * *Fel aspidis in ven-*
tre ejus: in interioribus, in occultis habens noccen-
v. 15. di malitiam. * *Divitiæ iniquè congregatæ evomentur:*
cum tormento interiorum & pressura cordis. *De*
domo ejus protrahet eum angelus. Quandocumque

A manifestabuntur occulta ejus per tribulationes. * *Et* v. 16.
b *furore draconum fulgebit:* ut ille qui primò occul- b
tus fuit, tribulationibus proditus, furore draconum
fulgeat jam palam. *Interficiat illum lingua colubri.*
Seducat eum diabolus. * *Et non videat mulctram pe-* v. 17.
corum: fructus ovium; id est, justitiæ opera non
faciat, ut se inde intelligat posse redimi. *Neque*
pabula mellis & butyri: opera bona cum caritate &
hilaritate cordis, & largitate præbentis. Butyrum
enim lac pingue est. * *In vanum & frustra laboravit:* v. 18.
B quia non intelligit hæc de his operanda, quæ ad
misericordiam pertinent. Unde & Dominus buty-
rum & mel dicitur manducare, quia hæc illi in hu- Isa. 7. 15.
milibus ejus præbentur. *Quæ egerunt ut durum quid:*
quod mandi non potest, nec glutiri. Durum nes-
cio quid est, puto, iniquitas vel superbia. * *In de-* Job. 20. v.
siderio suo non salvabitur: quia iniqua desideravit. 20.
* *Non erunt reliquiæ de cibis ejus.* Transierunt cupi- v. 21.
ditates ejus. * *Cùm putaverit se repletum esse, coar-* v. 22.
tabitur. Non tam satietas est de plenitudine cupidi-
C tatum, quàm pressura. * *Si quo modo impleat ventrem* v. 23.
suum. Talis necessitas ei veniet, ut dubitet utrùm
impleat ventrem suum; cùm utique ista ideo quæ-
rantur, ut pellatur necessitas. Hoc autem dixit,
quia tanto plus cupit, quanto plus habuerit. *Et*
emittet super eum furorem iracundiæ: quia non vidit
facere opera bona. * *Vulneret eum sagitta ærea:* per- v. 24.
petua. * *Pertranseat corpus ejus jaculum.* Penetret v. 25.
eum tentatio, ut & de his quæ sperat, & de his quæ
relinquit, vulneretur, tamquam à pectore per ter-
D gum trajectus. *Fulgura in tabernaculis ejus:* terrores
repentini in cogitationibus ejus. * *Lædat advena* v. 26.
domum ejus: Diabolus, qui adventitius est ad ten-
tandum; si quidem habeat homo etiam proprias
tentationes. * *Et detegat cælum iniquitates ejus:* cæ- v. 27.
leste judicium. * *Et possessio bonorum ejus ab* [c] *episco-* v. 29.
po. Hæc illi largietur Deus. c

Verba Job. * *Et non sit mihi à vobis hæc con-* In Caput XXI.
solatio: qua putatis bonis temporalibus gauden- v. 2.
dum; cùm communia sint piis & impiis: & si quan-
E do quis iniquus esset, hinc in eum vindicari: cùm
Job dicat usque ad sepulcrum permanere bona ista
impiis, & non in eos per ea vindicari. * *Quid enim?* v. 4.
numquid humana est castigatio mea? A Deo est mihi
castigatio. Itaque & ipse potest consolari, non vos.
Aut quare non irascar? Nolite ergo me ita consola-
ri: nam impiorum utique felicitatem video. * *Res-* v. 5.
picite ad me, & admiramini: tamquam inania di-
centem. * *Si enim recordor, perturbor.* Indignitates v. 6.
humanæ vitæ, rediens ad affectum [d] præteritum d
ab isto, in quo nunc est, confitetur. *Et tenentur*
carnes meæ doloribus: carnaliter doleo. * *Quare impij* v. 7.
vivunt? Quærit ab eis caussam, quia dicebant hîc
in impios vindicari. * *Et permanent, sicut vetustate,* v. 11.
oves eorum: quo modo possunt vetustate perseve-
rare: non enim semper erunt. * *Erant autem in ma-* v. 16.
nibus eorum bona. Non tulit eis bona ipsa, cùm hæc
dicerent. * *Immo verò, impiorum lucerna exstinguetur:* v. 17.
claritas temporalis, etiamsi non sicut isti intelli-
gebant. * *Deficiant filij ejus bona ejus:* bona quæ eis v. 19.
G persuasit, temporalia scilicet, aut antichristi, aut
diaboli. * *Videant oculi ejus necem suam.* Significat & v. 20.
hanc prosperitatem ignorari ab his, qui hac gau-
dent: in futuro autem ad sensum etiam impiorum

a Editi, *deprecabar* MSS. juxta LXX. *deprecabatur.*
b MSS. aliquot, *furorem:* sed omnes habent postea, *fulgebit:* sicque legisse videtur Augustinus, licèt nunc apud LXX. habeatur, *fugat:* in Vulgata, *fuget.*
c Editi, *ab ipso.* At MSS. *ab episcopo:* juxta LXX. ἀπὸ τοῦ ἐπισκόπου.
d MSS. *ad effectum perterritum.* Am. & Er. *ad aspectum perterritum.* Paulòque post Floriacensis codex habet, *in quo nunc est, cùm confitetur.*

v. 21. perducetur. * *Quia nulla voluntas ejus in domo sua* A
post eum: quia in conscientia sua Dominum non
consecuti sunt in tribulationibus. *Licèt numerus*
mensium ejus dimidiatus sit: quamvis præsentem co-
luerit Deum, tamen quia non & futura speravit,
v. 22. quod est plenus mensium numerus. * *Ipse enim ho-*
micidia judicat. Quia impij cùm persuaserint impie-
tatem per dilectionem carnalium impietatum, fu-
turo sæculo utique occidunt. Non tamen talia ho-
v. 23. micidia judicant homines, sed solus Deus. * *Hic*
morietur in robore simplicitatis suæ. Videtur exsequi
B occulta homicidia, commemorans largum unum,
& alium avarum: quia homines abundantes, &
v. 24. largi putantur & boni. * *Intestina ejus plena sunt adi-*
pe: habet lætitiam. *Et medulla eorum diffunditur:* in-
testinorum; quia non tenet intra se bona sua, sed
v. 27. impendit illa vel in se, vel in aliis. * *Itaque scio vos*
audaciter mihi insistere. Non enim considerate dicitis.
v. 28. * *Quia dicitis, Ubi est domus principis?* vel impio-
rum vel superbi; quia putabant hîc eis auferri bona,
cùm plerique etiam pleni his vitam finierint per
C ea puniendi. *Et ubi est velamen in tabernaculis impio-*
v. 29. *rum?* honor. * *Interrogate eos qui transeunt per viam:*
qui non delectantur viâ, sed transeunt per eam.
Et signa eorum non ignorabitis: vel impiorum quæ
dant transeuntes, dicentes quid ei futurum sit; vel
v. 31. à quibus cognoscantur impij. * *Quis annuntiabit co-*
ram eo viam ejus? Coram impio viam suam nemo,
nisi Dominus annuntiat fiducialiter, quia ipse ei
v. 32. respondet. Et tamen * *& ipse* Dominus *in sepulcrum*
deductus est. Ita merces pietatis non hîc speranda
D est. *Et super acervum vigilavit.* Antè enim ipse re-
surrexit, quàm acervus resurgeret resurgentium.
v. 33. * *Dulces fuerunt ei lapides torrentis:* quos sæculum
non subvertit, id est, discipulos suos. *Et post eum*
omnis homo sequitur, & ante eum innumerabiles. Aut
post eum omnis homo, id est, unus homo: *& ante eum*
a *innumerabiles*, qui nunc in numero hominum [a] de-
putati sunt. Aut post eum turba credentium, &
v. 34. ante eum patriarchæ & prophetæ. * *Quomodo ergo*
consolamini me inaniter? præsentia bona vel mala E
suadentes.

In Caput XXII. Verba Eliphaz Themanitis. * *Non-*
v. 2. *no Dominus est qui docet sensum & scientiam?* Quasi
dixerit Job, non eum rectè judicare; cùm utique
reprehendi Deus non possit, nisi per intelligentiam,
qua superior est, siquidem ab ipso detur homini.
v. 4. * *Et veniet tecum in judicium?* ut compareris ei. * *Lu-*
v. 11. *men tuum in tenebras conversum est:* dignitas. *Et dor-*
mientem te aqua operuit: securum inundatio tribu-
v. 13. lationis. * *An per nebulam dijudicat?* quasi per ne-
F v. 14. bulam videre non possit. * *Nubes latibulum ejus, &*
non videbitur. Latent eum quæ in terra sunt. *Et*
ambitum cæli percurrit: figuram, non & terram.
v. 15. * *Ergo ne semitam sæculi custodis?* Quasi Job putarit à
v. 16. Deo res humanas non curari. * *Quia capti sunt im-*
maturi: secundùm se immaturi. Putabant enim se
in perpetuum permansuros. Aut certè antequam
pervenirent ad sapientiam, sed quia hoc audierant,
v. 18. non quia ista sentiebant isti amici Job. * *Et cogitatio*
impij longè est ab eo, & implet domos eorum bonis. Est G
longè ab eo cogitatio impij, quia non sic facit sicut
sperat impius; id est, aut quia placet ei impietas,
v. 19. aut non videt eam. * *Videntes justiores erunt:* intelli-
gentes; quamvis isti non intellexerint, putantes
quia hîc redditur impiis. *Et inculpabilis subsannabit*

eos: impios. * *Esto durus, si sustinueris patiens;* hoc est, v. 21.
dura. * *Procul facies iniquitatem à tabernaculo tuo:* v. 23.
conversationem vel vitam tuam, quamvis hæc isti
carnaliter dicant. * *Et ponens illud super aggerem in* v. 24.
petram: adversùs id quod dixit, * *Flumen decurrens* v. 16.
fundamenta eorum. * *Quia humiliavit semetipsum:* ip- v. 29.
sum lumen. *Et dices, elatus est in superbiam:* adversùs
superbos. * *Erue innocentem, & salvaberis munditiâ* v. 30.
manuum tuarum. Noli deficere in bonis operibus,
quia curat Deus humana.

B Verba Job. * *Et quidem scio, quia de manu mea* In Caput XXIII.
est increpatio: de peccatis meis. *Et manus mea gravis* v. 2.
facta est super gemitum meum. Ideo me [b] percussisti, b
ut doleam. * *Et venire usque ad solium ejus.* Ut sim v. 3.
tam sanctus, ut perveniam ad eorum numerum,
qui sedes ejus sunt. Tunc enim possum dicere vera,
& audire. unde & cæli dicuntur sancti. * *Et cognos-* v. 5.
cam caussationes, quas loquetur mihi: redditiones
caussarum, quibus se omnia justè judicare demon-
strat. *Et sentiam, quæ annuntiat mihi:* jam proxi-
C mus ei. * *An in multa virtute dijudicabitur mecum?* ut v. 6.
per potentiam resistat mihi, nequaquam. *Tamen in*
terrore non abutatur me: propter peccata mea, pro
quibus timeo modò, cùm sum in terrore, non abu-
tatur me. * *Ceterùm cùm ad eum venero:* in illa liber-
tate, qua ego annumerabor solio ejus, omnia ama-
bo, & non mihi resistet virtus ejus; quamvis modò
possit me abuti, utpote peccatore: id est, faciat de
mè quod vult, etiam cum pœna mea, justè tamen.
* *Veritas enim & increpatio est ab eo:* id est, non in- v. 7.
D justè increpat. *Educit in finem judicium meum.* Etiam
si modò corripit, postea manifestabit. * *Nam si* v. 8.
primus ambulavero, postea non ero. Non arroganter
sperem, non infideliter desperem: hoc est, non
declinare dextra aut sinistra. Inde est, Si adscen- Psal. 138. 8.
dero in cælum, tu ibi es. Quis me inde potest pelle-
re, &c. * *A læva quid aget, non apprehendam.* Su- v. 9.
periora repetit. A læva autem dicit non se appre-
hensurum deditum temporalibus. *Convertetur ad*
dexteram, & non videbo. Ideo non debeo esse à læ-
va. *Convertetur* autem dixit, quia ipse in spiritalibus
est, unde ego me averto, si à læva fuero. * *Scit ipse* v. 10.
viam meam: ut etiamsi per tribulationes me duxerit,
sequar. *Probavit me sicut aurum:* in [c] tribulationi- c
bus. * *Egrediar in præceptis ejus:* De tenebris meis v. 11.
exeam, sed tamen in præceptis ejus. * *Si autem ipse* v. 13.
judicavit sic: ut per tribulationes me tamquam au-
rum probet. * *Propterea ad eum festinavi:* quia me v. 14.
tribulavit, ideo relictis temporalibus ad eum festi-
navi. *Et commonitus sollicitus fui de eo:* ut his pœnis
F carnalibus æterna supplicia devitarem. * *Idcirco à* v. 15.
facie ejus turbabor. Modò turbabor, ut caveam cogitans futurum judicium, ubi erit ejus manifestatio.
* *Et Dominus mollivit cor meum.* Et ipsum timere, v. 16.
quo cavet futuras pœnas, misericordiæ Dei deputat. Non enim sciret superventuras pœnas & tenebras malis, nisi Dominus molliret cor ejus præsentibus tribulationibus: adversùs illud, quod in- Exodi 7. 3.
durat Deus cor Pharaonis. * *Quare Dominum non la-* In Caput XXIV.
tuerunt horæ: Quamobrem, vel, Itaque. *Finem* v. 1.
transgressi sunt: Christum. * *Et inclinaverunt paupe-* v. 4.
res à via justa: ut vel imitarentur eos, vel inde ar-
bitrarentur non esse divinum judicium, quia im-
punitam videbant malitiam, qua eis nocebant re-
linquentes justitiam. *Simul absconditi sunt mites terræ:* cum his qui declinaverunt à via justa, absconditi

a MSS. tres, *deputandi.*
b Sic MSS. At editi, *percussistis.*
c MSS. tres, *in tentationibus.*

ſunt mites, ne mihi ferrent auxilium. Nam tria ſunt A
genera hominum in Eccleſia, cùm fit perſecutio:
alij enim conſentiunt, alij fugiunt, alij patiuntur,
v. 5. quorum perſonam ſuſtinet Job. * *Et irruerunt aſini*
feri in agro ſuper me. Stulti & indomiti, & ob hoc
ſuperbi, irruerunt ſuper me confitentem, ſcilicet
Eccleſiam. *Et exeuntes ad opus ſuum.* Hoc enim opus
eſt eorum, ut in me irruant, id eſt, ad hoc deputati
ſunt à Deo. *Suavis factus eſt ei panis in adoleſcentes.*
Impio & perſecutori ſuavem panem dicit, id eſt per-
ſecutionem, qua libenter fruebatur, cùm eam fa-
ceret adoleſcentibus, ut adoleſcentes aut pro ama- B
toribus voluptatum accipiamus, quia ipſi facilè ta-
libus conſentiunt; aut pro eis qui tantum in Eccle-
ſia profecerunt, ut pueritiæ quidem ſimplicitatem
tranſierint, ſed nondum pervenerint ad robur illud
v. 6. virile, quo etiam perſecutor contemnitur. * *Agrum*
ante tempus non ſuum demeſſuerunt. Aut genera dicit
perſecutionum, ut aliquem agri damno terrerent:
aut pro agro Eccleſia intelligenda, quam ante ma-
turitatem perſecutionibus metere voluerunt, id eſt,
Matth. 13. 29. antequam ſimul zizania creſcerent, ut tempore C
Iob. 24 v. 8. meſſis ſepararentur. * *De ſtillicidiis montium madeſ-*
cent: confugientes nudi ad ſpeluncas, ubi ſaxa di-
v. 9. ſtillant. * *Rapuerunt ab ubere pupillum.* Pupilli & vi-
duæ plerumque ex perſona Eccleſiæ accipiendi. eſt
populus ſub tormento. *Et cum qui ceciderat, humi-*
liaverunt: deſertum vel auxilio Dei, vel alicujus;
v. 11. quod eſt magnæ ſævitiæ, non talibus parcere. * *In*
v. 12. *anguſtiis inſidiati ſunt iniquè:* in neceſſitatibus. * *De*
civitate & de domibus ejiciebantur. Ab eis ejicieban-
tur alij. *Anima verò parvulorum in gemitu valde:* fuit. D
Ipſe autem Deus eorum curam non habuit: impiorum,
quia modò curam eorum non habendo, fecit eos
deſperare de judicio Dei: quia impunè mala facie-
v. 14. bant. * *Et ideo in tenebras traditi ſunt*: ignorantiæ
judicij Dei. *Et repentè ut fur:* eos occupabit dies ille.
v. 15. * *Oculus adulteri obſervat tenebras.* Oſtendere vult,
in quas tenebras tradantur impij per impunitatem:
non enim eas quas captant adulteri, & ceteri qui
malè faciunt per noctem, ne agnoſcantur per diem,
v. 16. ſed illas quæ etiam [a] manè ſuper eos ſunt. * *Suffodit* E
a *in tenebris domos.* Alia mala facta commemorat. *Per*
diem obſignaverunt ſemetipſos: occultaverunt. *Non co-*
v. 17. *gnoverunt lucem,* * *quia ſimul eis* [b] *manet umbra mortis:*
b non quia nox receſſit, propterea eos deſeruit um-
v. 18. bra mortis. * *Levis eſt ſuper faciem aquæ:* ad compa-
rationem terræ, ſplendidiores accipiendi ſunt, quos
lux penetrat & imago levitatis; & ideo levis eſt ſu-
per eos umbra mortis. Nam & ipſi portant eam per
conditionem carnis. Vel, *Levis eſt ſuper faciem aquæ*
dixit, ſuper eos qui in baptiſmo confitentur. *Ma-* F
ledicatur pars eorum ſuper terram. Sterile ſit quod de-
legerunt. *De ſinu enim pupillorum rapuerunt:* de cor-
v. 19. de infirmorum verbum, per malam ſuaſionem. * *De-*
inde rememoratum eſt peccatum ejus: quod putabat in
v. 20. oblivionem venire. * *Conteratur ſicut lignum inſana-*
c *bile omnis iniquus:* quod non [c] ſanat. * *Sterili enim non*
v. 21. v. 22. *fecit bene:* quæ ſine conſolatione filiorum eſt. * *Con-*
ſurgens ergo non credit contra vitam ſuam: non cre-
dit adverſùs vitam ſuam: debuit enim credere ma-
v. 23. lam ſe habere vitam, & eo ipſo conſurgere. *Cùm* G
infirmari cœperit, non ſperet ſanitatem: tribulari. *Sed*
cadit in languorem. Tales enim impius conſolationes
v. 24. quærit in rebus adverſis, quibus infirmior fiat. * *E-*
marcuit ſicut malua in æſtu altitudo ejus: quia non
tulit æſtum tribulationis: malua autem, propter
infirmitatem. *Aut ſicut de ſtipula ſpica decidens ſponte*
ejus. Quia manè erat in culmine ipſius. Ipſe enim
ſibi elegit tales conſolationes, quibus pejus infir-
metur. * *Alioquin quis eſt qui loquatur mendacium me* v. 25.
dicere? ſi & aliter ſunt.

Verba Baldad Sauchitis. * *Quid enim* In Caput XXV. v. 2.
exordium quàm timor ab eo? Iſta ſubjunctio videtur
illis verbis conſentire, quibus dicit Job, * *Idcirco à* Iob. 23. v. 15.
facie ejus turbabor, conſiderabo, & timebo ab eo. * *Ne-* Iob. 25. v. 3.
mo putet eſſe moram piratis. Sine mora ſecundùm per-
miſſum ejus tentant. *In quem enim non venient inſi-*
diæ ab eo? hoc eſt, cùm ipſe permittit. Inſidias au-
tem dicit tentationes. * *Aut quomodo erit homo ju-* v. 4.
ſtus coram Domino? Ergo juſtè eum tentari permit-
tit. *Vel quomodo ſe mundabit natus ex muliere?* niſi
enim à Deo mundatus fuerit, immundus eſt. * *Si lu-* v. 5.
næ præcipit, & non lucet. Quoniam ſi exigant ratio-
nes & ordo providentiæ ipſius, ut luna non luceat,
præcipiet ut non luceat, & non lucebit. Sed quare?
Utrùm inde vult videri non mundam lunam coram
eo, quia præcipit ei, & non lucet: an fortè ratio-
nalis animæ natura figuratè hîc inſinuatur, cui ſol
intelligibilis eſt lumen illud verum, quod illuminat Iohan. 1. 9.
omnem hominem. Et quoniam tanto magis luna lu-
cet terrenis adſpectibus, quanto magis recedit à ſo-
le; cùm autem propinquat ſoli, interimitur terris:
intelligamus animæ divinitus præcipi, ut ſuperata
nativitate terrena atque mortali, qua ſplendor ejus
apparet terreno ſenſu videntibus, appareat & pro-
pinquet, ſubjugeturque ſapientiæ, quo ejus luce
ſecretiſſimè [d] exſultans, caveat facere juſtitiam d
ſuam coram hominibus, ut videatur ab eis, ſed cùm Matth. 6. 1.
gloriatur, in Domino glorietur. Quia & cùm ap- 1. Cor. 1. 31. 2. Cor. 10. 17.
paret hominibus, dono Creatoris apparet, *Nec*
ſtellæ ſunt mundæ apud eum: in comparatione ejus.

Verba Job. * *Cui ades, vel quem adjuturus es?* In Caput XXVI. v. 2.
cùm indignans tamquam injuſtitiæ eorum, putaret
eos à Deo puniendos. Verùm ſibi ipſe loquens ſe-
ipſum revocat, ut Deo potiùs dimittat judicium eo-
rum, ne aut adeſſe Deo videatur, aut adjuvare eum
velle, quaſi invalidum, ad coërcendos vel corrigen-
dos homines; aut conſilium dare, quid cum illis agat;
aut ſequi eum, tamquam aſſecuturus cauſſam, qua-
re doloſos homines eſſe & vivere patiatur, cùm ſu-
peret omnem animam quærentem virtute incom-
prehenſibili; aut quaſi annuntiare illi aliquid de il-
lis, cùm ab ipſo habeat homo & ſpiramen, cùm
aliquid enuntiat. * *Numquid gigantes redigentur in* v. 5.
nihilum? Non ergo mirandum, ſi iſtis Deus parcit,
quando gigantes non redigit in nihilum. Et ne di-
ceretur, Sed ad inferos detruſi ſunt; ſubjecit, * quia v. 6.
infernum videt Deus: & tamen eos ibi ordinavit ubi
eſſe meruerunt; ſicut juſtos ſive nunc ſicut ſunt,
ſive poſtea ſicut erunt, quamvis eos numquam re-
moveat à facie ſua, quia omnia nuda ſunt coram eo:
ita ut proximos gigantes etiam iſtos conſolatores
ſuperbos accipias. *Subter aquam & proximi eorum.*
an *Subter aquam*, ſubaudiendum, tenentur, vel
aliquid tale? *Et non eſt velamen perditioni.* Etiam per-
ditio eum non latet. * *Extendens Aquilonem ſuper ni-* v. 7.
hilum. Poteſt Aquilo diabolum ſignificare, & terra
peccatorem; quoniam & illi & illi inanis eſt ſpes.
Suſpendens terram ſuper nihilum: in aërem. * *Ligans* v. 8.
aquam in nubibus ſuis: propter obſcuritatem pro-
phetiæ. *Et non eſt ſciſſa nubes ſub eo:* ſub veritate

a Editi, *malè.* MSS. *manè.*
b Sic editi & MSS. At LXX. τὸ πρωΐ, *manè.*
c Lov. *ſanatur.* Alij codices editi & MSS. *ſanat.*
d Sic in MSS. At in editis, *ſecretiſſima.*

quam habuit nubes, quæ non ſcinditur Scripturas A
intelligentibus: non enim adverſaria dicuntur, ſicu-
v. 9. ti putant non intelligentes. *Qui tenet faciem* [a] *ſolis:*
a ne agnoſceretur ab impiis ſol juſtitiæ. *Et extendit ſu-*
per eum nubem ſuam: carnem quam Dominus ſuſce-
v. 10. pit. * *Præceptum circumdedit ſuper faciem aquæ:* po-
pulos. *Uſque ad conſummationem lucis:* hujus vitæ
finem, hoc eſt finem ſæculi, aut quò uſque con-
ſummentur, id eſt, perficiantur homines, qui-
Epheſ. 5. 8. bus dictum eſt, Fuiſtis enim aliquando tenebræ,
Iob. 26. v. 11. nunc autem lux in Domino. * *Columnæ cæli contre-* B
muerunt, & obſtupuerunt ab increpatione ejus: quod
Gal. 2. 11. contigit Petro per Paulum. * *Virtute ſua ſedavit*
Iob. 26. v. 12. *mare:* placavit ſæculum, à quo perſecutionem pa-
tiebatur Eccleſia. Unde etiam columnas cæli con-
tremuiſſe ab increpatione ejus, poteſt hoc modo
intelligi, ut robuſtiſſimi Eccleſiæ contremuerint pro
infirmis, ab increpatione Domini permittentis ten-
2. Cor. 11. 29. tationes perſecutionis. Columna enim clamat, Quis
infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandaliza-
Iob. 26. v. 12. tur, & non ego uror? * *Prudentiâ ejus vulneratus eſt* C
cetus. Vulneratum dicit diabolum dolore, quo ei
v. 13. juſti non cedebant. * *Et clauſtra cæli metuunt eum:*
vel Angeli, vel qui acceperunt claves regni cælo-
rum. *Præcepto autem peremit draconem deſertorem.*
Eumdem dixit & cetum. Sed nunc oſtendit quo-
modo ſit vulneratus, cùm acceperunt præceptum,
v. 14. qui ei renuntiaverunt. * *Ecce hæ partes viæ ejus:* quà
ad Deum venitur. *Virtutem autem tonitrus ejus quis*
ſciet, quando faciet? Tonitrum dicit evidentiſſimam
vocem manifeſtationis ejus: aut illam fortè vocem, D
Iohan. 1. 1. quam dedit per filium tonitrus, In principio erat
Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat
Verbum: ut ſit ordo, *Quando faciet, utrùm quis ſciet*
In Caput XXVII. v. 3. *virtutem tonitrus ejus?* * *Et ſpiritus divinus in naribus*
meis. Hîc oſtenditur propheticè eum dicere quæ di-
cit, & propheticè cognoſcere, quia iſti conſolatores
v. 5. ejus dolo pleni ſunt. * *Abſit à me juſtos vos dicere,*
donec moriar: etiamſi uſque ad mortem perſequami-
ni me, quia vos liberè reprehendo. *Nec enim ſepa-*
v. 6. *rabo innocentem:* ne vos autem. * *Nec enim conſcius* E
ſum mihi iniquum quid commiſiſſe. Illi enim ſolent
plerumque aliis parcere, qui metuunt ſibi aliquid
verum objici. * *Quæ enim ſpes eſt impio? Quia exſpe-*
ctat. Ne quis putaret malè eum optaſſe inimicis
ſuis, hîc aperuit quo animo dixerit. Impietatem
quippe illorum vult everti, & perire ſuperbiam:
quod ſit cùm ſolvitur ab impietate anima quæ te-
nebatur rea; ſolvitur autem per confeſſionem pæ-
nitentis hominis, & gratiam ignoſcentis Dei. Ergo
v. 8. *Quæ enim eſt ſpes impio?* interrogatio: & reſponſio, F
b *Quia exſpectat, & confidit in Domino, ſi fortè* [b] *ſol-*
v. 5. *vatur,* * *aut preces ejus exaudiat Dominus.* Poteſt
quidem & alius ſenſus occurrere in his verbis, ſed
non ita contexitur & libro & fidei, ut quaſi totum
ex deſperatione ſit, quòd ſpem prorſus non habeat
Rom. 4. 5. impius: cùm adverſùs hoc ſcriptum ſit, Credenti
autem in eum qui juſtificat impium, deputatur fides
ejus ad juſtitiam. Et ideo quod ſequitur, gratiâ
Iob. 27. v. 9. Domini dicere intelligitur. *Aut ſi evenerit ei neceſſi-*
tas: ideo debemus exſpectare gratiam ſolventis. G
Numquid enim in neceſſitate, id eſt, in tentatio-
v. 10. ne, * *habuit fiduciam,* meritorum in conſpectu Dei?
Aut ſi invocaverit exaudiet eum? ſi tamquam fidu-
v. 11. ciâ operum ſuorum invocat, quæ nulla ſunt. * *Qua-*
propter annuntiabo vobis quid ſit in manu Domini:
quid diſponat Deus. * *Ecce omnes noſtis, quia vanè* v. 12.
vana loquimini: ob hoc gratia jam exſpectanda eſt.
Quomodo enim allegavit merita operum ſuorum
vanè vana loquens? *Poſſeſſio verò potentium veniet* v. 13.
ab omnipotente ſuper eos: ut poſſideant eos potentes,
id eſt, diabolus & angeli ejus. Potentes autem ideo
dicit, quia iſti infirmabuntur ſequentes vanitatem,
ut in eos illi prævaleant duces & principes vanitatis:
quomodo & Dominus fortem eum appellat, non
ob aliud niſi quia tenet invalidos. * *Quòd ſi multi fue-* v. 14.
rint filij ejus, in occiſionem erunt. Filios ejus dicit, qui
cum ad ſeducendum imitantur, falſorum dogma-
tum perſuaſorem in damnationem. *Si autem juvenes*
facti fuerint, indigebunt: id eſt, ſi confirmati fuerint
in errore, indigebunt; non enim eos ſatiavit vani-
tas. * *Et qui circa eum ſunt morte morientur:* qui ſimil- v. 15.
limi ei ſunt ad ſeducendum. *Et viduis eorum non mi-*
ſerebitur: plebibus, quas ſeduxit cum eis, viri morte
deſertis, quaſi fidem illis conjugalem in erroris pro-
miſſione ſervaverit. * *Quòd ſi & collegerit ut terram* v. 16.
argentum: id eſt, ſi prudentes & ſapientes, cùm ad-
huc terra & lutum ſunt, id eſt, cùm adhuc ſtulta
& carnalia ſentiunt, eis conſenſerint; poſtea cor-
recti & cognoſcentes ad juſtos convertentur. * *E-* v. 18.
runt enim domus eorum ſicut tineæ & araneæ, quæ ſer-
vavit: cor vel conſcientiam. Aut domus dixit mu-
nimenta, quibus ſe protegunt, verùm aſtuta & la-
tebroſa, ſed invalidiſſima, ſicut tineæ folliculus quo
ſe abſcondit, & araneæ caverna, in quam ſe reci-
piendo cooperit, & claudit eam. *Quæ ſervavit* au-
tem, intelligitur ſe ipſa in illa caverna; quia non om-
nes araneæ hoc faciunt: propter ſpontaneam & in-
teriorem corruptionem iniquæ cogitationis, &
propter inutilia opera, quæ quaſi diligenter in do-
mo ſervavit ſibi impius. * *Dives dormiet, & non ad-* v. 19.
jiciet: quia poſt mortem non adjiciet ad ipſas impie-
tates divitias. *Oculos ſuos aperuit, & non eſt.* In re-
ſurrectione enim non inveniet ſeipſum divitem,
quod putaverat. * *Tollet eum æſtus, & abibit:* aut v. 21.
æſtus maris, tribulatio ſæculi; aut æſtus quo areſ-
cunt herbæ, quæ radicem non habent. *Et ventila-*
bit eum de loco ſuo: aut de ſpe ſua; aut Deus eum
ventilabit de loco ſuo, ut non ſit in loco Dei, hoc
eſt, in populo quem inhabitavit Deus. * *Et projiciet* v. 22.
ſuper eum, & non parcet: tamquam aggerem pœna-
rum. * *Plaudet ſuper manibus ſuis:* ſicut dictum eſt, v. 23.
Et ego perditioni eorum ſuperridebo: non enim Prov. 1. 26.
ſuperlugebit perditionem impiorum. * *Eſt enim ar-* In Caput XXVIII.
genti locus unde ſit: prudentes, qui magis in actione v. 1.
ſunt. *Locus autem auro, ubi purgatur:* ſapientes, qui
in contemplatione ſunt. * *Ferrum enim de terra ſit.* v. 2.
Hæc metalla indifferenter accipienda in bono ſunt:
nam ideo ferrum dixit, quia nihil intereſt, quaſi
ſuperiùs de ferro diceret: quamvis ferrum poſſint
fortes intelligi. Revera enim nulla diſtinctio eſt in
ſapientia hominum, quàm in ea ſunt. *Æs autem ſimi-*
liter ut lapides excluditur: quia totum de terra ſepa-
ratur: ut oſtendat propterea eſſe bonos malis mix-
tos ad tempus, quia de ipſis malis [c] ſecluduntur bo- c
ni, & per illos purgantur tamquam metalla operi
vel ædificio neceſſaria; cùm ipſa terra opus habeant
eliquari, ac formari, unde & ſeparandi ſunt, ut
poſt hanc ſeparationem habeat terra locum atque
ordinem ſuum, ſicut impij per damnationem pro

a Mendum in codice Auguſtini: ſiquidem apud LXX. legitur, θρόνου: in Vulgata, *ſolij.*
b LXX. σωθήσεται, *ſalvabitur.* Vulgata verò locum hunc vertit per verbum, *liberet.*
c Ita Regij codicis ope caſtigamus: ſcilicet legebatur in editis, *ſeducuntur.*

v. 3. meritis suis. * *Et omnem finem ipse invenit:* quid quò A
perduceret. *Invenit* autem dixit, instituit. *Lapis*
tenebræ & umbra mortis. Lapis, id est, vetus Testa-
mentum, tenebris & umbræ mortis datum est, id
est, carnalia sectantibus, quamvis ab uno Deo hæc
exspectarent: unde superbientes non discindebant
torrentem, id est non transibant per lapsum tem-
poralium ad aliquam soliditatem, sed ipso lapsu fe-
v. 4. rebantur. * *Et facta est discissio torrentis à cinere:* hoc
est, à confitente peccata sua, & non superbiente de
meritis operum: quod factum est per gratiam novi B
Testamenti. *Discissio torrentis à cinere:* ab homini-
bus. *Et commoti sunt ab hominibus:* adulantibus non
*f. ob ipsa. increpante Deo, * ab ipsa quæ eis promissa erant
v. 5. perdendo primatum suum. * *Terra de qua egressus*
est panis: subaudiendum, Ipsos dico commotos de
quibus, tamquam de terra, panis Domini exiit. *Et*
a *eam incensurus est:* infidelem cælesti judicio [a] Do-
v. 6. minus. * *Locus sapphiri lapides ejus:* ordo, locus sap-
phiri, id est, pretiosi & necessarij ædificio civitatis
cælestis. *Et aggeres aurum ei:* aurum ei non modicum C
v. 7. est, sed aggeres. * *Semitam quam non cognovit avis:*
humilitatem Domini. *Nec vidit eam oculus vulturis:*
v. 8. diaboli. * *Non transit super eam leo:* per fortitudi-
v. 9. dinem superbiens. * *In durissimo lapide extendit ma-*
Matth. 3. 9. *num suam.* Potens est enim Deus de lapidibus exci-
Job. 28. v. 10. tare filios Abrahæ. * *Et ripas fluminum disrupit:* ut
totum irrigaret. Flumina enim dicit prædicatores
verbi. Voluerunt quippe ripis suis contineri, ut tan-
tùm circumcisioni prædicarent. *Omne verò pretio-*
sum vidit oculus meus: humanus, per Verbum car- D
v. 11. nem factum. * *Altitudinem fluminum revelavit.* Vir-
tutes tolerandi persecutiones in martyrio occultæ
& altæ sunt in homine, donec persecutionis tenta-
tione revelentur. *Ostenditque virtutem suam in lumi-*
Matth. 5. 14. *ne:* in eis quibus dixit, Vos estis lux mundi. Per
quos etiam pars Judæorum non parva conversa est.
Job. 28. v. 14. * *Abyssus dixit, Non est in me.* Ideo in abysso con-
stituti homines eam invenire non potuerunt, quia
v. 15. in ea non est. * *Non dabitur aurum inclusum pro ea:*
v. 16. id est thesaurus. * *Non erit deterior auro Ophir:* tam- E
quam si diceret, Vel sic eam quærite, siquidem de-
v. 17. terior non sit auro Ophir. * *Non æquabitur ei aurum*
& vitrum. Aut intelligendum aliquod vitrum spe-
ciosum; aut quia sunt homines, qui vitrum plus
diligant quàm sapientiam. *Et commutatio ejus vasa*
v. 18. *aurea:* non sunt, subaudis. * *Et excelsa & [b] Gabis*
b *non erunt in memoria:* oblivioni erunt in compara-
tione ejus. Aut *excelsa & Gabis*, tamquam super-
ba quæque non sunt in memoria, ut per humilita-
v. 20. tem trahas de absconditis sapientiam. * *Sapientia* F
unde inventa est? dicit, quia non potuit eam inve-
nire homo nisi per gratiam, ideo ad Deum conver-
v. 21. tendum esse cor. * *Latet ab oculis omnis hominis:* quia
v. 22. non est in sensibilibus. * *Perditio & mors dixerunt:*
v. 23. perditi & mortui, cùm in deliciis vivunt. * *Dominus*
commendavit viam ejus: humilitatem, quæ abscon-
dita est à volucribus cæli. *Et ipse novit locum ejus.* Lo-
cus sapientiæ quis, nisi Pater est? Cùm enim dici-
Johan. 10. 38. tur, Ego in illo; & ille in me; invicem sibi quasi
Job. 28. v. 24. loca sunt. * *Ipse enim omne quod est sub cælo, perspi-* G
cit: Hoc modo ea novit, quo fecit, & non sensi-
v. 25. biliter. * *Ventorum libramenta*, [c] *atque mensuras.*
c Tota creatura per partem significatur. Et bene,

pondere, mensurâ, & numero, omnia dixit facta, Sap. 11. 21.
in quibus intelligitur Creator. * *Quando fecit, sicut* Job. 28. v. 26.
vidit, enumeravit. Non extra vidit ut faceret; sed
in semetipso, sicut artifex. *Et viam tempestatum*
vocibus: tempestatum pro tentationum positum est;
tentationum autem, pro his qui tentantur: quo-
modo dicerentur voces naufragij, pro vocibus nau-
fragorum. * *Tunc vidit eam, & exposuit eam.* In v. 27.
prædestinatione Dominus vidit viam, qua se con-
verterent tentati. *Paravit & investigavit:* in præ-
destinatione, [d] non in actione. * *Quisnam me restituet* In Caput XXIX.
in menses priorum dierum? Hæc ex persona dici vi- v. 2.
dentur Ecclesiæ simul cum capite Christo, tam- d
quam totus ipse homo loquatur tempore abundan-
tiæ tribulationum & tentationum, tamquam his
diebus, de quibus Dominus dicit, Venient dies Luca 17. 22.
quando optabitis videre unum de diebus istis, &
non videbitis. Eo enim tempore, quo Dominus
erat in terra, nulla erat sollicitudo, quamvis adhuc
populo parvo Christiano, qui constabat ex his qui
in eum crediderant, ex quibus erant plus quàm
quingenti fratres, quibus etiam post resurrectionem 1. Cor. 15. 6.
apparere dignatus est, sicut Apostolus dicit. Nulla
ergo tunc erat sollicitudo, ne aut à malis malè gu-
bernaretur Ecclesia, aut hæresum vel schismatum
laniaretur insidiis. Nam nec ipsas corporales perse-
cutiones passa est; non aliquas pertulit vel intrin-
secùs vel extrinsecùs adversitates. Loquitur itaque
Job ex persona hominis, hoc est, populi ad novum
Testamentum pertinentis, desiderantis illos dies,
sicut prædixerat Dominus. Et fortasse ideo menses
appellavit, non annos, quia ex quo elegit Domi-
nus Discipulos, usque ad passionem, non anni, sed
menses fuerunt. * *Cùm lucebat lucerna ejus super ca-* Job. 29. v. 3.
put meum: vel carnem Domini visibiliter præsen-
tem, vel verbum ex ore præsentis corporaliter.
* *Cùm verbum* [e] *Domini inspiceret domum meam:* ad e
diligentiam custodiendi conversationem. * *Et circùm* v. 4.
me pueri mei: qui obsequebantur humiliter necessa- v. 5.
ria administrantes. * *Cùm flueret per vias meas buty-* v. 6.
rum: per mores meos exsultationem fidei & bono-
rum operum. *Cùm montes mei abundarent lacte:* Pro-
phetæ bene parvulis exponerentur. * *Cùm exirem* v. 7.
matutinus in civitate: aut cùm jam claritas lucesce-
ret, transactis tenebris timoris; aut in exordio Ec-
clesiæ, ut non satis occultus, non satis manifestus.
Et in plateis ponebatur mihi sella: à turbis defereba-
tur mihi docendi auctoritas. * *Videntes me adolescen-* v. 8.
tes abscondebantur: dediti concupiscentiis. *Senes au-*
tem assurgebant: prudentes. * *Et potentes cessaverunt* v. 9.
loqui: superbientes de doctrinis suis. * *Quia auris* v. 11.
audivit, & beatificavit me. Populus quem non co- Psal. 17. 45.
gnovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.
* *Et oculus videns me declinavit:* Judæorum non cre- Iob. 29. v. 11.
dentium. * *Et os viduæ benedixit me:* ejus animæ, v. 13.
quæ diaboli conjugio renuntiavit. Ecce ferebatur Luca 7. 12.
mortuus filius unicus matri suæ, quæ erat vidua. * *Et* Iob. 29. v. 14.
vestiebar judicio, sicut chlamide: in præferendis spiri-
talibus, carnalibus, nesciat sinistra quid faciat dex- Matth. 6. 3.
tera tua, id est, qua intentione operetur: opertâ
enim sinistrâ dextra exserta est in vestitu chlamidis;
quod facit, qui rectè judicat, quò sit referendum
quod operatur. * *Iudicium quod non noveram exquisi-* Iob. 29. v. 16.
vi. Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te,

a MSS. tres, *Domini.*
b Editi, *gravis*, corruptè pro *Gabis*, voce Hebræa, quam quidem LXX. retinuerunt; Symmachus verò vertit, ὑπερκῶα; Vulgata, *eminentia*: Hieronymus de nominibus Hebraïcis in Job interpretatur *altitudinem confusionis*: alij denique ignotum quoddam gemmæ genus significare putant.
c Sic legisse videtur Augustinus, pro *aqua*, sive *aquarum mensuras*, quæ vera Scripturæ lectio est.
d Floriacensis codex optimæ notæ caret negativa particula.
e Floriacens. MS. *cùm Dominus.*

Matth. 19. 27. quid nobis erit? Dicit felicitatis suæ fuisse, quòd ha- A
buerit à quo quæreret de futuro judicio. * *Confregi*
Iob. 29. v. 17. *molas iniquorum:* ut jam non devorarent plebem de
v. 18. cibo panis. * *Ætas mea senescet, sicut arbor pal-*
mæ, multo vivam tempore: prolongabitur, & ero
sicut arbor palmæ in honore sempiterno, & cel-
v. 19. situdine, & rectitudine. * *Et ros morabitur in messe*
mea. Ex quo seminatur & germinat ager; messis
v. 20. dicitur. * *Gloria mea nova mecum:* id est, novi
Testamenti. *Et arcus meus in manu mea gradietur:*
v. 22. faciam quod præcipio. * *Et in sermone meo non ad-* B
jecerunt. Perfectionem Evangelij significat: nam
sermo synagogæ datus indiguit adjectione. *Sed ga-*
visi sunt cùm loquerer eis: quia prior locutio timo-
v. 24. rem habebat, sequens caritatem. *Quòd si & ride-*
rem ad eos, non credebant: de his quæ in parabolis ita
loquebatur, ut non intelligeretur; non tamen si-
cut verba sonare videbantur, vana dicere putare-
Gen. 18. 10. tur. Hic est risus Saræ, qui significabat omnia eos
in prophetia fecisse: unde qui figuratè aliquid di-
v. 25. cunt. * *Elegi eorum viam, & sedi princeps:* aut sus- C
cipiendo mortalitatem, aut cum publicanis & pec-
catoribus convivando, sed ita ut princeps eis essem
ad salutem. *Et habitabam sicut rex cinctus fortibus:*
qui suis dimissis eum secuti sunt. *Quasi consolans tri-*
stes. Eos dicit qui spe gaudebant, cùm de præsenti
Matth. 5. 5. vita erant tristes. Beati lugentes, ut dictum est: &
2. Cor. 6. 10. Quasi tristes, semper autem gaudentes: qui [a] non
a Matth. 5. 19. possunt tenere illam magnitudinem, de qua di-
ctum est, Qui autem fecerit, & sic docuerit, ma-
In Caput XXX. gnus vocabitur in regnum cælorum. * *Nunc autem* D
v. 1. *derident me infimi, nunc monent me minores tempore:*
quia & postea nati sunt in Ecclesia tales, & non
proficiunt plurimùm. *Monent me* autem dixit, quia
per honores ecclesiasticos accipiunt potestatem
prædicandi populo, quæ ipsi non faciunt. *Quorum*
spernebam parentes. Parentes eorum dixit, quorum
Matth. 23. 33. imitatione filij sunt, quibus tunc dicebatur, Væ vo-
Iob. 30. v. 2. bis scribæ & pharisæi hypocritæ. * *Et virtus ma-*
nuum eorum quasi nihilum mihi erat: parentum po-
testas, qui tunc usque adeo plurimum poterant, E
ut crucifigerent Dominum. *In eo peribat omnis vi-*
v. 3. *ta:* quia non se vel in fine correxerunt. * *Egestate &*
fame instabiles: à variis desideriis insatiabilibus. *Qui*
fugiebant in desertum herì: conferendo se ad excu-
sationem Legis, quam non simpliciter intellige-
bant: & quia in deserto acceperant, *fugientes in*
desertum herì. Sicut enim hodie pertinet ad novum
Testamentum, sic ad vetus herì: de novo enim di-
Psal. 94. 8. ctum est, Hodie si vocem ejus audieritis, nolite
Psal. 2. 7. obdurare corda vestra: &, Filius meus es tu, ego F
Iob. 30. v. 4. hodie genui te. * *Qui rodebant cortices arborum:* quia
figuras Legis, quibus vina tegebantur, pro cibo
habebant. *Quorum erat cibus radix herbarum:* sacra-
menta, quæ corporaliter jussi erant celebrare,
tamquam terræ inhærentia; ex quibus tamen sim-
plicis intelligentiæ fructus surgeret, & supra ter-
ram in libertatem ferretur, quò illi pervenire non
poterant. *Inhonorati, & abjecti, & egentes omni bo-*
no: amisso primatûs honore, ab spe promissionis;
quia & ipsum terrenum donum pro meritis suis ami- G
serant, & regnum cælorum non tenent. *Qui radi-*
ces lignorum manducabant, propter magnam famem.
Quod de radicibus herbarum dictum est, propter
fructum frumenti, hoc de radicibus lignorum in-
telligendum est, propter fructum vini & olei.
Nam omnes istos spiritales fructus accepit Eccle-

sia, quorum radices terræ implicatæ sacramenta
erant, quæ corporaliter Judæi observare cogeban-
tur, Sabbatum, circumcisionem, & victimas, &
cetera hujusmodi spiritalium ciborum. * *Insurre-* v. 6.
xerunt super me fures: qui ad honores indebitos,
qui justorum sunt proprij, per tenebrosas fallacias
pervenerunt. *Quorum domus erant cavernæ petrarum:*
qui concupiscentias suas defendebant, & tegebant
quibusdam obscuritatibus divinorum librorum. *Et*
inter arbores clamabant. Manifesta erant peccata eo-
rum, quamvis ea Scripturarum obscuritate, quasi
umbris arborum, tegere conarentur. Hinc est,
Clamor Sodomorum adscendit ad me. Et pleris- Gen. 18. 20.
que locis pro manifestis peccatis clamorem ponit
Scriptura: ut verbum sit quidquid corde concipi-
tur; clamor, cùm procedit in factum. * *Qui sub stir-* Iob. 30. v. 7.
pibus terræ manebant. Non saltem in stirpibus, sed
etiam inferiùs stirpibus manere possunt intelli-
gi, qui vel carnaliter præcepta custodiunt. Stirpes
enim sunt non jam ipsi fructus, sed unde surgunt
partes fructiferæ, vel arborum, vel herbarum: si
tamen fructiferum genus est, quia & non fructife-
ri generis stirpes dicuntur. * *Filij stultorum & igno-* v. 8.
bilium: Judæorum; nam hos dixit superiùs paren-
tes eorum propter imitationem, quia & isti sub Dei
nomine ambulant, quem non colunt. Stultos au-
tem & ignobiles dicit Judæos, qui è contrario,
non solùm se confidebant esse duces cæcorum, sed
etiam filios esse Abrahæ, quo patre se esse jacta-
bant nobiles. Sed cùm audiunt, Cæci sunt, duces Matth. 15. 14.
cæcorum: stulti demonstrantur. Et cùm audiunt,
Si filij Abrahæ estis, facta Abrahæ facite: degene- Iohan. 8. 39.
rando demonstrantur ignobiles. * *Nomen & honor* Iob. 30. v. 8.
exstinctus à terra. Erat enim, sed exstinctum est.
* *Nunc autem cithara eorum ego sum:* horum, quo- v. 9.
rum illi patres sunt, qui me ad aurem habebant,
non ad cor. *Et me habent ad fabulam:* inanem &
inutilem narrationem & auditionem, quamvis me
& narrent, & audiant. * *Abominati sunt me, disce-* v. 10.
dentes procul. Longè facti à justitia peccando, &
præcepta justitiæ malis moribus exsecrando. *Nec*
in faciem meam pepercerunt spuere. Exsecranda facies
namque Christi est his, qui præcepta ejus cum
contemtu exhorrent. Vel, malè me innotescere fe-
cerunt morum suorum pravitate. * *Aperiens enim* v. 11.
pharetram suam afflixit me: secreta rerum, unde
tentationes exsistunt. *Et frenum in faciem meam mi-*
serunt: ut eis invitus consentirem, portans eos du-
centes quò vellent, ad ima sua. * *Et à dextris germi-* v. 12.
nantes consurrexerunt: & favendo & bene monendo
exorti sunt quidem ut suas cupiditates explerent,
non persequendo. *Pedes meos vinxerunt compedibus:*
officiorum ecclesiasticorum, ut non eos possent
fugere. * *Contritæ sunt semitæ meæ:* ut non appare- v. 13.
rent, per quas solent boni ambulare, non quæren- Phil. 2. 20.
tes sua, sed Christi. * *Exuit enim me stolà:* auctoritate Iob. 30. v. 13.
pristina, cui cedi solet; quod contingit multitudi-
ne & consuetudine peccatorum prævalente. * *Et* v. 14.
jaculis suis vulneravit me: præceptis, quibus video
mala, & quia coërcere non possum, crucior. *Abu-*
sus est me sicut voluit: etiam calamitate & miseriâ
meâ usus est ad justitiam suam Deus, sicut voluit.
Doloribus involutus sum: & in me, & in aliis patior. 2. Cor. 7. 5.
Foris pugnæ, intus timores. Quis infirmatur, & 2. Cor. 11. 29.
ego non infirmor? * *Et iterantur dolores mei, discedit* Iob. 30. v. 15.
sicut spiritus spes mea. Quasi inane aliquid conversi
ad spem temporalium, habentes quod promitto.

a Omissam hìc in editis negationem restituimus ex MSS.

Et sicut nubes transiit salus mea: non sperantes salu-
v. 16. tem promissum amore præsentis salutis. * *Et nunc su-*
a *per me effundetur anima mea:* [a] precando. * *Nocte*
v. 17. *verò ossa mea confracta sunt:* firmitatem quam ha-
buit, dixit sibi ereptam. *Et nervi mei dissoluti sunt:*
v. 18. actiones præteritæ. * *In multa virtute apprehendit sto-*
lam meam: ad demonstrandam virtutem suam, mo-
dò affligendo, & postea reparando. *Et quasi ora ve-*
stimenti mei circumdedit me: modicum mihi reliquit
v. 19. auctoritatis. * *In terra & cinere pars mea:* in pæni-
v. 20. tentia, quia extremum. * *Steterunt & consideraverunt me:* & me jacente superbi steterunt, quærentes
v. 22. quid in me reprehenderent. * *Et projecisti me à salute.*
v. 23. Illos dolet, qui spem reparationis amiserunt. * *Domus enim est omni mortali terra.* Ideo se dicit mortem
Philip. 3 20. metuere, quia conversatio ejus non sit in cælo, secundùm plures qui mali sunt in Ecclesia, & terrenè
Job. 30 v. vivunt. * *Atque utinam possem meipsum interficere:* ut
24. morerer sæculo. *Aut rogarem alium, & faceret mihi hoc:* vel Angelum meliorem, vel Deum per quem
v. 26. corrigerer. * *Ego bona præstolabar.* Dolet, quia re-
v. 27. pentè sibi ista evenerunt. * *Venter meus efferbuit, & non tacebit:* interiora, vel memoria qua recordatur
quid fuerit primò, & quomodo afflicta est in ge-
v. 28. mitibus. * *Et fleti in cœtu clamantes:* quia non in fre-
quentia audita est eorum, qui se nolebant corrige-
v. 30. re. * *Cutis mea immigrata est valde:* ex his quæ forin-
v. 31 secùs patiebatur. * *Versa est in luctum cithara mea:*
In Caput XXXI. opera bona, quibus laudabat Deum gaudens. * *Te-*
v. 1. *stamentum feci oculis meis.* Numquid cœpi sperare vi-
Virgo Ecclesia. sibilia. *Vt non cogitem de virgine:* ut subaudiatur,
absit. Hinc jam incipit merita Ecclesiæ commemo-
rare, in his qui perseverant in fine in tentationibus
Matth. 24. magnis, abundante iniquitate, & refrigescente ca-
12. ritate multorum. *Et non cogitabo de virgine:* incor-
Job. 31. v. 2. ruptione sapientiæ, vel justitiæ. * *Et quæ est alia pars*
Dei desuper? subauditur, non cogitabo. Aut ita:
v. 5. Et quæ est, nisi illa? * *Si incessi cum irrisoribus.* (Jam
de bonis, qui sunt in Ecclesia.) Difficile est non ta-
libus sociari. *Vel si festinavit ad dolum pes meus:* hy-
v. 8. pocrisis. * *Seram, & alij fructus meos edant:* quo-
modo Judæis contigit, id est, ea dicere quæ alij fa-
ciant, magis quàm ipsi. *Sine stirpe sim super terram:*
ut facilè arescam. Ille enim in terra tamquam in
v. 9. petra firmus est, qui facit quod dicit. * *Si secutum est*
cor meum mulierem: ut suam quæreret gloriam in po-
pulo Dei, potiùs quàm Dei, cui uni jure debetur.
Aut si obsedi januas ejus: insidiosè captavi desideria
plebis ejus, vel timorem, quibus ageretur, ut mihi
v. 10. potiùs serviret quàm Deo. * *Placeat quoque uxor*
mea alteri: fama mea diabolo, cui quando place-
mus, displicemus Deo. Ille enim malis nostris gau-
det. *Et filij mei humilientur:* facta, vel imitatores
v 11. mei. * *Furor enim animæ meæ est indomitus, comma-*
v. 13. *culare viri uxorem:* mihi eam vindicando. * *Quòd si*
& despexi judicium famuli mei aut ancillæ, cùm ju-
dicarentur apud me: secundùm quod dictum est,
1. Cor. 6 4. Sæcularia igitur judicia si habueritis. Famulos au-
Job. 31. v. tem dixit, laïcos adhuc sæcularibus deditos. * *Quòd*
14. *si & visitationem, quod responsum dabo?* in tribula-
tione, quam conscientiam habeo, quia ista despexi?
v. 15. * *Nonne sicut ego conceptus sum in utero, & illi?* in
sacramentis Eadem enim omnibus prædicantur,
eadem credunt. *Et fuimus similiter in ventre?* Non
enim ille aliter renuntiat, quàm ille, qui plenè ser-
v. 18. viturus est Deo. *Et de ventre matris meæ dux eis fui.*

Ab initio enim [b] sui hæc operatur Ecclesia. * *Aut* v. 19.
si despexi nudum pereuntem, & non operui. Si non fide b
remissionis peccatorum, tamquam tunicam non
habentem, velavi à nuditate fœditatis, id est, pec-
cati pereuntem. Jam enim desperat multitudine
peccatorum. Et hinc est, Et quorum tecta sunt Psal. 31. 1.
peccata. * *Infirmorum si non benedixerunt mihi humeri:* Job. 31. v.
spe immortalitatis, tamquam pallio desuper coo- 20.
perti. Ne autem post fidem remissionis peccatorum
sufficere putarent præteritarum pœnarum metu
carere, & inciperent sperare temporalia, bene ad-
jecit: *De tonsura ovium mearum calefacti sunt*, quòd
à frigore spei terrenæ, illorum vindicati sunt consi-
deratione, si carnalia per renuntiationem posue-
runt, exemplo gregis detonsarum. * *Si levavi super* Cant. 4. 2.
pupillum manum meam: qui non inveniendo patrem, Job. 31. v.
poterat creaturam vel hominem sequi. *Fidens, quia* 22.
mihi est adjutorium multum: volens eis dominari.
* *Discedat humerus meus à jugulo meo:* quod his con- v. 22.
tingit, qui se ab Ecclesia separant, dum volunt po-
pulis dominari, ut præcisionem præcisionis patian-
tur. Per humerum autem aut brachium, significan-
tur actiones. * *Timor enim continuit me:* ne levaret v. 23.
manum super pupillum. *Et à pondere ejus non sustine-*
bo: si hoc velim ut pupillum opprimam. * *Posui au-* v. 24.
rum robur meum: numquid præsumsi de doctrina aut
sapientia Dei. *Quòd si & in lapide pretioso fidebam:*
quasi de operibus meis. * *Si & lætatus sum, cùm esset* v. 25.
mihi census multus: quasi de meo; ut qui gloriatur, 2. Cor. 10.
in Domino glorietur. * *Si & in innumerabilibus posui* 17.
[c] *animam meam.* (Subaudiendum ad omnia, *Disce-* Job. 31. v.
dat ab humero meo brachium meum.) quòd [d] amarer 25.
à multis. * *Et deceptum est clàm cor meum.* ordo, *Si* c d
& in innumerabilibus posui animam meam, & decep- v. 27.
tum est clàm cor meum: si consensi tali cogitationi,
ut in me præsumerem, *Quòd si & osculatus sum ma-*
num meam, ponens ad os meum: gavisus sum tam-
quam de operibus meis. * *Quòd si & gavisus sum su-* v. 29.
per ruina inimici mei: Ecclesiæ, ut sunt persecuto-
res Ecclesiæ. * *Audiat auris mea maledictionem meam:* v. 30.
perducatur ad sensum meum. *Opprobrio sim in populo*
meo diffamatus: plebi sanctorum, ut separetur tam-
quam illusus. * *Quòd si sæpe dixerunt ancillæ meæ:* v. 31.
adulatores. *Quis det nobis, ut carnibus ejus saticmur,*
cùm satis bonus essem: ut imitarentur felicitatem car-
nalem in me. Non tamen hæc gessi; ne dicerent
enim hæc, non me præbebam in talibus bonum.
* *Foris non manebat hospes:* recipiebam peregrinum v. 32.
in sæculo. * *Quòd si & sponte peccans, abscondi pecca-* v. 33.
tum meum. Voluntariè enim peccantibus nobis, Hebr. 10.
postquam accepimus scientiam veritatis. * *Aut si di-* 26.
misi infirmum sinu vacuo exire januam meam: ut ideo Job. 31. v.
exierit januam, quia sinu vacuo fuit. * *Quis mihi tri-* 34.
buat auditorem? Quis mihi præstet, ut audiar? *Ma-* v. 35.
num Domini si non timui: qua scripsit, Si non di- Matth. 6.
miseritis, nec Pater vester dimittet vobis. * *Conscrip-* 15.
tionem si quam habeo, ordo, *Conscriptionem si quam* Job. 31. v.
habeo. * *Et si non disrupi eam super humeros meos, &* 35.
coronatus legam super humeros meos levans: & coro- v. 36.
natus publicè legam, id est, adversùs faciem meam.
Statuam te ante faciem tuam. Quia populi coronâ Psal. 49. 21.
confundar; quia non feci mandatum Domini, quod
me fecisse jam dixeram, negando primò me habere
conscriptionem, quæ mihi postea objicitur. * *Si su-* Job. 31. v.
per me umquam terra gemuit: stipendiarij Ecclesiæ, 38.
quòd malus sum. *Aut sulci ejus ploraverunt simul:*

[a] Editi *precando.* MSS. *precando.*
[b] Sic MSS. At editi. *Ab initio enim fui. Hæc &c.*
[c] LXX. *manum meam:* suffragatur Vulgata.
[d] Am. & Er. *quòd amaretur.*

quo

quo semina recipiuntur, & unde fructus dantur; A
quia & malus sum, & mala semina seminabam: ideo
v. 39. *simul.* * *Aut si & virtutem ejus comedi solus sine pre-*
tio: ipsa misericordia, qua participat catechizanti
Gal. 6. 6. qui catechizatur: hoc est, solus, non retribuens ei
Job. 31. v. qui daret. * *Aut si animam Domini terræ decipiens con-*
39. *tristavi:* non me dignum exhibens passioni ejus, qui
Ephes. 4.30. pro me animam fudit. Nolite contristare Spiritum-
Job. 31. v. sanctum in vos. * *Pro tritico germinet mihi urtica:* pro
40. spiritalibus doctoribus magistri prurientium auditu
1. Tim. 6 5. per confricationes hominum mente corruptorum,
Job. 31. v. & à veritate destitutorum. * *Et pro hordeo spina,* pro
40. carnalibus obedientibus peccatores & resistentes.
Erat enim Job in conspectu suo justus, in conscien-
tia sua.

In Caput XXXII. Verba Eliu Buzitis. * *Deus* [a] *abjecit*
a *cum, & non vir:* ut hanc dicam caussam, cur tacue-
v. 13. rint. * *Et sermonibus vestris non respondebo ei.* Ego
v. 14. enim talia dicam, ut mihi quemadmodum vobis
v. 16. respondere non possit. * *Quia ergo exspectavi, &*
v. 19. *non sunt locuti:* quasi ad Job conversus dicit. * *Ven-* C
ter meus sicut uter musto plenus. Commendat hunc
Scriptura, quia in prophetia locuturus sit. *Et veluti*
follis ærarij disruptus: ad duritiam solvendam, de vi
loquor; inde & iratus dicitur. Non enim opus esset,
v. 21. ut ego loquerer, si vos ei responderetis. * *Alioquin*
& me tinea edent: aut sicut vos, aut sicut omnes qui
In Caput XXXIII. mirantur personas. * *Mundum est cor meum in verbis:*
v. 3. non duplex. * *Spiritus divinus, qui me fecit:* subau-
v. 4. dis, est: ut sit, *Spiritus divinus est, qui me fecit.* * *Quo-*
v. 12. *modo ergo dicis, Iustus sum, & non exaudivit me?* quasi D
v. 14. adversario dixerit Job. * *Semel enim loquitur Dominus:*
quasi vocationem omnium justorum semel fecit
Dominus, & temporaliter circa singulos hoc agit
v. 15. divina providentia. * *Per somnium, aut in visitatione*
nocturna: aut in ignorantia, aut in tribulatione. *Aut*
sicut incidit sævus timor in homines, cùm dormiunt in
v. 17. *cubiculis:* securi. * *Et corpus ejus à ruina eruat:* translatè
v. 18. sicut ossa. * *Et pepercit animæ ejus à morte:* cùm eum
v. 19. converterit, parcet ei. *Quia venturum est bellum,* * *&*
iterum arguet eum in infirmitate in cubili: post conver- E
sionem jam probat, ne de se præsumat. *Et multitudo*
v. 20 *ossium ejus emarcuit:* fiducia de se. * *Omnemque escam*
non poterit sumere: consolationem de temporalibus.
v. 25. * *Et renovabit corpus suum, sicut litura in pariete:*
mutationem vitæ: & hîc translatè, propter ædi-
ficium, id est in societatem. *Et molliet carnes suas*
sicut parvuli: ne sit durus superbiâ, secundùm quod
Eliu videtur, tentatur Job humilis per innovatio-
v. 26. nem. * *Et intravit facie hilari cum professione:* paratus
v. 28. ad tentationes. * *Salva animam meam, ne veniam* F
v. 29. *in corruptionem:* hîc tentatio mortis. * *Vices tres cum*
v. 30. *viro:* conversionis, probationis, mortis. * *Sed eruit*
animam meam de morte: quia adhuc hæc mortis re-
stat. *Vt anima mea in lumine collaudet eum.* Jam ergo
orationes cessabunt, quia nulla erit indigentia.
In Caput XXXIV. * *Respondens autem Eliu, dixit?* quomodo dicitur, Et
v. 1. adjecit. * *Et qui habetis scientiam, auribus percipite:*
v. 2. spiritalibus. * *Quia auris sermones probat:* ista car-
v. 3. nalis. * *Quid est bonum, quia dixit Iob, Iustus sum?*
v. 4. & 5. Quid bonum dixit, quia dixit. * *Et in judicio meo men-* G
v. 6. *titus est.* Hinc est, Ego bona præstolabar: ideo præ-
Job. 30. 26. ter spem, quod est, mentitus est. * *Quis est vir ut*
Job. 34. v 7.
v. 9. *Iob?* Adhuc verba Job sunt. * *Dixit enim, Non vi-*
sitabitur qui ambulaverit cum Deo. Hic illum putat
deceptum, quia hoc sperans illa omnia fecerit: aut
certè, quòd in bonum non putat visitari eum, qui

ambulaverit cum Domino. * *Absit à Domino impie-* v. 10. A
tas: aut ut non visitet in bono, qui cum eo ambu-
laverit: aut etiam si visitaverit in tentatione, impiè
& injustè agat. * *Impius est qui dicit regi, Injustè agis.* v. 18.
Tu autem non debes illud dicere, qui non es im-
pius, Bene, *qui dicit;* non, qui dixerit, ne jam
etiam ob hoc esset: quomodo dicitur, * Factum * f. Fatuus.
est qui hoc facit. *Impiissimè, principibus:* tamquam
Angelis dicat, Nisi Michaël princeps vester, im-
piissimè agitis: aut, Si ita impiissimè dicitur princi-
pibus, quanto magis regi? * *Abusi sunt enim iniquè* v. 20. B
cùm excluderentur infirmi. Malè usi sunt exclusione
sua, cùm propter infirmitatem excluderentur ab
ea visione, qua videntur omnia divinitus ordina-
tissimè ordinari & administrari. In eo autem malè
usi sunt, quia spiritum suum sequi maluerunt,
Deum ista non curare: ex hoc enim illis vanè ve-
niet, ut in necessitatibus suis clament & rogent ho-
minem, cùm Deum rogare debuerunt. * *Neque* v. 22.
erit locus, & non est umbra mortis, ut latitent qui faciunt
iniqua. Non ad hoc est umbra mortis ut latitent: C
ut est, Non senes habent sapientiam; quia non se- Job. 32. 9.
nectus est caussa sapientiæ: &, Hæreticum ne sa- Tit. 3. 10.
lutes, ne inde, qua hæreticus est. * *Et evertet no-* Job. 34. v.
ctem, & humiliabuntur, ut supra eos sit quod sub ip- 25.
sis erat, id est, premat eos quod subditum illis erat. v. 26.
* *Et exstinxit impios, lucere sibi videbantur.* * *Et justi-* v. 27.
tias ejus non cognoverunt. Dicit quid boni Deus fe-
cerit de iniquitate eorum. * *ut perferatur ad eum cla-* v. 28.
mor pauperis. * *Ipse quietem dabit, & quis poterit con-* v. 29.
demnare? Non qualem quærunt homines quæ illis D
tribulationibus turbatur. Si Deus justificat, quis Rom. 8. 33.
est qui condemnet? * *Et contra hominem simul:* ad- Job. 34. v.
versùs gentiles & Judæos. * *Qui regnare facit homi-* 29.
nem hypocritam propter perversitatem populi: cui di- v. 30. Rom. 2. 21.
citur, Qui ergo doces alium, teipsum non doces.
* *Absque me videbo, tu ostende mihi:* te reprehen- Job. 34. v.
dens, meipsum fortè reprehendendum esse non 31.
video? Interroganter pronuntiandum. * *Si iniquita-* v. 32.
tem operatus sum, non adjiciam: correptus à te.
* *Numquid à te exigit eam, quia repulisti?* quia re- v. 33. E
prehendisti. * *Et vir sapiens audiet verbum meum:* v. 34.
Deum omnia curare. * *Iob autem non in sapientia lo-* v. 35.
cutus est: putando quòd aliquid sibi iniquè divinitus
acciderit. * *Quare hoc existimasti in judicio?* quare In Caput
hoc judicasti? *Tu quis es, qui dixisti, Iustus sum,* XXXV.
ante conspectum Domini? Ante conspectum Domi- v. 2.
ni dixisti, Justus sum. Utrumque enim reprehensi-
bile est in homine: unum, si aut superbè dicatur,
aut falsum sit justum eum esse, etiam secundùm hu-
manam justitiam: alterum autem, quia numquam F
verè dici ab homine potest, quòd ante conspectum
Dei sit justus; cui comparatus quilibet iniquus est.
* *Aut dicis, Quid prodest tibi, aut quid faciam, si pec-* v. 3.
cavi? Hoc enim ei videtur Job dixisse Deo, quasi
aut Deo prosit peccatum ejus, ut isto dolore ad
impietatem cogatur, ubi ait, Nolite me docere Iob. 10. 2.
impium esse: aut bonum est tibi si iniquè egero.
Aut Deo noceat peccando, & ideo illum sic inse-
quatur Deus quasi hostem suum premens, ne ali-
quid ab illo mali patiatur. Nam hoc etiam dixerat,
Si ego peccavi, quid possum tibi facere? Ad utrum- Job. 7. 20.
que ergo Eliu respondit, consequentibus verbis.
* *Ego dabo tibi responsum, & tribus amicis meis.* * *Ad-* Iob. 35. v. 4.
spice in cælum, & vide, respice in nubes quàm altæ sint v. 5.
à te. * *Si peccasti, quid agis?* Confirmat quod ab eo v. 6.
dictum est, Si ego peccavi, quid possum tibi fa-

* MSS. aliquot, *adjecit.*

cere. *Aut si multa injusta fecisti, quid poteris facere?* A Plus est, *multa injusta fecisti*, quàm quod superiùs dixit, *peccasti*. Sed tamen quid poteris facere Deo;
v. 7. quando ne nubes quidem potes lædere? * *Et si justus es, quid dabis ei?* E contrario quomodo justitia tua nihil ei prodest, sic injustitia nihil nocet. *Aut quid de manu tua accipiet?* etiamsi dare velis; propter sacrificia, quæ stulti putant Deum sumere ve-
v. 8. lut eis indigentem. * *Viro simili tui impietas tua, & filio hominis justitia tua:* vel illa nocet, vel hæc prodest. Sed his versibus confirmavit potiùs, quàm re- B fellit sententiam, quam dixit Job, Si ego peccavi, quid possum tibi facere? Consequenter ergo oportet ut ostendat, quare in hac vita homines affligun-
tur injuriis malorum, inter quos etiam diabolus cum angelis suis numeratur, princeps injuriarum & iniquitatum omnium. Cùm enim Deo non possint nocere peccantes, cur eos tradit in potestate affligen-
v. 9. dos malis? Et exponit deinceps, dicens, * *A multitudine clamabunt, vociferabuntur à brachio multorum.*
v. 10. * *Et non dixit, Vbi est Deus qui fecit me?* Ad hoc enim C patiuntur hæc, ut Deum quærant, non ut inaniter vociferentur. Quod autem ait, *fecit me*, pro documento est, quia quærentem se non relinquet, quem ipse fecit. *Qui distribuit custodias nocturnas:* tempora hujus sæculi sub certis potestatibus ordinata, quia nec in ista erroris nocte relinquet hominem sine cu-
v. 11 stodia, qui eum fecit. * *Qui separat me à quadrupedibus terræ, & à volatilibus cæli, sapientiorem me fecit.* Sic enim quærendus est Dominus in afflictionibus vitæ hujus, ut non ab eo terrena bona desideremus; D quia jam bestiis meliores sumus, antequam illa ac-
v. 12. cipiamus. * *Ibi clamabunt; & non audies. Ibi* dixit, in multitudine in afflictione clamantium, & à brachio multorum: aut certè, *Ibi*, propter hoc; sicut
Psal. 35. 13. est, Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. *Et non audies* quod dixit, de eo dixit. *Ab injuriis ma-*
Job. 35. v. 13. *lorum:* subaudiendum clamabunt. * *Vana enim non vult Dominus videre.* Non vult subvenire vana petentibus, & non ideo vociferantibus in afflictione ut bona sempiterna percipiant, cùm propterea se- E parati sint à quadrupedibus terræ, & sapientiores facti volatilibus cæli: sed vociferantur, quia non sunt in hujus sæculi iniquitate felices. *Ipse enim omnipotens perspicit eos, qui faciunt justitiam, & salvum me faciet.* Sicut ipse videt facientes, qui cordis inti-
ma perspicit, sic ea salute salvos facit, quam ipse
1. Cor. 2. 9. videt in occulto. Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Ideo etiamsi perturbe-
Matth. 6. 4. tur vana salus hominis, dat tamen auxilium de tri- F
Job. 35. v. 24. bulatione Pater, qui videt in abscondito. * *Judicare itaque eum, si potes collaudare eum, sicuti est.* Hoc
Job. 9. 33. enim visus est Job dicere, cùm ait, Utinam esset
Job. 35. v. 25. nobis arbiter. * *Et nunc quia non est visitans iram suam, nec cognovit delicta vehementer.* Cognovit ad vindi-
Psal. 50. 5. ctam. Unde est, Quoniam iniquitatem meam ego
Ibidem 11. cognosco. Et in eodem loco, Averte faciem tuam à peccatis meis. Cognovit ergo delicta; nam ideo patiuntur homines tribulationes in hoc sæculo: sed non vehementer, quia partibus corrigens dat lo- G
Job. 35. v. 16. cum pœnitentiæ. * *Et Job vanè aperuit os suum; in ignorantia sua verba multiplicat.* * *Sustine me pusillùm,*
In Caput XXXVI. *ut te doceam: adhuc enim in me sunt sermones:* * *Suscipiens scientiam meam de longè.* Quoniam quamdiu
v. 2. v. 3. sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.
2. Cor. 5. 6. Job. 36. v. 3. * *Operibus autem meis quæ justa sunt, loquar.* Ne di-

catur ei, quod peccatori dicit Deus, Quid tu enar- Psal. 49. 16.
ras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum: tu verò odisti eruditionem? Ergo hîc operibus loquendum est: nam scientia de longè suscipitur ex parte & in ænigmate. Cùm autem ve- 1. Cor. 13. 12.
nerit quod perfectum est, quod ex parte est auferetur; & non jam de longè erit, quoniam vide- 1. Johan. 3.
bimus eum sicuti est. * *In veritate, & non injusta verba injustè intelliges.* Ea ipsa quæ patiebatur Job, verba Dei dicit esse in veritate, & non injusta: sed ab 2. Job. 36. v. 4.
B isto injustè intelligi existimat, quem putat conqueri se immeritò pati, cùm etiam de justorum tribulatione dictum sit, Tempus est ut judicium incipiat 1. Pet. 4. 7.
à domo Domini. * *Et scito quia Dominus non abjiciet* Job. 36. v. 5.
innocentem: quamvis corripiat quem diligit, & fla- Hebr. 12. 6.
gellet omnem filium quem recipit. *Fortis robore cordis*, * *non vivificat impium:* quamvis ad tempus ei Job. 36. v. 6.
parcere videatur. Et bene, *Fortis robore cordis*, quia tunc eum non vivificabit, quando [a] seræ pœniten- a
tiæ locum quæret cum lacrymis, & non inveniet, nec flectet ad misericordiam fortiter judicantem, quem modò misericorditer admonentem contemnit. *Et judicium pauperibus dabit:* quo judicent eos, à quibus patiuntur iniquitatem. Et bene *pauperum*, ut superiùs *impium* divitem intelligas, id est superbum. * *Non auferet à justo oculos ejus.* Etiam cùm v. 7.
eum velut in fornace probat tentatione tribulationis, non ei auferet intelligentiam, qua cognoscitur & colitur Deus. Ex quo satis ostendit, impiorum Cæcitas impiorum pœna.
pœnam esse ipsam cæcitatem, etiam cùm videtur eis parci. *Et cum regibus in solio:* subauditur sedere D eos fecit, hoc est, justos. Reges autem dicit qui carnem suam regunt, unde est illud, Quis est rex Luca 14. 31.
qui vadit committere bellum cum alio rege, &c. * *Et sedere eos fecit in perpetuum, & exaltabuntur.* Et Job. 36. v. 7.
hîc subauditur quod suprà dixit, cum regibus in solio. *Exaltabuntur* autem dixit, quoniam humilia-
ti sunt. * *Et qui compediti sunt compedibus.* A quo vin- v. 8.
culo dicit Apostolus, sibi bonum esse dissolvi, & Phil. 1. 23.
esse cum Christo: id est, retinacula hujus vitæ, in qua corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Sap. 9. 15.
* *Capientur in funibus paupertatis.* Convincientur Job. 36. v. 8.
longis consuetudinibus delectationum carnalium, quæ sunt de rerum indigentia, quibus mortalis vita sustentatur, & agitur. * *Et annuntiantur eis opera eo-* v. 9.
rum. Non utique bona, sive ista ipsa concupiscentia-
lia, de quibus dicitur, Scio quia non habitat in car- Rom. 7. 18.
ne mea bonum; quæ etiamsi non regnent in nostro mortali corpore ad obediendum eis, non tamen desunt: sive quibus ad hæc venire homo meruit ex tra- F
duce peccati. * *Et delicta, cùm fuerint roborati.* Ipsa Job. 36. v. 9.
sunt opera, quæ suprà dixit. Non enim infirmis facilè possunt annuntiari, id est manifestari; sed iis qui jam ita profecerunt, ut transierint omnem istam iniquitatem, quæ vulgò nota est in apertissimis operibus flagitiosis & facinorosis. * *Sed justum exaudiet:* v. 10.
eum scilicet, qui ex fide vivit, ut gratiæ Dei deputet, non meritis suis, non solùm quòd secundùm Habac. 2. 4.
vitæ istius modum justificatus est, sed etiam quod restat, ut ab universo delictorum malo liberetur: G
quæ annuntiat veritas fidelibus, cùm fuerint roborati, quando capientur in funibus paupertatis: adhuc enim compediti sunt compedibus, nondum exaltati, ut sedeant in solio cum regibus in perpetuum. * *Et dixit, quia convertentur ab iniquitate.* Et Job. 36. v.
dixit, subaudiendum est, Deus. * *Si audierint, &* 10.
servierint, complebunt dies suos in bonis, & annos suos v. 11.

[a] Editi, *serò*. MSS. *sera*. Sic inferiùs ad cap. 37. v. 4. vocatur sera infidelium pœnitentia in die judicij.

in gloria. Tunc verò nullum peccatum erit in homi- A
ne, quia nulla erit mortis contentio, id est, indigentia mortalitatis, quæ facta est de peccato, cùm
2. Cor. 15. 55. jam dicetur, Ubi est mors contentio tua? * *Impios*
Job. 36. v. 12. *verò non faciet salvos; eo quòd noluerunt scire Dominum.* Hoc ad gentes magis videtur pertinere. *Et cùm monerentur inobedientes erant.* Hoc ad Judæos, & omnes qui eis per inobedientiam similes sunt, etiam
v. 13. in Ecclesia. * *Et hypocritæ corde ponent furorem:* quo Dominum crucifixerunt. *Non clamabunt, quia li-*
v. 14. *gavit eos:* honore nominis super omnes gentes. * *Mo-* B
riuntur ergo in juventute anima eorum: in superbia, qua se extollebant veluti de meritis operum suorum. *Et vita eorum vulneretur ab angelis.* Commo-
2. Cor. 2. 16. diùs accipitur à nuntiis veritatis, quorum aliis odor
Job. 36. v. 15. vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. * *Quòd*
1. Cor. 1. 25. *tribulaverint infirmum & invalidum:* illud infirmum
Job. 36. v. 15. Dei, quod fortius est hominibus. * *Judicium verò mansuetorum statuet:* ipse Dominus, exemplo man-
suetudinis suæ differens etiam vindictam imitan-
v. 16. tium se, sed tamen certò futuram. * *Et quia decepit* C
te ab ore inimici abyssus. Decepit, sicut visum est persecutoribus ejus, profunditas hujus sæculi Chri-
stum ab ore falsi testis. ad ipsum enim Dominum convertit sermonem. *Effusi subter eam:* subaudien-
dum, deceperunt te: gravati enim terrenis cupiditatibus subter abyssum effusi dicti sunt. *Et descendit*
mensa tua plena pinguedine: sacramentum corporis
Johan. 6. 50. & sanguinis ejus, panis qui de cælo descendit. * *Non*
Job. 36. v. 17. *deficiet justos judicium.* Quamvis edant pauperes, & saturentur, ad imitandas passiones Domini, parati D
de plenitudine caritatis; non tamen ideo non facit
v. 18. judicium ipsorum citò. * *Et ira super impios erit,*
propter impietatem munerum, quæ accipiebant iniquita-
tibus. Omnia munera dicit, quæcumque commoda temporalia, propter quæ commoda iniquitates
v. 19. fiunt. * *Non te avertat voluntas animi.* Domino dicitur, non monentis auctoritate aut jubentis auda-
cia, sed locutione prophetiæ per imperativum mo-
Psal. 44. 4. dum futura prædicentis; sicuti est, Accingere gla-
Job. 36. v. 19. dium tuum super femur potentissime. * *A precibus in-* E
firmorum: cùm in necessitate fuerint, clamantium,
Rom. 7. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore
Job. 36. v. 19. mortis hujus? * *Et omnes qui habent fortitudinem:*
Rom. 10. 3. præsumentes de operibus suis, & suam justitiam vo-
Job. 36. v. 20. lentes constituere. * *Noli extrahere per noctem.* Mani-
festum sit, quòd eos à populo tuo secernis, sive illos superbos qui de oliva fracti sunt, sive sarmenta
de vite amputata, unde hæreses & schismata exorta sunt. *Vt adscendant populi pro eis:* ut inserantur
1. Cor. 1. 27. infirma hujus mundi confusis fortibus. Quoniam qui F
Luca 14. 11. se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humi-
Job. 36. v. 21. liabitur. * *Sed cura ne quid facias indecens:* ne nomen
Domini Dei & doctrina blasphemetur, dum di-
Rom. 3. 8. cunt, quorum judicium justum est, Faciamus mala
Job. 36. v. 21. ut veniant bona. * *Hoc enim elegisti super inopiam.*
Non solùm elegisti inopiam confitentis, sed super
hanc vitæ ac morum decus, ut doctrina salutaris
v. 22. ornetur in omnibus. * *Ecce Deus consolabitur*, vel,
2. Cor. 13. 4. *roborabitur in fortitudine sua.* Quia etsi crucifixus est
Job. 36. v. 22. ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. * *Quis enim est* G
v. 23. *sicut ille potens?* * *Vel quis est qui discutiat opera ejus?*
tamquam judicans de illo cùm ipse sit judex vivo-
a rum & mortuorum. *Aut quis est qui dicat*, [a] *Egit ini-*

què? * *Memento quia magna sunt opera ejus, quæ* v. 24.
laudaverunt viri: Evangelistæ atque omnes prædicatores verbi, ministerio suo vitâ congruentes.
* *Omnis homo respicit ad eum:* memor infirmitatis v. 25.
humanæ. *Quicumque compunguntur homines:* pœnitentiâ peccatorum, homines sunt. * *Ecce Deus mul-* v. 26.
tus, & nesciemus. Multus, quia sicut abundavit pec- Rom. 5. 20.
catum, superabundavit gratia. *Nesciemus* autem ex
persona eorum dictum est, quorum ex parte cæci- Rom. 11. 25.
tas facta est, donec plenitudo gentium intraret.
* *Numerus annorum ejus infinitus:* propter æternita- Job. 36. 26.
tem positum est. * *Et autem numerabiles stillæ plu-* v. 27.
viæ. Hoc enim, quod [b] homines prædicatores im- b
plevit Evangelium, numerabile est usque in con-
summationem sæculi, donec auferatur scientia quæ
ex parte est, & veniat quod perfectum est, facie ad 1. Cor. 13. 12.
faciem. * *Effundetur imber per semitas suas.* Non Job. 36. 27.
enim viæ malorum capient eum. * *Fluent nubes, &* v. 28.
tenebrascent super homines plurimos. Quia & si obve-
latum est Evangelium, in his qui pereunt est obve-
latum. *Horam constituit jumentis, & sciunt cubilis or-*
dinem. Quoniam cognovit bos possessorem suum, Isa. 1. 3.
& asinus præsepe domini sui. * *In his omnibus non ob-* Job. 36. 28.
stupescit animus ejus. Initium sapientiæ timor Do- Psal. 110.
mini. * *Nec mutatur cor tuum à corpore:* ut elevatum 10.
à terra sursum habeatur ad Dominum. * *Si cogita-* Job. 36. 28.
verit extendere nebulam: ut qui vident cæci fiant. v. 29.
* *Æquè ut per tabernaculum expandit eam.* In carne Johan. 9. 39.
quippe mortali tamquam tabernaculo habitans, Job. 36. v.
per eam non est agnitus à persecutoribus, dum eis 30.
cessit, & eam extendit atque expandit in cruce.
Ecce: fundit super omnia lucem suam, quam ab-
sconderat, cùm cæcitas ex parte in Israël fieret, Rom. 11. 25.
effundit super omnes gentes. * *Et radices maris conte-* Job. 36. v.
xit. Cupiditatem sæculi redarguit. Non enim ad 30.
abscondendum lux contegit, sed ad manifestandum. In eis enim judicavit populos, ostendendo
illis peccata eorum per lucem veritatis. * *Dabit es-* v. 31.
cam plurimis: utique agnoscentibus, cùm arguuntur peccata sua, & esurientibus ac sitientibus justi-
tiam. [c] *In manibus contexit lumen.* Si ab eo quod v. 32.
sunt *immanes;* his qui non dimittunt peccata homi- a
nibus, cùm sibi à Deo dimitti velint: si autem ab eo
quòd sunt *manus;* his qui de manibus suis, hoc est,
de operibus, extolluntur, seipsos justificantes. *Con-*
texit enim *lumen*, ad hoc dixit, ne videatur ab eis:
quia excæcatum est insipiens cor eorum. * *Et man-* Rom. 1. 27.
davit de eo in contrarium: ut qui faciunt veritatem, Job. 36. v. 32.
vel dimittendo ut dimittatur eis, vel confitendo
mala sua ut gratiæ Dei subdantur, ipsi veniant ad Johan. 3. 21.
lucem ut manifestentur opera eorum, quoniam in
Deo sunt operata, non in ipsis. Contrarius est enim
& immani misericors, & superbo humilis. * *Vt nun-* Job. 36. v.
tiaret super illo amico suo: super illo lumine, hoc est, 33.
de illo quod contexit, ut absconderet immani & ingrato; ut id annuntiaret, id est, aperiret, non
jam servo sub Lege, sed reconciliato per gratiam;
aut *amico suo*, imitatori suo: quia & filius hominis Matth. 20.
non venit ministrari, sed ministrare. *Possessionem* 28.
contra eum qui adscendere nituntur: ut ipsum lumen
possideant, qui se à terrenis extrahunt. Ipsis enim
annuntiatur qui adhuc enituntur adscendere; quia
cùm adscenderint, non opus erit annuntiatore facie ad faciem videntibus. *Contra eum* verò quod ait,

[a] Editi, *qui dicat ei iniquè:* & paulò pòst, *quem laudaverunt.* Substitutimus lectionem MSS. quæ cum LXX. & Vulgata concordat.
[b] Floriacensis codex, *quod per homines.*
[c] Editi, *Immanibus.* MSS. *In manibus.* Circa hoc Augustinus id-circo hærebat, quòd à veteribus constanter per *n* scribi soleret vox ipsa composita *immanis:* sicque etiam in antiquis libris passim reperias *immensus, inbutus, inlustus, inpunis*, &c. Porrò in Græco LXX. habetur ἐν χειρῶν.

adscendere nituntur, non quasi adversantes, sed obviam euntes: sicut Apostolus dicit, In obviam Christo. * *Sed & in hoc obstupuit cor meum*: admiratione. *Et evulsum est de loco suo*: de terrenis rebus, quibus delectabatur, ut sursum habeatur ad Dominum. * *Audite sonitum terroris & vocis ejus.* Hinc eum apparet ista in spiritu dicere. Nam incipit dicere cur evulsum sit cor ejus de loco suo, auctoritate scilicet Evangelij per totum orbem terribiliter sonantis, Pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. * *Et strepitu oris illius exeunt*: ad eos utique qui foris sunt, in delectationibus rerum visibilium. * *Subter universum cœlum circuit, & lumen ejus in finibus terræ*: dum Ecclesia per omnes gentes diffunditur. * *Post eum fremet vox.* Post primum adventum ejus novissima tuba secundi adventus ejus in claritate tonabit. *In sonitu superbiæ suæ.* Superbiam pro celsitudine posuit: quia primus adventus in humilitate fuit. *Et non poterit investigari, cùm audita fuerit vox ejus.* Nunc ergo quæratur Dominus, dum inveniri potest, hoc est, comprehendi ad salutem per fidem non fictam. Tunc enim, non poterit, cùm venerit judicare, & audita fuerit vox ejus dicentis, Ite in ignem æternum. Quoniam sera tunc erit, & infructuosa infidelium pænitentia. * *Tonabit fortis in voce sua mirabiliter.* Quia non fortitudinis ejus, sed infirmitatis nostræ ex participatione mortalitatis vox illa fuit primi adventus ejus, de quo dictum est, Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. * *Fecit enim magna, quæ nesciebamus.* Hæc in primo adventu; & ideo postea ad exigenda quæ dedit, judex venturus est. *Quæ nesciebamus* autem, dictum est ex persona eorum, quos latuit divinitas domini, in infirmitatem carnis intuentes. * *Præcipiens nubi, Esto super terram*: carni suæ, ut per sacramentum accipiatur, in memoria ejus, ad imitationem humilitatis & informationem caritatis. *Et tempestas pluviæ, & tempestas imbrium potestatis ejus.* Est enim nubes quidem super terram: sed quando exprimatur ad irriganda corda per pluviam imbresque sermonis, quod fit cùm sacramenta intelliguntur, non in nostra, sed in ipsius potestate est. * *In manu omnis hominis signat.* Significat ei per opera ejus quàm reus sit, ut sciat omnis homo infirmitatem suam, & clamet, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? * *Introierunt autem bestiæ sub protectione, & quieverunt in cubili.* Introierunt autem peccatores sub indulgentia gratiæ, & quieverunt in conscientia, remissis peccatis. * *De promtuariis supervenit tempestas*: tentatio de occulto rerum ordine. *Et de promtuariis frigus?* de secretis judicium in eos, qui non perseverant; ut refrigescat eorum caritas ex abundantia iniquitatis. Meritò enim contingit eis, dum spem suam non in Deo, sed in hominibus ponunt. * *Et ab spiritu Dei dabitur glacies.* Non solùm ex abundantia iniquorum frigescent, qui spem ponunt in hominibus: sed etiam ex operibus bonis eorum, in quibus est spiritus Dei, durescunt quidam quasi glacie livoris, quibus est Paulus odor mortis in mortem. Et ad hæc quis idoneus, ut intelligat quoniam rectè ac justè ab spiritu Dei dabitur glacies? Sicut enim carnalibus homines laudantibus contingit ex hominum iniquitate frigescere desperando: ita carnalibus ab hominibus laudari cupientibus contingit ex hominum justitia durescere invidendo. * *Gubernat autem*

1. Thess. 4. 17. — In Caput XXXVII. v. 1. — v. 2. — Matth 3. 2. — Iob. 37. v. 2. — v. 3. — v. 4. — Matth. 25. 41. — Iob 37. v. 5. — 1. Cor. 1. 25. — Iob 37. v. 5. — v. 6. — v. 7. — Rom. 7. 24. — Iob. 37. v. 8. — v. 9. — Matth. 24. 12. — Iob. 37. v. 10. — 2. Cor. 2. 16. — Iob 37. v. 10.

aquam qualiter illi placuerit: ut pluat super unam civitatem, & super aliam non pluat: quod ad imbrem adtinet spiritalem, pro subditarum aut non subditarum meritis animarum. * *Et frumentum*[a] *irrigavit nubes.* Simus ergo frumentum, si cupimus irrigari. *Disseminavit nubem lucem suam*: Evangelium incarnationis suæ. * *Et ipsa per circuitum vertitur*: per orbem terræ ipsa tractatur. *In gubernaculis ad operandum omnia, quæ mandaverit eis.* Gubernacula, in quibus illa nubes per circuitum vertitur, prædicatores sunt verbi, per quos Ecclesiæ gubernantur ad operanda omnia mandata Dei. * *Hæc constituta sunt ab eo super terram*: à Domino nostro Jesu Christo. *Sive in tribu, sive in terra sua.* Sive in tribu Juda, unde secundùm carnem natus est, & passus, & resurrexit, & adscendit in cælum: ex hac enim geniti erant Apostoli, & multi fratres propè inventi & salvi facti: sive ante passionem ejus per ipsum vocati, sive post adscensionem per Apostolos in ipsa Jerusalem, atque in ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo, sicut commemorat apostolus Paulus, propter veritatem Dei, ad confirmandas Patrum promissiones: * *Sive in misericordia inveniri voluerit eam*: illam nubem scilicet in misericordia voluerit inveniri à credentibus gentibus. Hoc enim sequitur, Gentes autem super misericordiam glorificare Deum. * *Auribus percipe hæc Iob.* Quasi renovat intentionem, dicturus de vocatione gentium. *Sta, & commovere virtutem Domini.* Noli moveri mente, aliquid tibi tribuendo. * *Scimus quia Deus posuit opera sua*: reprobans utique gloriantes de operibus suis. *Cùm faceret lucem de tenebris*: cùm justificaret impios. Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. * *Scit differentiam nubium*: Evangelistarum aliorum sibi ante passionem, aliorum post passionem credentium. *Et ingentes lapsus malorum*: non eorum qui elapsi sunt crucifigentes eum, ut eos postea pæniteret, & baptizarentur in eo; sed eorum lapsus qui nec corrigi potuerunt, perseveranter etiam postea persequentes Ecclesiam: horum enim non parvi, sed ingentes lapsus sunt. * *Tua verò stola est*[b] *valida*: dignitas superba; tamquam in eum quippe dicitur, qui de operibus suis audet extolli. *Quiescente terrâ ab Austro*, * *firmabis cum eo cælos, qui æqualiter ad videndum fusi sunt?* Ab Austro terram congruenter intelligimus eos, qui de Judæis crediderunt in Christum. Sicut enim sol ab Aquilonari terra remotior est, Australi autem vicinior: ita quos propè inventos dicit Apostolus luci Evangelistarum, non absurdè accipiuntur terra ab Austro. Sicut autem cælos Evangelistas solemus accipere, ut est, Cæli enarrant gloriam Dei; de his enim dictum est, In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: ita terras rectè accipimus plebes, quibus evangelizatum est. Et quoniam plebes, quæ de Judæa crediderunt, postea quàm quieverunt, exeuntes de hac[c] terra, (nunc enim hîc non sunt,) firmata est tamen auctoritas Evangelistarum in Ecclesiis quæ sunt ex gentibus, firmata autem misericordiâ Dei, non jam opitulante auctoritate Ecclesiarum Judææ, quæ in Christum est; propterea sensus hic est, ut per interrogationem pronuntietur, Numquid tu quiescente terra ab Austro, id est, jam non existente in hac vita plebe ulla Christiana ex Judæis, firmabis cum eo Evangelistas, & divinarum Scripturarum

Amos 4. 7. — Iob. 37. v. 33. a — v. 12. — v. 13. — Rom. 15. 8. — Iob. 37. v. 13. — Rom. 15. 9. — Iob. 37. v. 14. — v. 15. — Ephes. 5. 8. — Iob. 37. v. 16. — v. 17. b — v. 18. — Ephes. 2. 17. — Psal. 18. 2. — Ibidem 5. c

[a] In editis deest ut isthæc verba, *irrigavit nubes. Simus ergo frumentum*: quæ MSS. ope restituuntur.

[b] LXX. θερμὴ, *calida*: sic etiam Vulgata.

[c] In aliquot MSS. *de hac vita.*

libros, qui per misericordiam Dei non solis Judæis, sed etiam gentibus æqualiter ad videndum fusi sunt? Gratiam quippe Dei commendat & misericordiam, ne quis de meritis glorietur, quæ Judæorum erat superbia. * *Quare doce me quid dicamus ei, & requiescamus multa dicentes.* Quia non est quòd ei dicant convicti, nullum se habere meritum per seipsos, sed ejus indigere misericordiâ. * *Numquid liber aut scriba adsistis mihi, ut stans faciam hominem tacere?* Quare ergo non dicis, si habes quod dicas? Non enim quasi dictanti mihi excipis, ut tu nihil dicas; sed utique colloquimur. * *Omnibus autem non est visibile lumen, quod refulget in nubibus.* Redit ab ea, quæ dicebat de spe remissionis peccatorum & illuminationis gratiæ per misericordiam Dei: refulget enim lumen in nubibus. Non tamen ipsarum nubium proprium est; illuminantur enim. Aliud est enim quod fulget suo lumine, aliud quod refulget illustratum. Sed non est omnibus visibile. Multi enim putant lumine suo fulgere animas, cùm sapientes sunt. Unde sunt illi, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. * *Et spiritus transit, & mundabit eas.* Hîc spiritum dixit, de quo dictum est, Ab increpatione spiritus iræ tuæ, &, A spiritu tuo quo fugiam? Per correptiones enim tentationum ostenditur hominibus meritum eorum, quia ipsi peccatis suis tenebræ sunt, & egent gloriâ Dei, ut illius lumine illustrari velint, illi dantes honorem, non sibi; atque ita depositâ superbiâ, mundentur à delicto magno: nam Spiritus sanctificationis non transit, sed manet. * *Ab Aquilone nubes coloris aurei.* Ab sceleratissima impietate, & à Deo longè remota, veniunt tamen mundati atque conversi, & illuminati sapientiâ: unde, nisi per gratiam, qua non merita adtenduntur, sed peccata dimittuntur? unde ille cùm sibi vellet ignosci, Doceam, inquit, iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur: tamquam nubes ab Oriente vel Aquilone jam coloris aurei, illuminatis tenebris suis. * *In his est magna gloria & honor omnipotentis.* Cui plurimum dimittitur, plurimum diligit. Quoniam potest & impium justificare qui est omnipotens. * *Et non invenimus alium similem virtuti ejus.* Solus enim hic peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Solus enim Deus verax, omnis autem homo mendax: unde vicit cùm judicaretur Deus homo factus. * *Qui justè judicat, non putas exaudire eum?* Non itaque homo de venia desperando, addat peccata peccatis, tamquam addictus jam damnationi, quia certus est de justitia Dei, sub qua non potest esse impunitus. Ita enim Deus justè judicat, ut etiam exaudiat veniam deprecantes; & tanto magis quanto magis justè judicat. Non enim justi judicij est, pænitentes supplices miscere cum iis, qui recusant humilitatem & satisfactionem pænitentiæ. * *Propterea timebunt eum homines*: si se homines esse meminerint, confitendo peccata sua: quia adhuc homines sunt, quibus dicitur, Nonne homines estis? *Timebunt quoque eum & sapientes corde*: ne sibi tribuendo quod acceperunt, & dicendo se esse sapientes, stulti fiant. Potest enim auferri superbis, quod datur humilibus. Quapropter & sapientes quamvis cordis illuminatione, non linguæ jactatione sapientes sint & reges, spiritaliter judicantes terram, ipsi autem à nemine judicentur, serviant tamen Domino in timore, & exsultent cum tremore, ne pereant de via recta.

Iob. 37. v. 19. — v. 20. — v. 21. — Rom. 1. 22. — Iob. 37. v. 21. — Psal. 17. 16. — Psal. 138. 7. — Iob. 37. v. 22. — Psal. 50. 15. — Iob. 37. v. 22. — v. 23. — 2. Pet 2. 22. — Psal. 115. 11. — Iob. 37. v. 23. — v. 24 — Rom 1. 22. — Psal. 2. 11.

Deus est enim, qui operatur in eis & velle & operari, pro bona voluntate.

Et *postea quàm quievit Eliu loqui*, DIXIT DOMINUS *ad Iob per turbinem nubis.* Etiam si hoc modo vox ista facta est, quo modo ad Moysen, vel quo modo cùm se Dominus tribus discipulis in monte ostendisset: tamen quòd non dictum est simpliciter per nubem, sed *per turbinem nubis*, hoc significari arbitror, quòd non per sanam carnem interrogatus, hoc est, tentatus est Job, sed per tribulationem perturbationemque carnis. * *Quis est qui celat*[a] *me consilium, continens sermones in corde, & me putat dare.* Nemo est ergo, qui se immeritum pati aliquid asperum dicat; quia si non factis, saltem verbis peccatur; & si non verbis, saltem temeraria præsumtione intus in corde, vel sermonibus cogitationum: & quoniam Deum non latent, nemo flagellarus dicat indignè se accipere disciplinam, quasi ultra non sit, quò per illam proficiat. Sciendum est enim, sic in principio libri hujus diabolo laudatum Job testimonio Dei, & in fine tribus amicis ejus, ut tamen nosset Deus quantum ei deesset ad perfectionem, quò etiam laudabiles secundùm hanc vitam viros, & Deo jam placentes, paterna flagella perducunt; quæ noluit ab Apostolo removere, dicens, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. * *Accingere tamquam vir lumbum tuum.* Significat ad hoc pati dura & amara Dei servos in hoc sæculo, ut omnes affectiones suas à terrenarum delectationum fluxu colligant, atque constringant. *Interrogabo te, tu autem responde mihi.* * *Vbi eras cùm fundarem terram?* Hinc jam commendare incipit eminentiam Domini nostri Jesu Christi, quia in ipso est salus omnium percussorum venenata suasione serpentis, ne in se sibi quisque esse salutem putet. Ille enim Deus, non sicut dictum est, Dij estis, & filij Altissimi; sed cui rapina non sit esse æqualem Patri: & filius hominis, non sicut filij hominum in quibus non est salus; sed præ participibus suis. Non enim justus tantùm, sicut Job, sicut Paulus, sicut Ecclesia; sed etiam justificans tamquam unigenitus à Patre, plenus gratiâ & veritate. Ad insinuandam ergo differentiam divinæ humanitatis ejus, in quo princeps hujus mundi nihil invenit, quia in passione quæ non rapuit tunc exsolvebat; & justificationem sanctorum per peccatorum remissionem, quibus sanctis in unum redactis fit corpus ejus Ecclesia, cujus & particula est Job secundùm historiam quia justificatus, & figura universæ, per prophetiam incipit dicere quæ dicturus est. * *Vbi eras cùm fundarem terram?* Utrùm quia nondum erat, an quia non per eum fundata est, sicut per unicum Filium? & terram istam, an ipsam Ecclesiam? ipsa enim accepit lapidem angularem, de quo mox dicturus est. *Indica mihi si nosti scientiam.* Hæc enim quæ à Domino pro nobis temporaliter gesta sunt, ad scientiam pertinent. * *Quis posuit mensuras ejus, si nosti?* secundùm distributionem donorum spiritalium. Unicuique enim nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dicit, Adscendens in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus. Quia si totum corpus oculus, ubi auditus? Secundùm mensuram quippe uniuscujusque partis incrementum corporis facit, in ædificationem sui in[b] caritate. * *Aut*

Philip 2. 13. — In Caput XXXVIII. v. 1. — Matth. 17. 1. — Iob. 38. v. 2. a — v. 4. — Psal. 81. 6. — Philip. 2. 6. — Psal. 44. 8. — Iohan. 1. 14. — Iohan. 14. 30. — Psal. 68. 5. — Iob. 38. v. 4. — v. 5. — Ephes. 4. 7. — Psal. 67. 19. — 1. Cor. 12. 17. b — Iob. 38. v. 5.

[a] Sic MSS. juxta LXX. At editi, *qui celat meum consilium contemnens sermones* &c.

[b] MSS *in caritatem.*

quis est qui indùxit super eam funiculum? ut eam fa-
ceret hereditatem suam, distinguens ab eis, qui-
Mat. 7. 23. 2. Tim. 2. 19. bus dicit, Non novi vos. Novit enim Dominus qui
sunt ejus.* *Aut super quo circuli ejus fixi sunt?* Quia
Iob. 38. v. 6. constringunt eam, ne dissolvatur, divini libri fixi
super Dominum: quia quisquis eos sine illo inter-
pretari voluerit, fluitet atque erret necesse est.
Quis est autem qui misit lapidem angularem super eam?
Psal. 117. 22. quem reprobaverunt ædificantes.* *Quando facta*
Iob. 38. v. 7. *sunt sidera simul:* simul baptizata tot millia verbo
vitæ, inter peccatores tamquam in tenebris fulgen-
v. 8 tia. *Laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei:*
Evangelistæ.* *Conclusi portis mare:* populos ama-
ricantes amore terrenorum. Sed quare *portis?* An
fortè ut non solùm modum haberet exercendi ju-
stos persecutionibus, sed etiam ut liceret justis in-
de egredi? *Cùm fremeret ex utero matris suæ, volens*
progredi: cùm irasceretur in concilio Babyloniæ
civitatis, fornicantis amore hujus sæculi, volens
extendere persecutiones suas ad perdendos de ter-
Iohan. 17. 15. ra eos, de quibus dictum est, Non peto ut tollas
eos de sæculo, sed ut tollas eos à malo.* *Circumpo-*
Iob. 38. v. 9. *suit illi nubem operimentum.* Non enim boni tantùm,
sed etiam mali multi amatoresque hujus sæculi, sa-
cramento corporis Christi subjecti sunt: cujus au-
ctoritate à sanctorum persecutione reprimuntur.
Et nebula obvolui illud. Ignorantiâ, quâ terrenam
inde exspectant felicitatem, terrenamque infeli-
citatem timent: & propterea timent quos, nisi ita
esset, persequerentur. Non enim solùm dictum
Psal. 21. 27. est, Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt
Dominum qui requirunt eum: sed etiam dictum
Ibidem 30. est, Manducaverunt, & adoraverunt omnes divi-
Iob. 38. v. 10. tes terræ.* *Et posui illi terminos, imponens claustra*
& portas: terminos quibus sævitia cohibeatur, non
ut nihil affligat, sed quò usque exerceat: *claustra,*
ut injusti non progrediantur: *portas*, ut ab eis justi
v. 11. egrediantur.* *Et dixi, Huc usque venies, & non tran-*
sibis. Sicut ipse diabolus modum accepit, quò us-
que affligeret Job; ita illud mare quò usque perse-
queretur Ecclesiam. *Sed in temetipso comminuentur*
fluctus tui: alterna vastatione discordiarum atque
v. 12. bellorum.* *Aut numquid tecum lucem constituit matu-*
tinam? id est cum consilio tuo tempus resurrectio-
nis prædestinavi. *Aut cognovit lucifer ordinem suum?*
subaudiendum est, Numquid tecum? Dominum
autem luciferum dicit, propter ipsum matutinum
resurrectionis exortum. Non enim de alio dici po-
2. Petr. 1. 19. tuit, Et lucifer oriatur in cordibus vestris. Ipse
1. Cor. 15. 20. agnovit ordinem suum, ut esset primitiæ dormien-
tium, primogenitus à mortuis, caput Ecclesiæ, se-
cuturo etiam corpore in futura resurrectione san-
Iob. 38. v. 13. ctorum.* *Apprehendere pennas terræ.* dictum est, Si
Psal. 138. 9. recipiam pennas meas in directum: virtutes utique
spiritales fidelium, quibus à sæcularibus suspen-
Iob. 38. v. 13. duntur illecebris.* *Excutere impios ex ea.* Ad hoc
enim prior tanto antè resurrexit agnoscens ordi-
nem suum, ut fidem resurrectionis insinuaret, at-
que per ipsas pennas Ecclesiæ ubique prædicatus,
ministerio circumvolantium nuntiorum, justè ap-
prehendat eas in opus judicandi duodecim tribus
Israël, cùm venerit excutere impios ex Ecclesia,
v. 14. qui nunc ante judicium permixti tolerantur.* *Et*
tu sumens terræ lutum figurasti animal? sive ipsum
Gen. 1 & 2. Adam commemoret, sive quòd nunc sexta ætate
sæculi, sicut tunc sexto die, de peccatoribus tam-

A quam de luto terræ homo factus est, secundùm
imaginem ejus qui creavit eum. Non utique hoc
fecit Ecclesia, sed in hoc potiùs facta est per Ver-
Iohan. 1. 3. bum opportuno tempore incarnatum, per quod
facta sunt omnia.* *Et famosum eum posuisti super*
Iob. 38. v. 14. *terram?* Magis iste homo famosus positus super ter-
ram, qui sexta ætate sæculi factus est, quàm ille
qui sexta die, antequam essent ceteri homines, per
quos diffamaretur: nisi fortè, quia nunc ita inno-
v. 15. tuit.* *Et abstulisti ab impiis lucem?* sicut ille qui ve-
Iohan. 9. 39. B nit, ut qui non vident videant, & qui vident, cæ-
Iob. 58. 15. ci fiant.* *Aut brachium superborum comminuisti?* po-
1. Cor. 1. 27. tentiam eorum, sicut ille qui infirma mundi elegit,
Iob. 38. v. 16. ut confunderet fortia.* *Aut venisti ad fontem maris?*
sicut ille, cui venienti patuit confitendo quidquid
occultum erat in cordibus impiorum, qui creden-
do in eum justificati sunt. Nam quem fontem ma-
ris meliùs accipimus, nisi secretum unde erumpit
omnis hæc amarissima impietas, quæ ingentes flu-
ctus jam manifestorum malorum operum concitat,
C quæ vident homines in apertis factis, qui fontem
ipsum videre non possunt? *Aut in vestigiis abyssi*
ambulas? Abyssus hîc rectè intelligitur vita sæcu-
laris, quæcumque est in profundo malorum, quò,
Prov. 18. 3. sicut scriptum est, cùm venerit peccator, con-
temnet. Quia ipsi quoque desperatissimi, subjecti
gratiæ [a] per remissionem peccatorum salvi facti a
emerserunt, & receperunt Christum: non in abys-
sum quò premebantur; sed in locum ejus, ut ubi am-
bulabat calcans eos, ambulet inhabitans eos Chri-
D stus; *in vestigiis abyssi*, remanentibus per memo-
riam peccatorum suorum, ut dum recolunt ubi
fuerint, ampliùs diligant quem receperunt, à quo
sibi tanta dimissa sunt.* *Aut tibi aperiuntur metu por-*
Iob. 38. v. 17. *tæ mortis?* Omnibus enim morientibus aperiuntur
portæ mortis, sed non metu, sicut uni illi qui de-
struendæ mortis causâ mortuus est. Aut certè
aperiuntur ad resurgendum. *Aut janitores inferni*
videntes te, timuerunt? sicut illum unum, in quo ni-
b hil dignum morte princeps [b] mundi invenit, quem
E tam citò dimiserunt, quem inviti admiserunt. In-
feri autem janitores, aliquæ inferiores potestates
morti præpositæ intelligendæ sunt.* *Aut cognovisti*
v. 18. *latitudinem sub cælo?* sicut cognovit, qui per illam
diffudit Ecclesiam. *Narra ergo mihi, quanta quæ-*
que sint. Quis enim hoc sciat, nisi quem ille docue-
v. 19. rit?* *Aut in qua terra habitat lux?* Ille enim docet,
Psal. 118. 130. quia manifestatio verborum ejus illuminat, & in-
Iob. 38. v. 19. telligere facit infantes.* *Aut quis tenebrarum locus?*
Psal. 33. 6. Hoc quoque ille docet, qui dicit, Accedite ad
F eum, & illuminamini. Hinc enim ostendit eos tene-
brescere, qui recedunt, dum nolunt esse infantes.
Eccli. 12. 14. Initium enim superbiæ hominis, apostatare à Deo.
Rom. 1. 21. Inde qui non glorificaverunt Deum, aut gratias
egerunt, evanuerunt in cogitationibus suis, &
obscuratum est insipiens cor eorum, & facti sunt
tenebrarum locus. Nisi forte ille est tenebrarum
locus, qui excipit perseverantes in peccatis, ut ipsi
sint tenebræ, quarum ille est locus, quem verè nul-
lus hominum novit. Similiter & terra, in qua ha-
G bitat lux, potest intelligi terra illa viventium, id
est beatitudo exceptura perseverantes in fide & spe
Ephes. 5. 8. & caritate, qui fuerunt aliquando tenebræ, nunc
autem lux in Domino.* *Si duces me in fines eorum?*
Iob. 38. v. 20. quò usque perveniunt qui tales sunt. Quid est enim,
Sap. 8. 1. ubi non sit sapientia Dei, quæ attingit à fine usque

a Am. Er. & plerique MSS. *gratia remissionis.*
b Floriacensis codex, *princeps mortis.* Paulò post Am. Er. & plerique MSS. *quem inviti amiserunt.*

Iob. 38. v. 20. ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter? Cui
utique nullus hominum comparandus est.* *Quòd si*
v. 21. *& nosti semitas eorum:* * *numquid scis quia tunc natus*
es, & numerus annorum tuorum multus? Quòd si &
nosti semitas impiorum, qui vel tenebræ sunt vel
tenebrarum locus; quia omnes etiam qui jam ad
Deum conversi sunt, in ipsis semitis ambulaverunt,
antequam acciperent à Deo gratiam, qua justificat
impium: numquid scis tamen, quia tunc tibi exsti-
tit caussa mortaliter nascendi in hoc sæculo, cùm
easdem semitas inierunt primi omnium hominum
B parentes, qui prævaricatione impij manibus & ver-
bis accersierunt mortem, ut omnes in Adam mo-
rerentur? Non enim ex quo quisque in hac vita ap-
paruit, computandus est numerus annorum ejus
tam parvus, sed ex quo facta est prima mortalis na-
tivitas. Cùm enim, verbi gratiâ, natus est Abra-
ham, tunc omnes in illo Hebræi nati sunt. Nume-
rus ergo annorum unicuique multus est secundùm
mortalitatis originem, quæ exorta est in semitis im-
piorum. Quis autem meminit fuisse se, aut cùm es-
C set, scire potuit esse se in lumbis patris sui? Quan-
doquidem nec illud tempus quisquam recolit, quo
non in parentibus, sed in seipso natus est; quo tem-
pore certè nemo dubitat, quòd jam erat, & vivebat,
& sentiebat. Omnia autem scit illa Sapientia, quæ
format omnia, non tantùm illa supercælestia, sed
2. Cor. 1. 24. etiam ista mortalia. Et quia Christus Dei virtus est
& Dei Sapientia, scit ista ille, qui etiam mortaliter
natus est, non conditione mortali, quia in mortuis
liber, sed miseratione mortalium, ut à morte face-
D ret liberos.* *Aut venisti in thesauris nivis?* id est, ad
Iob. 38. v. 22. eam cognitionem pervenisti, sicut ille sciebat etiam
opportunas caussas imminentium scandalorum se-
cretas atque abditas. Nam inde appellat thesau-
ros, ad probanda & exercenda spiritalium corda,
Matth. 18. 7. cùm exclamaret, Væ mundo à scandalis, oportet
enim venire scandala, væ autem illi homini per
quem scandalum venit. Per superbiam quippe elati
in alto, more nivis congelascunt, & cadunt; ex
Matth. 24. 12. Psal. 26. 14. Rom. 12. 11. Iob. 38. v. 22. E quorum iniquitate abundante refrigescat caritas
multorum: qui autem sustinent Dominum viriliter
agentes, & spiritu ferventes, perseverent usque in
finem, & salvi erunt.* *Aut thesauros grandinis vidi-*
sti? Grando sunt illi iniqui, quando non solùm tor-
pent nullum fervorem spiritus habentes, sed etiam
obstinatâ duritiâ persequendo vel irruendo contun-
v. 23. dunt.* *Quæ reposita sunt tibi in tempus inimicorum,*
& in diem pugnæ & belli? Vel hinc quis non videat,
cujus personam in prophetia gestet Job? Non enim
huic uni homini reposita sunt ista in tempus inimi-
corum, & in diem pugnæ & belli, sed utique uni-
co populo Dei. Tempus quippe inimicorum est,
donec transeat iniquitas, quæ quanto magis abun-
dat, tanto magis adversùs diabolum acriùs pug-
nandum atque bellandum est, ne caritas perseve-
v. 24. rantium refrigescat.* *Vnde autem procedit pruina?*
Quis hoc novit, nisi quia hæc ut initia parturitio-
num sunt? Pruina quippe minutissima grando est.
Et dispergitur Auster sub cælo? Austrum, quamvis
mortalibus carnibus gravis sentiatur, non tamen
usquam memini in sanctis libris mali aliquid signifi-
care, sicut Aquilonem numquam in bono. Illum,
quia ex ea parte flat qua lux claret: istum, quia ex
ea unde lux est remotior. *Dispergitur* ergo *Auster*
sub cælo, ut adversùs illas omnes iniquitates auxi-

A lium aliquod intelligatur Dei, quamdiu nondum
in cælo, sed sub cælo sumus.* *Quis præparavit flu-* v. 25.
men validæ pluviæ, & viam vocibus tempestatis? Vi-
de quemadmodum tria illa breviter complexa sint,
quæ Dominus in tentationibus ponit contemnenda Matth. 7.
his qui ædificant super petram, & perniciosa his qui 24.
ædificant super arenam. Pluviam commemoravit,
& flumen, & voces tempestatis, ubi ventos intel-
ligimus. Pluviâ ergo tentatur, qui ex ipsa celsitu-
dine Scripturarum divinarum peccandi occasionem
B pravè intelligendo accipit: tamquam si audiens,
Cui modicum dimittitur, modicùm diligit, dicat Luca 7. 42.
sibi, Faciamus mala, ut veniant bona; & perma- Rom. 3. 8.
neat in peccato, ut gratia abundet: & multa hu-
jusmodi, quibus se homines sermonem divinum ma-
lè interpretando subvertunt, impunitatem sibi pro-
mittentes, quando misericordia Dei in divinis li-
bris commendatur. Flumine autem, quando ab
hominibus qui hæc ita intellexerunt & acceperunt,
tentatur: flumen enim nunc dicit illud, quod de
pluvia colligitur, & torrens vocatur, cùm ait,
C *Quis præparavit validæ pluviæ flumen:* quod [a] im- a
pleat, & quà currat. Sicut sunt vasa iræ perfecta Rom. 9. 22.
ad perditionem, quæ illo modo, quo dixi, Scrip-
turas accipiunt. Per illos enim habet [b] liberiorem b
cursum perniciosa illa interpretatio, quam agri fru-
ctiferi non recipiunt; & tanto majore impetu im-
pellit, & dejicit, & trahit quod instabile invenerit,
quanto videtur de auctoritate divina suscepta. Ven-
tis verò tentatur, quem [c] perflant inanes suasiones c
hominum superborum, id est, ex propria auctori-
tate verba vana jactantium. Qui ergo judicio Dei
præparatur ad perditionem, non obtemperando
verbis ejus, quod est super arenam ædificare, non
resistit ventis talibus, & cadendo fit via vocibus
tempestatis. *Validæ* autem *pluviæ* dictum arbitror,
difficilis ad capiendum, id est, ad intelligendum.
* *Vt pluat super terram ubi non est vir:* subaudien- Iob. 38. v. 26.
dum est, Quis præparavit? Per virum autem vide-
tur. Legem significare, quæ data est Judæis. Ergo
super gentes intelligimus imbrem Evangelij. *In de-*
serto, ubi non est homo: in ipsis gentibus, ubi non
erat aliqua auctoritas cognoscentis Deum.* *Vt* v. 27.
d *satiet invium & inhabitabile, & ut germinet herbæ* d
viror. Multi filij desertæ magis quàm ejus quæ ha- Isaiæ 54. 1.
bet virum. In omnibus autem his quatuor versibus,
subaudiendum est, Quis præparavit? * *Quis est plu-* Iob. 38. v.
viæ pater? sicut sponsus, qui filios suos misit prædi- 28.
catione regni cælorum irrigare terram. *Et quis est*
qui peperit glebas roris? bene suscipientes illam prædi-
cationem. Sic enim ait *glebas roris*, quomodo di-
cuntur vasa vini ad hoc facta, ut vinum suscipiant.
F * *De cujus utero procedit glacies?* Utrùm glacies in v. 29.
bono accipienda est, propter stabilitatem & à fluxu
continentiam, ut ita dictum sit, *De cujus utero pro-*
cedit glacies, quemadmodum illud, *Quis est pluviæ*
pater? An uterus pro secreto positus est, ut *de ejus*
utero procedat glacies, sicut dedit illos Deus in repro- Rom. 1. 28.
bum sensum? An potiùs de *illius utero procedit gla-*
cies, qui persuadendo impietatem, qua intrinsecùs
plenus est, facit frigescere & durescere amisso ca-
G lore caritatis: quis enim hunc novit, sicut ille, qui
ait duris & resistentibus Evangelio, Vos ex patre Iohan. 8.
diabolo estis? *Aut pruinam in cælo quis genuit?* * *quæ* 44.
descendit sicut aquæ flumen. Quod de glacie in ulti- Iob. 38. v. 30.
mo sensimus, hoc & de pruina accipiendum puto.

a Sic MSS. At editi, *quod impleatur & quod currat.*
b Floriacensis MS. *labilem cursum.*
c Am. Er. & aliquot MSS. *quem instant.*
d Editi, *faciat.* MSS. cum LXX. *satiet.*

Nec tamen frustra est additum, *in cælo*, ut ex ipsis qui præsunt, intelligatur, imitantibus sanè bonos (2. Cor. 11. 15.) nuntios veritatis, qui transfigurant se sicut ministri justitiæ. Quò pertinet, quod adjunctum est, *quæ descendit sicut aquæ flumen:* * (Job. 38. v. 30.) *Aut faciem impij quis tabefecit?* Id est, confudit. Quis nisi ille, qui quos (Rom. 8. 30.) justificavit, ipsos & glorificavit? * (Iob. 38. v. 31.) *Aut intellexisti nexus Pleïadis, & septum Orionis aperuisti?* * (v. 32.) *An aperies* [a] *Mazuroth in tempore suo, & vesperum super ædificationem ejus induces?* Num & astrologia perscrutanda est, ad cognoscendum proprietates istorum siderum, ut hunc locum intelligere possimus? Miror si hoc congruit sermoni nostro: & certè nimis longum est; transimus ergo ad alia. An quibusdam sideribus nominatis, figurâ locutionis qua intelligitur à parte totum, omnia sidera accipienda sunt? (Si tamen & Mazuroth sidus est, quod interpretatum nec in Græca lingua invenimus. nam Hebræum esse nomen, satis apparet.) Ita enim à parte (Psal. 109. 3.) totum intelligitur & quod scriptum est, Ante luciferum genui te. Non enim Lucifer in omni creatura prior est conditus, ut ante Luciferum, ante omnem creaturam dictum videatur: sed per Luciferum omnia sidera, quod est à parte totum; & per omnia sidera omnia tempora intelliguntur; (de sideribus (Gen. 1. 14.) enim scriptum est, Et sint in signis & in temporibus;) ut Dominus natus ante omnia tempora, non utique natus in tempore, & ob hoc Patri coæternus insinuaretur. Pleïadis ergo & Orionis & Mazuroth & vesperi commemoratio, cuncta sidera intelligenda de compendio persuadent. Si enim uno lucifero, quanto magis tot nominatis etiam cetera accipi per hujusmodi locutionem licet? Cur ergo alibi dictum est, *intellexisti nexus*; alibi, *aperuisti:* alibi, *aperiens in tempore suo*; & alibi, *super ædificationem ejus induces?* Propria sunt ista singulorum ex ordine commemoratorum? An rectè dici posset etiam, septum Pleïadis aperuisti, & intellexisti nexus Orionis? Atque ita & alia duo commutari pos- (Psal. 2. 4.) sunt: sicut illud in Psalmo, Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, nihil sententiæ deperiret, etiamsi ita diceretur, Qui habitat in cælis subsannabit eos, & Dominus irridebit eos. Sicut enim qui habitat in cælis, ipse est Dominus: ita sive Pleïadis nomen, sive Orionis, in eadem significatione est, si per utrumlibet omnia sidera intelliguntur. Omnium itaque siderum nomine, omnes in Ecclesia tales intelligendi sunt, qui con- (Philip. 3. 20.) versationem habent in cælis. Nexus eorum intelliguntur, quibus & invicem sibi & Deo connectun- (1. Cor. 13. 8.) tur ne cadant. Caritas autem numquam cadit. Quis (Iohan. 13. 34.) autem hoc nosset, nisi ille ostendisset, qui ait, Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis: &, (Iohan. 14. 21.) Qui me diligit, diligetur à Patre meo? Septum eorum est quo sepiuntur divina Scriptura, quam non transgrediuntur. Quis autem hanc aperit, nisi ad quem transitur, ut auferatur velamen? Tempus apertionis est eorum, id est, demonstrationis & ma- (1. Cor. 4. 5.) nifestationis, cùm veniet Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis, & tunc erit laus unicuique à Deo; Solus enim ipse hoc faciet in tempore suo. Quia cùm (Col. 3. 4.) ipse apparuerit vita nostra, & nos cum illo apparebimus in gloria. Inducet autem eos super ædificationem eorum, qui eos faciet hoc possidere, quod (1. Cor. 3. 14.) hîc ædificaverint. Si cujus enim opus permanserit, quod superædificavit mercedem accipiet. * (Job. 38. v. 33.) *Scis commutationes cæli.* Utrùm in deterius, sicut ij qui cognoscentes Deum, non sicut Deum, glorificave- (Rom. 1. 21.) runt? Noluerunt enim esse sedes Dei: ac per hoc mutati sunt, cùm evanuerunt in cogitationibus suis. An in melius? Quia omnes quidem resurgemus, (1. Cor. 15. 51.) non tamen omnes immutabimur. Qui autem immutabuntur, manifestum est, cùm ait, Et nos immutabimur. Cùm enim justi immutabuntur, cælum immutabitur: quia thronus Dei cælum est, & (Matth. 5. 34.) sapientia Verbum Dei, & Deus erat Verbum, & thronus sapientiæ anima justi. An utrumque potiùs? Non enim commutationem cæli, sed *commutationes* dixit. * (Iob. 38. v. 33.) *Aut omnia quæ sub cælo* [b] *pariter sunt.* Sicut enim hujus mutationes afficiunt ea quæ sub cælo sunt, ita & cùm mutantur justi, sive in deterius, sive in melius, afficiunt carnales ad utrumque. * (v. 34.) *Vocabis nubem voce:* aut interiore, aut illâ qua dictum est, Sequere me, aut illâ qua dictum est, (Iohan. 21. 19.) Saule Saule, quid me persequeris? * (Act. 9. 4.) *Et in tremore aquæ validæ obedient tibi:* populi potentes, cùm au- (Iob. 38. v. 34.) diunt, In timore & tremore vestram ipsorum salu- (Philip. 2. 12.) tem operamini, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari, pro bona voluntate. * (Iob. 38. 35.) *Mittes* [c] *vi flumina, & ibunt.* Flumina, inquit, de ventre (Iohan. 7. 38.) ejus fluent aquæ vivæ. *Vi* autem dicit, fiduciâ, qua persecutores non timuerunt: quia & qui vim fa- (Matt. 11. 12.) ciunt, diripiunt regnum cælorum. * (Iob. 38. v. 35.) *Aut dicent tibi, quid est?* id est, numquid abs te quærent vel voluntatem jussionis tuæ, sicut Saulus ait, Quid me ju- (Act. 9. 6.) bes facere? aut spem mercedis suæ, sicut dixerunt, Ecce dimisimus omnia, & secuti sumus te, quid (Matth. 19. 27.) ergo erit nobis? * (Iob. 38. v. 36.) *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, & varietatum scientiam?* Texit & apud (Prov. 31.) Salomonem mulier vestimenta viro suo. Opera ergo intelligenda sunt Ecclesiarum, quibus honoratur Deus. Nam & ipsa textura, id est, infirmos fratres, tamquam lanuginantem tramam firmorum atque erectorum spiritalium, quasi staminum contextione constringere maximum & singulare opus est Ecclesiarum. Et varietatum scientia ad id valet, ut tamquam in polymito ea est varietas colorum, qua non turbetur decus unitatis; sic in fratribus ita sint dona diversa, ut nulla invidiæ discrepantiâ cohæreant sibi, sufferentes invicem in dile- (Ephes. 4. 3.) ctione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis. * (Iob. 38. v. 37.) *Aut quis est qui numeret nubes sapientiâ?* Novit enim Dominus qui sunt ejus. Quis autem (2. Tim. 2. 19.) hoc hominum, inquit, novit? * (Iob. 38. v. 37.) *Et organa cæli in terram declinavit?* Angelos cælestes, per quos divinæ voces enuntiari solent. Non enim ceciderunt sicut ille unus, sed flexu obedientiæ declinati sunt in terram: maximè cùm & ipse Dominus esset in terra. Nam Evangelista inquit, Et Angeli ministrabant (Matth. 4. 11.) ei. * (Iob 38. v. 38.) *Diffusus est autem sicut terra cinis, & agglutinavit eum sicut lapidibus* [d] *cibum.* Diffusa est latè atque abundanter humilitas pænitentiæ, ad hoc ut (1. Pet. 5. 5.) Dominus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, cohæreret eis tamquam glutine caritatis, homo hominibus, ut mediator esset Dei & homi- (1. Tim. 2. 5.) num, seipsum illis dans cibum per sacramentum corporis & sanguinis sui, stulta mundi tamquam (1. Cor. 1. 27.) lapides eligens, ut confundat sapientes. Angelis enim cibus est inquantum est Verbum Dei apud Deum: lapidibus autem ut cibus esset, Verbum (Iohan. 1. 14.) caro factum est, & habitavit in nobis. Ergo agglu-

[a] Sic MSS. & LXX. At editi, *An aperies Arcturos.*
[b] Editi, *quæ sub cælo sunt.* Abest *sunt* à MS. Floriac.
[c] LXX. κεραυνοὺς, *fulmina.* Vulg. *fulgura.*
[d] LXX. ὥσπερ λίθῳ κύβον, *sicut lapide cubum.*

tinabitur

tinabitur hominibus, præcedente pænitentiâ, tamquam cinis diffundatur faciens ei viam. Hinc ille (Matth. 3. 8.) qui dicebat, Facite ergo fructus dignos pænitentiæ, & ne dixeritis vobis, Patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Quibus lapidibus eum tamquam cibum agglutinandum esse nuntiabat. Si autem non (Psal. 137. 6.) præcedit humilitas pænitendi, non agglutinabitur, quia excelsa à longè cognoscit. * (Iob. 38. v. 39.) *Aut capies leoni escas, aut animas draconum replebis?* De diabolo di- (Psal. 90. 13.) ctum est, Et conculcabis leonem & draconem: propter insidias & iram. Omnes ergo angeli ejus leonibus & draconibus comparantur. Ille autem capit eis escas, & animas eorum replet, qui de impietate convictos tradit in ejus potestatem. Volunt enim latêre impietatem suam, sed cùm producuntur, utique capiuntur, ut sint in potestate diaboli (Iob. 38. v. 40.) & angelorum ejus, quibus consenserunt. * *Pavidi enim sunt in cubilibus suis:* in latebris insidiarum suarum. Nam si pavidi non essent, quis subsisteret? Pavent autem illius imperium, sub quo exclamarunt, (Marci 1. 24. & 5. 11.) Quid venisti ante tempus perdere nos? Et quemadmodum de porcis manifestum est, quòd in eos non issent, nisi permissi essent, sic intelligendum est nihil eos in quemquam posse nisi permissos: permitti autem justitiâ, qua reguntur omnia, sive probationis caussâ, sive vindictæ, vel ad damnationem, vel (Iob. 38. v. 40.) ad correctionem irrogatæ. * *Et sedent in silvis insidiantes.* Non enim quiescit in eis voluntas nocendi, etiam cùm potestas non datur. Observant autem in insidiis in tam silvosa densitate occasionum carnalium quis capiatur divinis legibus, id est, convincatur de peccato suo, ita ut eorum escæ deputari me- (v. 41.) reatur. * *Quis autem præparavit corvo escam? pulli enim ejus ad Dominum clamantes, & errantes, & escam quærentes:* ut est in Psalmo, Et pullis corvorum (Psal. 146. 9.) invocantibus eum. Cui sententiæ est locus iste similimus. Nec in malo possunt intelligi, quia invocant eum. Significantur ergo nigri, hoc est peccatores nondum dealbati remissione peccatorum. Sed ideo pulli, quia jam humiles: ideo errantes, quia nondum cognoverunt veritatem, quam tamen piè quærunt cùm ad Dominum clamant. Præparari autem corvo esca potest, propter ejus præscientiam, qui novit etiam nondum humilem quemque conversum iri: sed tamen pulli, hoc est, humiles ad Do- (IN CAPUT XXXIX. v. 1.) minum clamant. * *Si cognovisti tempus pariendi tragelaphorum petras?* τράγος hircus est, ἔλαφος cervus: Tragelaphus ergo compositum ex hirco & (Rom. 7. 22.) cervo animal. Significat igitur mentem servientem legi Dei secundùm interiorem hominem. Videt autem, quantum adhuc ex parte hircus est, aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in lege peccati. [a] Peperit autem talibus petras opportuno tempore, ille, qui firmamenta solida exemplorum in Scripturis posuit, in quibus & quiescentes de se non desperent, quorum (Gal. 5. 17.) caro concupiscit adversùs spiritum & spiritus adversùs carnem, donec vivacitate cervi serpentinis suasionibus superatis spiritu vivant, & spiritum se- (Rom. 6. 12.) ctentur, ne regnet peccatum, (unde similitudo hirci ducitur,) in eorum mortali corpore, ad obe- (Iob. 39. v. 1.) diendum desideriis ejus. * *Aut partus cervarum custodisti?* Ecclesiarum in numero spiritalium, materno affectu imitationem suam persuadentium, quibus jam nihil possunt serpentinæ opiniones nocere: tamen & tales custodiuntur non de se, sed de Deo præsumentes. * (v. 2.) *Et numerasti menses partus earum?* Non enim pariunt nisi per Evangelium, quod à baptismo suo Dominus usque ad passionem & adscensionem suam certis mensibus magisterij sui auctoritate prædicavit. *Et dolores earum solvisti?* Non enim sine dolore dicebatur, Filij mei, quos iterum (Gal. 4. 19.) parturio, donec Christus formetur in vobis. Solvuntur autem isti dolores cùm fuerit partus editus, id est, veritas persuasa eis, pro quibus ita ingemiscitur, id agente in interioribus conscientiæ verbo Dei. * *Et nutristi hinnulos earum sine metu?* in lacte (Iob. 39. v. 3.) sacramentorum non timidos. Non enim accepe- (Rom. 8. 15.) runt spiritum servitutis iterum in timore. * *Partus earum* [b] *emittes:* (Iob. 39. v. 3.) in libertatem uberioris pascuæ spiritalis. * *Abrumpent filij earum:* (v. 4.) vincula concupiscentiarum sæcularium. *Multiplicabuntur in tritico:* solidiore cibo sapientiæ, post nutrimenta lactis. *Exibunt, & non revertentur eis.* Exibunt, tamquam ex angustiis doctrinæ, quæ per homines incipientibus traditur; & non revertentur matribus suis, non jam opus habentes lacte, nec doctoribus hominibus indigentes. Sanè isti tres versus non per interrogationem pronuntiandi sunt. * *Quis autem est qui* (v. 5.) *dimisit onagrum liberum?* Mirum nisi eos per onagrum significat, qui pauci ab omni negotio liberi Deo serviunt. *Et vincula ejus quis resolvit?* Affectionum carnalium atque popularium. * *Posui enim* (v. 6.) *habitaculum desertum & tabernacula ejus salsuginem:* unde clamet, Sitivit in te anima mea. * *Irridens* (Psal. 62. 2. Iob. 39. v. 7.) *multitudinem civitatis:* quam Babyloniam Scriptura dicit; perambulantem per latam viam, quæ ducit ad perditionem. *Et querelam exactoris non audiens:* nemini quidquam debens. * *Consideravit montes pas-* (v. 8.) *cuæ suæ:* magnitudinem revelationum. *Et post omne viride quærit:* omne sempiternum. * *Volet autem* (v. 9.) *monoceros servire tibi?* superbus dignitate hujus sæculi: quia & tales subjugavit Christus, & ministros Ecclesiæ constituit: μονόκερως enim unicornis est, quod superbiam significat. *Aut dormire super præsepe tuum?* sicut super illius humilitatem, qui etiam in præsepi est infans positus, requiescitur securitate veniæ peccatorum, & oblivione curarum malæ conscientiæ. * *Et alligabit in loris jugum suum?* jugum (v. 10.) lene portans alligatum loris, hoc est, in auctoritatibus eorum, qui carnem mortificaverunt, atque domuerunt. Unde & Johannes zonâ pelliceâ cinge- (Matth. 3. 4. Marci 1. 6.) batur, non asperis restibus peccatorum. * *Aut ducet* (Iob. 39. v. 10.) *tibi sulcos in campo?* aperiet pectora plebis obedientis ad obtinendum regnum Dei. * *Confidis autem in* (v. 11.) *eo, quia mutata est virtus ejus?* ut non vanitatem humanæ laudis & honoris etiam in Ecclesiæ ministerio requirat, sicut requirebat in sæculo. *Aut dimittes ei opera tua?* sicut ille, pro quo se dicit Apostolus le- (2. Cor. 5. 20.) gatione fungi, exhortans pro Christo reconciliari Deo. * *Et credes ei, quia reddet tibi sementem?* Nihil (Iob. 39. v. 12.) ex eo suo dominatui vindicabit. Sementem quippe dicit opus seminandi. *Et in aream tuam inferet?* Ut sit inter illos, quibus ipse Dominus præcipit rogan- (Luca 10. 2.) dum Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam: non autem ut sibi velit aream facere, sicut princeps hæresum & schismatum, & quicumque non Dei gloriam quærunt, sed suam. Difficilimum est enim, ut velit iste monoceros, sed tamen & hoc præstat atque efficit in hominis animo, qui facit mirabilia solus, consilia destruens, & omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, & captivans omnem intellectum ad obedientiam

[a] Lov. *parat.* At Am. Er. & nostri omnes MSS. *peperit.*
[b] Sic MSS. juxta LXX. Editi verò, *euntes.*

suam. *Penna struthionum mixta est alis herodionis & accipitris.* Tardis ingenio, quos significant struthiones, quia volare non possunt, donatum esse per
1. Cor. 1. 27. ejus gratiam, qui stulta mundi elegit, ut æquarentur ingeniosorum celeritati pariter credentium, qui per alias aves quas commemoravit significantur,
Iob. 39. v. 14. per hunc versum intelligendum est. * *Et reliquit in terra ova sua.* Jam incipit de struthione dicere, id est, de his quos per hoc animal significat. Non enim misceretur pennæ eorum tardæ alis velocium avium ad pariter volandum, nisi spem priorem in terra relinquerent, quam per ova significat. *Et in pulvere calefiunt.* Quia etsi id quod sperabat in sæculo non adtenderit, plerumque faventibus amatoribus sæculi, qui pulveri comparantur, provenit.
v. 15. * *Et oblita est, quia pes disperdet ea, & bestia agri conculcabit ea.* Quòd si & adversa cujusquam cupiditas & iniqui hujus mundi perturbent, & obterant spem ejus talem, tamquam ova ejus quæ relinquit in terra; ita non curat, ut tamquam oblita non sentiat.
v. 16. * *Obduruit contra filios suos, ne sint ejus:* etiamsi jam non spes sit sicut ova, sed res ipsa, sicut filij jam nati, hoc est felicitas temporalis, fortiter contemnit eam, nolens eam suam esse felicitatem; quia illam veram desiderat. *Frustra laboravit absque ullo timore.* Hoc antequam convertatur: laborat enim spe sæculi sine fructu, & quod est insipientius, sine
v. 17 ullo timore, dum præsumit in rebus incertis. *Quia despexit eam Deus in sapientia, & non distribuit ei intellectum.* Quid enim stultius, quàm fidere in vanitate, & laborare ad adquirenda peritura sine ullo timore amittendi? Concipiunt enim plerique hunc affectum, quibus longa felicitas sæculi provenit, præsertim si ab avis & atavis perpetua successione ducatur, ut se repentè infelices fieri posse non credant. Et quia magni solent apparere in terra, non tamen pennis virtutum cælesti conversatione frui, rectè struthionibus comparantur. Sed adtende quod
v. 18. sequitur: * *Cùm tempus fuerit, in altum evolabit, & irridebit equitem & adscensorem.* Postea quàm venit
Gal. 4. 4. plenitudo temporis, ut præciperetur divitibus hu-
1. Tim. 6. 17. jus sæculi, non superbè sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, cœperunt sursum cor habere ad Dominum, & deridere superbos persecutores, quos Dominus projecit in mare: tunc enim penna struthionis mixta velocibus avibus, cælum petit, & cetera quæ de hoc animali suprà dicta
Iob. 39. v. 19. sunt, fiunt. * *An tu circumdedisti equo virtutem?* Martyrem videtur describere, intrepidum & alacrem testem fidei salutaris, non tamen virtute propria, sed qua eum circumdedit Dominus. *Et inseruisti*
Ephes. 6. 11. *collo ejus hinnitum?* Induite vos armaturam Dei, ut
Iob. 39. v. 20. possitis resistere in die malo. * *Et gloriæ pectoris ejus*
Isaiæ 65. 1. [a] *audacia.* Hæc est audacia, qua Isaias audet &
Rom. 10. 20. dicit. [b] Gloria verò pectoris est conscientia opus hominis probans, ut in semetipso habeat quisque gloriam & non in altero. * [c] *Prodiens in campo luxuriat.* In lucem libertatis exiens, facilitate boni
Iob. 39. v. 21. operis in latitudine caritatis exsultat. *Et procedit in prælium cum virtute:* adversùs tentationes adversita-
v. 22. tum. * *Occurrensque jaculo contemnit:* quia circum-
Ephes. 6. 16. posita sunt ei arma, in quibus est illud scutum fidei, in quo ignita inimici jacula exstinguuntur.
Iob. 39. v. 22. *Nec se avertit à ferro:* vel à morte visibili, vel quia sunt & duri ad non consentiendum veritati,

A & acuti ad persequendum à quibus se non avertit, quia ipsos etiam ut diligat jubetur. * *Super ipsum* v. 23.
enim gaudet arcus & gladius. Per confessionem quippe ejus asseritur & comminatio Dei, quæ invisibiles pœnas longè prænuntiat, & testificatio verbi, qua omnes tamquam cominus errores debellat. Aliud est enim minari, quòd longè futura sunt supplicia peccatorum, quod est tamquam arcu tela intendere: aliud tamquam manu ad manum gladio verbi præsentes debellare cupiditates. *Lanceæ*
B *hastæque tremore.* Quid est quòd lanceæ hastæque tremore super ipsum gaudet arcus & gladius? An quia nisi & ipse tremat, hoc est, timeat futuram mortem, quam jaculatur divina justitia, non potest præsentem contemnere, quam persecutor minatur, ut intrepidam habeat confessionem, & prædicet cum fiducia veritatem, cui non possint inimici resistere: atque ita *super eum gaudeat*, hoc est, per ipsum liberè asseratur doctrina Dei, per quam minatur impiis futurum interitum, & interficit
C præsentem iniquitatem? Nisi enim gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas & superba præsumtio; neque in Psalmo nobis diceretur, Exsultate ei cum Psal. 2. 11.
tremore. * *Et iracundia evertit terram.* Apud semet- Iob. 39. v.
ipsum irascens, ad evertendas in se terrenas con- 24.
cupiscentias & timores carnales, quibus quisque à tolerantia passionis avertitur. In hac sententia fortè dictum est, Irascimini & nolite peccare. Cum Psal. 4. 5.
iracundia enim saluberrima se debet quisque cor- Psal. 41. 6.
rectione corripere, dicens, Ut quid tristis es ani- & 7.
ma mea, & quare conturbas me? Spera in Deum, Rom. 10. 10.
quia confitebor illi. Quia enim ore confessio fit ad salutem, statim sequitur, Salutare vultus mei Deus
meus. * *Nec credet, donec clamaverit tuba.* Ante tem- Iob. 39. v.
pus quippe tentationis, etiamsi eversa est terrena 24.
trepidatio, non apparet, nec facilè credendum est, nisi tempus ipsum tentationis docuerit. * *Cùm au-* v. 25.
tem tuba cecinerit, dicet, Euge. Cùm tempus tentationis venerit, tunc verò placebit ei anima ejus,
D si gloriatur in tribulationibus, Quia tribulatio pa- Rom. 5. 5.
tientiam operatur, patientia verò probationem, probatio verò spem: ut jam non dicat animæ suæ irascens, Ut quid conturbas me? Sed glorians dicat, Lauda anima mea Dominum. * *Et procul odo-* Psal. 145. 2.
ratur pugnam: non quasi in hominibus persequen- Iob. 39. v.
tibus qui videntur, sed procul, hoc est, longè ab 25.
oculis: sciens quia non est ei colluctatio adversùs Ephes. 6. 12.
carnem & sanguinem, sed adversùs principes & «
potestates, & rectores mundi, tenebrarum harum, «
E adversùs spiritalia nequitiæ in cælestibus, hoc est procul. Aptè autem dictum est, *odoratur*, propter principem potestatis aëris hujus. Odores quippe olfactu sentiuntur, sive boni, sive mali. *Odoratur* ergo *pugnam*, qui intelligit principem potestatis aëris hujus operari in filiis diffidentiæ, quorum perse- Ephes. 2. 2.
quentium iras aut insidias patitur, ut adversùs spiritalia nequitiæ spiritalibus armis dimicet, non corporalibus adversùs carnem & sanguinem, id est malos & perditos homines, quos carneis oculis vi-
G det. * *Tonitrum ducum & clamorem:* subaudiendum Iob. 39. v.
est, odoratur. Tonitrum autem propter ipsum aë- 25.
rem puto dictum esse, in quo clausa spiritalia nequitiæ versantur. Non enim rectores mundi propterea dicti sunt hi spiritus, quia cælum & terram

[a] Floriacensis codex, *audaciam.*
[b] Apud Lov. post, *dicit*, additur, *Inventus sum à non quærentibus me: palam apparui iis qui me non interrogabant.* quod totum abest ab Am. Er. & MSS.
[c] Apud LXX. αἰαζόμενος, *fodiens.*

regunt, sed sicut ipse exponit Apostolus. Etenim A
ne ita intelligeretur, subjecit statim quid dixerit
Ephes. 6. 12. rectores mundi, tenebrarum harum, inquit, hoc est impiorum: quibus ad Dominum conversis
Ephes. 5. 8. dixit, Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. In voluntate enim cujusque est, utrùm tenebræ sit, an lux: sed cùm tenebræ, in seipso, hoc est, peccatis quæ ipsius sunt propria: cùm autem lux, non in seipso, sed in Domino, à
Isaiæ 58. 10. quo illuminatur, ut quemadmodum dixit Isaias, tenebræ ejus fiat velut meridies. Dicitur & in Psal-
B Psal. 17. 29. mis, Illuminabis tenebras meas. Quos ergo dicit Apostolus rectores tenebrarum, ipsi & in hoc versu dicti sunt duces. Ducuntur enim & ab his tenebræ, hoc est impij, ut persequantur pios, id est, eos qui persecutionem patiuntur propter justitiam, non eos qui patiuntur propter impietates & iniquitates suas. Ducum autem talium clamorem dicit odorari martyrem: non quia sonitus aliquis inde auditur auribus corporis, sed quia cordis auribus per fidem clament, quanta diabolus & angeli C
ejus adversùs Dei servos machinentur: unde ait
2. Cor. 2. 11. Apostolus, Non enim ignoramus astutiam ejus. Adversùs quem clamorem ducum, surdæ utique
Iob. 39. v. 26. sunt aures infidelium. * *Numquid in sapientia tua plumescit accipiter?* sicut in sapientia Dei, quæ est Christus, novus homo paulatim innovatur, conversationem habiturus in cælestibus. *Expansis pennis immobilis, respiciens ad austrum?* explicatis ab omni impedimento sæculari virtutibus geminæ dilectionis permanens inconcussus in fide, non ta- D
men in hoc ipso de seipso præsumens, sed sperans in Deum, & in illum revocans intentionem, à quo ipse caritatis ardor inspiratur, ut fortitudinem suam
Psal. 61. 2. & 5. ad ipsum custodiat, dicens, Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum: etenim ipse est Deus meus & salutaris meus, suscep-
Iob. 39. v. 27. tor meus, non movebor ampliùs. * *Ac tuo præcepto exaltatur aquila?* sicut ejus præcepto, qui ait, Cùm
Johan. 12. 32. exaltatus fuero, omnia traham ad me. Pro nobis enim moriturus, & corpus resurrectione levaturus E
Matth. 24. 28. in cælum, Ubi fuerit, inquit, cadaver, illuc con-
Psal. 102. 5. gregabuntur & aquilæ. Satiavit enim in bonis cælestibus desiderium ejus, cujus sicut aquilæ juventus renovabitur. Potest & exaltatio aquilæ ad id
2. Cor. 5. 13. pertinere, quod ait Apostolus, Sive enim mente excessimus, Deo: ut versus qui etiam ibi sequitur de vulture, ad id pertineat quod etiam ibi sequitur, Sive temperantes sumus, vobis. Sequitur enim,
Iob 39. v. 28. * *Aut vultur super nidum suum in petra sedens morabitur:* quia ex affectu dictum videtur non sublimia F
contemplandi mentis excessu, sed inferioribus consulendi per temperantiam qua humanis rebus congruitur; ut impij qui pro mortuis habentur, justificati per verbum, hoc est, quasi ore devorati convertantur in corpus Ecclesiæ. Vultur enim de mortuis pascitur: & ideo *super nidum suum*, ubi tamquam fœtus ponit opera huic vitæ necessaria. Ideo autem *in petra*, quia cùm dixisset Apostolus, Sive temperantes sumus, vobis; continuò subjunxit,
Caritas enim Christi compellit nos, petra autem G
1. Cor. 10. 4. erat Christus. Et bene *sedens morabitur*, secundùm
Philip. 1. 23 id quod dictum est, Compellor autem ex duobus, » concupiscentiam habens dissolvi & esse cum Chri- » sto, multò enim magis optimum: ut hoc ad exaltationem aquilæ pertineat; ad vulturem verò se- » dentem in nido, & morantem, Manere in carne

necessarium propter vos. Et quia petra etiam tota Ecclesia bene intelligitur, propter etiam Simonem, qui ob hoc à Domino Petrus appellatus est, summitas petræ est caput Ecclesiæ. Ad hoc additur versus qui sequitur. * *In summitate petræ & in caverna.* Iob. 39. v. 28.
Summitas enim refertur ad id quod est caput, caverna verò ad id quod vita nostra abscondita est Col. 3. 3.
cum Christo in Deo. * *Et cùm ibi fuerit, quærit escas:* v. 29.
de quibus dictum est Petro, Macta & manduca, ut Act. 11. 7.
incorporaret Ecclesiæ credituros ex gentibus. *Lon-*
B *gè oculi ejus respiciunt:* * *& pulli ejus volutantur in* Iob. 39. v. 30.
sanguine. Spe futuræ immortalitatis in viam æternam intentionem suam longè porrigit: quamvis opera ejus in carnis infirmitate volutentur, id est, dubiis motibus jactetur, dum incertum habet humana ignorantia ex iis, quæ misericorditer facit, quid cui profit ad Deum, cùm tamen longè oculis prospicientibus propter æternam salutem sincera caritate dispensat. Sed cùm invenerit iste talis operator & dispensator eos, qui per affectum, quo renuntiant diabolo, jam mortui sint huic sæculo, sine
C dubitatione aliqua eis exhibet oris ministerium in opere sermonis, quo eos in corpus Ecclesiæ jam paratissimos trajiciat. Et ideo sequitur, *Ubicumque fuerint cadavera, confestim reperiuntur.*

* *Respondit Dominus, & dixit.* Quòd nunc Do- v. 31.
minus tamquam repetit sermonem, cùm ipse loqueretur, intelligitur Job ad ea, quæ dicta sunt, obstupuisse in silentio, & quievisse, ut nihil ampliùs dicere auderet. Ergo duobus qui sequuntur versibus
D exhortatur eum Dominus ad respondendum. *Num-* v. 32.
quid qui disputat cum Omnipotente, quiescit? hoc est, Quare tu quiescis cum Omnipotente disputans? *Arguens Deum respondebit ita?* subaudiendum est, numquid, ut sit sensus, Numquid arguit Deum qui disputans respondebit? Quærendo enim cum Omnipotente disputatur, non convincendo aut refellendo. Non ergo quia Omnipotens est, ideo quiescendum est à disputando cum eo. Neque enim ad arguendum ab eo aliquid per disputationem
E tamquam ab ipsa veritate requiritur. Potest & sic intelligi, Numquid qui disputat cum Domino, quiescit, id est, quia non quiescit qui cum Omnipotente disputat, non est cum eo disputandum ut quiescatur. Solet enim disputans contradicere: qui autem contradicit Deo, quiescere non potest, hoc est, non invenit quietem, nisi in ejus voluntate sine ulla contradictione consentiat. *Arguens* enim *Deum respondebit ita*, id est, cùm disputando respondet Deo arguit Deum, & propterea non per-
F venit ad quietem. Unde dictum est. O homo, tu Rom. 9. 20.
qui es qui respondeas Deo? Sed quid tale fecerat Job? Non enim Deus sic illum accipit tamquam contradicentem sibi, sicut amici ejus non intelligentes, cùm tale testimonium illi perhibeat, & in capite libri, & in fine. An propter personam, quam Job gestabat dictum est, hoc est, corporis Domini, quod est Ecclesia, in qua multa infirmorum pars est, non quidem desperatorum, sed tamen adhuc in provectu suo periclitantium, quibus penè com-
G moventur pedes, & quorum paulò minùs effun- Psal. 72. 2.
duntur gressus, dum zelant in peccatoribus, pa- 3. & 4.
cem peccatorum intuentes? Qui dicunt, Quomo- «
do scivit Deus, & si est scientia in Altissimo? Ecce «
ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuè- «
runt divitias. Numquid vanè justificavi cor meum, «
& lavi in innocentibus manus meas, & fui flagella- «

tus tota die, & arguitio mea in matutinum? Nam hinc potiùs Job ipse videtur respondere sequentibus versibus.

Iob. 39. v. 33. * *Respondens autem Iob dixit, Quid ergo judicer commonitus & increpatus à Domino, audiens talia cùm nihil sim?* id est, quid ergo mihi judicium comparo, cùm me commonet & arguit Dominus, si ei contradicam: *audiens talia*, id est, intelligens quantâ justitiâ & misericordiâ mecum sic agatur, cùm
v. 34. per meipsum utique nihil sim? * *Quod responsum dabo?* id est, quid potero contradicere veritati? *Ma-*
v. 35. *num ponam ad os meum*, id est, tenebo & cohibebo loquacitatem meam. * *Semel locutus sum, iterum non adjiciam.* Nisi in mysterio accipiatur, quomodo semel locutus est Job, qui toties locutus est? Aut quomodo iterum non adjiciet, post paululum locuturus? Sed locutio hîc intelligenda est progressus animæ in hæc exteriora, quo relinquit Deum, & ei resistit. Unde major iste progressus, etiam clamor in Scriptura appellatur, cùm dicit Deus clamorem Sodomorum ad se pervenisse. Cui locutioni atque clamori contrarium est beatissimum illud silentium, de quo dicitur, Et silebit sine timore ab omni malignitate. Bene itaque dicit semel se locutum continua quadam locutione in tota vita veteris hominis, cùm esset spiritus ambulans, & non revertens. Nunc autem manum imponens ori, ne ultrà progrediatur, promittit se non adjicere iterum, ne recedat à Deo. Amen.

Gen. 18. 20.

Psal. 75. 39.

ADMONITIO

IN LIBRUM CUI TITULUS SPECULUM.

SCRIPTVRAM sacram speculi vice esse nobis propositam observat Gregorius in lib. 2. Moral. c. 1. adeoque hanc, ubi virorum illustrium gestis narrandis insistit, non eorum peccata & lapsus, omninoque nihil silentio præterire notat, quo minùs ad informandos mores exempla cuique homini præsto sint opportuna. Verumtamen istud speculi munus habet Scriptura alio itidem ex capite; immo id sibi vindicat eà maximè parte, quæ vitæ præcepta continentur; quibus videlicet in conspectu positis, si ulla est in moribus labes, si decus speciesque non ementita pietatis in animo insidet, faciliùs dijudicatur. Hæc itaque præcepta S. Doctoris Augustini studio collecta fuisse in unum librum, cui Speculo *nomen ab ipso inditum est, fidem facit Possidius in ejus vita c.* 28. *quo loco recensitis antè Retractationum libris, continenter subjicit,* Quique prodesse omnibus volens, & volentibus multa librorum legere & non valentibus, ex utroque divino Testamento, vetere & novo, præmissâ præfatione præcepta divina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit: ut qui vellet legeret, atque in eo vel quàm obediens Deo, inobedienve esset agnosceret: & hoc opus voluit Speculum appellare. *Tum verò Vandalorum in Africam irruptionem, quæ ad annum Christi* 428. *pertinet, brevi pòst tempore contigisse refert. Vnde intelligas opus istud esse anni ferè* 427. *quod subinde inter opuscula Retractationum libris posteriùs edita numeratur in antiquis codicibus, uti in Retractationum fine Tom.* 1. *adnotatum fuit. Eumdem librum probè cognitum se habuisse significat Cassiod. Senator in lib. de Institutione div. Script. c.* 16. *hisce verbis,* Liber ejusdem *Augustini* quasi Philosophiæ moralis, quem pro moribus instituendis atque corrigendis ex divina auctoritate collegit, Speculumque nominavit, magna intentione legendus est.

Porrò cùm ad vulgi usum istud pium opus compararet S. Doctor, eo noluit nisi faciliores intellectu præceptiones comprehendi. Quo etiam consilio adductum credimus, ut versione uteretur non ex Græco LXX. *quam sequi solebat, sed ex Hebræo, quòd hanc demum comperisset esse illâ multis in locis planiorem. Nam hoc nomine eam aliquoties laudat in postremis suis libris quæstionum in Heptateuchum, ac præsertim in* 4. *de doctrina Christiana libro, quem tribus aliis adjiciens anno* 426. *aut* 427. *sic testimonium ex propheta Amos prolaturus loquitur in cap.* 7. Non autem, *ait*, secundùm LXX. interpretes, qui etiam ipsi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritalem sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio, unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum: sed sicut ex Hebræo in Latinum eloquium presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante translata sunt. *Præterea si quæ forsitan ex congestis in Speculum sententiis contrariæ viderentur, conciliare decreverat & illustrare propositis postea quæstionibus: quas quidem in MSS. codicibus frustra quæsivimus; cùmque de hoc labore nihil dicat Possidius, qui de ipsa vel præfatione Speculi tacendum non existimavit, haud immeritò creditur Augustinum ab eo explendo præpeditum fuisse.*

Aliud non ita pridem Hieronymi Vignerij curà prodiit Speculum sub Augustini nomine; in quo sententiæ Scripturarum revocantur ad certa quædam capita instituta variis de rebus sacram doctrinam spectantibus, adeò ut non tam vitæ instituendæ consilio, quàm erudiendi animi caussâ, comparatum esse videatur. Quocirca istud minùs cum eo convenit Speculo, quod & Possidij verbis & Augustini præfatione describitur: planéque oportet sicuti nostrum hoc genuinum, ita Vignerianum illud spurium habeamus.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
SPECULUM.*

* Scriptum sub annum Christi 427.

PRÆFATIO.

QUIS ignorat in Scripturis sanctis, id est, Legitimis, Propheticis, Evangelicis, & Apostolicis, auctoritate canonica præditis, quædam sic esse posita, ut tantùm scirentur & crederentur, ut est quòd *in prin-*
Gen. 1. 1. *cipio fecit Deus cælum & terram*, & quòd *in princi-*
Johan. 1. 1. *cipio erat Verbum*, & quæcumque facta divina vel humana tantummodo cognoscenda narrantur: quædam verò sic esse jussa, ut observarentur & fie-
Exodi 20. 12. rent, vel prohibita ne fierent, ut est, *Honora pa-*
Matth. 15. 4. & 5. 27. *trem & matrem?* &, *Non mœchaberis*; Horum autem quæ jubendo & vetando scripta sunt, alia sunt sacramentorum velata mysteriis, quæ multa veteris Testamenti populo illi facienda mandata sunt, neque à populo Christiano nunc fiunt, sed tantummodo intelligenda requiruntur atque tractantur;
Deut. 5. 12. sicuti est sabbatum ad visibilem vacationem, sicut
Exodi 12. azyma in pane sine fermento, Pascha in ovis occi-
Num. 28. 16. &c. sione; sicut tot genera sacrificiorum ciborumque vitandorum, & neomeniæ, & annuæ sollemnitates, quas observant nunc usque Judæi; & illæ justificationes, quæ non ad opera justitiæ propriè
Exodi 21. 2. & 6. pertinent, sed aliquid significare intelliguntur. Quis enim Christianus septimo anno cogitur servum reddere liberati; & si discedere ille noluerit, ejus auriculam subulâ pertundere ad postem, & cetera hujusmodi? Alia verò etiam nunc facienda sunt, si facienda præcepta sunt; nec facienda, si prohibita; qualia sunt illa quæ dixi, *Honora patrem & matrem*; &, *Non mœchaberis*. De his igitur quæ ita sunt posita in litteris sacris, vel jubendo, vel vetando, vel sinendo, ut etiam nunc, id est tempore novi Testamenti ad vitam piam exercendam moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumsi componere aggressus sum: ut quantum me Deus adjuvat, omnia talia de canonicis libris colligam, atque ut facilè inspici possint, in unum tamquam Speculum congeram. Oportuit enim sic ea poni ab auctoribus nostris, quemadmodum posita sunt, ut præcepta narrationibus vel disputationibus propriis figurata, & figuratis propria miscerentur, dum rerum gestarum ordo servatur, aut respondetur adversis, aut qui docendi sunt instruuntur, aut occultorum inventione quodammodo renovantur hi qui promta & aperta fastidiunt: nos autem in hoc opere nec infidelem vel adducimus vel ædificamus ad fidem; nec exercemus quibusdam salubribus difficultatibus ingenium intentionemque discentium; sed eum qui jam credens obedire Deo voluerit, ut hîc se inspiciat, admonemus, quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, & quantum sibi desit, adtendat. Sic enim potest & de his quæ habet gratias agere, & de his quæ non habet ut habeat satis agere, ac propter illa servanda curam precesque fidelis pietatis adhibere. In his autem omnibus, quæ inspicienda ponere institui, quæcumque inter se videbuntur esse contraria, postea propositis quæstionibus exponenda atque solvenda sunt. Sanè supplicia male-factorum, & præmia recte-factorum, quamvis nonnulla commemoranda existimaverim, tamen in novo Testamento dissimilia veteribus esse quis nesciat? Ab ipsa
Johan. 1. 17. igitur Lege quæ data est per Moysen, divinorum præceptorum, qualia nos commemoraturos esse promisimus, aggrediamur exordium.

DE LIBRO LEGIS, QUI EXODUS NOMINATUR.

NON facies tibi sculptile, neque omnem Exodi 20.
similitudinem quæ est in cælo desuper, & v. 4.
quæ in terra deorsum, nec eorum quæ
sunt in aquis sub terra: * non adorabis ea, neque co- v. 5.
les. *Item*: * Non assumes nomen Domini Dei tui in v. 7.
vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra. *Et paulo pòst*: * Honora patrem tuum & matrem, ut v. 12.
sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. * Non occides. * Non mœchaberis. v. 13. v. 14.
* Non furtum facies. * Non loquêris contra proxi- v. 15. v. 16.
mum tuum falsum testimonium. * Non concupisces v. 17.
domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus: non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. *Item post Decalogum aliis in locis, hæc in eodem libro reperiuntur præcepta vivendi*: * Non facietis[a] mecum deos argen- v. 23.
teos, nec deos aureos facietis vobis. *Et aliquanto* a
pòst: * Qui percusserit hominem volens occidere, Exodi 21.
morte moriatur. * Qui autem non est insidiatus, sed v. 12.
Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi v. 13.
locum quò fugere debeat. * Si quis de industria oc- v. 14.

a Particula, *mecum*, non reperitur in editis, abestque nunc à versione Vulgata. Sed eam habent MSS. hujus operis, habet Hebræus textus, immo etiam Vulgata versio in Corbeiensi volumine ante 800. annos descripto.

ciderit proximum suum per insidias, ab altari meo
v. 15. evelles eum, ut moriatur. * Qui percusserit patrem
v. 16. suum & matrem, morte moriatur. * Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus no-
v. 17. xæ, morte moriatur. * Qui maledixerit patri suo
v. 18. aut matri, morte moriatur. * Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in le-
v. 19. ctulo; * si surrexerit & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percussit: ita tamen ut operas ejus & impensas in medicos restituat.
v. 20. * Qui percusserit servum suum vel ancillam virgâ, & mortuus fuerit in manibus ejus, criminis reus erit:
v. 21. * sin autem uno die supervixerit vel duobus, non
v. 22. subjacebit pœnæ; quia pecunia illius est. * Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subjacebit damno, quantum expetierit maritus
v. 23. mulieris, & arbitri judicarint: * sin autem mors ejus fuerit subsecuta; reddet animam pro anima,
v. 24. * oculum pro oculo, dentem pro dente, manum
v. 25. pro manu, pedem pro pede, * adustionem pro adu-
v. 26. stione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. * Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit; dimittet liberos pro oculo
v. 27. quem eruit. * Dentem quoque si excusserit servo,
v. 28. aut ancillæ suæ; similiter dimittet eos liberos. * Si bos cornu petierit virum aut mulierem, & mortui fuerint; lapidibus obruetur, & non comedentur carnes ejus, dominus quoque bovis innocens erit.
v. 29. * Quòd si bos cornupeta fuerit ab herì & nudiustertiùs, & contestati sunt dominum ejus, nec reclusit eum, occideritque virum ac mulierem; & bos lapidibus obruetur, & dominum illius occident.
v. 30. Quòd si pretium ei fuerit impositum, dabit pro ani-
v. 31 ma sua quidquid fuerit postulatus. * Filium quoque & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ sub-
v. 32. jacebit. * Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti dabit domino, bos verò lapidibus
v. 33. obruetur. * Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in
v. 34. eam; * dominus cisternæ reddet pretium jumento-
v. 35. rum: quod autem mortuum est, ipsius erit. * Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit; vendent bovem vivum, & divident pretium; cadaver autem mortui inter se disper-
v. 36. tient. * Sin autem sciebat, quòd bos cornupeta esset ab herì & nudiustertiùs, & non custodivit eum dominus suus; reddet bovem pro bove, & cadaver
Exodi 22. v. 1. integrum accipiet. * Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro
v. 2. una ove. * Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit;
v. 3 percussor non erit reus sanguinis. * Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ve-
v. 4. numdabitur. * Si autem inventum fuerit apud eum quod furatus est vivens, sive bos, sive asinus, sive
v. 5. ovis; duplum restituet. * Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena; quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.
v. 6. * Si egressus ignis invenerit [a] spicas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris; reddet damnum qui ignem succenderit. * Si quis v. 7.
commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint; si invenitur fur, duplum reddet: * si latet, dominus v. 8.
domus applicabitur ad deos, & jurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui, * ad perpe- v. 9.
trandam fraudem, tam in bove quàm in asino, & ove ac vestimento, & quidquid damnum inferre potest, & ad deos utriusque caussa perveniet; & si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo. * Si v. 10.
quis commendaverit proximo suo asinum, bovem & ovem, & omne jumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum [b] ab hostibus, nullusque hoc viderit; * jusjurandum erit in v. 11.
medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui; suscipietque dominus juramentum, & ille reddere non cogetur. * Quòd si furto sublatum fue- v. 12.
rit, restituet damnum domino. * Si comestum à be- v. 13.
stia, deferet ad eum quod occisum est, & non restituet. * Qui à proximo suo quidquam horum mu- v. 14.
tuum postulaverit, & debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsente; reddere compelletur. * Quòd si in præsentiarum fuit dominus, non v. 15.
restituet, maximè si conductum venerat pro mercede operis sui. * Si quis seduxerit virginem, nec- v. 16.
dum desponsatam, & dormierit cum ea; dotabit eam, & habebit eam uxorem. * Si pater virginis v. 17.
dare noluerit, reddat pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. * Male- v. 18.
ficos non patieris vivere. * Qui coierit cum jumen- v. 19.
to, morte moriatur. * Qui immolat diis, occide- v. 20.
tur, prætèr Domino soli. * Advenam non contri- v. 21.
stabis, neque affliges eum: advenæ enim fuistis in terra Ægypti. * Viduæ & pupillo non nocebitis. v. 22.
* Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego v. 23.
exaudiam clamorem eorum, * & indignabitur fu- v. 24.
ror meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. * Si pecuniam v. 25.
mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. * Si pignus à proximo tuo acceperis ve- v. 26.
stimentum, ante solis occasum redde ei: * ipsum v. 27.
enim est solum quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. * Diis v. 28.
non detrahes, & principi populi tui non maledices.
* Decimas tuas & primitias non tardabis offerre. v. 29.
Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. *Et paulo pòst:* * Non suscipies vocem mendacij, nec jun- Exodi 23. v. 1.
ges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. * Non sequêris turbam ad faciendum ma- v. 2.
lum, nec in judicio plurimorum adquiesces sententiæ, ut à vero [c] devies. * Pauperis quoque non mi- v. 3.
sereberis in [d] judicio. * Si occurreris bovi inimici v. 4.
tui, aut asino erranti, reduc ad eum. * Si videris v. 5.
asinum odientis te jacêre sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. * Non declinabis in v. 6.
judicio pauperis. * Mendacium fugies. Insontem & v. 7.
justum non occides; quia aversor impium. * Ne ac- v. 8.
cipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subvertunt verba justorum. * Peregrino molestus v. 9.
non eris: scitis enim advenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. *Et post quædam*

[a] Ita hîc in omnibus codicibus, quibus Bibliorum volumen Corbeiense consentit. At in Hebræo & apud LXX. *invenerit spinas.* Sic etiam Vulgata post Romanam correctionem factam Sixti V. auctoritate.

[b] Editi, *à bestiis.* MSS. *ab hostibus*: quæ lectio verior est.

[c] In editis, *à vero Deo devies.* Abest *Deo* à MSS. hujus libri, necnon à sacris Bibliis.

[d] Carnutensis Ecclesiæ MS. habet hîc, *in negotio*: sicque legebatur in Bibliis Corb. versionis Vulgatæ.

v. 24. *interposita, cùm de alienigenis loqueretur:* * Non adorabis deos eorum, neque coles eos. Non facies opera eorum, sed destrues eos, & confringes sta-
v. 25. tuas eorum: * servietisque Domino Deo vestro. *Et*
Exodi 34. 13. *post multa in eodem libro de diis gentium:* * Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succi-
v. 14. de. * Noli adorare deum alienum; Dominus Zelo-
v. 15. tes nomen ejus, Deus est æmulator: * Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum; ne cùm fornicati fuerint cum diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de
v. 16. immolatis. * Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis; ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ,
v. 17. fornicari faciant & filios tuos in deos suos. * Deos
v. 26. conflatiles non facies tibi. *Et paulò pòst:* * Primitias frugum terræ tuæ offeres in [a] domo Domini Dei tui.

Hæc de libro Legis, qui Exodus nominatur, colligenda existimavi. Nunc eodem modo inspiciamus in sequenti Levitico.

De Levitico.

Levit. 18. 6. OMNIS homo, *inquit*, ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem
v. 7. ejus. Ego Dominus. * Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater
v. 8. tua est, non revelabis turpitudinem ejus. * Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies; turpitu-
v. 9. do enim patris tui est. * Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita
v. 10. est, non revelabis. * Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia, non revelabis; quia turpitudo tua
v. 11. est. * Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis.
v. 12. * Turpitudinem sororis patris tui non discooperies;
v. 13. quia caro est patris tui. * Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis; eo quòd caro sit matris tuæ.
v. 14. * Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedas ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.
v. 15. * Turpitudinem nurus tuæ non revelabis; quia uxor
v. 16. filij tui est; nec discooperies ignominiam ejus. * Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis; quia tur-
v. 17. pitudo fratris tui est. * Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis. Filiam filij ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus;
v. 18. quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est. * Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente.
v. 19. * Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes,
v. 20. nec revelabis fœditatem ejus. * Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione macula-
v. 21. beris. * De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego
v. 22. Dominus. * Cum masculo non commisceberis coi-
v. 23. tu femineo; quia abominatio est. * Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei; quia
v. 24. scelus est. * Nec polluamini in omnibus his. *Et post*
Levit. 19. 3. *aliquantum:* * Unusquisque matrem & patrem suum
v. 4. timeat. *Et post unum versum:* * Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Do-
v. 9. minus Deus vester. *Et post paululum:* * Nec rema-
v. 10. nentes, *inquit*, spicas colliges, * neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis; sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. * Non facietis furtum. Non v. 11.
mentiemini. Nec decipiet unusquisque proximum suum. * Non perjurabis in nomine meo, nec pol- v. 12.
lues nomen Dei tui. Ego sum Dominus. * Nec fa- v. 13.
cies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque in manè. * Non maledices surdo, nec coram cæco v. 14.
pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum; quia ego sum Dominus. * Non facies quod iniquum v. 15.
est, nec injustè judicabis. Nec consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: justè judica proximo tuo. * Non eris criminator & susur- v. 16.
ro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. * Ne oderis fratrem tuum in v. 17.
corde tuo: sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. * Non quæras ultionem, nec v. 18.
memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego sum Dominus. * Leges v. 19.
meas custodite. *Et paulò pòst:* * Non comedetis v. 26.
[b] cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia. * Neque in rotundum adtondebitis co- v. 27.
mam, nec [c] radetis barbam. * Et super mortuo non v. 28.
incidetis carnem vestram: neque figuras aliquas & stigmata facietis vobis. Ego Dominus. * Ne prosti- v. 29.
tuas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo. *Et post unum versum:* * Ego Domi- v. 30.
nus. * Ne declinetis ad magos, nec ab hariolis ali- v. 31.
quid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester. * Coram cano capite consurge, v. 32.
& honora personam senis, & time Deum tuum. Ego sum Dominus. * Si habitaverit advena in terra v. 33.
vestra, & moratus fuerit inter vos, ne exprobretis ei: * sed sit inter vos quasi indigena, & diligetis v. 34.
eum quasi vosmetipsos: fuistis enim & vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. * No- v. 35.
lite facere aliquid iniquum in judicio, in regula, in pondere, in mensura. * Statera justa, & æqua sint v. 36.
pondera; justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. * Custodite omnia præcepta mea, & uni- v. 37.
versa judicia, & facite ea. Ego Dominus. * Locu- Levit. 20.
tusque est Dominus ad Moysen, dicens, * Hæc v. 1. v. 2.
loquêris filiis Israël: Homo de filiis Israël, & de advenis, qui habitant in Israël, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum: * & ego ponam faciem v. 3.
meam contra illum, succidamque eum de medio populi sui, eo quòd de semine suo dederit Moloch, & contaminaverit sanctuarium meum, & polluerit nomen sanctum meum. * Quòd si negligens popu- v. 4.
lus terræ, & quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere; * ponam faciem meam v. 5.
super hominem illum, & cognationem ejus; succidamque & ipsum & omnes qui consenserunt ei, ut fornicarentur cum Moloch de medio populi sui.
* Anima quæ declinaverit ad magos & hariolos, & v. 6.
fornicata fuerit cum eis; ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.
* Sanctificamini, & estote sancti; quia ego sanctus v. 7.
sum Dominus Deus vester. * Custodite præcepta v. 8.
mea, & facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos.
* Qui maledixerit patri suo aut matri, morte mo- v. 9.

[a] MSS. *in domum.*

[b] Editi, *carnem cum sanguine.* At MSS. carent voce *carnem*, quæ nec in Latinis Bibliis nisi mendosis reperitur.

[c] Carnutensis codex, *nec eradicetis.* Alij juxta Vulgatam, *radetis.* Hoc modo si legebat Augustinus, mirari subit, cur istud præceptum transtulerit in hancce collectionem, quæ præter præcepta ad veteris & novi Testamenti tempus peræque spectantia continere nihil debebat. Porrò LXX. vertunt, οὐδὲ φθερεῖτε τὴν ὄψιν τοῦ πώγωνος, *neque corrumpetis adspectum barbæ vestræ.*

audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ. *Et post quædam interposita, cùm de alienige-*
Deut. 18. 9. *nis admoneret*, * Cave, *inquit*, ne imitari velis abo-
v. 10. minationes illarum gentium. * Nec inveniatur in
te, qui lustret filium suum aut filiam ducens per
ignem, aut qui hariolos scisciterur, & observet som-
v. 11. nia atque auguria; nec sit maleficus, * nec incan-
tator, neque pythones consulas nec divinos, &
v. 12. quæras à mortuis veritatem. * Omnia enim hæc
Deut. 19. v. 15. abominatur Dominus. *Et post aliquantum:* * Non
stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud
peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut
v. 16. trium testium stabit omne verbum. * Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum præ-
v. 17. varicationis; * stabunt ambo, quorum caussa est,
ante Dominum in conspectu sacerdotum & judi-
v. 18. cum, qui fuerint in diebus illis: * cúmque diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem di-
v. 19. xisse contra fratrem suum mendacium; * reddent
ei sicut fratri suo reddere cogitavit; & auferes ma-
v. 20. lum de medio tui: * ut audientes ceteri timorem ha-
v. 21. beant, & nequaquam talia audeant facere. * Non misereberis ejus: sed animam pro anima, oculum
pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu,
Deut. 21. v. 18. pedem pro pede exiges. *Et alibi in eodem libro:* * Si
genuerit homo filium contumacem & protervum,
qui non audiat patris ac matris imperium, & coër-
v. 19. citus obedire contemserit; * apprehendent eum, &
deducent ad seniores civitatis illius, & ad portam
v. 20 judicij; * dicentque ad eos, Filius noster iste pro-
tervus & contumax est, monita nostra audire con-
temsit, comessationibus vacat & luxuriæ atque con-
v. 21. viviis: * lapidibus eum obruet populus civitatis, &
morietur; ut auferatis malum de medio vestri, &
universus Israël audiens pertimescat. *Et post pauca:*
Deut. 22 v. 1. * Non videbis bovem fratris tui aut ovem erran-
v. 2. tem, & præteribis; sed reduces fratri tuo: * etiam
si non est propinquus tuus frater, nec nosti eum,
duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu
v. 3. quærat ea frater tuus, & recipiat. * Similiter facies
de asino & vestimento, & de omni re fratris tui
quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alie-
v. 4. nam. * Si videris asinum fratris tui aut bovem ceci-
disse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.
v. 5. * Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur
veste feminea: abominabilis enim apud Dominum
v. 8. est, qui facit hæc. *Item post pauca:* * Cùm ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum; ne effundatur sanguis in domo tua, & sis
reus labente alio & in præceps ruente. *Item paulò*
v. 13. *post:* * Si duxerit vir uxorem, & postea eam odio
v. 14. habuerit; * quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, & dixerit,
Uxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non in-
v. 15. veni virginem: * tollent eam pater & mater ejus, &
ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores ur-
v. 16. bis, qui in porta sunt; * & dicet pater, Filiam
v. 17. meam dedi huic uxorem, quam quia odit, * imponit ei nomen pessimum, ut dicat, Non inveni filiam
tuam virginem: Et ecce hæc sunt signa virginitatis
filiæ meæ: expandent vestimentum coram seniori-
v. 18. bus civitatis: * apprehendentque senes urbis illius
v. 19. virum, & verberabunt illum; * condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ; quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israël: habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere omni tempore vitæ suæ. * Quòd si
v. 20. verum est quod objicit, & non est in puella inventa
virginitas; * ejicient eam extra fores domus patris
v. 21. sui, & lapidibus obruent viri civitatis ejus, & morietur; quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui, & auferes malum de medio
tui. * Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque
v. 22. moriatur, id est adulter & adultera; & auferes malum de Israël. * Si puellam virginem desponderit
v. 23. vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum illâ; * educes utrumque ad portam ci-
v. 24. vitatis illius, & lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cùm esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui: & auferes malum de
medio tui. * Sin autem in agro repererit vir puel-
v. 25. lam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum illâ, ipse morietur solus: * puella nihil
v. 26. patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam
ejus; ita & puella perpessa est: * sola erat in agro,
v. 27. clamavit, & nullus affuit, qui liberaret eam. * Si
v. 28. invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum ea,
& res ad judicium venerit; * dabit qui dormivit
v. 29. cum ea, patri puellæ centum siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit eam; non po-
terit dimittere cunctis diebus vitæ suæ. * Non ac-
v. 30. cipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit
Deut. 23. v. 17. operimentum ejus. *Et post paululum:* * Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis
v. 19. Israël. *Et post paululum:* * Non fœnerabis fratri tuo
ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet
v. 20. v. 21. aliam rem; * sed alieno. *Et post paucos versus:* * Cùm voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis red-
v. 22. dere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si
moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. * Si
v. 23. nolueris polliceri, absque peccato eris. * Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, &
facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria
voluntate & ore tuo locutus es. *Et paulò post:* * Non
Deut. 24. v. 6. accipies loco pignoris inferiorem & superiorem mo-
a lam, quia animam suam [a] appositi tibi. Si depre-
v. 7. hensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis
b Israël, & vendito eo [b] accipiens pretium, interfi-
cietur: & auferes malum de medio tui. *Et post pau-*
v. 10. *cos versus*, * Cùm repetes, *inquit*, à proximo tuo
v. 11. rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris do-
v. 12. mum ejus, ut pignus auferas: * sed stabis foris, &
v. 13. ille tibi proferet quod habuerit. * Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus: * sed statim
v. 14. reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vesti-
mento suo benedicat tibi, & habeas justitiam co-
v. 15. ram Domino Deo tuo. * Non negabis mercedem
indigentis & pauperis fratris tui, sive advenæ qui
tecum moratur in terra, & intra portas tuas est:
v. 16. sed eadem die reddes ei pretium laboris sui, ante solis occasum; quia pauper est, & ex eo sustentat ani-
mam suam: ne clamet coram te ad Dominum, &
reputetur tibi in peccatum. * Non occidentur pa-
v. 17. tres pro filiis, nec filij pro patribus, sed unusquisque
v. 19. pro suo peccato morietur. *Et post paucos versus:* * Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus
v. 20. manipulum reliqueris; non revertêris ut tollas illum: sed advenam & pupillum & viduam auferre
patieris; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in
omni opere manuum tuarum. * Si fruges colliges

[a] Ita Speculum in omnibus libris: quibus consentit vetus Bibliorum volumen Corb. At in Bibliis Sixti auctoritate castigatis legitur, *oppositi*.

[b] Editi, *accipiet*. MSS. *accipiens*. Vulg. *acceperit*.

olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non
revertêris ut colligas; sed relinques advenæ, pupil-
v. 21. lo, ac viduæ. * Si vindemiaveris vineam tuam, non
colliges remanentes racemos; sed cedent in usus
v. 22. advenæ, pupilli, ac viduæ. * Memento quòd & tu
servieris in Ægypto, & idcirco præcipiam tibi ut
Deut. 25. v. 1. facias hanc rem. * Si fuerit caussa inter aliquos, &
interpellaverint judices; quem justum esse perspe-
xerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium,
v. 2. condemnabunt impietatis. * Sin autem qui pecca-
vit dignum viderint plagis; prosternent, & coram
se facient verberari. Pro mensura peccati erit &
v. 3. plagarum modus: * ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus
a ante oculos tuos [a] obeat frater tuus. *Et post paululum:*
v. 11. * Si habuerint inter se jurgium viri, & unus contra
alterum rixari cœperint, volensque uxor alterius
eruere virum suum de manu fortioris, miserit ma-
v. 12. num, & apprehenderit verenda ejus; * abscides
manum illius, nec flectêris super eam ullâ miseri-
v. 13. cordiâ. * Non habebis in sacculo diversa pondera,
v. 14. majus & minus; * nec erit in domo tua modius ma-
v. 15. jor & minor. * Pondus habebis justum & verum: & modius æqualis & verus erit tibi. *Et post pleraque:*
Deut. 27. v. 15. * Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile,
abominationem Domini, opus manuum artificum,
ponitque illud in abscondito: & respondebit omnis
v. 16. populus, & dicet, Amen. * Maledictus qui non
honorat patrem suum & matrem: & dicet omnis
v. 17. populus, Amen. * Maledictus qui transfert termi-
nos proximi sui: & dicet omnis populus, Amen.
v. 18. * Maledictus qui errare facit cæcum in itinere: & dicet omnis populus, Amen. * Maledictus qui per-
v. 19. vertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ: & di-
v. 20. cet omnis populus, Amen. * Maledictus omnis qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimen-
tum lecturi ejus: & dicet omnis populus, Amen.
v. 21. * Maledictus qui dormit cum omni jumento: & di-
v. 22. cet omnis populus, Amen. * Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ:
v. 23. & dicet omnis populus, Amen. * Maledictus qui dormit cum socru sua: & dicet omnis populus,
v. 24. Amen, * Maledictus qui clam percusserit proximum
v. 25. suum: & dicet omnis populus, Amen. * Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis: & dicet omnis populus, Amen.

Huc usque de libris Moysi quæ visa sunt ponenda, posuimus. In his verò quæ sequuntur & appellantur, Iesu Nave, Iudicum, Regnorum, Paralipomenon, rerum gestarum potiùs historia legitur quàm præcepta vivendi. Hæc tamen paucissima de libro Iesu Nave præterenda in hoc opere non putavi.

De Jesu Nave.

Josue 22. v. 4. REVERTIMINI, & ite in tabernacula vestra, & in terram possessionis, quam tradi-
dit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem:
v. 5. * ita dumtaxat ut custodiatis adtentè, & opere compleatis mandatum & legem, quam præcepit
vobis Moyses servus Domini; ut diligatis Domi-
num Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, & observetis mandata illius, adhæreatisque
ei, ac serviatis ei in omni corde & anima vestra.
Et in alio loco, * Ne postquam intraveritis, *inquit*, Josue 23. v. 7.
ad gentes, quæ inter vos futuræ sunt, juretis in no-
mine deorum earum, & serviatis eis, & adoretis
illos: * sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod v. 8.
fecistis usque in diem hanc.

De libro autem Psalmorum multa ponenda sunt, quamvis eadem sæpe repetantur: sed habebo modum quantum potero, ne hoc opus quod memoriâ maximè tenendum est, in nimiam longitudinem pergat.

De Psalmis.

IN *Psalmo* I. * Beatus vir qui non abiit in con- Psal. 1. v. 1.
filio impiorum, & in via peccatorum non ste-
tit, & in cathedra derisorum non sedit. * Sed in
v. 2. lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus medita-
bitur die ac nocte. *In Psalmo* II. * Nunc ergo re- Psal. 2. v. 10.
v. 11. ges intelligite, erudimini judices terræ. * Servite
Domino in timore, & exsultate cum tremore.
b * Adorate [b] purè, ne fortè irascatur, & pereatis v. 12.
v. 13. de via. * Cùm exarserit post paululum furor ejus,
beati omnes qui sperant in eum. *In Psalmo* IV. * Fi- Psal. 4. v. 3.
lij viri usque quò inclyti mei ignominiosè diligitis
vanitatem, quærentes mendacium? *Et paulò post:*
v. 5. * Irascimini, & nolite peccare: loquimini in cor-
v. 6. dibus vestris super cubilia vestra, & tacete. * Sacrificate sacrificium justitiæ, & confidite in Domino.
In Psalmo V. * Quoniam non es Deus volens iniqui- Psal. 5. v. 5.
v. 6. tatem. * Nec habitabit juxta te malignus; non sta-
D bunt iniqui in conspectu oculorum tuorum. * Odi- v. 7.
sti omnes operantes iniquitatem, perdes loquen-
v. 8. tes mendacium. * Virum sanguinum & dolosum
abominabitur Dominus. *In Psalmo* XIV. * Domi- Psal. 14. v. 1.
ne quis peregrinabitur in tentorio tuo, & quis ha-
v. 2. bitabit in monte sancto tuo? * Qui ingreditur sine
v. 3. macula, & operatur justitiam, * Loquiturque ve-
ritatem in corde suo, qui non est facilis in lingua
suo, neque fecit amico suo malum, & opprobrium
v. 4. non sustinuit super vicino suo. * [c] Despicitur ocu-
c lis ejus improbus, timentes autem Dominum glo-
v. 5. rificat. Jurat ut se affligat, & non mutat. * Pecu-
niam suam non dedit ad usuram, & munera adver-
sùs innoxium non accepit. Qui facit hæc, non mo-
vebitur in æternum. *In Psalmo* XXIII. * Quis ad- Psal. 23. v. 3.
scendet in montem Domini, aut quis stabit in loco
v. 4. sancto ejus? * Innocens manibus & mundo corde,
v. 5. qui non exaltavit frustra animam suam & non jura-
vit dolosè. * Accipiet benedictionem à Domino, &
d justitiam à Deo salutari suo. *In Psalmo* XXVI. d
F * Lux mea Dominus & salutare meum, quem ti- Psal. 26. v. 1.
mebo? Dominus fortitudo vitæ meæ, quem for-
v. 3. midabo? *Et post* [c] *quatuor versus:* * Si steterint
c adversùm me castra, non timebit cor meum. Si
surrexerit contra me bellum, in hoc ego confidam.
v. 4. * Unum petij à Domino, & hoc requiram: ut habitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ:
ut videam pulcritudinem Domini, & adtendam
v. 8. templum ejus. *Et alio loco:* * Tibi dixit cor meum,
quæsivi vultum ejus, faciem tuam Domine requi-
v. 14. ram. *Et postea:* * Exspecta Dominum, confortare,
& roboretur cor tuum, & sustine Dominum. *In*

[a] In sacris Bibliis, *abeat*.

[b] Sequitur versionem Hieronymi, qui primò quidem Psalmos, quos juxta LXX. jam olim Ecclesia decantat, emendandos recepit; postmodum verò nova ex Hebræo translatione Psalterium integrum Latinitate donavit; qua de re exstat ipsius ad Sophronium epistola, ejusdemque operis mentionem facit etiam Augustinus in epistola ad Audacem nunc 261. denique hujusce versiculi interpretationem, *Adorate purè*, suam agnoscit Hieronymus, vindicatque in 1. lib. adversùs Ruffinum. In ceteris confer Psalterium Hieron. juxta Hebr. quod habes in illius Operum tomo 7.

[c] Sic ad MSS. fidem correximus: ubi in editis legebatur, *Despicit oculus ejus improbos*.

[d] Editi, *misericordiam*. MSS. verò juxta Hieronymi Psalterium, *justitiam*.

[e] In priùs editis, *Et post tertium versus*. Reponimus ex MSS. *Et post quatuor*.

Psal. 27. v. 3. *Psalmo* XXVII. * Ne tradas me cum impiis, & cum operantibus iniquitatem: qui loquuntur pacem cum amicis suis, & est malum in corde eorum.
Psal. 30. v. 25. *In Psalmo* XXX. * Confortamini, & roboretur cor vestrum, omnes qui exspectatis Dominum. *In*
Psal. 31. v. 9. *Psalmo* XXXI. * Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intelligentia. In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad
v. 10. te. * Multi dolores impij, confidentem autem in
v. 11. Domino misericordia circumdabit. * Lætamini in Domino, & exsultate justi, & gaudete omnes re-
Psal. 32. v. 1. cti corde. *In Psalmo* XXXII. * Laudate justi Do-
v. 12. minum, rectos decet laudatio. *Et alio loco:* * Beata gens cujus Dominus Deus ejus, populus quem elegit Dominus in hereditatem sibi. *In Psalmo* XXXIII.
Psal. 33. v. 2. * Benedicam Dominum in omni tempore, semper
v. 3. laus ejus in ore meo. * In Domino laudabitur anima
v. 4. mea: audiant mites & lætentur. * Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus pariter.
v. 9. *Et post paucos versus:* * Gustate & videte, quia bonus
v. 10. Dominus; beatus vir qui sperat in eo. * Timete Dominum sancti ejus; quoniam non est inopia timenti-
v. 11. bus eum. * [a] Leones indiguerunt, & esurierunt: quæ-
a rentibus autem Dominum, non deerit omne bo-
v. 12. num. * Venite filij, audite me; timorem Domini
v. 13. docebo vos. * Quis est vir qui velit vitam, diligens
v. 14. videre dies bonos? * Custodi linguam tuam à malo,
v. 15. & labia tua ne loquantur dolum. * Recede à malo, & fac bonum; quære pacem, & persequere eam.
v. 19. *Et post* [b] *septem versus*, * Juxtà est Dominus contri-
b tis corde, & confractos spiritu salvabit. *In Psalmo*
Psal. 36. v. 1. XXXVI. * Noli contendere cum malignis, neque
v. 2. æmuleris facientes iniquitatem. * Quoniam sicut herba velociter conterentur; & sicut olus viride
v. 3. arescent. * Spera in Domino, & fac bonum; pere-
v. 4. grinare in terra, & pascere fide. * [c] Et delectare in
e v. 5. Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. * [d] Vol-
d ve super Dominum viam tuam, & confide in eo, &
v. 6. ipse faciet. * Et educet sicut lumen justitiam tuam,
v. 7. & judicium tuum sicut meridiem. * Tace Domino, & exspecta eum: noli contendere adversùs eum, qui proficit in via sua; adversùs virum, qui facit
v. 8. quæ cogitat. * Dimitte iram, & relinque furorem:
v. 9. noli contendere, ut malè facias. * Quoniam qui malè faciunt, interibunt: exspectantes autem Do-
v. 10. minum, ipsi hereditabunt terram. * Adhuc enim modicùm, & non erit impius; & cogitabis de loco
v. 11. ejus, & non subsistet. * Mites autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Et*
v. 16. *paulò pòst:* * Melius est parum justo, super divitias
v. 17. impiorum multas. * Quia brachia impiorum confringentur: sublevat autem justos Dominus. *Et post*
v. 27. *aliquantum:* * Recede à malo, & fac bonum. *Et*
v. 34 *alibi:* * Exspecta Dominum, & custodi viam ejus;
v. 37. & exaltabit te, ut possideas terram. * Custodi simplicitatem, & vide rectum: quia erit ad extremum
Psal. 39. v. 5. viro pax. *In Psalmo* XXXIX. * Beatus vir qui po-
c suit [e] Dominum confidentiam suam, & non est aversus ad superbias pompasque mendacij. *In Psal-*
Psal. 43. v. 9. *mo* XLIII. * In Domino gaudebimus tota die, & in nomine tuo in æternum confitebimur. *Et paulò*
v. 18. *pòst:* * Omnia hæc venerunt super nos; & non sumus obliti tui, nec mentiti sumus in pacto tuo.

A * Non est conversum retrò cor nostrum, nec de- v. 19.
clinaverunt gressus nostri à semita tua. * Quoniam v. 20.
dejecisti nos in loco draconum, & operuisti nos umbrâ mortis. * Si obliti sumus nominis Dei nostri, v. 21.
& expandimus manus nostras ad Deum alienum: * Numquid non Deus investigabit istud? ipse enim v. 22.
novit cogitationes cordis. Quoniam propter te mortificati sumus tota die, reputati sumus ut grex occisionis. *In Psalmo* XLVI. * Canite Deo, canite: Psal. 46. v. 7.
canite regi nostro, canite. * Quia rex universæ terræ v. 8.
B Deus, canite eruditè. *In Psalmo* XLIX. * Immo- Psal. 49.
la Deo laudem, & redde Altissimo vota tua. * Et v. 14.
invoca me in die tribulationis: liberabo te, & glo- v. 15.
rificabis me. * Impio autem dixit Deus, Quid tibi v. 16.
est cum narratione præceptorum meorum, ut assumas pactum meum in ore tuo? * Qui odisti disciplinam, & projecisti verba mea post te. * Si videbas v. 17.
furem, consentiebas ei; & cum adulteris erat pars v. 18.
tua. * Os tuum dimisisti ad malitiam; & lingua tua v. 19.
concinnavit dolum. * Sedens adversùm fratrem v. 20.
C tuum loquebaris; & adversùm filium matris tuæ
fabricabaris opprobrium. * Hæc fecisti, & tacui: v. 21.
existimasti futurum me similem tui: arguam te, & proponam ante oculos tuos. * Intelligite hoc, qui v. 22.
obliviscimini Deum; ne fortè capiam, & non sit qui liberet. * Qui immolat confessionem, glorificat me: v. 23.
& qui ordinatè ambulat, ostendam ei salutare Dei. *In Psalmo* L. * Ab iniquitate mea, & à peccato meo Psal. 50. v. 4.
munda me. * Quoniam iniquitatem meam ego co- v. 5.
gnovi, & peccatum meum contra me est semper.
D *Et alibi:* * Sacrificium Deo spiritus contribulatus: v. 19.
cor contritum & humiliatum Deus non despicies. *In Psalmo* LI. * Quid gloriaris in malitia potens? Psal. 51. v. 3.
Misericordia Domini * tota est die. Insidias cogitat v. 4.
lingua tua, quasi novacula acuta faciens dolum. * Dilexisti malum magis quàm bonum, mendacium v. 5.
magis quàm loqui justitiam. * Dilexisti omnia ver- v. 6.
ba ad devorandum, lingua dolosa. * Sed Deus v. 7.
destruet te in sempiternum; terrebit te, & evellet te de tabernaculo, & eradicabit te de terra viven-
E tium. * Videbunt justi, & timebunt, & super eum v. 8.
ridebunt: * Ecce vir qui non posuit Deum fortitu- v. 9.
dinem suam: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, confortatus est in insidiis suis. * Ego v. 10.
autem sicut oliva virens in domo Dei, speravi in misericordia Dei, in sæculum sempiternum. * Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti; & v. 11.
exspectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum. *In Psalmo* LXI. * Spe- Psal. 61. v. 9.
rate in eo omni tempore populi; effundite coram
F illo [f] cor vestrum: Deus spes nostra est. * Verum- f
tamen vanitas filij Adam, mendacium filij viri: in v. 10.
stateris dolosis fraudulenter agunt simul. * Nolite v. 11.
confidere in calumnia, & in rapina ne frustremini. Divitiæ si affluxerint, ne apponatis cor. *In Psalmo*
LXIII. * Lætabitur justus in Domino, & spera- Psal. 63. v.
bit in eo. *In Psalmo* LXVIII. * Quia propter te 11.
portavi opprobrium, operuit confusio faciem Psal. 68. v. 8.
meam. * Alienus factus sum fratribus meis, & pe- v. 9.
regrinus filiis matris meæ. * Quia zelus domus tuæ v. 10.
G comedit me, & opprobrium exprobrantium tibi cecidit super me. * Et flevi in jejunio animam v. 11.
meam; & factum est in opprobrium mihi. * Et po- v. 12.

[a] Sic MSS. juxta Hieronymi Psalterium. At editi hîc habebant, *Divites indiguerunt.*
[b] Editi, *Et pòst quartus versus.* MSS. *Et post septem.* Sic in editis plerumque numerus mendosè exprimebatur, & aliter atque in MSS. quod semel monuisse sufficerit.
[c] In editis omittitur, *Et*: haberur in Regio MS. & in Psalterio Hieron.
[d] Lov. *Voluta.* Alij codices editi & scripti, *Volve*: juxta Psalt. Hieron.
[e] Ita in MSS. & in Psalt. Hieron. At in editis hîc, *qui posuit in Deum.*
[f] Editi, *corda vestra.* MSS. juxta Psalt. Hier. *cor vestrum.*

sui vestimentum meum saccum; & factus sum illis
v. 13. in parabolam. * Contra me loquebantur qui sedebant in porta, & cantabant bibentes vinum. *Et ali-*
v. 31. *quantò pòst:* * Laudabo nomen Dei in cantico, &
v. 32. magnificabo eum in confessione. * Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua efferentem
v. 33. & ungulas. * Videntes mansueti lætabuntur. Qui
v. 34. quæritis Dominum, vivet anima vestra. * Quoniam exaudivit pauperes Dominus. *In Psalmo*
Psal. 72. v. 27. LXXII. * Quia ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnem fornicantem à te. * Mi-
v. 28. hi autem appropinquare Deo bonum est: posui in Domino Deo spem meam, ut narrem omnes an-
Psal. 75. v. 12. nuntiationes tuas. *In Psalmo* LXXV. * Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circui-
v. 13. tu ejus sunt, offerent dona terribili, * auferenti spiritum ducum, terribili regibus terræ. *In Psal-*
Psal. 77. v. 1. *mo* LXXVII. * Ausculta populus meus legem meam: inclinate aurem vestram ad verba oris mei. * Ape-
v. 2. riam in [a] parabola os meum, loquar ænigmata an-
a
v. 6. v. 7. tiqua. *Et alio loco:* * Et narrabunt filiis suis, * ut po- C
nant in Deo spem suam, & non obliviscantur cogitationem ejus, & mandata ejus custodiant. *In*
Psal. 80. v. 2. *Psalmo* LXXX. * Laudate Deum fortitudinem nostram, jubilate Deo Jacob. *Et alio loco:* * Israël si
v. 9. audieris me, * non sit in te deus alienus, & non
v. 10. adores deum peregrinum. * Ego sum Dominus
v. 11. Deus tuus. *In Psalmo* LXXXI. * Usque quò judicatis iniquitatem, & facies impiorum suscipitis?
Psal. 81. v. 2.
v. 3. * Judicate pauperi & pupillo, egeno & inopi justè
Psal. 83. v. 5. facite. *In Psalmo* LXXXIII. * Beati qui habitant D
in domo tua, adhuc laudabunt te. * Beatus homo
v. 6. cujus fortitudo est in te, semitæ in corde ejus: tran-
v. 7. v. 8. seuntes * in valle fletus fontem ponent eam. * Be-
b nedictionem quoque amicietur [b] doctor: ibunt de fortitudine in fortitudinem: parebunt apud Deum
v. 11. in Sion. *Et paulò pòst:* * Quoniam melior est dies in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis
Psal. 91. v. 2. impietatis. *In Psalmo* XCI. * Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. *In Psal-* E
Psal. 93. v. 8. *mo* XCIII. * Intelligite stulti in populo; & insipientes aliquando discite. *Et paulò pòst:* * Beatus vir
v. 12. quem erudieris Domine, & de lege tua docueris
v. 13. eum. * Ut quiescat à diebus afflictionis, donec fo-
Psal. 94. v. 6. diatur impio interitus. *In Psalmo* XCIV. * Venite adoremus, & curvemur, flectamus genua ante fa-
v. 8. ciem Domini factoris nostri. *Et post duos versus:* * Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda
v. 9. vestra: * sicut in contradictione, sicut in die tenta-
Psal. 95. v. 1. tionis in deserto. *In Psalmo* XCV. * Cantate Do- F
mino canticum novum, cantate Domino omnis
v. 2. terra. * Cantate Domino, benedicite nomini ejus:
v. 3. annuntiate de die in diem salutare ejus. * Narrate in gentibus gloriam ejus, in universis populis mirabilia
v. 7. ejus. *Et post sex versus:* * Afferte Domino familiæ populorum, afferte Domino gloriam & fortitudi-
v. 8. nem, * Afferte Domino gloriam nomini ejus: le-
v. 9. vate munera, & introite in atria ejus. * Adorate Dominum in decore sanctuarij. *In Psalmo* XCVI.
Psal. 96. v. 10. * Qui diligitis Dominum, odite malum. *Et post tres* G
v. 12. *versus:* * Lætamini justi in Domino, & confitemi-
Psal. 97 v. 4. ni memoriæ sanctæ ejus. *In Psalmo* XCVII. * Jubilate Domino omnis terra: vociferamini, & lau-

date, & canite. *In Psalmo* XCVIII. * Exaltate Psal. 98. v. 5.
Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum
pedum ejus, quia [c] sanctus est. *In Psalmo* XCIX. c
* Jubilate Domino omnis terra, servite Domino in Psal. 99. v. 2.
lætitia. Ingredimini coram illo in laude. * Scitote v. 3.
quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & d
[d] ipsius sumus. *Et post unum versum:* * Ingredimini
portas ejus in gratiarum actione, atria ejus in laude, v. 4.
confitemini ei. *In Psalmo* C. * Deambulabo in sim- Psal. 100.
plicitate cordis mei in medio domus meæ: * Non v. 2.
v. 3. c
[e] ponam coram oculis meis verbum Belial. Facien-
tem declinationes odivi, nec adhæsit mihi. * Cor v. 4.
pravum recedet à me: malum nesciam. * Loquen- v. 5.
tem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiam. Superbum oculis & altum corde, cum
hoc esse non potero. * Oculi mei ad fideles terræ, ut v. 6.
habitent mecum: ambulans in via simpliciter, hic
ministrabit mihi. * Non habitabit in medio domus v. 7.
meæ faciens [f] malum: loquens mendacium non f
placebit in conspectu oculorum meorum. * Manè v. 8.
perdam omnes impios terræ, ut interficiam de civi- C
tate Domini universos qui operantur iniquitatem. *In Psalmo* CII. * Misericordia autem Domini, ab Psal. 102.
æterno & usque in æternum super timentes eum. v. 17.
* Et justitia ejus super filios filiorum, iis qui custo- v. 18.
diunt pactum ejus, & recordantur præceptorum ejus ad facienda ea. *In Psalmo* CIV. * Confitemini Psal. 104.
Domino, & invocate nomen ejus; notas facite po- v. 1.
pulis cogitationes ejus. * Canite ei, & psallite illi: v. 2.
loquimini in universis mirabilibus ejus. * Exsultate v. 3.
in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Do- D
minum. * Quærite Dominum & virtutem ejus, quæ- v. 4.
rite faciem ejus jugiter. * Recordamini mirabilium v. 5.
ejus, quæ fecit, signorum & judiciorum oris ejus. *In Psalmo* CVII. * Paratum cor meum, Deus; can- Psal. 107.
tabo & psallam: sed & gloria mea. * Consurge psal- v. 2.
v. 3.
terium & cithara: consurgam manè. * Confitebor v. 4.
tibi in populis Domine, cantabo te in nationibus. *In Psalmo* CX. * Confitebor Domino in toto corde Psal. 110.
meo, in consilio justorum & congregatione. *Et in* v. 1.
alio loco: * Principium sapientiæ timor Domini: do- E v. 10.
ctrina bona cunctis qui faciunt eam: laus ejus perseverans jugiter. *In Psalmo* CXI. * Beatus vir qui Psal. 111. v. 1.
timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. *Et*
post quinque versus: * Bonus vir clemens & fenerans, v. 5.
dispensabit verba sua in judicio; * quia in æternum v. 6.
non commovebitur. * In memoria sempiterna erit v. 7.
justus, ab auditu malo non timebit. * Paratum cor v. 8.
ejus confidens in Domino: firmum cor ejus, non
timebit donec adspiciat in hostibus suis. * Dispersit v. 9.
dedit pauperibus: justitia ejus permanet in æter- F
num; cornu ejus exaltabitur in gloria. * Impius vi- v. 10.
debit & irascetur, dentibus frendet, & tabescet:
desiderium impiorum peribit. *In Psalmo* CXII.
* Laudate servi Dominum, laudate nomen Domini. Psal. 112. v.
* Sit nomen domini benedictum, à modò & usque 1.
in æternum. * Ab ortu solis usque ad occasum ejus, v. 2.
laudabile nomen Domini. *In Psalmo* CXIII. v. 3.
* Idola gentium argentum & aurum, opus manuum Psal. 113. v.
hominum. * Os habent, & non loquentur: oculos 12.
habent, & non videbunt. * Aures habent, & non au- v. 13.
dient, *&c. Et paulò pòst:* * Similes illis fiant qui fa- v. 14.
ciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. * Israël v. 16.
confidit in Domino, auxiliator & protector eorum v. 17.

[a] Sic MSS. & Psalt. Hieron. At editi hîc, *in parabolis.*
[b] Editi, *doctus.* MSS. cum Psalt. Hieron. *doctor.*
[c] Sic MSS. & Psalt. Hieron. At editi, *sanctum.*
[d] Editi, *& non ipsi nos.* MSS. juxta Psalt. Hieron. *& ipsius sumus.*
[e] Legebatur in priùs excusis, *Non ponebam coram oculis meis verba Belial . . . . . nec adhæsit mihi cor prævum. Recedentem à me malum nesciebam . . . . . hunc interficiebam.* Hos versus ad MSS. & ad Psalt. Hieron. emendavimus.
[f] In Psalterio Hieronymi, *faciens dolum.*

v. 18. est. * Domus Aaron confidit in Domino, auxilia-
v. 19. tor & protector eorum est. * Timentes autem Do-
minum confidunt in Domino, auxiliator & prote-
Psal. 115. v. 1. ctor eorum est. *In Psalmo* CXV. * Credidi propter
quod locutus sum, ego afflictus sum nimis. *Et post*
v. 3. *aliquantum:* * Quid reddam Domino pro omnibus
v. 4. quæ retribuit mihi? * Calicem salutaris accipiam,
v. 6. & nomen Domini invocabo. * Gloriosa in conspe-
ctu Domini mors sanctorum ejus. *Et post tres versus:*
v. 8. * Tibi immolabo hostiam laudis, & in nomine Do-
v. 9. mini, invocabo. * Vota mea Domino reddam in
v. 10. conspectu omnis populi ejus; * in atriis domus Do-
mini, in medio tui Jerusalem. *In Psalmo* CXVI.
Psal. 116. v. 1. * Laudate Dominum omnes gentes, conlaudate
Psal. 117. v. 1. eum universi populi. *In Psalmo* CXVII. * Confi-
temini Domino, quoniam bonus, quoniam in æter-
v. 2. num misericordia ejus. * Dicat nunc Israël, quo-
v. 3. niam in æternum misericordia ejus. * Dicat domus
Aaron, quoniam in æternum misericordia ejus.
v. 4. * Dicant qui timent Dominum, quoniam in æter-
v. 5. num misericordia ejus. * Cùm tribularer invocavi
Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus.
v. 8. *Et post quinque versus:* * Melius est sperare in Do-
v. 9. mino, quàm sperare in homine. * Melius est spera-
re in Domino, quàm sperare in principibus. *Et post*
v. 14. *octo versus:* * Fortitudo mea & laus mea Dominus,
v. 15. & factus est mihi in salutem. * Vox laudis & salutis
in tabernaculis justorum. *In Psalmo* CXVIII.
Psal. 118. v. 1. * Beati immaculati in via qui ambulant in lege Do-
mini. * Beati qui custodiunt testimonia ejus, in to-
v. 2. to corde requirunt eum. *Et alio loco:* * Et ambulabo
v. 45. in spatioso, quia præcepta tua quæsivi. * Et loquar
v. 46. in testimoniis tuis coram regibus, & non confun-
v. 47. dar. * Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi.
v. 48. * Et levabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi;
& loquar in præceptis tuis. *Et post quatuor versus:*
v. 51. v. 52. * A lege tua non declinavi. * Recordatus sum judi-
ciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus
v. 53. sum. * Horror obtinuit me ab impiis, quia dereli-
v. 54. querunt legem tuam. * Carmina erant mihi præ-
v. 55. cepta tua, in domo peregrinationis meæ. * Recor-
datus sum in nocte nominis tui Domine, & custo-
v. 56. divi legem tuam. * Hoc factum est mihi, quia præ-
v. 57. cepta tua custodivi. * Pars mea [a] Domine, dixi,
v. 58. ut custodiam verbum tuum. * Deprecatus sum vul-
tum tuum in toto corde; miserere mei secundùm
v. 59. eloquium tuum. * Recogitavi vias meas, & con-
v. 60. verti pedes meos ad testimonia tua. * Festinavi, &
v. 61. non neglexi custodire mandata tua. * Funes impio-
rum implicaverunt me: legem tuam non sum obli-
v. 62. tus. * Medio noctis surgebam ad confitendum tibi,
v. 63. super judicia justificationis tuæ. * Particeps ego sum
omnium timentium te, & custodientium præcepta
v. 69. tua. *Et post paucos versus:* * Ego autem in toto cor-
v. 70. de servabam præcepta tua, * Incrassatum est velut
v. 71. adeps cor eorum, & ego in lege tua meditabar. * Bo-
num mihi quia afflictus sum, ut discerem præcep-
v. 72. ta tua. * Melior mihi est lex oris tui, super millia
v. 77. auri & argenti. *Et post paucos versus:* * Quia lex tua
v. 78. meditatio mea. *Et post paululum:* * Ego autem lo-
v. 83. quar in præceptis tuis. *Et post paululum:* * Præcepta
v. 85. tua non sum oblitus. *Et post duos versus:* * Foderunt
mihi superbi foveas, quæ non erant juxta legem
v. 87. tuam. *Et post duos versus:* * Paulo minùs consumse-
runt me in terra: ego autem non dimisi præcepta
v. 92. tua. *Et post septem versus:* * Nisi quòd lex tua dele-
v. 93. ctatio mea, fortè periissem in pressura mea. * In

A sempiternum non obliviscar præceptorum tuorum;
quia per ipsa vivificasti me. * Tuus ego sum, salva v. 94.
me; quoniam præcepta tua quæsivi. * Me expecta- v. 95.
verunt impij, ut perderent me; testimonium tuum
considerabo. * Omnis consummationis vidi finem; v. 96.
latum mandatum tuum nimis. * Quàm dilexi legem v. 97.
tuam, totâ die hæc meditatio mea. *Et paulò post:*
* Ab omni semita mala prohibui pedes meos, ut cu- v. 101.
stodirem verba tua. * A judiciis tuis non recessi, v. 102.
quia tu illuminasti me. * Quàm dulce gutturi meo v. 103.
B eloquium tuum, super mel ori meo. * Præcepta v. 104.
tua considerabam; propterea odivi omnem semi-
tam mendacij. * Lucerna pedi meo verbum tuum, v. 105.
& lux semitæ meæ. *Et post septem versus:* * Anima v. 109.
mea in manu mea semper, & legis tuæ non sum
oblitus. * Posuerunt impij laqueum mihi, & à præ- v. 110.
ceptis tuis non aberravi. * Hereditas mea testimo- v. 111.
nia tua in sempiternum; quia gaudium cordis mei
sunt. * Inclinavi cor meum, ut facerem justificatio- v. 112.
nes tuas, propter æternam retributionem. * Tu- v. 113.
C multuosos odivi, & legem tuam dilexi. * Protectio v. 114.
mea & scutum meum tu es: verbum tuum exspe-
ctavi. * Recedite à me maligni, & custodiam man- v. 115.
data Dei mei. *Et post septem versus,* * Quasi scoriam v. 119.
computasti omnes impios terræ: propterea dilexi
testimonia tua. * Horripilavit à timore tuo caro v. 120.
mea, & judicia tua timui. * Feci judicium & justi- v. 121.
tiam, ne derelinquas me iis, qui calumniantur me.
Et post paucos versus: * Propterea dilexi mandata tua v. 127.
super aurum & topazium. * Propterea in universa v. 128.
D præcepta tua direxi; omnem semitam mendacij odio
habui. * Mirabilia testimonia tua; idcirco custodi- v. 129.
vit ea anima mea. *Et post duos versus:* Os meum v. 131.
aperui, & respiravi; quia mandata tua desiderabam.
Et alio loco: * Consumsit me zelus meus, quia obliti v. 139.
sunt verborum tuorum hostes mei. * Probatus ser- v. 140.
mo tuus nimis, & servus tuus dilexit illum. * Parvu- v. 141.
lus ego sum & contemtibilis: sed præcepta tua non
sum oblitus. *Et post tres versus:* * Mandata tua vo- v. 143.
luntas mea. *Et paulò post:* * Vide afflictionem meam, v. 155.
E & eripe me; quia legis tuæ non sum oblitus. *Et post*
sex versus: * Multi qui persequuntur me, & affligunt v. 157.
me; à testimoniis tuis non declinavi. * Vidi præva- v. 158.
ricatores tuos, & mærebam; quia verbum tuum
non custodierunt. * Vide quoniam præcepta tua di- v. 159.
lexi Domine; juxta misericordiam tuam vivifica
me. *Et post quatuor versus:* * Gaudens ego sum in v. 162.
eloquio tuo, sicut qui invenit spolia multa. * Men- v. 163.
dacium odio habui, & detestatus sum: legem au-
tem tuam dilexi. * Septies in die laudavi te, super v. 164.
F judiciis justitiæ tuæ. * Pax multa diligentibus legem v. 165.
tuam, & non est illis scandalum. * Exspectabam sa- v. 166.
lutare tuum Domine, & mandata tua feci. * Custo- v. 167.
divit anima mea testimonia tua, & dilexit ea nimis.
* Custodivi præcepta tua & testimonia tua; quia v. 168.
omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Et post octo versus:*
* Sit manus tua auxiliatrix mea; quia præcepta tua v. 173.
elegi. * Desideravi salutare tuum Domine, & lex v. 174.
tua [b] voluntas mea est. *Et post duos versus:* * Erravi b
quasi ovis perdita; quære servum tuum, quia man- v. 176.
G datorum tuorum non sum oblitus. *In Psalmo* CXIX. Psal. 119.
* Ego pacifica loquebar, & illi debellabant ea. *In* v. 7.
Psalmo CXXI. * Rogate pacem Jerusalem: sit be- Ps. 121. v. 6.
ne iis qui diligunt eam. *Et post duos versus,* * Prop- v. 8.
ter fratres meos & proximos meos loquebar pacem
tibi. * Propter domum Domini Dei nostri, quære- v. 9.
bam bona tibi. *In Psalmo* CXXII. * Ad te levavi Ps. 122. v. 1.

[a] Editi, *Dominus.* MSS. *Domine.*

[b] Sic MSS. & Psalt. Hieron. At editi, *meditatio mea est.*

v. 2. oculos meos, qui habitas in cælis. * Ecce sicut oculi
servorum ad manus dominorum suorum. Sicut ocu-
li ancillæ ad manum dominæ suæ: sic oculi nostri ad
Dominum Deum nostrum, donec misereatur no-
Psal. 124. v. 1. stri. *In Psalmo* CXXIV. * Qui confidunt in Do-
mino quasi mons Sion, immobilis in æternum in-
Psal. 127. v. 1. habitabilis Jerusalem. *In Psalmo* CXXVII. * Bea-
tus [a] omnis qui timet Dominum, qui ambulat in
viis ejus. *In Psalmo* CXXIX. * Sustinui Dominum,
Psal. 129. v. 4. sustinuit anima mea, & verbum ejus exspectavi. *In*
Psal. 130. v. 1. *Psalmo* CXXX. Domine non est exaltatum cor
meum, neque elati sunt oculi mei; & non ambu-
v. 2. lavi in magnis & in mirabilibus super me. * Si non
proposui, & silere feci animam meam: sicut ablac-
tatus ad matrem suam, ita ablactata ad me anima
v. 3. mea. * Exspecta Israël Dominum, à modò & usque
Psal. 132. v. 1. in æternum. *In Psalmo* CXXXII. * Ecce quàm
bonum est & quàm decorum, habitare fratres in
Psal. 133. v. 1. unum. *In Psalmo* CXXXIII. * Ecce benedicite
Domino omnes servi Domini: Qui statis in domo
v. 2. Domini, in atriis domus Dei nostri. * In noctibus
b levate manus vestras [b] ad sanctum, & benedicite
Psal. 134. v. 1. Domino. *In Psalmo* CXXXIV. * Laudate nomen
Domini, laudate servi Dominum. * Qui statis in
v. 2. v. 3. domo Domini, in atriis domus Dei nostri. * Lau-
date Dominum, quoniam bonus Dominus, canite
v. 15. nomini ejus, quoniam decens. *Et post pauca:* * Idola
gentium argentum & aurum, opera manuum ho-
v. 16. minum. * Os habent, & non loquentur; oculos ha-
v. 18. bent, & non videbunt, *&c. Et paulò post:* * Similes
illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in
v. 19. eis. * Domus Israël benedicite Domino: domus
v. 20. Aaron benedicite Domino: * timentes Dominum
benedicite Domino. *In Psalmo* CXXXV. * Con-
Psal. 135. v. 1. fitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in
v. 2. æternum misericordia ejus. * Confitemini Deo
deorum, quoniam in æternum misericordia ejus.
v. 3. * Confitemini Domino dominorum, quoniam in
v. 26. æternum misericordia ejus. *Et in fine Psalmi:* * Con-
fitemini Deo cæli, quoniam in æternum misericor-
Psal. 136. v. 5. dia ejus. *In Psalmo* CXXXVI. * Si oblitus fuero
tui Jerusalem, in oblivione sit dextera mea. * Adhe-
v. 6. reat lingua mea gutturi meo, si non recordatus fue-
ro tui Jerusalem. Si non præposuero Jerusalem in
principio lætitiæ meæ. *In Psalmo* CXXXVIII.
Psal. 138. v. 21. * Nonne odientes te Domine odivi, & contra ad-
v. 22. versarios tuos distabui? * Perfecto odio oderam il-
los, inimici facti sunt mihi. *In Psalmo* CXXXIX.
Psal. 139. v. 9. * Ne des Domine desideria impij; scelera ejus ne
effundantur, & eleventur. *Et post quatuor versus:*
v. 12 * Vir linguosus non dirigetur in terra. *In Psalmo*
Psal. 140. v. 5. CXL. * Corripiat me justus in misericordia, & ar-
guat me: oleum amaritudinis non impinguet caput
v. 8. meum. *Et post quinque versus:* * Quoniam ad te Do-
mine oculi mei: in te speravi; ne evacues animam
meam. *In Psalmo* CXLI. * Voce mea ad Domi-
Psal. 141. v. 1. num clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus
v. 2. sum. * Effundam in conspectu ejus eloquium meum,
tribulationem meam coram illo annuntiabo. *Et post*
v. 6. *sex versus:* * Clamavi ad te Domine, dixi tu es spes
mea, pars mea in terra viventium. *In Psalmo* CXLII.
Psal. 142. v. 5. * Meditabar omnia opera tua, facta manuum tua-
rum loquebar. * Expandi manus meas ad te, anima
v. 6. v. 8. mea quasi terra sitiens ad te. *Et post tres versus:* * Fac
me audire manè misericordiam tuam, quoniam in
te confido. Notam fac mihi viam, in qua ambulo,

A quoniam ad te levavi animam meam. * Libera me v. 9.
de inimicis Domine: à te protectus sum. *In Psalmo*
CXLIII. * Libera me, & erue me de manu filiorum Psal. 143.
alienorum: quorum os locutum est vanitatem, & v. 11.
dextera eorum dextera mendacij. * Ut sint filij no- v. 12.
stri quasi plantatio crescens in adolescentia sua. Fi-
liæ nostræ quasi anguli ornati ad similitudinem tem-
pli. * Promtuaria nostra plena, & supereffunden- v. 13.
tia ex hoc in illud. Pecora nostra in millibus, & in-
numerabilia in compitis nostris: * Tauri nostri pin- v. 14.
B gues. Non est interruptio, & non est egressus, &
non est ululatus in plateis nostris. * Beatus populus v. 15.
cujus talia sunt, beatus populus cujus Dominus
Deus ejus, *In Psalmo* CXLIV. * Exaltabo te Do- Psal. 144.
mine Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in v. 1.
æternum & ultrà. * In omni die benedicam tibi, & v. 2.
laudabo nomen tuum in sempiternum jugiter. *Et*
post duos versus: * Generatio ad generationem lau- v. 4.
dabit opera tua, & fortitudines tuas annuntiabunt.
* Decorem gloriæ magnitudinis tuæ, & verba mi- v. 5.
C rabilium tuorum loquar. * Et fortitudinem horribi- v. 6.
lium tuorum loquentur, & magnitudines tuas nar-
rabunt. * Memoriam multæ bonitatis tuæ loquen- v. 7.
tur, & justitias tuas laudabunt. *Et post tres versus:*
* Et sancti tui benedicunt tibi. * Gloriam regni tui v. 10. v. 11.
dicent, & fortitudines tuas loquentur. * Ut osten- v. 12.
dant filiis hominum fortitudines ejus, & gloriam
decoris regni ejus. *Et paulò post:* * Juxta est Domi- v. 18.
nus omnibus qui invocant eum in veritate. * Placi- v. 19.
tum timentium se faciet, & clamorem eorum au-
diet, & salvabit eos. * Custodit Dominus omnes di- v. 20.
D ligentes se: & universos impios conteret. * Laudem v. 21.
Domini loquetur os meum, & benedicet omnis
caro nomini sancto ejus in æternum & jugiter. *In*
Psalmo CXLV. * Lauda anima mea Dominum: Psal. 145.
laudabo Dominum in vita mea, cantabo Deo meo v. 2.
quamdiu sum. * Nolite confidere in principibus, in v. 3.
filio hominis cui non est salus. *Et post duos versus:*
* Beatus cujus Deus Jacob auxiliator ejus, spes ejus v. 5.
in Domino Deo suo. *In Psalmo* CXLVI. * Lau- Psal. 146.
E date Dominum, quoniam bonus est: canticum v. 1.
c
[c] Dei nostri, quoniam decorum est, pulcra laudatio. *Et post paucos versus:* * Suscipiens mansuetos v. 6.
Dominus: humilians impios usque ad terram. * Ca- v. 7.
nite Domino in confessione, canite Deo nostro. *Et*
post quatuor versus: * Non est in fortitudine equi vo- v. 10.
luntas ejus, neque in tibiis viri placebitur ei. * Pla- v. 11.
cebitur Domino in iis qui timent eum, & exspe-
ctant misericordiam ejus. *In Psalmo* CXLVIII.
* Reges terræ & omnes populi, principes & universi Psal. 148.
F judices terræ, * juvenes & virgines, senes cum pueris v. 11. v. 12.
laudent nomen Domini. *In Psalmo* CXLIX. * Can- Psal. 149.
tate Domino canticum novum, laus ejus in congre- v. 1.
gatione sanctorum. * Lætetur Israël in factore suo, v. 2.
filij Sion exsultent in rege suo. *Et post tres versus:*
* Exaltabit mansuetos in Jesu: * Exsultabunt sancti v. 4. v. 5.
in gloria, laudabunt in cubilibus suis: * exaltatio- v. 6.
nes Dei in gutture eorum. *In Psalmo* CL. * Lau- Psal. 150.
date Dominum in sanctis ejus, laudate eum in for- v. 1.
titudine potentiæ ejus. * Laudate eum in fortitudi- v. 2.
G nibus ejus, laudate eum juxta multitudinem ma-
gnificentiæ suæ. *Et in fine Psalmi:* * Omne quod v. 6.
spirat laudet Dominum.

Hæc de libro Psalmorum collegimus, in quibus suam quisque vitam, si proficere affectat, inspiciat. Vbi lectorem admonemus, ut ea quæ de Psalmis posui,

[a] Editi, *Beati omnes qui timent.* Sequimur MSS. & Psalt. Hier.

[b] Editi, *in sancta.* MSS. juxta Psalt. Hier. *ad sanctum.*

[c] Sic MSS. & Psalt. Hieron. At editi, *Deo nostro.*

tamquam unum Psalmum contextim legat, tacitis verbis meis, quæ ad hoc interposui, ut si voluerit, inspiciat ubi sit scriptum quod posui, id est, quoto vel in quo loco ejusdem Psalmi. His enim prætermissis qui lectione continuatâ inspexerit solâ verba Psalmorum, multo jucundiùs, & ob hoc utiliùs ex divinis afficietur eloquiis. Nunc de libris Salomonis quæ videbuntur huic operi necessaria, colligemus: ac primùm de Proverbiis, qui liber si bene intelligatur, ad mores pios informandos penè totus valebit. Sed ea quæ obscura sunt prætermitto; habeant ea, quibus exerceantur, lectores dilectoresque spiritalium litterarum: nos in hoc opere statuimus illa ponere, quæ ad agendam vitam facilè intellecta referantur. Quamvis multis videri possim apertissima prætermisisse: nonnullaque hinc potiùs clausa sunt, unde putantur esse perspicua. Quid enim tam clarum videtur, & quid tam ineptè fit, si ad proprietatem velis accipere, quod ibi scriptum est, [a] Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis? *Aut quid valet ad mores corrigendos, nisi illic intellectus altior requiratur, quod dictum est,* Paupertas virum humiliat, manus autem fortium locupletat? *Cùm & non esse pauperem, & esse manibus fortem, non sit in bonorum hominum potestate, sed & multis provenerit pessimis; & hoc proverbium malè intellectum, possit provocare pauperes fortes, ut rapinis se existiment debere ditescere. Quis non autem rideat, si propriè positum putaverit quod ibi legitur,* Non enim nascuntur filij malignis? *Omnia ergo talia relinquemus, & ea quibus suadetur aliquid aliquanto diutiùs, cùm id quod suadetur atque præcipitur non sit obscurum, & id potiùs sit ponendum in hoc Speculo, ubi se illi inspiciant, quibus jam persuasum est, bene ac laudabiliter vivere, sed ut hoc faciant, quæ sibi optanda atque observanda sint, quærunt. Hæc itaque de Proverbiis Salomonis ponenda credimus.*

Prov. 9. 18. sec. LXX. a

Prov. 10. 4.

De Proverbiis.

Prov. 1. v. 7. TIMOR Domini principium scientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. * Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. *Et post quatuordecim versus, cùm de homicidis loqueretur,* * Ipsi, *inquit*, contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas. * Sic semitæ omnis avari animas possidentium rapiunt. *Item post quatuor versus:* * Usquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt, & imprudentes odiunt scientiam? *Et post undecim versus:* * Tunc invocabunt me, & non exaudiam; manè consurgent, & non invenient me: * eo quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, * nec adquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ. * Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. * Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. * Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantiâ perfruetur, malorum timore sublato. *Et post tres versus:* * Si enim sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ: * si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: * tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies: * quia Dominus dat sapientiam, & ex ore ejus scientia & prudentia. * Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter: * servans semitas justitiæ, & vias sanctorum custodiens. * Tunc intelliges justitiam & judicium & æquitatem, & omnem semitam bonam. * Si intraverit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit; * consilium custodiet te, & prudentia servabit te; * ut eruaris de via mala, & ab homine qui perversa loquitur. * Qui derelinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: * qui lætantur cùm malefecerint, & exsultant in rebus pessimis: * quorum viæ perversæ, & infames gressus eorum. * Ut eruaris à muliere aliena, & ab extranea quæ mollit sermones suos, * & reliquit ducem pubertatis suæ, * & pacti Dei sui oblita est. *Et post tredecim versus:* * Misericordia & veritas non te deserant: circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui: * & invenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus. * Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. * In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. * Ne sis sapiens apud temetipsum. Time Deum, & recede à malo. *Et post unum versum:* * Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum. *Et post duos versus:* * Disciplinam Domini fili mi ne abjicias; nec deficias, cùm ab eo corriperis. * Quem enim diligit Dominus, corripit; & quasi pater in filio complacet sibi. * Beatus homo qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentiâ. * Melior est adquisitio ejus negotiatione argenti, & auro primo fructus ejus: * Pretiosior est cunctis opibus; & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. *Et post decem versus:* * Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis, custodi legem atque consilium. *Et post novem versus:* * Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales & ipse benefac. * Ne dicas amico tuo, Vade, & revertere, & cras dabo tibi; cùm statim possis dare. * Ne moliaris amico tuo malum; cùm ille in te habeat fiduciam. * Ne contendas adversùs hominem frustra. *Et post septem versus:* * Illusores ipse deludet, & mansuetis dabit gratiam. *Et post* [b] *quadraginta-tres versus:* * Omni custodia serva cor tuum; quia ab ipso vita procedit. * Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te. * Oculi tui recta videant; & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. * Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur. * Ne declines in dexteram aut in sinistram. Averte pedem tuum à malo. Vias enim quæ à dextris sunt novit Dominus; perversæ verò sunt quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos facit cursus tuos, itinera autem tua in pace producet. * Fili mi adtende sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam; * ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conservent. * Favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo gutur ejus. * Novissima autem illius amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps. * Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus

Prov. 1. v. 8. — v. 18. — v. 19. — v. 22. — v. 28. — v. 29. — v. 30. — v. 31. — v. 32. — v. 33. — Prov. 2. v. 3. — v. 4. — v. 5. — v. 6. — v. 7. — v. 8. — v. 9. — v. 10. — v. 11. — v. 12. — v. 13. — v. 14. — v. 15. — v. 16. — v. 17. — v. 18. — Prov. 3. v. 3. — v. 4. — v. 5. — v. 6. — v. 7. — v. 9. — v. 11. — v. 12. — v. 13. — v. 14. — v. 15. — v. 21. — v. 27. — v. 28. — v. 29. — v. 30. — v. 34. — Prov. 4. v. 23. — v. 24. — v. 25. — v. 26. — v. 27. — Prov. 5. v. 1. — v. 2. — v. 3. — v. 4. — v. 5.

[a] Vulgata versio caret hac sententiâ, *Ab aqua aliena* &c. quæ quidem erat Augustino familiaris, sæpeque ab ipso in congressu cum Donatistis pravè eam usurpantibus explicata: habetur apud LXX. Prov. cap. 9. sub vers. 18. Ex eorumdem interpretatione ipsi in mentem veniebat aliud hîc proximè allatum testimonium; nisi quòd LXX. efferunt in plurali, χεῖρας δὲ ἀνδρείων πλουτίζουσι, *manus fortium locupletant.*

[b] Pigebat adnotare circa versuum recensionem errata quàm frequentissima, quæ videlicet postquam in Amerbachianam editionem semel inducta sunt, alias deinceps editiones reluctantibus MSS. codicibus constanter occuparunt. Attamen de insignioribus aliquot castigationibus non silendum videtur hoc loco. Nam in editis pro *Et post quadraginta tres*, legebatur *Et post viginti quatuor*: item infrà ubi habes *Et post nonaginta-septem*, in illis habebas *Et post plures versus*: atque ubi nunc *Et post quinquaginta septem*, ibi referebatur *Et post aliquot versus*, quibus locis aliisque propemodum innumeris restituimus lectionem MSS. unde intelligi faciliùs queat cujusnam rationis, cujusve mensuræ versus illi fuerint, qui computantur ab Augustino.

illius

Prov. 6. v. 25. illius penetrant, *Et post nonaginta-septem versus:* * Non concupiscat pulcritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus illius. * Pretium enim scorti, vix unius est panis: mulier autem viri pretiosam animam capit. * Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant; * aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? * Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam. * Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam: * deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet. * Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. *Et post quatuor versus:* * Fili mi custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. * Serva [a] mandata mea, & vive, & legem meam quasi pupillam oculi tui. *Et post quinquaginta-septem versus:* * Intelligite parvuli astutiam, & insipientes animadvertite. *Et post duos versus:* * Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea [b] detestabuntur impium. *Et post tres versus:* * Accipite disciplinam meam & non pecuniam: doctrinam magis quàm aurum diligite. * Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis; & omne desiderabile ei non potest comparari. *Et post duos versus:* * Timor Domini odit malum, arrogantiam & superbiam & viam pravam & os bilingue detestatur. *Et post sex versus:* * Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, invenient me. * Mecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ & justitia. * Melior est fructus meus auro & pretioso lapide, & genimina mea argento electo. * In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicij: * ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. *Et post viginti-tres versus:* * Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei. * Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. * Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. *Et post novem versus:* * Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ. * Qui erudit derisorem, ipse sibi facit injuriam; & qui arguit impium, generat maculam sibi. * Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te. * Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce justum, & festinabit accipere. * Principium sapientiæ timor Domini, & scientia sanctorum, prudentia. *Et post decem & octo versus:* * Non proderunt thesauri iniquitatis, justitia verò liberabit à morte. *Et post quatuor versus:* * Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem festertit æstate, filius confusionis. *Et post quatuor versus:* * Sapiens corde præcepta suscipiet, stultus cædit labiis. * Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem depravat vias suas, manifestus erit. * Qui annuit oculo, dabit dolorem: stultus labiis verberabitur. * Vena vitæ, os justi; & os impiorum operit iniquitatem. * Odium suscitat rixas; & universa delicta operit caritas. * In labiis sapientis invenietur sapientia; & virga in dorso ejus qui indiget corde. * Sapientes abscondunt sapientiam: os autem stulti confusioni proximum est. *Et post quatuor versus:* Via vitæ custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat. * Abscondunt odium labia mendacia. Qui profert contumeliam, insipiens est. * In multiloquio peccatum non deerit: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. * Argentum electum lingua justi: cor impiorum pro nihilo. * Labia justi erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. * Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio. * Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia. * Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis dabitur. *Et post duos versus.* * Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger iis qui miserunt eum. * Timor Domini apponet dies; & anni impiorum breviabuntur. * Exspectatio justorum, lætitia: spes autem impiorum peribit. * Fortitudo simplicis via Domini; & pavor iis qui operantur malum. * Justus in æternum non commovebitur: impij autem non habitabunt in terra. * Os justi parturiet sapientiam: lingua pravorum peribit. * Labia justi considerant placita, & os impiorum perversa. * Statera dolosa, abominatio apud Deum; & pondus æquum, voluntas ejus. * Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem humilitas, ibi & sapientia. * Simplicitas justorum diriget eos; & supplantatio perversorum perdet illos. * Non proderunt divitiæ in die ultionis: justitia autem liberabit à morte. * Justitia simplicis diriget viam ejus; & in impietate sua corruet impius. * Justitia rectorum liberabit eos; & in insidiis suis capientur iniqui. * Mortuo homine impio, nulla erit ultrà spes, & exspectatio sollicitorum peribit. *Et post* [c] *quinque versus:* * Qui despicit amicum suum, indigens corde est: vir autem prudens tacebit. * Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est [d] animi, celat commissum. * Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia. * Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cavet laqueos, securus erit. *Et post duos versus:* * Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit. *Et post tres versus:* * Abominabile Domino pravum cor; & voluntas ejus in iis qui simpliciter ambulant. * Manus in manu, non erit innocens malus: semen autem justorum salvabitur. *Et post duos versus:* * Desiderium justorum omne bonum est: præstolatio impiorum furor. * Alij dividunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. * Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. * Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. * Bene consurgit diluculo, qui quærit bona: qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis. * Qui confidit in divitiis suis, hic corruet: justi autem quasi virens folium germinabunt. *Et post quatuor versus:* * Si justus in terra recipit, quanto magis impius & peccator? * Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est. * Qui bonus est, hauriet à Domino gratiam: qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit. * Non roborabitur homo ex impietate, & radix justorum non commovebitur. *Et post* [c] *aliquot versus:* * Desiderium impij, munimentum est pessimorum: radix autem justorum proficiet. * Pro-

v. 26. — v. 27. — v. 28. — v. 29. — v. 30. — v. 31. — v. 32. — v. 33. — v. 34. — v. 35. — v. 36. — Prov. 9. v. 6. — v. 7. — v. 8. — v. 9. — v. 10. — v. 11. — v. 12. — v. 13. — v. 14. — v. 15. — v. 16. — v. 17. — v. 18. — v. 19. — v. 20. — v. 21. — v. 22. — v. 23. — v. 24. — v. 25. — Prov. 10. v. 2. — v. 5. — v. 8. — v. 9. — v. 10. — v. 11. — v. 12. — v. 13. — v. 14. — v. 15. — v. 16. — v. 17. — v. 18. — v. 19. — v. 20. — v. 21. — v. 22. — v. 23. — v. 24. — v. 25. — v. 26. — v. 27. — v. 28. — v. 29. — v. 30. — v. 31. — v. 32. — Prov. 11. v. 1. — v. 2. — v. 3. — v. 4. — v. 5. — v. 6. — v. 7. — v. 9. — v. 12. — v. 13. — v. 14. — v. 15. — v. 17. — v. 20. — v. 21. — v. 23. — v. 24. — v. 25. — v. 26. — v. 27. — v. 28. — v. 31. — Prov. 12. v. 1. — v. 2. — v. 3. — v. 4. — v. 5. — v. 6. — v. 7. — v. 12. — v. 13.

[a] MSS. *Scrutare mandata.*

[b] Sic MSS. juxta Vulgatam. At editi habebant, *Et labia mea non adtestantur impium.*

[c] Regius codex, *Et post* III. Carnutensis, *Et post* IIII, fortè legendum, *Et post* VIII.

[d] In Regio MS. loco *animi*, habetur *amici.* Utraque vox simul recepta est in Biblijs Sixti auctoritate castigatis. Attamen *amici* deest in vetusto Bibliorum cod. Corbeiensi.

[e] MSS. *Et post decem*: plures tamen interjecti esse videntur, nisi fortè isti versus erant solitè prolixiores.

pter peccata labiorum ruina proximat malo: effu- A
v. 14. giet autem juſtus de anguſtia. * De fructu oris ſui
unuſquiſque replebitur bonis, & juxta opera ma-
v. 15. nuum ſuarum retribuetur ei. * Via ſtulti, recta in
oculis ejus: qui autem ſapiens eſt, audit conſilia. *Et*
v. 18. *poſt quatuor verſus:* * Eſt qui promittit, & quaſi gla-
dio pungitur conſcientiæ: lingua autem ſapientium
v. 19. ſanitas eſt. * Labium veritatis firmum erit in perpe-
tuum: qui autem teſtis eſt repentinus, concinnat
v. 20. linguam mendacem. * Dolus in corde cogitantium
mala: qui autem ineunt pacis conſilia, ſequetur eos B
v. 21. gaudium. * Non contriſtabit juſtum quidquid ei ac-
v. 22. ciderit: impij autem replebuntur malo. * Abomi-
a natio [a] Domini, labia mendacia: qui autem fideli-
v. 23. ter agunt, placent ei. * Homo verſutus celat ſcien-
tiam: & cor inſipientium provocabit ſtultitiam. *Et*
v. 25. *poſt duos verſus:* * Mæror in corde viri humiliabit il-
v. 26. lum, & ſermone bono lætificabitur. * Qui negligit
damnum propter amicum, juſtus eſt: iter autem
v. 27. impiorum decipiet eos. * Non inveniet fraudulen-
tus lucrum, & ſubſtantia hominis erit auri pretium. C
v. 28 * In ſemita juſtitiæ vita: iter autem devium ducit ad
Prov. 13. v. 1. mortem. * Filius ſapiens, doctrina patris: qui au-
v. 2. tem illuſor eſt, non audit cùm arguitur. * De fruc-
tu oris ſui homo ſaturabitur bonis: anima autem
v. 3. prævaricatorum iniqua. * Qui cuſtodit os ſuum, cu-
ſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt
v. 4. ad loquendum, ſentiet mala. * Vult & non vult pi-
v. 5. ger: anima autem operantium impinguabitur. * Ver-
bum mendax juſtus deteſtabitur: impius autem
v. 6 confundit, & confundetur. * Juſtitia cuſtodit inno- D
centis viam: impietas verò peccatores ſupplantat.
v. 7. * Eſt quaſi dives, cùm nihil habeat; & eſt quaſi
v. 8. pauper, cùm in multis divitiis ſit. * Redemtio ani-
mæ viri, divitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt, incre-
v. 9. pationem non ſuſtinet. * Lux juſtorum lætificat: lu-
v. 10. cerna impiorum exſtinguetur. * Inter ſuperbos ſem-
per jurgia ſunt: qui autem agunt cuncta conſilio,
v. 11. reguntur ſapientiâ. * Subſtantia feſtinata minuetur:
quæ autem paulatim colligitur manu, multiplica-
v. 12. bitur. * Spes quæ differtur, affligit animam: lignum E
v. 13. vitæ deſiderium veniens. * Qui detrahit alicui rei,
ipſe ſe in futurum obligat: qui autem timet præcep-
v. 14. tum, in pace verſabitur. * Lex ſapienti fons vitæ, ut
v. 15. declinet à ruina mortis. * Doctrina bona dabit gra-
b tiam: in itinere contemtorum vorago. *Et poſt* [b] *ali-*
v. 24. *quot verſus:* * Qui parcit virgæ ſuæ, odit filium ſuum:
v. 25. qui autem diligit illum, inſtanter erudit. * Juſtus
comedit, & replet animam ſuam: venter autem im-
Prov. 14. piorum inſaturabilis. *Et poſt duos verſus:* * Ambu-
v. 2. lans recto itinere, & timens Deum, deſpicietur ab F
v. 3. eo qui infami graditur viâ. * In ore ſtulti virga ſu-
perbiæ: labia ſapientium cuſtodiunt eos. *Et poſt duos*
v. 5. *verſus:* * Teſtis fidelis non mentietur: profert men-
v. 6. dacium teſtis doloſus. * Quærit deriſor ſapientiam,
v. 7. & non invenit: doctrina ſapientium facilis. * Vade
c contra virum ſtultum, & [c] neſcito labia impruden-
v. 8. tiæ. * Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam; &
v. 9. imprudentia ſtultorum errans. * Stultus illudet pec-
v. 10 catum: inter juſtos morabitur gratia. * Cor quod
novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non G
v. 11. miſcebitur extraneus. * Domus impiorum delebi-
v. 12. tur: tabernacula verò juſtorum germinabunt. * Eſt

via quæ videtur homini juſta; noviſſima autem ejus
deducunt ad mortem. * Riſus dolore miſcebitur, & v. 13.
extrema gaudij luctus occupat. *Et poſt tres verſus:*
* Sapiens timet, & declinat malum: ſtultus tranſi- v. 16.
lit, & confidit. * Impatiens operabitur ſtultitiam; v. 17.
& vir verſutus odioſus eſt. *Et poſt quatuor verſus:*
* Qui deſpicit proximum ſuum, peccat: qui autem v. 21.
miſeretur pauperis, beatus erit. * Errant qui ope- v. 22.
rantur malum: miſericordia & veritas præparant
bona. * In omni opere [d] erit abundantia: ubi au- v. 23. d
tem verba ſunt plurima, frequenter egeſtas. *Et poſt*
quatuor verſus: * In timore Domini fiducia fortitu- v. 26.
dinis; & filiis ejus erit ſpes. * Timor Domini fons v. 27.
vitæ, ut [e] declinet à ruina mortis. *Et poſt duos verſus:* e
* Qui patiens eſt, multâ gubernatur prudentiâ: qui v. 29.
autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam. * Vi- v. 30.
ta carnium ſanitas cordis: putredo oſſium invidia.
* Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: v. 31.
honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. *Et poſt*
ſeptem verſus: * Reſponſio mollis frangit iram: ſer- Prov. 15. v. 1.
mo durus ſuſcitat furorem. * Lingua ſapientium or- v. 2.
nat ſcientiam: os fatuorum ebullit ſtultitiam. *Et poſt*
ſeptemdecim verſus, * Non amat peſtilens eum qui v. 12.
ſe corripit, nec ad ſapientes graditur. *Et poſt duode-*
cim verſus: * Melius eſt parum cum timore Domi- v. 16.
ni, quàm theſauri magni & inſatiabiles. Melius eſt v. 17.
vocari ad olera cum caritate, quàm ad vitulum ſa-
ginatum cum odio. * Vir iracundus provocat rixas: v. 18.
qui patiens eſt mitigat ſuſcitatas. * Iter pigrorum v. 19.
quaſi ſepes ſpinarum: via juſtorum abſque offendi-
culo. * Filius ſapiens lætificat patrem: & ſtultus ho- v. 20.
mo deſpicit matrem ſuam. *Et poſt duos verſus*, * Diſ- v. 22.
ſipantur cogitationes ubi non eſt conſilium: ubi ve-
rò plures ſunt conſiliarij, confirmantur. * Lætatur v. 23.
homo in ſententia oris ſui; & ſermo opportunus eſt
optimus. * Semita vitæ ſuper eruditum, ut declinet v. 24.
de inferno noviſſimo. *Et poſt quatuor verſus:* * Con- v. 27.
turbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam: qui
autem odit munera, vivet. * Mens juſti meditabitur v. 28.
obedientiam: os impiorum redundat malis. * Lon- v. 29.
gè eſt Dominus ab impiis; & orationes juſtorum
exaudiet. * Lux oculorum lætificat animam: fama v. 30.
bona impinguat oſſa. * Auris quæ audit increpatio- v. 31.
nes vitæ, in medio ſapientium commorabitur. * Qui v. 32.
abjicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui au-
tem adquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cor-
dis. * Timor Domini, diſciplina ſapientiæ; & glo- v. 33.
riam præcedit humilitas. * Hominis eſt animum Prov. 16.
præparare, & Dei gubernare linguam. * Omnes v. 1.
viæ hominum patent oculis ejus: ſpirituum ponde- v. 2.
rator eſt Dominus. * Revela Domino opera tua, & v. 3.
dirigentur cogitationes tuæ. * Univerſa propter ſe- v. 4.
metipſum operatus eſt Dominus; impium quoque
ad diem malum. * Abominatio Domini omnis arro- v. 5.
gans; etiamſi [f] manu ad manum fuerit, non erit f
innocens. * Miſericordiâ & veritate redimitur ini- v. 6.
quitas, & in timore Domini declinatur à malo.
* Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos v. 7.
quoque ejus convertet ad pacem. * Melius eſt pa- v. 8.
rum cum juſtitia, quàm multi fructus cum iniquita-
te. * Cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini v. 9.
eſt dirigere greſſus ejus. * Divinatio in labiis regis, v. 10.
in judicio non errabit os ejus. * Pondus & ſtatera v. 11.

[a] Vulgata, *Abominatio eſt Domino.*
[b] Regius cod. *Et poſt* XII. *verſus.*
[c] Vulgata, *& neſcit labia prudentiæ.*
[d] MSS. *In omni opere bono erit.*
[e] In ſacris Bibliis *caſtigationibus*, *declinant.*
[f] In Vulgata nunc legitur, *manus ad manum:* & infrà poſt *non erit innocens*, interponitur hæc ſententia, *Initium viæ bonæ, facere juſtitiam* &c. quæ nec eſt in Hebræo, nec in antiquis Corb. Bibliis verſionis Vulgatæ. adſcita eſt ex LXX.

judicia Domini ſunt, & opera ejus omnes lapides A
a [a] ſæculi. * Abominabiles regi qui agunt impiè; quo- v. 12.
niam juſtitiâ firmatur ſolium. * Voluntas regum la- v. 13.
bia juſta, qui recta loquitur dirigetur. * Indignatio v. 14.
regis nuntij mortis; & vir ſapiens placabit eam. * In v. 15.
hilaritate vultus regis, vita; & clementia ejus, quaſi
imber ſerotinus. * Poſſide ſapientiam, quia auro v. 16.
melior eſt: & adquire prudentiam, quia pretioſior
eſt argento. * Semita juſtorum declinat mala; cu- v. 17.
ſtos animæ ſuæ ſervat viam ſuam. * Contritionem v. 18.
præcedit ſuperbia; & ante ruinam exaltatur ſpiri- B
tus. * Melius eſt humiliari cum mitibus, quàm di- v. 19.
videre ſpolia cum ſuperbis. * Eruditus in verbo re- v. 20.
periet bona; & qui in Domino ſperat, beatus eſt.
* Qui ſapiens corde eſt, appellabitur prudens; & v. 21.
qui dulcis eloquio, majora percipiet. *Et poſt ſeptem-*
decim verſus: * Melior eſt patiens viro forti; & qui v. 32.
dominatur animæ ſuæ, expugnatore urbium. * Sor- v. 33.
tes mittuntur in ſinum; ſed à Domino temperan-
Prov. 17. v. 1. tur. * Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm
domus plena victimis cum jurgio. * Servus ſapiens C v. 2.
dominabitur filiis ſtultis, & inter fratres hereditatem dividet. * Sicut igne probatur argentum, & au- v. 3.
rum camino; ita corda probat Dominus. * Malus v. 4.
obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis
mendacibus. * Qui deſpicit pauperem, exprobrat v. 5.
factori ejus; & qui ruinâ lætatur alterius, non erit
impunitus. Corona ſenum filij filiorum; & gloria v. 6.
filiorum patres ſui. * Non decent ſtultum verba v. 7.
compoſita, nec principem labium mentiens. * Gem- v. 8.
ma gratiſſima exſpectatio præſtolantis, quocum- D
que ſe verterit, prudenter intelliget. * Qui celat v. 9.
delictum, quærit amicitias: qui altero ſermone re-
petit, ſeparat fœderatos. * Plus proficit correptio v. 10.
apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtul-
tum. * Semper jurgia quærit malus: angelus autem v. 11.
crudelis mittetur contra eum. * Expedit magis urſæ v. 12.
occurrere raptis fetibus, quàm fatuo confidenti ſibi
in ſtultitia ſua. * Qui reddit mala pro bonis, non v. 13.
recedet malum de domo ejus. * Qui dimittit aquam, v. 14.
caput eſt jurgiorum; & antequam patiatur contu- E
meliam, judicium deſerit. * Et qui juſtificat im- v. 15.
pium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt
uterque apud Deum. *Et poſt ſexdecim verſus:* * Mu- v. 23.
nera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas
judicij. * In facie prudentis lucet ſapientia: oculi v. 24.
ſtultorum in finibus terræ. *Et poſt* [b] *tres verſus:* * Qui v. 27.
b moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt,
& pretioſi ſpiritus vir eruditus. *Et poſt duos verſus:*
Prov. 18. v. 1. * Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico;
omni tempore erit exprobrabilis. *Et poſt ſex verſus:* F
v. 5. * Accipere perſonam impij non eſt bonum, ut de-
v. 9. clines à veritate judicij. *Et poſt ſex verſus*, * Qui mol-
lis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua
v. 10. opera diſſipantis. * Turris fortiſſima nomen Domi-
ni: ad ipſam currit juſtus, & exaltabitur. *Et poſt*
v. 12. *duos verſus:* * Antequam conteratur, exaltatur cor
hominis; & antequam glorificetur, humiliatur. *Et*
v. 17. *poſt ſeptem verſus:* * Juſtus eſt prior accuſator ſui;
v. 18. venit amicus ejus, & inveſtigabit eum. * Contradi-
ctiones comprimit ſors, & inter potentes quoque G
v. 19. dijudicat. * Frater qui adjuvatur à fratre, quaſi ci-

vitas firma, & judicia quaſi vectes urbium. *Et poſt*
duos verſus: * Mors & vita in manu linguæ; qui dili- v. 21.
gunt eam, comedent fructus ejus. * Qui invenit v. 22.
mulierem bonam, invenit bonum: & hauriet jo-
cunditatem à Domino. [c] * Cum obſecrationibus lo- v. 23. c
quetur pauper; & dives effabitur rigidè. * Vir ami- v. 24.
cabilis ad ſocietatem, magis amicus erit quàm fra-
ter. * Melior eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate Prov. 19. v. 1.
ſua, quàm dives torquens labia, & inſipiens. * Ubi v. 2.
non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum; & qui fe-
ſtinus eſt, pedibus offendit. * Stultitia hominis ſup- v. 3.
plantat greſſus ejus, & contra Deum fervet animo
ſuo. * Divitiæ addunt amicos plurimos: à paupere v. 4.
autem & quos habuit ſeparantur. * Teſtis falſus v. 5.
non erit impunitus; & qui mendacia loquitur, non
effugiet. * Multi colunt perſonam potentis, & v. 6.
amici ſunt dona tribuentis. * Fratres hominis pau- v. 7.
peris oderunt eum; inſuper & amici procul re-
ceſſerunt ab eo. * Qui tantùm verba ſectatur, nihil v. 8.
habebit: qui autem poſſeſſor eſt mentis, diligit ani-
mam ſuam. *Et poſt decem verſus:* * Pigredo immittit v. 15.
ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet. * Qui cuſtodit v. 16.
mandatum, cuſtodit animam ſuam, qui autem ne-
gligit vias ſuas, mortificabitur. * Fœneratur Domi- v. 17.
no qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam
reddet ei. * Erudi filium tuum, ne deſperes. *Et poſt* v. 18.
ſex verſus: * Homo indigens miſericors eſt; & me- v. 22.
lior pauper quàm vir mendax. * Timor domini ad v. 23.
vitam, & in plenitudine commorabitur abſquè viſ-
itatione [d] peſſimi. *Et poſt duos verſus:* * Peſtilente d
flagellato ſtultus ſapientior erit: ſin autem corri- v. 25.
pueris ſapientem, intelliget diſciplinam. * Qui affli- v. 26.
git patrem, & [e] fugit matrem, ignominioſus eſt & e
infelix. * Non ceſſes fili audire doctrinam, nec igno- v. 27.
res ſermones ſcientiæ. * Teſtis iniquus deridet judi- v. 28.
cium; & os impiorum devorat iniquitatem. * Para- v. 29.
ta ſunt deriſoribus judicia, & mallei percutientes
ſtultorum corporibus. * Luxurioſa res vinum, & Prov. 20. v. 1.
tumultuoſa ebrietas: quicumque in his delectatur,
non erit ſapiens. *Et poſt aliquos verſus:* * Pondus & v. 10.
pondus, menſura & menſura, utrumque abomi-
nabile eſt apud Deum. * Ex ſtudiis ſuis intelligitur v. 11.
puer, ſi munda & ſi recta ſint opera ejus. *Et poſt duos*
verſus, * Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas op- v. 13.
primat: aperi oculos tuos, & ſaturare panibus: *Et*
poſt ſeptemdecim verſus: * Abominatio eſt apud Deum v. 23.
pondus & pondus; ſtatera doloſa non eſt bona. *Et*
poſt vigintiquinque verſus: * Qui obturat aurem ſuam Prov. 21.
ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non v. 13.
exaudietur. Munus abſconditum exſtinguit iras, &
donum in ſinu indignationem maximam. * Gau- v. 14.
dium juſto eſt facere judicium: & pavor operanti-
bus iniquitatem. * Vir qui erraverit à via doctrinæ, v. 15.
in cœtu gigantium reputabitur. *Et poſt novem verſus:*
* Qui cuſtodit os ſuum & linguam, cuſtodit ab an- v. 23.
guſtiis animam ſuam. * Superbus & arrogans voca- v. 24.
tur indoctus, qui in ira operatur ſuperbiam. * De- v. 25.
ſideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam
manus ejus operari. * Tota die concupiſcit & deſi- v. 26.
derat: qui autem juſtus eſt tribuet, & non ceſſabit.
* Hoſtiæ impiorum abominabiles; quia offeruntur v. 27.
ex ſcelere. * Teſtis mendax peribit: vir [f] bene dicens, v. 28. f

[a] Legendum *ſacculi*, non *ſæculi*: & paulò infrà *diligetur*, non *diripetur*: quæ mendæ etiam in ſacra Biblia irrepſerant.
[b] MSS. *Et poſt* XVII. *verſus:* inſigni laplu amanuenſium; aut certè codex ille Proverbiorum, qui ab Auguſtino legebatur, ſententias eo loci plures quàm ſacra Biblia exhibebat.
[c] In editis addebatur hîc, *Qui expellit mulierem bonam: expellit bonum: qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & inſipiens.* quod etiam in Vulgata nunc interpoſitum eſt ex LXX. Sed in antiquis Bibliis Corb. non reperitur, neque in Hebræo: abeſt quoque ab Auguſtini Speculo in MSS. qui mox proſequuntur ſic, *Cum obſecrationibus* &c.
[d] Apud Vulgatam, *peſſima*: quamquam in Bibliis Corb. *peſſimi.*
[e] Legendum *fugat*, uti in Bibliis emendatis. Porrò Reg. cod. pro *fugit*, habet hîc *confundit.*
[f] In ſacris Bibliis, *vir obediens.*

Ecclesiæ figurata locutione commendet, & prophetica
pronuntiet altitudine? nisi quòd in eo, quamvis sit ad in-
telligendum difficillimus, possumus tamen facilè adver-
tere, quantum sit divina illa & divinitus inspirata ca-
ritas appetenda, quantique pendenda: quandoquidem
non ibi semel dicitur, sed alio atque alio loco iterum
Cant. 2. v. 7. & 3. v. 5. & 8. v. 4. *ac tertiò repetitur:* Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per ca-
preas cervosque camporum, ne suscitetis neque evi-
* Ibidem sec. LXX. gilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. * [a] Adjuro
a vos filiæ Jerusalem in virtutibus & viribus agri, si le-
vaveritis caritatem quoad usque velit. *Ecclesia quip-*
pe, in qua utique sumus, his verbis exhortatur filias
suas, hoc est, seipsam in plurimis constitutam. Ipsa est
ager Dei fructuosissimus, cujus virtutes & vires ma-
gnæ sunt, ad quas amando Christum Martyres perve-
nerunt. Nam quò usque vult ille dilectæ suæ in hac
b *interim vita caritatem [b] levari, nisi quò usque ipse do-*
Johan. 15. 13. *cuit verbo, & suo est hortatus exemplo, dicens, Ma-*
" *jorem hac caritatem nemo habet, quàm ut animam*
" *suam ponat quis pro amicis suis: & quod dixit, effi-*
ciens? Unde ne ad ipsum solum hoc pertinere videretur,
1. Johan. 3. 16. *ait Iohannes in epistola sua, Sicut Christus pro nobis*
" *animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro*
fratribus ponere. hoc ergo est, quoad usque velit.
Cant. 2. 4. sec. LXX. *Legitur etiam in eodem Cantico,* * Ordinate in me
Cant. 6. v. 3. caritatem. *Christus quoque ipse ibi dicit,* * Pulcra es
amica mea, suavis & decora sicut Jerusalem. *Et*
Cant. 7. v. 6. *alibi:* * Quàm pulcra es & quàm decora carissima in
Cant. 8. v. 6. deliciis! *Et alio loco:* * Pone me ut signaculum super
cor tuum, ut signaculum super brachium tuum:
quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus
v. 7. æmulatio. *Et post unum versum:* * Aquæ multæ non
c [c] potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina
obruent illam. Si dederit homo omnem substan-
d tiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil [d] despi-
ciet eam.

De Libro Job.

Job. 24. v. 1. QUI noverunt eum, ignorant dies illius. * Alij
v. 2. terminos transtulerunt, diripuerunt greges,
v. 3. & rapuerunt eos. * Asinum pupillorum abegerunt,
& abstulerunt pro pignore bovem viduæ. *Et post*
v. 5. *quinque versus:* * Agrum non suum demetunt; &
v. 6. vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant.
v. 7. * Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes,
quibus non est operimentum in frigore. *Et post duos*
v. 9. *versus:* * Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vul-
v. 10. gum pauperem spoliaverunt. * Nudis & incedenti-
bus absque vestitu & esurientibus tulerunt spicas. *Et*
v. 12. *post duos versus:* * De civitatibus fecerunt viros ge-
mere; & anima vulneratorum clamavit; & Deus
v. 13. inultum abire non patitur. * Ipsi fuerunt rebelles lu-
mini: nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per se-
v. 20. mitas illius. *Et post viginti & unum versus:* * Con-
v. 21. teratur quasi lignum infructuosum. * Pavit enim
sterilem, & quæ non parit; & viduæ bene non fe-
v. 22. cit. * Detraxit fortem in fortitudine sua. *Et post ali-*
Job. 29. v. 11. *quantum:* * Auris audiens beatificabat me; & ocu-
v. 12. lus videns testimonium reddebat mihi, * quòd libe-
rassem pauperem vociferantem, & pupillum cui
v. 13. non esset adjutor. * Benedictio perituri super me
v. 14. veniebat, & cor viduæ consolatus sum. * Justitiâ in-
dutus sum, & vestivi me sicut vestimento & diade-
v. 15. mate judicio meo. * Oculus fui cæco, & pes clau-
do. * Pater eram pauperum: & caussam quam nes- v. 16.
ciebam, diligenter investigabam. * Conterebam v. 17.
molas iniqui, & de dentibus illius auferebam præ-
dam. *Et aliquantò pòst:* * Si ambulavi in vanitate, Job. 31. v. 5.
& festinavit in dolo pes meus; * appendat me in sta- v. 6.
tera justa, & sciat Deus simplicitatem meam. * Si v. 7.
declinavit gressus meus de via: & si [e] secutus est e
oculus meus cor meum, & in manibus meis adhæ-
sit macula. *Et post duos versus:* * Si deceptum est cor v. 9.
meum super mulierem; & si ad ostium amici mei
insidiatus sum. *Et post duos versus:* * Hoc enim ne- v. 11.
fas est, & iniquitas maxima. * Ignis est usque ad v. 12.
perditionem devorans, & omnia eradicans genimi-
na. * Si contemsi judicium subire cum servo meo & v. 13.
ancilla mea, cùm disceptarent adversùm me. *Et*
post [f] quatuor versus: * Si negavi quod volebant pau- f
peribus, & oculos viduæ exspectare feci. * Si co- v. 16. v. 17.
medi buccellam meam solus, & non comedit pu-
pillus ex ea. * Quia ab infantia mea crevit mecum v. 18.
miseratio, & de utero matris meæ egressa est me-
cum. * Si despexi pereuntem, eo quòd non habue- v. 19.
rit vestimentum, & absque operimento pauperem.
* Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velle- v. 20.
ribus ovium mearum calefactus est. * Si levavi su- v. 21.
per pupillum manum meam, etiam cùm viderem
me superiorem in portis. *Et post quinque versus:* * Si v. 24.
putavi aurum robur meum, & obryzo dixi, Fidu-
cia mea. * Si lætatus sum super multas divitias meas, v. 25.
& quia plurima reperit manus mea. *Et post sex ver-*
sus: * Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, v. 29.
& exsultavi quòd invenisset eum malum. *Et post*
quatuor versus: * Foris non mansit peregrinus, v. 32.
ostium meum viatori patuit. * Si abscondi quasi ho- v. 33.
mo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniqui-
tatem meam. * Si expavi ad multitudinem nimiam, v. 34.
& despectio propinquorum terruit me: & non ma-
gis tacui, nec egressus sum ostium. * Quis mihi tri- v. 35.
buat auditorem, ut desiderium meum omnipotens
audiat, & librum scribat ipse qui judicat: * ut in v. 36.
humero meo portem illum, & [g] circumdem quasi g
coronam mihi? * Per singulos gradus meos pronun- v. 37.
tiabo illum, & quasi [h] principi offeram eum. * Si h
adversùm me terra mea clamat, & cum ipsa sulci v. 38.
ejus deflent. * Si fructus ejus comedi absque pecu- v. 39.
nia, & animam agricolarum afflixi.

Nunc jam de libris Prophetarum quæ sunt huic ope-
ri necessaria colligamus. Ac primùm de his Prophetis,
qui propter brevitatem voluminum suorum Minores vo-
cantur. Ergo apud Osee prophetam ista comperimus.

De Libro Osee.

AUdite verbum Domini filij Israël, quia judi- Osee 4. v. 1.
cium Domino cum habitatoribus terræ. Non
est enim veritas, & non est misericordia, & non est
scientia Dei in terra. * Maledictum & mendacium v. 2.
& homicidium & furtum & adulterium inundave-
runt, & sanguis sanguinem tetigit. *Et post duodecim*
versus: * Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne v. 6.
sacerdotio fungaris mihi. *Et post quindecim versus:*
* Quoniam Dominum reliquerunt in non custo- v. 10.
diendo. * Fornicatio, & vinum, & ebrietas aufert cor.
Et post septemdecim versus: * Quoniam ipsi cum me- v. 14.
retricibus versabantur, & cum effeminatis sacrifi-
cabant. Et populus non intelligens vapulabit. * Si v. 15.

a Istud & alterum proximè subjectum testimonium juxta LXX. reliqua verò juxta Vulgatam profert.
b MSS. *levare.*
c Sic Vulgata in editis. At in MSS. Bibliis Corb. *poterunt:* apud LXX. ὕδωρ πολὺ οὐ δυνήσεται.
d MSS. duo, *despicient.*
e Legendum ut in melioribus Bib. *si secutum est oculos meos cor meum.*
f Regius codex, *Et post* VI. *versus.*
g MSS. omittunt, *& circumdem.*
h MS. Regius, *principem.*

fornicaris tu Israël, non delinquat saltem Juda. Et
nolite ingredi in Galgala; & ne adscendatis in Be-
thave; neque juraveritis, Vivit Dominus. *Et post*
a [a] *aliquot versus:* * Non dabunt cogitationes suas, ut
Osee 5. v. 4. revertantur ad Dominum Deum suum; quia spiri-
tus fornicationis in medio eorum; & Dominum non
Osee 6. v. 5. cognoverunt. *Et post sexaginta & unum versus:* * Ju-
v. 6. dicia tua quasi lux egredientur. * Quia misericor-
diam volui & non sacrificium, & scientiam Dei
Osee 10. v. 12. plus quàm holocausta. *Et post aliquantum:* * Semi-
nate vobis in justitia, & metite in ore misericordiæ:
innovate vobis novale. Tempus autem requirendi
Dominum, cùm venerit qui docebit vos justitiam.
Osee 12. v. 6. *Et post septuaginta-octo versus:* * Et tu ad Dominum
b Deum [b] converteris: misericordiam & judicium
custodi; & spera in Domino Deo tuo semper. *Et*
Osee 13. v. 4. *post quinquaginta & unum versus:* * Ego autem Do-
minus Deus tuus [c] eduxi te de terra Ægypti; &
c Dominum absque me nescies; & Salvator non est
Osee 14. v. 2. præter me. *Et post triginta-novem versus:* * Conver-
tere Israël ad Dominum Deum tuum; quoniam
v. 3. corruisti in iniquitate tua. * Tollite vobiscum verba,
& convertimini ad Dominum: dicite ei, Omnem
iniquitatem aufer, & accipe bonum, & reddemus
vitulos labiorum nostrorum.

De Libro Joel.

Joel 1. v. 5. EXPERGISCIMINI ebrij, & flete, & ulu-
late omnes, qui bibitis vinum in dulcedine;
v. 6. quoniam periit ab ore vestro. * Gens enim adscen-
dit super terram meam fortis & innumerabilis. *Et*
Joel. 2. v. 12. *post aliquantum:* * Nunc ergo dicit Dominus, Con-
vertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio &
v. 13. in fletu, & in planctu: * & scindite corda vestra, &
non vestimenta vestra: & convertimini ad Domi-
num Deum vestrum; quia benignus & misericors
est.

De Libro Amos.

Amos 2. v. 4. HÆC dicit Dominus, Super tribus sceleribus
Juda, & super quatuor non convertam eum;
eo quòd abjecerint legem Domini, & mandata
ejus non custodierint. Deceperunt enim eos idola
sua, post quæ abierunt patres eorum. *Et post duos*
v. 6. *versus:* * Hæc dicit Dominus, Super tribus sceleri-
bus Israël, & super quatuor non convertam eum;
pro eo quòd vendiderint pro argento justum, &
v. 7. pauperem pro calceamentis. * Qui conterunt super
pulverem terræ capita pauperum, & viam humi-
lium declinant. Et filius ac pater ejus ierunt ad puel-
lam, ut violarent nomen sanctum meum. *Et post*
v. 8. *unum versum:* * Et vinum, *inquit*, damnatorum bi-
Amos 5. v. 4. bebant in domo Dei sui. *Et aliquantò pòst:* * Quia
hæc dicit Dominus domui Israël, Quærite me, &
v. 6. vivetis. *Et post tres versus:* * Quærite Dominum, &
v. 10. vivite. *Et post octo versus:* * Odio habuerunt in por-
ta corripientem, & loquentem perfectè abominati
v. 11. sunt. * Idcirco pro eo quòd diripiebatis pauperem,
& prædam electam tollebatis ab eo. *Et post tres ver-*
v. 12. *sus:* * Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia
peccata vestra. Hostes justi, accipientes munus, &
pauperes in porta deprimentes. *Et post duos versus:*
v. 14. * Quærite bonum & non malum, ut vivatis; & erit
Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixi-
v. 15. stis. * Odite malum, & diligite bonum, & consti-
tuite in porta judicium; si fortè misereatur Domi-
nus exercituum reliquiis Joseph. *Et post aliquot ver-*
sus: * Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in Amos 6. v. 4.
stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, &
vitulum de medio armenti. * Qui canitis ad vocem v. 5.
psalterij: sicut David putaverunt se habere vasa
cantici: * bibentes in phialis vinum, & optimo un- v. 6.
guento delibuti, & nihil patiebantur super contri-
tione Joseph. *Et post aliquantum:* * Audite hoc qui Amos 8. v. 4.
conteritis pauperem, & deficere facitis egenos ter-
ræ, * dicentes, Quando transibit [d] messis, & ve- v. 5. d
numdabimus merces; & sabbatum, & aperiemus
frumentum: ut minuamus mensuram, & augeamus
siclum, & supponamus stateras dolosas: * ut possi- v. 6.
deamus in argento egenos & pauperes pro calcea-
mentis, & quisquilias frumenti vendamus.

De Libro Michææ.

VÆ qui cogitatis inutile, & operamini malum Mich. 2. v. 1.
in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt
illud; quoniam contra Deum manus eorum. * Et v. 2.
concupierunt agros, & violenter tulerunt, & do-
mos rapuerunt, & calumniabantur virum & do-
mum ejus, virum & hereditatem ejus. *Et post ali-*
quantum: * Audite hæc principes domus Jacob, & Mich. 3. v. 9.
judices domus Israël, qui abominamini judicium,
& omnia recta pervertitis. * Qui ædificatis Sion in v. 10.
sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate. * Principes v. 11.
ejus in muneribus judicabant; & sacerdotes ejus in
mercede docebant; & prophetæ ejus in pecunia
divinabant, & super Dominum requiescebant, di-
centes, Numquid non Deus in medio nostrûm?
Non venient super nos mala. *Et post aliquantum:*
* Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Mich. 6. v. 8.
Dominus quærat à te: utique facere judicium, &
diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum
Deo tuo. *Et post tres versus:* * Adhuc ignis in domo v. 10.
impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ
plena. * Numquid justificabo stateram impiam, & v. 11.
saccelli pondera dolosa? * In quibus divites ejus re- v. 12.
pleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loqueban-
tur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore
eorum. *Et post duodecim versus:* * Væ mihi, quia fa- Mich. 7. v. 1.
ctus sum sicut qui colligit in autumno racemos vin-
demiæ. Non est botrus ad comedendum, præco-
quas ficus desideravit anima mea. * Periit sanctus de v. 2.
terra, & rectus in hominibus non est: omnes in san-
guine insidiantur; vir fratrem suum venatur ad mor-
tem: * malum manuum suarum dicunt bonum. v. 3.
Princeps postulat, & judex in reddendo est, & ma-
gnus locutus est desiderium animæ suæ.

De Libro Habacuc.

CONTRA me factum est judicium, & con- Habac. 1. v. 3.
tradictio potentior. * Propter hoc lacerata est v. 4.
lex, & non pervenit usque ad finem judicium: quia
impius prævalet adversùs justum, propterea egre-
ditur judicium perversum. *Et paulò pòst:* * Justus au- Habac. 2. v. 4.
tem in fide sua vivet. * Et quomodo vinum potan- v. 5.
tem decipit, sic erit vir superbus, & non decora-
bitur. *Et post aliquantum:* * Quid prodest sculptile, v. 18.
quia illud sculpsit fictor suus conflatile & imagi-
nem falsam; quia speravit in figmento fictor ejus, ut
faceret simulacra muta? * Væ qui dicit ligno, Ex- v. 19.
pergiscere; surge, lapidi tacenti. Numquid ipse do-

a Reg. MS. *Et post* VIII. *versus.*
b Reg. MSS. *convertere.*
c Vulgata, *Deus tuus ex terra Ægypti:* prætermisso, *eduxi te;* quod ex LXX. acceptum est.
d In sacris Bibliis, *mensis.*

cere poterit? Ecce iste coopertus est auro & argen-
v. 20. to, & omnis spiritus non est in visceribus ejus. * Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie ejus omnis terra.

De Libro Sophoniæ.

Soph. 1. v. 4. DISPERDAM, *inquit*, de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditurorum cum sacerdoti-
v. 5. bus; * & eos qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Mel-
v. 6. chom; * & qui avertuntur de post tergum Domini; & qui non quæsierunt Dominum, nec investigave-
v. 7. runt eum. * Silete à facie Domini; quia juxta est
v. 12. dies Domini. *Et post sexdecim versus:* * Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis, Non faciet bene Dominus, & non faciet malè. *Et post* [a] *aliquot versus:* * Conve-
Soph. 2. v. 1. nite, congregamini gens non amabilis, * priusquam
v. 2. pariat justio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, ante-
v. 3. quam veniat super vos dies furoris Domini. * Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati. Quærite justum, quærite mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris
Soph. 3. v. 12. Domini. *Et post aliquantum:* * Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum; & spe-
v. 13. rabunt in nomine Domini * reliquiæ Israël: non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa.

De Libro Zachariæ.

Zach. 5. v. 3. CUM *de volumine loquereturr, quod vidit in spiritu:* * Et dixit ad me, Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur,
v. 4. sicut ibi scriptum est, judicabitur, & omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur. * Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eum, & ligna ejus, & lapides ejus. *Et post ali-*
Zach. 7. v. 8. *quantum:* * Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens, * Hæc ait Dominus exercituum
v. 9. dicens, Judicium verum judicate, & misericordiam & miserationes facite unusquisque cum fratre suo:
v. 10. * & viduam & pupillum & advenam & pauperem nolite calumniari, & malum vir fratri suo non cogi-
Zach. 8. v. 16. tet in corde suo. *Item post aliquantum:* * Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: veritatem
v. 17. & judicium pacis judicate in portis vestris: * & unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.

De Libro Malachiæ.

Malach. 1. v. 6. FILIUS honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus,
Malach. 2. v. 9. dicit Dominus exercituum? *Et paulò pòst:* * Ego dedi vos contemtibiles & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem
v. 10. in Lege. * Numquid non pater unus omnium nostrûm? Numquid non Deus unus creavit nos?

A Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? * Transgressus
v. 11. est Judas, & abominatio facta est in Israël, & in Jerusalem; quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, & habuit filiam dei alieni. * Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc,
v. 12. magistrum & discipulum de tabernaculis Jacob, & offerentem munus Domino exercituum. * Et hoc
v. 13. rursum fecistis: operiebatis lacrymis altare Domini, fletu & mugitu; ita ut ultrà non respiciam ad
B sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. * Et dixistis, Quam ob caussam? quia Do-
v. 14. minus testificatus est inter te & uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: & hæc particeps tua & uxor fœderis tui. * Nonne unus fecit, & residuum
v. 15. spiritus ejus? Et quid [b] unusquisque quærit, nisi b semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. * Cùm
v. 16. odio habueris eam, dimitte, dicit Dominus Deus Israël: operiet autem iniquitas vestimentum ejus,
C dicit Dominus exercituum. Custodite spiritum vestrum, & nolite despicere. * Laborare fecistis Do-
v. 17. minum in sermonibus vestris, & dixistis, In quo eum fecimus laborare? In eo cùm diceretis, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent, aut certè ubi est dies judicij? *Et post quindecim versus*, * Et accedam ad vos, *in-* Malach. 3.
quit, in judicio, & ero testis velox maleficis & adul- v. 5.
teris & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, [c] viduas & pupillos, & opprimunt pe- c
D regrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. * Ego enim Dominus, & non mutor;
v. 6. & vos filij Jacob non estis consumti. * A diebus enim
v. 7. patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. *Et post quindecim*
versus: * Invaluerunt super me verba vestra, dicit
v. 13. Dominus: * Et dixistis, Quid locuti sumus? [d] Di- d
v. 14. xistis, Vanus est qui servit Deo: & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, & quia
E ambulavimus tristes coram Domino exercituum? * Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem
v. 15. ædificati sunt facientes [e] iniquitatem, & tentave- e
v. 16. runt Deum, & salvi facti sunt. * Tunc locuti sunt timentes Deum, unusquisque cum proximo suo. Et adtendit Dominus, & audivit, & scriptus est liber monumenti coram eo, timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus: * & erunt mihi, ait Do-
v. 17. minus exercituum, in die qua ego facio, in peculium; & parcam eis, sicut parcit vir filio suo ser-
F vienti sibi. * [f] Et convertimini & videbitis quid sit
v. 18. inter justum & impium, & inter servientem Deo & f
non servientem ei. * Ecce enim dies veniet succensa Malach. 4.
v. 1. quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem, stipula; & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem & germen. * Orietur vobis ti-
v. 2. mentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento: * & calcabitis impios, cùm fuerint cinis
v. 3. G sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

[a] MS. Regius, *Et post* XVIII. *versus.*
[b] Vulgata versio, *Et quid unus quærit* &c. LXX. autem, *Quid aliud præter semen quærit Deus?*
[c] Sic MSS. juxta Vulgatam. At editi, *& humiliant viduas.*
[d] In sacris Bibliis additur, *contra te.*
[e] Hic & paulò infrà loco, *iniquitatem*, habetur in sacris Bibliis *impietatem.*
[f] Sacra Biblia, *convertemini.*

De libro Isaiæ.

Isa. 1. v. 16 LAVAMINI, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.
v. 17. Quiescite perversè agere, * discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo,
v. 18. defendite viduam: * & venite & arguite me, dicit
v. 22. Dominus. *Et post octo versus:* * Argentum tuum versum est in scoriam; vinum tuum mixtum est
v. 23. aquâ. * Principes tui socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & caussa viduæ non ingreditur ad eos. *Et*
[1] Isa. 2. v. 5. *paulò pòst:* * Domus Jacob venite ambulemus in lu-
v. 6. mine Domini. * Projecisti enim populum tuum, domum Jacob; quia repleti sunt ut olim, & augures habuerunt ut Philistiim, & pueris alienis ad-
v. 8. hæserunt. *Et post tres versus:* * Repleta est terra ejus idolis; opus manuum suarum adoraverunt, quod
v. 12. fecerunt digiti eorum. *Et post quinque versus:* * Quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & hu-
[1] Isa. 3. v. 12. miliabitur. *Et paulò pòst:* * Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eis. Populè meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Et post*
v. 14. *aliquos versus:* * Vos enim depasti estis vineam meam,
v. 15. rapina pauperis in domo vestra. * Quare adteritis populum meum, & facies pauperum commolitis,
v. 16. dicit Dominus exercituum? * Et dixit Dominus, Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & D plaudebant, ambulabant, & in pedibus suis
Isa. 5. v. 8. composito gradu incedebant. *Et paulò pòst:* * Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum ad
a agrum copulatis usque ad [a] extremum loci, (ut auferatis proximo: *Symmachus & Theodotion*, donec deficiat, *vel* non sit locus, *transtulerunt.*) numquid
v. 9. habitabitis vos soli in medio terræ? * In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. *Et post*
v. 11. *tres versus:* * Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, E
v. 12. ut vino æstuetis. * Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consi-
v. 20. deratis. *Et post septemdecim versus:* * Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes ama-
v. 21. rum in dulce, & dulce in amarum. * Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis
v. 22. prudentes. * Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. F
v. 23. * Qui justificatis impium pro muneribus, & justi-
Isa. 10. v. 1. tiam justi aufertis ab eo. *Et aliquantò pòst:* * Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam
v. 2. scripserunt, * ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent caussæ humilium populi mei; ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.
Isa. 11. v. 2. *Et post paululum:* * Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis,
v. 3. * & replebit eum spiritus timoris Domini. Non se- G cundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet: * sed judicabit in judicio pauperes, & arguet in æquitate pro man-

A suetis terræ: & percutiet terram virgâ ori sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium: * Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cin-
ctorium renum ejus. *Et post sexaginta versus:* * Ecce Isa. 12. v. 2.
Deus salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Quia fortitudo mea & laus mea Dominus Deus, & factus est mihi in salutem. * Hauritis v. 3.
aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: * & dicetis v. 4.
in illa die, Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones
B ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus. * Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, v. 5.
annuntiate hoc in universa terra. * Exsulta, & lau- v. 6.
da habitatio Sion; quia magnus in medio tui sanctus Israël. *Et post quadraginta versus:* * Et quiesce- Isa. 13. v. 11.
re faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. *Item post aliquantum:* * Dicit Do- Isa. 17. v. 6.
minus Deus Israël: * In die illa inclinabitur homo v. 7.
ad factorem suum, & oculi ejus ad sanctum Israël respicient: * & non inclinabitur ad altaria, quæ fe- v. 8.
C cerunt manus ejus, & quæ operati sunt digiti ejus; non respiciet lucos, & delubra. *Et post aliquantum,*
* Vocabit, *inquit*, Dominus Deus exercituum in Isa. 22. v. 12.
die illa ad fletum & ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum sacci. * Et ecce gaudium & lætitia v. 13.
occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & biba-
mus; cras enim moriemur. * Et revelata est in au- v. 14.
ribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Do-
minus Deus exercituum. *Item post aliquantum:* * A- Isa. 26. v. 2.
perite portas, & ingrediatur gens justa, custodiens
veritatem. * Vetus error abiit, servabis pacem; pa- v. 3.
cem, quia in te speravimus. * Speraستis in Domino v. 4.
in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. *Et post sex versus:* * In semita judiciorum tuo- v. 8.
rum Domine sustinuimus te; nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. * Anima mea de- v. 9.
sideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te. Cùm feceris ju-
D dicia tua in terra, justitiam discent habitatores ter-
ræ. * Misereamur impio, & non discet facere justi- v. 10.
tiam. In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dei. *Et post aliquantum:* * Defecit Isa. 29. v.
qui prævalebat, consummatus est illusor, & succisi 20.
sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, * qui v. 21.
peccare faciebant homines in verbo. *Et post decem*
versus: Væ filij desertores, dicit Dominus, ut fa- Isa. 30. v.
ceretis consilium, & non ex me; & ordiremini te- 1.
lam, & non per spiritum meum; ut adderetur pec-
catum super peccatum. *Et paulò pòst:* * Hæc dicit v. 15.
F Dominus Deus sanctus Israël, Si revertamini &
quiescatis, salvi eritis. In silentio & in spe erit fortitudo vestra: & noluistis. *Et post viginti versus:*
* Contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & v. 22.
vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. *Et post aliquantum:*
* Convertimini, sicut in profundum recesseratis Isa. 31. v. 6.
filij Israël. * In die enim illa abjiciet vir idola argen- v. 7.
ti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus
vestræ in peccatum. *Item post aliquantum:* * Et erit Isa. 33. v. 6.
G fides in temporibus tuis, divitiæ salutis sapientia & scientia, timor Domini ipse thesaurus ejus. *Et paulò pòst:* * Quis poterit habitare de vobis cum igne v. 14.

[a] Regius MS. *usque ad terminos loci:* Vulgata verò, *usque ad terminum loci* Deinde ille idem codex cum Vulgata pariter carer his verbis, *ut auferatis proximo:* quæ quidem verba ex LXX. non absque exscriptoris lapsu adjecta sunt: & fas est opinari adnotatiunculam hîc sive ab Augustino, sive ab alio insertam fuisse ex Commentariis Hieronymi, qui nimirum ad hunc locum id observat, *Pro eo*, ait, *quod nos diximus usque ad terminum loci*, LXX. *transtulerunt* ἕως ἂν πλησίον ἀφέλωνται, *id est*, (*ut auferant aliquid proximo*;) *Symmachus & Theodotio* (*donec deficiat*) *vel* (*non sit locus*;) *ut deficiente terrâ nequaquam satiretur avaritia.*

devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus A
v. 15. sempiternis? * Qui ambulat in justitiis, & loquitur
a veritatem: qui projicit avaritiam [a] & calùmniam,
& excutit manus suas ab omni munere: qui obturat
aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos
v. 16. suos ne videat [b] omne malum. * Iste in excelsis ha-
b bitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus. Panis
ei datus est, & aquæ ejus fideles sunt. *Et post ali-*
Isa. 44. v. 21. *quantum:* * Memento horum Jacob & Israël, quo-
niam servus meus es tu: formavi te, servus meus es
v. 22. tu Israël, ne obliviscaris mei. * Delevi ut nubem B
iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: re-
vertere ad me, quoniam redemi te. *Item post ali-*
Isa. 46. v. 8. *quantum:* * Mementote istud, & confundamini,
redite prævaricatores ad cor. * Recordamini prioris
sæculi; quoniam ego Deus, & non est ultrà Deus,
Isa. 50. v. 10. nec est similis mei. *Et aliquantò pòst:* * [c] Quis am-
c bulavit in tenebris, & non est lumen ei? Speret in
nomine Domini, & innitatur super Deum suum.
Isa. 51. v. 7. *Item post aliquantum:* * Audite me qui scitis justum,
d populus, [d] lex mea in corde eorum. Nolite timere C
opprobria hominum, & blasphemias eorum ne ti-
v. 8. meatis. * Sicut enim vestimentum, sic comedet eos
vermis; & sicut lanam, sic devorabit eos tinea: sa-
lus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea
in generationes generationum. *Et post aliquantum:*
Isa. 55. v. 6. * Quærite Dominum dum inveniri potest, invoca-
v. 7. te eum dum propè est. * Derelinquat impius viam
suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertat-
ur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum
nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. *Et* D
Isa. 56. v. 1. *post viginti versus:* * Hæc dicit Dominus, Custo-
dite judicium, & facite justitiam, quia juxta est sa-
v. 2. lus mea ut veniat, & justitia mea ut reveletur. * Bea-
tus vir qui facit hoc, & filius hominis qui appre-
hendit istud: custodiens sabbatum ne polluat illud,
custodiens manus suas ne faciat omne malum. *Et*
Isa. 57. v. 5. *post non multum:* * Qui consolamini in diis subter
omne lignum frondosum, immolantes parvulos in
v. 6. torrentibus, subter [e] eminentes petras. * In parti-
e bus torrentis pars tua. Hæc est sors tua: & ipsis [f] ob- E
f tulisti libamen, obtulisti sacrificium. Numquid su-
Isa. 58 v. 2. per his non indignabor? *Item post aliquantum:* * Me
etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas
volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, & quæ
judicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me ju-
v. 3. dicia justitiæ, appropinquare Deo volunt. * Quare
jejunavimus, & non adspexisti; humiliavimus ani-
mas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunij vestri
invenietur voluntas vestra, & omnes debitores ve-
v. 4. stros repetitis. * Ecce ad lites & contentiones jeju- F
natis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare
sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso
v. 5. clamor vester. * Numquid tale est jejunium, quod
elegi, per diem affligere hominem animam suam?
Numquid contorquere quasi circulum caput suum,
& saccum & cinerem sternere? Numquid istud vo-
cabis jejunium & diem acceptabilem Domino?
v. 6. * Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dis-
solve colligationes impietatis, solve fasciculos de-
primentes. Dimitte eos qui confracti sunt liberos, G
v. 7. & omne onus disrumpe. * Frange esurienti panem
tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam:
cùm videris nudum, vesti eum, & carnem tuam ne
despexeris. *Et post* [g] *quatuor versus:* * Si abstuleris v. 9.
de medio tui catenam, & desieris digitum extende-
re, & loqui quod non prodest: * cùm effuderis esu- v. 10.
rienti animam tuam, & animam afflictam repleve-
ris; orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ
erunt sicut meridies: * & requiem tibi dabit Domi- v. 11.
nus semper. *Et post multa:* * Populus qui ad iracun- Isa. 65. v. 3.
diam provocant me, ante faciem meam semper;
qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres, B
* qui habitant in sepulcris & in delubris idolorum v. 4.
dormiunt. *Et post duos versus:* * Qui dicunt, Re- v. 5.
cede à me, non appropinques mihi, quia immun-
dus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens
tota die. * Ecce scriptum est coram me: non tace- v. 6.
bo, sed reddam, & retribuam in sinu eorum, * ini- v. 7.
quitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum
simul, dicit Dominus. Qui sacrificaverunt super
montes & super colles, exprobraverunt mihi, &
remetiar opus eorum primum in sinu eorum. *Et post*
decem versus, * Et vos, *inquit*, qui dereliquistis Do- v. 11.
minum, qui obliti estis montem sanctum meum,
qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam:
* numerabo vos in gladio, & omnes in cæde cor- v. 12.
ruetis; pro eo quod vocavi vos, & non respondi-
stis, locutus sum, & non adtendistis: & faciebatis
malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. *Et pau-*
lò pòst: * Hæc dicit Dominus, Cælum sedes mea, & Isa. 66. v. 1.
terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista do-
mus, quam ædificabitis mihi, & quis iste locus quie-
tis meæ? * Omnia hæc manus mea fecit, & facta v. 2.
sunt universa ista, dicit dominus. Ad quem autem
respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spi-
ritu, & trementem sermones meos? *Et post sex ver-*
sus: * Ego illusiones eorum eligam, & quæ time- v. 4.
bant adducam eis: quia vocavi, & non erat qui res-
ponderet; locutus sum, & non audierunt; fece-
runtque malum in oculis meis, & quæ nolui elege-
runt. * Audite legem Domini, qui tremitis ad ver- v. 5.
bum ejus. Dixerunt fratres vestri odientes vos &
abjicientes propter nomen meum, Glorificetur
Dominus, & videbimus in lætitia vestra, ipsi au-
tem confundentur.

De Libro Jeremiæ.

AUDITE verbum Domini domus Jacob, & Jerem. 2. v.
omnes cognationes domus Israël. * Hæc dicit 4.
Dominus, Quid invenerunt patres vestri in me ini- v. 5.
quitatis, quia elongaverunt à me, & ambulave-
runt post vanitatem, & vani facti sunt? *Et post de-*
cem versus: * Hereditatem meam posuistis in abo- v. 7.
minationem. * Sacerdotes non dixerunt, ubi est v. 8.
Dominus? Et tenentes legem nescierunt me, &
pastores prævaricati sunt in me, & prophetæ pro-
phetaverunt in Baal, & idola secuti sunt. *Et paulò*
pòst: * Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, v. 32.
aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus verò meus
oblitus est mei diebus innumeris. * Quid niteris bo- v. 33.
nam ostendere viam tuam ad quærendam dilectio-
nem, quæ in super & malitias tuas docuisti vias tuas:
* & in alis tuis inventus est sanguis animarum pau- v. 34.

[a] Vulgata versio, *ex calumnia:* Syriaca & Arabica, *& oppressionem:* LXX. *& iniquitatem.*
[b] Abest *omne* à sacro textu in Bibliis.
[c] Sacra Biblia. *Qui ambulavit:* idque Hieronymus de Christo interpretatur; *qui non habuit speciem*, iniquit, *nec gloriam, sed in similitudine carnis peccatricis suscepit formam servi.* Attamen Augustinus videtur legisse, *Quis ambulavit*, ac de homine in peccatorum suorum tenebris agente intellexisse.
[d] Vulgata, *populus meus.* Abest *meus* ab Hebræo & ab antiquis Bibliis Corbeiensib. necnon ab ediris omnibus & MSS. hujus operis.
[e] Editi, *immimentes.* At MSS. juxta Vulgatam, *eminentes.*
[f] Vulgata, *effudisti libamen.*
[g] Regius MS. *post* III. Editi, *post quartus:* fortè pro, *post quatuor.* Sic aliquantò infrà ubi nunc legitur, *Et post sex versus:* editi habebant, *Et post sextus versus:* MS. Reg. *Et post* VII.

perum & innocentum? Non in fossis inveni eos, sed A
v. 35. in omnibus quæ suprà memoravi. * Et dixisti, Abs-
que peccato & innocens ego sum, & propterea a-
vertatur furor tuus à me. Ecce ego judicio conten-
v. 36. dam tecum, eo quòd dixeris, non peccavi. * Quàm
vilis es facta nimis, iterans vias tuas, & ab Ægypto
v. 37. confundêris, sicut confusa es ab Assur. * Nam &
ab ista egredieris, & manus tuæ erunt super caput
tuum; quoniam obtrivit Dominus confidentiam
Jerem. 3. v. 14. tuam. *Et paulò pòst:* * Convertimini filij revertên-
tes, dicit Dominus, quia ego vir vester. *Item pau-* B
Jerem. 4. v. 1. *lò pòst:* * Si [a] converteris Israël, ait Dominus, ad
a me convertere. Si abstuleris offendicula tua à facie
v. 2. mea, non commoveberis. * Et jurabis, Vivit Domi-
nus, in veritate, & in judicio, & in justitia; & be-
nedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. *Et pau-*
v. 22. *lò pòst:* * Stultus populus meus me non cognovit:
filij insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt ut
faciant mala; bene autem facere nescierunt. *Et post*
Jerem. 5. v. 1. *triginta versus:* * Circuite vias Jerusalem, & adspi-
cite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an
inveniatis virum facientem judicium, & quærentem
v. 2. fidem, & propitius ero ei. * Quòd si etiam, Vivit
v. 3. Dominus, dixerint, & hoc falsò jurabunt. * Do-
mine, oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos, &
non doluerunt: adtrivisti eos, & renuerunt accipe-
re disciplinam: induraverunt facies suas super pe-
v. 4. tram, noluerunt reverti. * Ego autem dixi, Forsi-
tan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Do-
v. 5. mini, judicium Dei sui. * Ibo igitur ad optimates, & D
loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, ju-
dicium Dei sui: & ecce magis hi simul confregerunt
v. 7. jugum, ruperunt vincula. *Et post sex versus:* * Filij
tui dereliquerunt me, & jurant in iis qui non sunt
dij. Saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo me-
v. 8. retricis luxuriabantur. * Equi amatores, & admis-
sarij facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui
hinniebant. Numquid super his non visitabo, dicit
Dominus; & in gente tali non ulciscetur manus
v. 22. mea? *Et post quadraginta versus:* * Qui posui arenam
terminum mari, præceptum sempiternum quod E
non præteribit; & commovebuntur, & non pote-
runt, & intumescent fluctus ejus, & non transi-
v. 23. bunt illud. * Populo autem huic factum est cor in-
credulum, & exasperans: recesserunt, & abierunt:
v. 24. * & non dixerunt in corde suo, Metuamus Domi-
b num Deum nostrum. *Et post* [b] *paucos versus,* * In-
v. 26. venti sunt, *inquit*, in populo meo impij, insidiantes
quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad ca-
v. 27. piendos viros. * Sicut decipula plena avibus, sic do-
mus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt & F
v. 28. dilatati; * incrassati sunt & impinguati; & præte-
c rierunt sermones meos pessimè. [c] Caussam pupilli
non dixerunt, & judicium pauperum non judica-
v. 29. verunt. * Numquid super his non visitabo, dicit Do-
minus, aut super gentem hujuscemodi non ulcisce-
v. 30. tur anima mea? * [d] Stupor & mirabilia facta sunt in
d terra. * Prophetæ propherabant mendacium, &
v. 31. sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus
meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus?
Et post triginta versus: * Cui loquar, & quem con- Jerem. 6. v. 10.
testabor, ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eo-
rum, & audire non possunt: ecce verbum Domini
factum est illis in opprobrium, & non suscipiunt il-
lud. *Et paulò pòst:* * Audite verbum Domini omnis Jerem. 7. v. 2.
Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis
Dominum. * Hæc dicit Dominus exercituum Deus v. 3.
Israël, Bonas facite vias vestras & studia vestra, &
habitabo vobiscum in loco isto. * Nolite confidere v. 4.
in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, B
templum Domini, templum Domini est. * Quo- v. 5.
niam si bene direxeritis vias vestras & studia vestra,
si feceritis judicium inter virum & proximum ejus,
* advenæ & pupillo & viduæ non feceritis calum- v. 6.
niam, nec sanguinem innocentem effuderitis in lo-
co hoc, & post deos alienos non ambulaveritis in
malum vobismetipsis; * habitabo vobiscum in loco v. 7.
isto, in terra quam dedi patribus vestris, à sæculo
usque in sæculum. * Ecce vos confiditis vobis in ser- v. 8.
monibus mendacij, qui non proderunt vobis, * fu- C v. 9.
rari, occidere, adulterare, jurare mendaciter, li-
bare Baalim, & ire post deos alienos, quos ignora-
tis. * Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, v. 10.
in qua invocatum est nomen meum; & dixistis, Li-
berati sumus, eo quòd fecerimus omnes abomina-
tiones istas. * Ergo [c] spelunca latronum facta est v. 11.
domus ista, in qua invocatum est nomen meum in c
oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Domi-
nus. * Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit v. 12.
nomen meum à principio, & videte, quæ fecerim
ei propter malitiam populi mei Israël. * Et nunc v. 13.
quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, &
locutus sum ad vos, manè consurgens & loquens,
& non audistis; & vocavi, & non respondistis: * fa- v. 14.
ciam domui huic, in qua invocatum est nomen
meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco quem
dedi patribus vestris, sicut feci Silo: * & projiciam v. 15.
vos à facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros
universum semen Ephraïm. * Tu ergo noli orare pro v. 16.
E populo hoc, nec assumas pro eis laudem & oratio-
nem, & non obsistas mihi; quia non exaudiam te.
* Nonne vides quid isti faciant in civitatibus Juda, v. 17.
& in plateis Jerusalem? * Filij colligunt ligna, & pa- v. 18.
tres succendunt ignem, & mulieres conspergunt
adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, & libent
diis alienis, & me ad iracundiam provocent. * Num- v. 19.
quid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus?
nonne semetipsos in confusione vultus sui? *Et pau-*
lò pòst: * Numquid qui cadit, non resurget; & qui Jerem. 8. v. 4.
F aversus est, non revertetur? * Quare ergo aversus v. 5.
est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa?
Apprehenderunt mendacium, & noluerunt rever-
ti. * Adtendi, & auscultavi; nemo quod bonum est v. 6.
loquitur: nullus est qui agat pænitentiam super pec-
cato suo, dicens Quid feci? *Et post novem versus:*
* Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex v. 8.
Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus
est stilus mendax scribarum. * Confusi sunt sapien- v. 9.

[a] Vulgata nunc, *reverteris:* at in antiquis Bibliis Corb. uti hic, *converteris.*
[b] MS. Regius *Et post* VII. *versus.*
[c] Vulgata, *Caussam viduæ non judicaverunt, caussam pupilli non direxerunt.* Sic etiam Hieronymus, nisi quòd ipse omittit vocem *viduæ*; quæ vox nec est in Hebræo, & à secunda manu addita fuit in antiquis Bibliis Corb.
[d] Hic in Regio MS. inseruntur isthæc verba: *Tunc exponit quod suprà dixerat, Ibo ad optimates & loquar eis; forsitan ipsi cognoverunt viam Domini: & ecce magis ij pariter confregerunt jugum, ruperunt vincula. Nunc describit, qui sint optimates, prophetæ videlicet & sacerdotes, quorum alij futura prædicunt, alij facienda ex Lege decernunt. Et ecce, inquit, illis mendacium prophetantibus sacerdotes manibus applauserunt. Et ut ostendatur populus non esse sine culpa, qui à talibus abducuntur, scriptum est, Et populus meus dilexit talia. quondam meus, sed postquam dilexit talia meus esse desinit. Quid igitur facient, cùm novissimum tempus judicij advenerit, sive captivitatis necessitas? unde stupor & mirabilia facta sunt; quin nec in principibus, nec in populo inventus sit, qui vera sentiret.* Excerpta hæc sunt ex Hieronymi in Jeremiam Commentario.
[e] Vulgata, *Numquid ergo spelunca.*

tes, perterriti & capti ſunt. Verbum enim Domini projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. *Et paulò*
Jerem. 9. v. 2. *pòſt* : * Quis dabit me in ſolitudine diverſorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri ſunt & cœtus præ-
v. 3. varicatorum: * & extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis: confortati ſunt in terra, quia de malo ad malum egreſſi ſunt, & me
v. 4. non cognoverunt, dicit Dominus. * Unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplan-
B tans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter
v. 5. incedet; * & vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium, ut iniquè agerent laboraverunt.
v. 6. * Habitatio tua in medio doli. In dolo renuerunt
v. 7. ſcire me, dicit Dominus. * Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Ecce ego conflabo, & probabo eos. Quid enim aliud faciam à facie filiæ po-
v. 8. puli mei? * Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt in ore ſuo: pacem cum amico ſuo loqui-
C
v. 9. tur, & occultè ponit inſidias. * Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus: aut in gente tali non
v. 23. ulciſcetur anima mea? *Et paulò pòſt* : * Hæc dicit Dominus, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non
v. 24. glorietur dives in divitiis ſuis: * ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & judicium & ju-
ſtitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Do-
Jerem. 10. v. 2. minus. *Et poſt ſexdecim verſus* : * Hæc dicit Domi-
D
nus, Juxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis
v. 3. cæli nolite metuere quæ timent gentes: * quia leges populorum vanæ ſunt. Quia lignum de ſaltu præci-
v. 4. dit opus manus artificis in aſcia: * argento & auro decoravit illud; clavis & malleis compegit, ut non
v. 5. diſſolvatur. * In ſimilitudinem palmæ fabricata ſunt, & non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec malè
v. 6. poſſunt facere; nec bene. * Non eſt ſimilis tui Domine, magnus es tu, & magnum nomen tuum in
E
v. 7. fortitudine. * Quis non timebit te, ô Rex gentium? Tuum eſt enim decus inter cunctos ſapientes gentium, & in univerſis regnis eorum nullus eſt ſimilis
v. 8. tui. * Pariter inſipientes & fatui probabuntur. Do-
v. 9. ctrina vanitatis eorum lignum eſt. * Argentum involutum de Tharſis affertur, & aurum de Ophaz, opus artificis & manus ærarij. Hyacinthus & purpura indumentum eorum, opus artificum univerſa hæc.
v. 10. * Dominus autem Deus verus eſt, ipſe Deus vivens, & rex ſempiternus. Ab indignatione ejus commo-
F
vebitur terra, & non ſuſtinebunt gentes comminationem ejus. * Sic ergo dicetis eis: Dij, qui cælos
v. 11. & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his
Jerem. 17. v. 5. quæ ſub cælo ſunt. *Et aliquantò pòſt* : * Hæc dicit Dominus, Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum & à Domino
v. 6. recedit cor ejus. * Erit enim quaſi myricæ indeſerto, & non videbit cùm venerit bonum; ſed habitabit in ſiccitate in deſerto in terra ſalſuginis & in-
G
v. 7. habitabili. * Benedictus vir qui confidit in Domino,
v. 8. & erit Dominus fiducia ejus. * Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas; & non timebit cùm venerit æſtus: & erit folium ejus viride, in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet fa-

a In ſacris Bibliis, *ſomnia eorum.*
b Sic MSS. juxta Vulgatam in Bibliis non mendoſis. At editi habebant, *elevavit ſe ſuper ſe.*

cere fructum. *Item aliquantò pòſt* : * Hæc dicit Do-
A
Jerem. 22. v. 3. minus, Facite judicium & juſtitiam, & liberate vi opreſſum de manu calumniatoris: & advenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare, neque op-
primatis iniquè; & ſanguinem innocentem ne ef-
Jerem. 25. v. 1. fundatis in loco iſto. *Et paulò pòſt* : * Væ paſtoribus qui diſpergunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ, di-
v. 2. cit Dominus. * Ideo hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad paſtores, qui paſcunt populum meum, Vos diſperſiſtis gregem meum, & ejeciſtis eos, & non
B
viſitaſtis: ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum, ait Dominus. *Item paulò pòſt* :
v. 16. * Hæc dicit Dominus exercituum, Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & deci-
piunt vos. Viſionem cordis ſui loquuntur, non de
v. 17. ore Domini. * Dicunt his qui blaſphemant me, Locutus eſt Dominus, Pax erit vobis: & omni qui ambulat in pravitate cordis ſui dixerunt, Non veniet
v. 18. ſuper vos malum. * Quis enim affuit in conſilio Do-
v. 21. mini? *Et poſt undecim verſus* : * Non mittebam Pro-
C
phetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, &
v. 22. ipſi prophetabant. * Si ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo, avertiſſem utique eos à via ſua mala, & à peſſimis cogitationi-
v. 25. bus ſuis. *Et poſt quatuor verſus* : * Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo
mendacium, atque dicentes, Somniavi, ſomniavi.
v. 26. * Uſque quò iſtud eſt in corde prophetarum vati-
v. 27. nantium mendacium, & prophetantium ſeductiones cordis ſui, * qui volunt facere ut obliviſcatur
D
populus meus nominis mei, propter ſomnia [a] cor-
a
dis ſui, quæ narrat unuſquiſque ad proximum ſuum,
v. 28. ſicut obliti ſunt patres eorum nominis mei propter Baal? * Propheta qui habet ſomnium, narret ſom-
nium: & qui habet ſermonem meum, narret ſer-
v. 29. monem meum verè. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? * Numquid non verba mea ſunt quaſi
v. 30. ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram? * Propterea ecce ego ad prophetas, ait
Dominus, qui furantur verba mea unuſquiſque à
E
v. 31. proximo ſuo. * Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui aſſumunt linguas ſuas, & aiunt, Dicit Do-
v. 32. minus. * Ecce ego ad prophetas ſomniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea & ſedu-
xerunt populum meum in mendacio ſuo & in mira-
culis ſuis, cùm ego non miſiſſem eos, nec mandaſ-
ſem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit
Jerem. 25. v. 4. Dominus. *Et paulò pòſt* : * Et miſit Dominus ad vos omnes ſervos ſuos Prophetas, conſurgens diluculo
mittenſque, & non audiſtis, neque inclinaſtis au-
F
v. 5. res veſtras ut audiretis, * cùm diceret, Revertimi-
v. 6. ni unuſquiſque à via ſua mala, & à peſſimis cogitationibus veſtris; & habitabitis in terra, quam dedit
Dominus vobis & patribus veſtris, à ſæculo & uſque
in ſæculum: * & nolite ire poſt deos alienos, ut ſer-
v. 7. viatis eis adoretiſque eos, neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum veſtrarum, & non
v. 7. affligam vos. * Et non audiſtis me, dicit Dominus.
Jerem. 42. v. 10. *Et aliquantò pòſt* : * Maledictus qui facit opus Do-
Thren. 3. v. 25. mini fraudulenter. *Item poſt aliquantum* : * Bonus
G
v. 26. eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti
v. 27. illum. * Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare
v. 28. Domini. * Bonum eſt viro cùm portaverit jugum
v. 29. ab adoleſcentia ſua. * Sedebit ſolitarius & tacebit;
b
v. 30. quia levavit [b] ſuper ſe. * Ponet in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes. * Dabit percutienti ſe maxillam, ſa-

v. 31. turabitur opprobriis: * quia non repellet in ſempiternum Dominus.

De libro Ezechielis.

Ezech. 3. v. 16. Cum autem pertranſiſſent ſeptem dies, fa-
v. 17. ctum eſt verbum Domini ad me dicens, * Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex
v. 18. me. * Si me dicente ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut aver-
tatur à via ſua impia, & vivat; ipſe impius in iniqui-
B
tate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu
v. 19. tua requiram. * Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua, & à
via ſua impia; ipſe quidem in iniquitate ſua morie-
v. 20. tur, tu autem animam tuam liberaſti. * Sed & ſi converſus juſtus à juſtitia ſua fecerit iniquitatem,
ponam offendiculum coram eo, ipſe morietur,
quia non annuntiaſti ei. In peccato ſuo morietur, &
non erunt in memoria juſtitiæ ejus quas fecit, ſan-
v. 21. guinem verò ejus de manu tua requiram. * Si autem
C
annuntiaveris juſto, ut non peccet juſtus, & ille
non peccaverit; vivens vivet, quia annuntiaſti ei,
& tu animam tuam liberaſti. *Et poſt aliquantum* :
Ezech. 9. v. 4. * Et dixit Dominus ad eum, Tranſi per mediam civitatem in medio Jeruſalem, & ſigna Tau ſuper
frontem virorum gementium & dolentium ſuper
cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.
v. 5. * Et illis dixit audiente me, Tranſite per mediam
v. 6. civitatem ſequentes eum, & percutite: non parcat oculus veſter, neque miſereamini: * ſenem,
D
adoleſcentulum, & virginem & parvulum & mu-
lieres interficite uſque ad internecionem. Omnem
autem ſuper quem videritis Tau, ne occidatis: &
Ezech. 13. v. 22. à ſanctuario meo incipite. *Et aliquantò pòſt* : * Pro eo quòd mærere feciſtis cor juſti mendaciter,
quem ego non contriſtavi, & confortaſtis manus
impij, ut non reverteretur à via ſua mala, & vive-
Ezech. 16. v. 49. ret. *Item poſt aliquantum* : * Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, &
abundantia, & otium ipſius, & filiarum ejus; & E
v. 50. manum egeno & pauperi non porrigebant: * & elevatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram
me: & abſtuli eas, ſicut vidiſti. *Et poſt paululum* :
Ezech. 18. v. 5. * Vir ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium & juſti-
v. 6. tiam, * in montibus non comederit, & oculos ſuos non levaverit ad idola domus Iſraël, & uxorem
proximi ſui non violaverit, & ad mulierem men-
v. 7. ſtruatam non acceſſerit; * & hominem non contriſtaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil
rapuerit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum
F
v. 8. operuerit veſtimento; * ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit; ab iniquitate aver-
terit manum ſuam, judicium verum fecerit inter
v. 9. virum & virum; * in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea cuſtodierit, ut faciat veritatem: hic
v. 10. juſtus eſt, vitâ vivet, ait Dominus Deus. * Quòd ſi genuerit filium latronem effundentem ſangui-
v. 11. nem, & fecerit unum de iſtis; * & hæc quidem omnia non facientem, ſed in montibus comedentem,
v. 12. & uxorem proximi ſui polluentem; * egenum & G
pauperem contriſtantem, rapientem rapinas, pi-
gnus non reddentem, & ad idola levantem oculos
v. 13. ſuos, abominationes facientem; * ad uſuram dantem, & amplius accipientem, numquid vivet?
Non vivet: cùm univerſa deteſtanda hæc fecerit,

a Regius codex, *& vivetis.*
b Sic etiam apud Hieronymum & in MSS. Bibliis Corb. At in excuſis Bibliis, *ſpreviſti, & ſabbata mea polluiſti.*

A morte morietur; ſanguis ejus in ipſo erit. * Quòd v. 14.
ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris
ſui quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis;
* ſuper montes non comederit, & oculos ſuos non v. 15.
levaverit ad idola domus Iſraël, & uxorem proxi-
mi ſui non violaverit; * & virum non contriſtave- v. 16.
rit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapue-
rit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum ope-
ruerit veſtimento; * à pauperis injuria averterit v. 17.
manum ſuam, uſuram & ſuperabundantiam non
B
acceperit, judicia mea fecerit, & in præceptis meis
ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris
ſui, ſed vitâ vivet. * Pater ejus quia calumniatus v. 18.
eſt, & vim fecit fratri, & malum operatus eſt in
medio populi ſui, ecce mortuus eſt in iniquitate
ſua. * Et dicitis, Quare non portavit filius iniquita- v. 19.
tem patris? Videlicet quia filius judicium & juſti-
tiam operatus eſt: omnia præcepta mea cuſtodivit
& fecit illa; vitâ vivet. * Anima quæ peccaverit, v. 20.
ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem pa-
C
tris, & pater non portabit iniquitatem filij. Juſtitia
juſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper
eum. * Si autem impius egerit pænitentiam ab om- v. 21.
nibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit
univerſa præcepta mea, & fecerit judicium & ju-
ſtitiam; vitâ vivet, & non morietur. * Omnium v. 22.
iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recorda-
bor, in juſtitia ſua quam operatus eſt vivet. * Num- v. 23.
quid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Domi-
nus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vi-
D
vat? * Si autem averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & v. 24.
fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominatio-
nes, quas operari ſolet impius, numquid vivet?
Omnes juſtitiæ ejus quas fecerat, non recordabun-
tur. In prævaricatione ſua qua prævaricatus eſt, &
in peccato ſuo quod peccavit, in ipſis morietur.
* Et dixiſtis, Non eſt æqua via Domini. Audite er- v. 25.
go domus Iſraël, Numquid via mea non eſt æqua,
& non magis viæ veſtræ pravæ ſunt? * Cùm enim v. 26.
averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquita-
E
tem, morietur in eis: in injuſtitia quam operatus
eſt morietur. * Et cùm averterit ſe impius ab impie- v. 27.
tate ſua quam operatus eſt, & fecerit judicium &
juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit. * Conſi- v. 28.
deravit enim, & avertit ſe ab omnibus iniquitati-
bus ſuis, quas operatus eſt; vitâ vivet, & non mo-
rietur. * Et dicunt filij Iſraël, Non eſt æqua via v. 29.
Domini. Numquid viæ meæ non ſunt æquæ, do-
mus Iſraël, & non magis viæ veſtræ pravæ? * Id- v. 30.
circo unumquemque juxta vias ſuas judicabo, do-
F
mus Iſraël, ait Dominus Deus. Convertimini, &
agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris,
& non erit vobis in ruinam iniquitas. * Projicite à v. 31.
vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus
prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpi-
ritum novum: & quare moriemini, domus Iſraël?
Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus:
revertimini, & [a] vivite. *Et aliquantò pòſt* : * Ecce Ezech. 22. v. 6.
principes Iſraël ſinguli in brachio ſuo fuerunt in te
a
ad effundendum ſanguinem. * Patrem & matrem v. 7.
G
contumeliis affecerunt in te; advenam calumniati
ſunt in medio tui; pupillum & viduam contriſtave-
runt apud te. * Sanctuaria mea [b] ſpreviſtis, & ſab- v. 8.
b
bata mea polluiſtis. * Viri detractores fuerunt in te v. 9.
ad effundendum ſanguinem; & ſuper montes comederunt in te: ſcelus operati ſunt in medio tui.

v. 10. * Verecundiora patris discooperuerunt in te, im-
v. 11. munditiam menstruatæ humiliaverunt in te. * Et
unusquisque in uxorem proximi sui operatus est
abominationem: & socer nurum suam polluit ne-
fariè: frater sororem suam filiam patris sui oppressit
v. 12. in te. * Munera acceperunt apud te ad effundendum
sanguinem, usuram & superabundantiam accepisti,
& avarè proximos tuos calumniabaris, meique obli-
v. 23. ta es, ait Dominus Deus. *Et post paululum:* * Et fa-
v. 24. ctum est verbum Domini ad me dicens: * Fili homi-
nis dic ei, Tu es terra immunda, & non compluta
v. 25. in die furoris. * Conjuratio Prophetarum in medio
a ejus. Sicut leo rugiens capiensque prædam, [a] ani-
mam devoraverunt, opes & pretium acceperunt,
v. 26. viduas ejus multiplicaverunt in medio illius. * Sa-
cerdotes ejus contemserunt legem meam, & pol-
luerunt sanctuaria mea: inter sanctum & profanum
non habuerunt distantiam, & inter pollutum &
immundum non intellexerunt. *Et post duos versus:*
v. 27 * Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes
prædam, ad effundendum sanguinem, & ad per-
v. 28 dendas animas, & avarè sectanda lucra. * Prophe-
tæ autem ejus liniebant eos absque temperamento,
videntes vana, & divinantes mendacium dicentes,
Hæc dicit Dominus Deus; cùm Dominus non sit
v. 29. locutus. * Populi terræ calumniabantur calumniam,
& rapiebant violenter, egenum & pauperem affli-
gebant, & advenam opprimebant calumniâ absque
v. 30. judicio. * Et quæsivi de eis virum, qui interponeret
sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne
v. 31 disperderem eam; & non inveni. * Et effudi super
eos indignationem meam, & in igne iræ meæ con-
sumsi eos. Viam eorum in caput eorum reddidi, ait
Ezech. 33. v. 2. Dominus Deus. *Et aliquantò post:* * Et factum est
v. 2. verbum Domini ad me dicens, * Fili hominis lo-
quere ad filios populi tui, & dices ad eos, Terra
cùm induxero super eam gladium, & tulerit popu-
lus terræ virum unum de novissimis suis, & consti-
v. 3. tuerit eum super se speculatorem; * & ille viderit
gladium venientem super terram, & cecinerit buc-
v. 4. cinâ, & annuntiaverit populo: * audiens autem
quisquis ille est sonitum buccinæ, & non se obser-
vaverit, veneritque gladius, & tulerit eum; sanguis
v. 5. ipsius super caput ejus erit. * Sonitum buccinæ au-
divit, & non se observavit; sanguis ejus in ipso erit.
Si autem se custodierit, animam suam salvabit.
v. 6. * Quòd si speculator viderit gladium venientem, &
non insonuerit buccinâ, & populus non se custodie-
rit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille
quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem au-
v. 7. tem ejus de manu speculatoris requiram. * Et tu fili
hominis speculatorem dedi te domui Israël: audiens
ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me.
v. 8. * Si me dicente ad impium, Impie, morte moriêris;
non fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua;
ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem
v. 9. autem ejus de manu tua requiram. * Si autem an-
nuntiante te ad impium, ut à viis suis convertatur,
& non fuerit conversus à via sua; ipse in iniquitate
v. 10. sua morietur, porrò tu animam tuam liberasti. * Tu
ergo fili hominis, dic ad domum Israël, Sic locuti
estis dicentes, Iniquitates nostræ & peccata nostra
super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus, quomo-
v. 11. do ergo vivere poterimus? * Dic ad eos, Vivo ego

A dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed ut
b revertatur impius à via sua mala, & vivat: con- b
vertimini à viis vestris pessimis; & quare moriemini
domus Israël? * Tu itaque fili hominis, dic ad filios v. 12.
populi tui, Justitia justi non liberabit eum in qua-
cumque die peccaverit; & impietas impij non no-
cebit ei in quacumque die conversus fuerit ab im-
pietate sua: & justus non poterit vivere in justi-
tia sua, in quacumque die peccaverit: * etiamsi di- v. 13.
xero justo, quòd vitâ vivat, & confisus in justitia
B sua fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus obli-
vioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus
est, in ipsa morietur. * Si autem dixero impio, Mor- v. 14.
te moriêris, & egerit pænitentiam à peccato suo,
feceritque judicium & justitiam, * pignus restitue- v. 15.
rit ille impius, rapinamque reddiderit, in manda-
tis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam inju-
stum; vitâ vivet, & non morietur. * Omnia pecca- v. 16.
tâ ejus quæ peccavit non imputabuntur ei. Judicium
& justitiam fecit, vitâ vivet. * Et dixerunt filij po- v. 17.
C puli tui, Non est æqui ponderis via Domini. Et ip-
sorum via injusta est. * Cùm enim recesserit justus à v. 18.
justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis.
* Et cùm recesserit impius ab impietate sua, fece- v. 19.
ritque judicium & justitiam, vivet in eis. * Et dici- v. 20.
tis, Non est recta via Domini. Unumquemque jux-
ta vias suas judicabo de vobis, domus Israël. *Et post*
quadraginta-novem versus: * Et tu fili hominis, filij v. 30.
populi tui [c] qui loquuntur de te juxta muros & in c
ostiis domorum, & dicunt unus ad alterum, vir ad
D proximum suum, dicentes, Venite, & audiamus
qui sit sermo egrediens à Domino. * Et veniunt ad v. 31.
te, quasi si ingrediatur populus; & sedent coram
te populus meus, & audiunt sermones tuos, & non
faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos,
& avaritiam suam sequitur cor eorum. * Et es eis v. 32.
quasi carmen [d] musicum, quod suavi dulcique so- d
no canitur: [e] & audiunt verba tua, & non faciunt ea. e
* Et cùm venerit quod prædictum est, (ecce enim v. 33.
venit,) tunc scient quòd Prophetes fuerit inter
E eos. * Et factum est verbum Domini ad me dicens, Ezech. 34.
* Fili hominis propheta de pastoribus Israël, pro- v. 1.
pheta, & dices pastoribus, Hæc dicit Dominus v. 2.
Deus, Væ pastoribus Israël, qui pascebant semet-
ipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? * Lac v. 3.
comedebatis, & lanis operiebamini, & quod cras-
sum erat [f] occidebatis, gregem autem meum non f
pascebatis. * Quod infirmum fuit, non consolida- v. 4.
stis; & quod ægrotum, non sanastis: quod fractum
est, non alligastis; & quod abjectum est, non re-
duxistis; quod perierat, non quæsistis: sed cum au-
steritate imperabatis eis & cum potentia. * Et dis- v. 5.
F persæ sunt oves meæ, eo quòd non esset pastor: &
factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri,
& dispersæ sunt: * & erraverunt greges mei in cun- v. 6.
ctis montibus, & in universo colle excelso; & su-
per omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei.
Et non erat qui requireret: non erat, inquam, qui
requireret. * Propterea pastores audite verbum v. 7.
Domini: * Vivo ego dicit Dominus Deus, quia v. 8.
G pro eo quòd [g] facti sunt greges mei in rapinam, & g
oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri,
eo quòd non esset pastor. (Neque enim quæsie-
runt pastores gregem meum: sed pascebant pastores

[a] Vulgata, *animae*. quamquam illa in Corb. Bibl. habet, *animam*.
[b] In Vulgata, *convertatur*: paulòque post ingeminato verbo dicitur, *Convertimini, convertimini à viis &c.*
[c] In omnibus MSS. deest pronomen, *qui*.
[d] Regius codex, *carmen musicorum*.
[e] MSS. *& audient verba tua, & non facient.*
[f] MSS. *comedebatis.*
[g] Regius codex, *greges mei dati sunt in rapinam.*

v. 9. semetipsos, & greges meos non pascebant.) * Pro- A
v. 10. pterea pastores audite verbum Domini: * Hæc di-
cit Dominus Deus, Ecce ego ipse super pastores,
requiram gregem meum de manu eorum, & cessa-
re eos faciam, ut ultrà non pascant gregem, nec
pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo
gregem meum de ore eorum, & non erit eis ultrà
v. 17. in escam. *Et post aliquantum:* * Vos autem greges
mei, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego judico
v. 18. inter pecus [a] & pecus arietum & hircorum. * Non-
a ne satis vobis erat pascua bona depasci? Insuper & B
reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus
vestris; & cùm purissimam aquam biberetis, reli-
v. 19 quam pedibus vestris turbabatis: * & oves meæ his
quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebam-
tur; & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibe-
v. 20. bant. * Propterea hæc dicit Dominus Deus ad [b] eos:
b Ecce ego ipse judico inter pecus pingue & macilen-
v. 21. tum: * pro eo quòd lateribus & humeris impinge-
batis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma
pecora, donec dispergerentur foras. *Et post aliquan-* C
Ezech. 45. *tum:* * Hæc dicit Dominus Deus, Sufficiat vobis
v. 9. principes Israël, iniquitatem & rapinas intermitti-
te, & judicium, & justitiam facite, & separate
confinia vestra à populo meo, dicit Dominus Deus.
v. 10. * Statera justa & ephi justum erit vobis, & batus
justus.

Ista de libris posuimus, quos & Judæi canonicos habent, in quibus eorum invenimus aliqua quæ huic operi convenirent. Sed non sunt omittendi & hi, quos quidem ante Salvatoris adventum constat esse conscriptos, sed D
eos non receptos à Judæis, recipit tamen ejusdem Salvatoris Ecclesia. In his sunt duo qui Salomonis à pluribus appellantur, propter quædam, sicut existimo, eloquij similitudinem. Nam Salomonis non esse, nihil
e *dubitant quique doctiores. Nec tamen ejus [c] qui Sapientiæ dicitur, quisnam sit auctor apparet. Illum verò alterum, quem vocamus Ecclesiasticum, quòd Iesus quidam scripserit, qui cognominatur Sirach, constat inter eos qui eumdem librum totum legerunt. De libro ergo Sapientiæ istæ huic operi congruere visa sunt.*

De Libro Sapientiæ.

Sap. 1. v. 1. DILIGITE justitiam qui judicatis terram.
Sentite de Domino in bonitate, & in simpli-
v. 2. citate cordis quærite illum. * Quoniam invenitur
ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis,
v. 3. qui fidem habent in illum. * Perversæ enim cogita-
tiones separant à Deo: probata autem virtus cor-
v. 4. ripit insipientes. * Quoniam in malevolam animam
non introibit sapientia, nec habitabit in corpore F
v. 5. subdito peccatis. * Sanctus enim Spiritus disciplinæ
effugiet fictum; & auferet se à cogitationibus, quæ
sunt sine intellectu; & corripietur à superveniente
v. 6. iniquitate. * Benignus est enim spiritus sapientiæ, &
d non liberabit [d] maledictum à labiis suis: quoniam
renum illius testis est Deus, & cordis ejus scrutator
v. 7. est verus, & linguæ illius auditor. * Quoniam spi-
ritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod
v. 8. continet omnia, scientiam habet vocis. * Propter

A hoc qui loquitur iniqua, non potest latêre; sed nec
præteriet illum corripiens judicium. * In cogitatio- v. 9.
nibus enim impij interrogatio erit: sermonum au-
tem illius auditio ad Dominum veniet, ad correp-
tionem iniquitatum illius. * Quoniam auris zeli au- v. 10.
dit omnia, & tumultus murmurationum non ab-
scondetur. * Custodite ergo vos à murmuratione, v. 11.
quæ nihil prodest; & à detractione parcite linguæ:
quoniam [e] responsum obscurum in vacuum non e
ibit. Os autem quod mentitur, occidit animam.
Et paulò post: * Qui confidunt in illum, intelligent Sap. 3. v. 9.
veritatem; & fideles in dilectione adquiescent illi:
quia donum & pax est electis illius. * Impij autem v. 10.
secundùm quæ cogitaverunt, correptionem habe-
bunt, qui neglexerunt [f] justitiam, & à Domino re- f
cesserunt. * Sapientiam enim & disciplinam qui ab- v. 11.
jicit, infelix est. *Et post sex versus:* * Quoniam felix v. 13.
sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in
delicto; habebit fructum in respectione [g] anima- g
rum: * & spado qui non operatus est per manus suas v. 14.
C iniquitatem, nec cogitavit adversùs Dominum ne-
quissima. *Et post aliquantum:* * Audite ergo reges & Sap. 6. v. 2.
intelligite, discite judices finium terræ [h] justitiam. h
* Præbete aures vos qui continetis multitudines, & v. 3.
placetis vobis in turbis nationum. * Quoniam data v. 4.
est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo,
qui interrogabit opera vestra, & [i] cogitationes scru- i
tabitur. * Quoniam cùm essetis ministri regni ip- v. 5.
sius, non rectè judicastis, neque custodistis legem
justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambu-
lastis. * Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam v. 6.
judicium durissimum his qui præsunt fiet. * Exiguo v. 7.
enim conceditur misericordia, potentes autem po-
tenter tormenta patientur. * Non enim subtrahet v. 8.
personam cujusquam Dominus, nec reverebitur
magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum &
magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de om-
nibus. * Fortioribus autem fortior instat cruciatus. v. 9.
* Ad vos autem * mali reges sunt hi sermones mei, v. 10. k
ut discatis sapientiam, & non excidatis. * Qui enim v. 11.
E custodierint [l] justitiam justè, justificabuntur: & l
qui didicerint ista, invenient quid respondeant.
* Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, v. 12.
& habebitis disciplinam. * Clara est enim, & quæ v. 13.
numquam marcescat sapientia; & facilè videtur ab
his, qui diligunt eam; & invenitur ab his, qui quæ-
runt illam. * Præoccupat qui se concupiscunt, ut v. 14.
illis se priorem ostendat. * Qui de luce vigilaverit v. 15.
ad illam, non laborabit: assidentem enim illam in-
veniet foribus suis. * Cogitare enim de illa sensus v. 16.
est consummatus: & qui vigilaverit pro illa, citò erit
F securus. * Quoniam dignos se ipsa circumit quæ- v. 17.
rens, & in viis ostendet se illis hilariter, & in om-
ni providentia occurrit illis. * Initium enim il- v. 18.
lius verissima est disciplinæ concupiscentia. * Cu- v. 19.
ra ergo disciplinæ dilectio est: & dilectio cu-
stoditio legum illius est: custoditio autem le-
gum [m] confirmatio incorruptionis est: * incor- v. 20. m
ruptio autem facit esse proximum Deo. * Con- v. 21.
cupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum

[a] MSS. *arietum & hircum.*
[b] Sic etiam apud Hieronymum & in MSS. Bibliis Corb. At in prelo editis habet Vulgata, *ad vos.*
[c] De hujus libri auctore non sic loquebatur Augustinus in lib. 2 de doctrina Christiana c. 8. n. 13 sed cùm Speculum istud concinnaret jam deposuerat opinionem primam, quâ illic Sapientiæ librum ab Jesu Sirach scriptum fuisse asseruerat. Confer lib. 2. Retr. c. 4. necnon adnotationem in prædictum locum lib. 2. de doctrina Christiana.
[d] Sacra Biblia, *maledicum.*
[e] Vulgata, *sermo obscurus.*
[f] In Vulgata, *qui neglexerunt justum*: in Græco, οἱ ἀμελήσαντες τοῦ δικαίου.
[g] Carnutensis codex juxta Vulgatam in editis & in Corb. MSS. Bibliis, *animarum sanctarum.* Abest *sanctarum* à Græco.
[h] Vox *justitiam* nec in Vulgata, nec in Græco reperitur.
[i] Sic MSS. juxta Vulgatam. At editi ferebant, *& in cogitationibus scrutabitur.*
[k] Abest vox *mali* à vulgata. Porrò in Græco pro voce *reges*, legitur τύραννοι.
[l] In Vulgata *justa justè*: in Græco ὅσιος τὰ ὅσια.
[m] Sic in editis & MSS. juxta Græc βεβαίωσις. At in Vulgata legitur, *consummatio.*

v. 21. perpetuum. * Si ergo delectamini sedibus & stem-
matibus reges populi, diligite sapientiam, ut in
Sap. 8. v. 7. perpetuum regnetis. *Et paulò pòst:* * Et si justitiam
quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes.
Sobrietatem enim & sapientiam docet, & justitiam
& virtutem, quibus utilius nihil in vita hominibus.

Nunc jam de libro, qui Ecclesiasticus dicitur, ponenda sunt quæ videntur. De quo hic etiam ea dixisse deputer, quæ de Proverbiorum libro sum prælocutus; quamvis in isto Ecclesiastico plura repererim huic operi necessaria.

DE ECCLESIASTICO.

Eccli. 1. v. 17. TIMOR Domini scientiæ religiositas.* Re-
v. 18. ligiositas custodiet & justificabit cor, jocun-
v. 19. ditatem atque gaudium dabit. * Timenti Domi-
num bene erit, & in diebus consummationis illius
v. 20 benedicetur.*Plenitudo sapientiæ est timere Deum,
& plenitudo à fructibus illius. *Et post duos versus:*
v. 22. * Corona sapientiæ timor Domini. *Et post quatuor*
v. 25. *versus:* * Radix sapientiæ est timere Dominum:
v. 26. rami enim illius longævi. * In thesauris sapientiæ
intellectus est, & scientiæ religiositas: exsecratio
v. 27. autem peccatoribus sapientia. * Timor Domini ex-
v. 28. pellit peccatum. * Nam qui sine timore est, non
[a] potest justificari. Iracundia enim animositatis il-
lius, subversio illius est. * [b] Sapiens usque in tempus
v. 29. sustinebit patiens, & postea redditio jocunditatis.
v. 30. * Bonus sensus usque in tempus abscondet verba
illius, & labia multorum enarrabunt sensum illius.
v. 33. * Concupiscens sapientiam, serva justitiam: &
v. 34. Deus præbebit illam tibi. * Sapientia enim & dis-
ciplina timor Domini; & quod beneplacitum est
v. 35. illi, * fides & mansuetudo, & adimplebit [c] thesau-
v. 36. ros tuos.* Non sis incredibilis timori Domini, & ne
v. 37. accesseris ad illum duplici corde. * Ne fueris hypo-
crita in conspectu hominum, & non scandalizeris
v. 38. labiis tuis. * Adtende in illis, ne fortè cadas, & addu-
v. 39. cas animæ tuæ confusionem: * & revelet Deus abs-
v. 40. condita tua, & in medio synagogæ elidat te. * Quo-
niam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum
Eccli. 2. v. 1. plenum est dolo & fallaciâ. * Fili accedens ad ser-
vitutem Dei, sta in timore & justitia, & præpara
v. 2. animam tuam ad tentationem; & deprime cor
tuum, & sustine. Declina aurem tuam, & excipe
verba intellectus, & ne festines in [d] tempus obdu-
v. 3. ctionis. * Sustine sustentationem Dei, conjungere
Deo, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua.
v. 4. * Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in
dolore sustine, & in humilitate tua patientiam ha-
v. 5. be: * Quoniam in igne probatur aurum & argen-
tum, homines verò [e] receptibiles in camino humi-
v. 6. liationis. * Crede Deo, & recuperabit te, & diri-
ge viam tuam, & spera in illum. Serva timorem il-
v. 7. lius, & in illo veterasce. * Metuentes Dominum
sustinete misericordiam ejus, & non deflectatis ab
v. 8. illo, ne cadatis. * Qui timetis Dominum, credite
v. 9. illi, & non evacuabitur merces vestra. * Qui timetis
Dominum, sperate in illum, & in [f] oblectatione
veniet vobis misericordia. * Qui timetis Deum, di- v. 10.
ligite illum, & illuminabuntur corda vestra. * Res- v. 11.
picite filij nationes hominum, & scitote: [g] quis spe-
ravit in Domino, & confusus est? * permansit in v. 12.
mandatis ejus, & derelictus est? & quis illum in-
vocavit, & despexit illum? * Quoniam pius & mi- v. 13.
sericors est Deus, & remittet in tempore tribula-
tionis peccata [h] omnibus exquirentibus se in veri-
tate. * Væ duplici corde, & labiis scelestis, & ma- v. 14.
nibus malefacientibus, & peccatori terram ingre-
dienti duabus viis. * Væ dissolutis corde, qui non v. 15.
credunt Deo; ideo non proteguntur ab eo. * Væ v. 16.
his qui perdiderunt sustinentiam, qui dereliquerunt
vias rectas, & diverterunt in vias pravas. * Et quid v. 17.
facietis cùm inspicere cœperit Deus? * Qui timent v. 18.
Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: &
qui diligunt illum, conservabunt viam illius. * Qui v. 19.
timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt
illi, & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.
* Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, v. 20.
& in conspectu illius sanctificabunt animas suas.
* Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, v. 21.
& patientiam habebunt usque ad inspectionem il-
lius, * dicentes, Si pænitentiam non egerimus, in- v. 22.
cidemus in Dei manus, & non in manus hominum.
* Secundùm enim magnitudinem illius, sic & mise- v. 23.
ricordia ipsius cum ipso. * Filij sapientiæ ecclesia ju- Eccli. 3. v. 1.
storum, & natio illorum obedientia & dilectio.
* Judicium patris audite filij [i] dilecti, & sic facite v. 2.
ut salvi sitis. *Et post duos versus:* * Qui diligit Deum, v. 4.
exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis; in
oratione dierum exaudietur. * Et sicut qui thesau- v. 5.
rizat, ita & qui honorificat matrem suam. * Qui ho- v. 6.
norificat patrem, jocundabitur in filiis. * Qui ho- v. 7.
norat patrem suum, vitâ vivet longiore: & qui ob-
audit patri, refrigerabit matrem.* Qui timet Deum, v. 8.
honorat parentes: & quasi dominis serviet his qui
se genuerunt. * In opere & sermone & omni patien- v. 9.
tia honora patrem tuum, * ut superveniat tibi be- v. 10.
nedictio à [k] Domino. *Et post tres versus:* * Ne glorie- v. 12.
ris in contumelia patris tui. *Et post tres versus:* * Fili, v. 14.
suscipe senectam patris tui, & ne contristes eum in
vita illius. * Et si defecerit sensu, veniam da, & ne v. 15.
spernas eum in tua virtute. *Et post quatuor versus:*
* Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem; & v. 18.
est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. * Fili v. 19.
in mansuetudine opera tua perfice, & super homi-
num gloriam diligêris. * Quanto magnus es, hu- v. 20.
milia te in omnibus; & coram Deo invenies gra-
tiam: * quoniam magna potentia Dei solius, & ab v. 21.
humilibus honoratur. * Altiora te ne quæsieris, & v. 22.
fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi
Deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus
ejus ne fueris curiosus, * Non enim est tibi necessa- v. 23.
rium ea, quæ abscondita sunt, [l] videre oculis tuis.
Et post tres versus: * Multos enim [m] implanavit suspi-
cio eorum, & in vanitate detinuit sensus illorum. v. 26.
* Cor durum malè habebit in novissimo; & qui v. 27.
amat periculum, in illo peribit. * Cor ingrediens v. 28.

[a] Vulgata, *non poterit.*
[b] Vox *sapiens* abest à sacris Bibliis.
[c] Regius codex, *& adimplebit sermones tuos.* Vulgata, *& adimplebit thesauros illius.*
[d] Vulgata, *in tempore:* juxta Græcum, ἐν χαιρῷ.
[e] MSS. *acceptabiles.*
[f] Vulgata, *in oblectationem:* juxta Græcum, εἰς εὐφροσύνην.
[g] Sic editi & MSS. juxta Græc. At vulgata, *quia nullus speravit &c. quis enim permansit &c.*
[h] Vulgata, *& remittet in die tribulationis peccata, & protector est omnibus exquirentibus se &c.* Græcus verò textus sic sonat: *& remittit peccata, & salvat in tempore tribulationis. Væ cordibus timidis &c.*
[i] In Bibliis excusis deest vox, *dilecti:* habetur in antiquis Bibl. Corb.
[k] Vulgata juxta Græcum, *ab eo.* In Bibliis tamen scriptis Corb. habetur, *à Deo.*
[l] MSS. *necessarium scrutari ea quæ abscondita sunt:* & omittunt, *videre oculis tuis.*
[m] Pulcrè respondet Græco, πολλοὺς γὰρ ἐπλάνησεν. Vulgata verò habet, *Multos quoque supplantavit.* Quamquam Vulgatæ auctor in hoc ipso libro c. 15. v. 12. verbum ἐπλάνησεν vertit, *implanavit:* id est decepit, in errorem induxit.

duas

duas vias, non habebit successus; & [a] pravicordius
v. 29. in illis scandalizabitur. * Cor nequam gravabitur in
doloribus; & peccator adjiciet ad peccandum. *Et*
v. 31. *post duos versus:* * Cor sapiens intelligitur in sapien-
tia; & auris bona audiet cum omni concupiscentia
v. 32. sapientiam. * Sapiens cor & intelligibile abstinebit
se à peccatis, & in operibus justitiæ successus habe-
v. 33. bit. * Ignem ardentem exstinguit aqua; & eleemo-
v. 34. syna resistit peccatis: * & Deus prospector tui ejus,
qui reddit gratiam, meminit [b] in posterum, & in
Eccli. 4. v. 1. tempore casus tui invenies firmamentum. * Fili,
eleemosynam pauperis ne fraudes, & oculos tuos
v. 2. ne transvertas à paupere. * Animam esurientem ne
despexeris, & non exasperes pauperem in inopia
v. 3. sua. * Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas da-
v. 4. tum angustianti. * Rogationem contribulati ne ab-
v. 5. jicias, & non avertas faciem tuam ab egeno. * Ab
inope non auferas oculos tuos propter iram, & non
v. 6. relinquas quærentibus tibi retrò maledicere. * Ma-
ledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudie-
tur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fe-
v. 7. cit illum. * Congregationi pauperum affabilem te
facito, & presbytero humilia animam tuam, &
v. 8. magnato humilia caput tuum. * Declina pauperi
sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum,
v. 9. & responde illi pacifica in mansuetudine. * Libera
eum, qui injuriam patitur, de manu superbi; &
v. 10. non acidè feras in anima tua. * In judicando esto
misericors, pupillis ut pater, & pro viro matri illo-
v. 11. rum; * & eris velut filius Altissimi obaudiens, &
v. 12. miserebitur tui magis quàm mater. * Sapientia filiis
suis vitam inspiravit, & suscipit inquirentes se, &
v. 13. præibit in via justitiæ. * Et qui illam diligit, diligit
vitam; & qui vigilaverint ad illam, complectentur
v. 14. [c] placorem ejus. * Qui tenuerint illam, vitam here-
v. 15. ditabunt, & quò introibit benedicet Deus. * Qui
serviunt ei, obsequentes erunt sancto; & eos qui
v. 16. diligunt illam, diligit Deus. * Qui audit illam, [d] ju-
dicat gentes; & qui intuetur illam, permanebit con-
v. 17. fidens. * Si crediderit ei, hereditabit illam, & erunt
v. 18. in confirmatione creaturæ illorum. * Quoniam in
tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum.
v. 19. * Timorem & metum & probationem inducet super
illum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ
suæ; donec tentet illum in cogitationibus illius, &
v. 20. credat animæ illius. * Et firmabit illum, & [e] iter ad-
v. 21. ducet directum ad illum, & lætificabit illum; * & de-
nudabit abscondita sua illi, & thesaurizabit super il-
v. 22. lum scientiam & intellectum justitiæ. * Si autem o-
berraverit, derelinquet illum, & tradet eum in ma-
v. 23. nus inimici sui. * Fili, conserva tempus, & devita à
v. 24. malo. * Pro anima tua non confundaris dicere ve-
v. 25. rum. * Est enim confusio adducens peccatum, & est
v. 26. confusio adducens gloriam & gratiam. * Non acci-
pias faciem adversùs faciem tuam, nec adversùs ani-
v. 27. mam tuam mendacium. * Non reverearis proximum
v. 28. tuum in casu suo, * nec retineas verbum in [f] tempore
salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore
ejus. * In lingua enim agnoscitur sapientia & sensus, v. 29.
& scientia & doctrina in verbis veritatis, & firma-
mentum in operibus justitiæ. * Non contradicas ve- v. 30.
ritati ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ
confundere. * Non confundaris confiteri peccata v. 31.
tua, & ne subjicias te homini pro peccato. * Noli re- v. 32.
sistere contra faciem potentis, nec coneris contra
ictum fluvij. [g] * In justitia agonizare pro anima tua, v. 33.
& usque ad mortem certa pro justitia; & Deus ex-
pugnabit pro te inimicos tuos. * Noli citatus esse in v. 34.
lingua tua, & inutilis & remissus in operibus tuis.
* Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesti- v. 35.
cos tuos, & opprimens subjectos tibi. * Non sit por- v. 36.
recta manus tua ad capiendum, & ad dandum colle-
cta. * Noli adtendere ad possessiones iniquas, & ne di- Eccli. 5. v. 1.
xeris, Est mihi sufficiens vita. Nihil enim proderit in
tempore vindictæ & obductionis. * Non sequaris v. 2.
[h] concupiscentiam cordis, * & ne dixeris, Quomodo v. 3.
potui, aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus
enim vindicans vindicabit. * Et ne dixeris, Peccavi, v. 4.
& quid accidit mihi triste? Altissimus enim est pa-
tiens redditor. * De [i] propitiatu peccatorum noli v. 5.
esse sine metu: neque adjicias peccatum super pec-
catum: * & ne dicas, Miseratio Dei magna est, mul- v. 6.
titudinis peccatorum meorum miserebitur. * Mise- v. 7.
ricordia enim & ira ab illo citò proximat, & in pec-
catores respicit ira illius. * Non tardes converti ad v. 8.
Dominum, & ne differas de die in diem. * Subitò v. 9.
enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ dis-
perdet te. * Noli anxius esse in divitiis injustis: nihil v. 10.
enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ.
* Non ventiles te in [k] omni vento, & non eas in v. 11.
omni via. Sic enim peccator probatur duplici lin-
guâ. * Esto firmus in via Dei, & in veritate sensus v. 12.
tui & scientia; & prosequatur te verbum pacis &
justitiæ. * Esto mansuetus ad audiendum verbum v. 13.
Dei, ut intelligas; & cum sapientia [l] feras respon-
sum verum. * Si est tibi intellectus, responde pro- v. 14.
ximo: sin autem, sit manus tua super os tuum; ne
capiaris verbo indisciplinato, & confundaris. * Ho- v. 15.
nor & gloria in sermone sensati: lingua verò impru-
dentis subversio est ipsius. * Non appelleris susurro v. 16.
in vita tua, & in lingua tua ne capiaris, & confun-
daris. * Super furem enim est confusio, & pæniten- v. 17.
tia, & denotatio pessima super bilinguem: susur-
ratori autem odium & inimicitia & contumelia.
* Justifica pusillum, & magnum similiter. * Noli v. 18.
fieri pro amico inimicus proximo: improperium Eccli. 6. v. 1.
enim & contumeliam malus hereditabit, & omnis
peccator invidus & bilinguis. * Non te extollas in v. 2.
cogitatione animæ tuæ, velut taurus: ne fortè eli-
datur virtus tua per stultitiam. *Et post septem versus:*
* Multi pacifici sint tibi; & consiliarius sit tibi unus v. 6.
de mille. * Si possides amicum, in tentatione possi- v. 7.
de eum; & non facilè credas illi [m] temetipsum. * Est v. 8.
enim amicus secundùm tempus suum, & non per-
manebit in die tribulationis: * & est amicus qui [n] e- v. 9.
greditur ad inimicitiam: & est amicus qui odium &

[a] MS. Regius, *pravi cordis;* juxta Vulgatam in excusis, quæ tamen in antiquis Corb. Bibl. habet, *pravicordius.*
[b] Vulgata, *Meminit ejus in posterum.* Abest *ejus* à Græco & à Latinis Bibliis Corb. Continuò post in omnibus Bibliis legitur, *& in tempore casus sui inveniet firmamentum.*
[c] Regius codex, *complebuntur dulcore ejus:* Græcus textus, ἐμπλησθήσονται εὐφροσύνης.
[d] Vulgata nunc, *judicabit:* & paulò infrà, *in confirmatione creaturæ illius.* At in antiquis Corb. Bibl. convenit uterque locus cum hoc Speculo.
[e] MSS. *& jam adducet.* Græc. καὶ πάλιν ἐπανήξει κατ' εὐθεῖαν πρὸς αὐτὸν, *& rursus redibit rectà ad illum.*
[f] Editi, *in tempus.* At MSS. *in tempore,* juxta Vulgatam; quæ in subsequenti versiculo, pro *& doctrina in verbis veritatis,* præfert *& doctrina in verbo sensati:* Græcus verò textus ἐν ῥήματι γλώσσης, *in verbo linguæ.*
[g] Sic MSS. juxta Græc. & Vulgat. At editi habebant, *fulminis.*
[h] Vulgata, *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.*
[i] In Latinis Bibliis, *De propitiato peccato.* In Græco textu, περὶ ἐξιλασμοῦ, *De propitiatu,* omissa voce *peccatorum.*
[k] Sic editi & MSS. juxta Græc. At Vulgata habet, *in omnem ventum .... in omnem viam.*
[l] Regius cod. *fer.* Græc. φθέγξου. Vulgata, *proferas.*
[m] Vox *temetipsum* abest à sacris Bibliis.
[n] Vulgata, *qui convertitur.*

v. 10. rixam & convicia denudabit.* Est autem amicus so- A
cius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.
v. 11. * Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæ-
v. 12. qualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget. * Si
humiliaverit se contra te, & à facie tua absconderit
v. 13. se, unanimem habebis amicitiam bonam. * Ab ini-
v. 14. micis tuis separare; & ab amicis tuis adtende. * A-
micus fidelis protectio fortis: qui autem invenit il-
v. 15. lum, invenit thesaurum. * Amico fideli nulla est
comparatio, & non est digna ponderatio auri & ar-
v. 16. genti contra bonitatem fidei illius. * Amicus fidelis, B
medicamentum vitæ & immortalitatis: & qui me-
v. 17. tuunt Dominum, inveniunt illum. * Qui timet
Deum, æquè habebit amicitiam bonam; quoniam
v. 18. secundùm illum erit amicus illius. * Fili à juventute
tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies
v. 19. sapientiam. * Quasi is qui arat & seminat, accede
v. 20. ad illam, & sustine bonos fructus illius. * In opere
enim illius exiguum laborabis, & citò edes de ge-
v. 21. nerationibus illius.* Quàm aspera est nimiùm sapien-
tia indoctis hominibus, & non [a] permanebit in illa C
v. 22. excors. * Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, &
non demorabuntur projicere illam. *Et post duos ver-*
v. 23. *sus:* * Quibus autem agnita est, [b] permanet usque
ad conspectum Dei. * Audi fili, & accipe consilium
v. 24. v. 25. intellectus, & ne abjicias consilium meum. * Injice
pedem tuum in compedes illius, & in torquem ejus
v. 26. collum tuum. * Subjice humerum tuum, & porta
v. 27. illam, & ne acedieris vinculis ejus. * In omni animo
tuo accede ad illam, & in omni virtute tua serva
v. 28. vias ejus. * Investiga illam, & manifestabitur tibi; D
v. 29. & continens factus ne dereliqueris eam: * in novis-
simis enim invenies requiem in ea, & convertetur
v. 30. tibi in oblectationem: * & erunt tibi compedes in
protectionem fortitudinis & bases virtutis, & tor-
ques illius in stolam gloriæ. *Et post quatuor versus:*
v. 33. * Fili, si adtenderis mihi, [c] disces: & si accommoda-
v. 34. veris animam tuam, sapiens eris. * Et si inclinaveris
aurem tuam, excipies doctrinam: & si dilexeris au-
v. 35. dire, sapiens eris. * In multitudine presbyterorum
prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde con- E
jungere, ut omnem narrationem Dei possis audire,
v. 36. & proverbia laudis ne effugiant te. * Et si videris
sensatum, evigila ad illum, & gradus ostiorum il-
v. 37. lius exterat pes tuus. * Cogitatum habe in præcep-
tis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto:
& ipse dabit cor tibi, & concupiscentia sapientiæ
Eccli. 7. v. 1. dabitur tibi. * Noli facere mala, & non te appre-
v. 2. hendent. * Discede ab iniquo, & deficient mala
v. 3. abs te. * Non semines mala in sulcis injustitiæ, &
v. 4. non metes ea in septuplum. * Noli quærere ab [d] ho- F
mine ducatum, neque à rege cathedram honoris.
v. 5. * Non te justifices ante Deum; quoniam agnitor
cordis ipse est: & penes regem noli velle videri sa-
v. 6. piens. * Noli quærere fieri judex, nisi si vales [e] vir-
tute irrumpere iniquitates: ne fortè extremiscas
faciem potentis, & ponas scandalum in [f] agilitate
tua, * Non pecces in multitudinem civitatis, nec v. 7.
te immittas in populum: * neque alliges duplicia v. 8.
peccata: nec enim in uno eris immunis. * Noli esse v. 9.
pusillanimis in anima tua. * Exorare, & facere elee- v. 10.
mosynam non despicias. * Ne dicas, In multitudi- v. 11.
ne munerum meorum respiciet Dominus, & offe-
rente me Deo altissimo, suscipiet munera mea.* Non v. 12.
irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim
qui humiliat & exaltat [g] Deus. * Noli arare menda- v. 13.
cium adversùs fratrem tuum, neque in amicum
similiter facias. * Noli velle mentiri omne menda- v. 14.
cium: assiduitas enim illius non [h] est bona.* Noli ver- v. 15.
bosus esse in multitudine presbyterorum. *Et post*
duodecim versus: * Non lædas servum operantem in v. 22.
veritate, neq; mercenarium dantem animam suam.
*Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua; non v. 23.
defraudes illum libertate, neque inopem relinquas
illum. *Et post duos versus:* * Filij tibi sunt? erudi v. 25.
illos, & [i] curva illos à pueritia illorum. Pecora ti-
bi sunt? adtende illis. * Filiæ tibi sunt? serva corpus v. 26.
illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad
illas. * Trade filiam, & grande opus feceris; & ho- v. 27.
mini sensato da illam. * Mulier si est tibi secundùm v. 28.
animam tuam, non projicias illam; & odibili non
credas te in toto corde. * Honora patrem tuum, & v. 29.
gemitus matris tuæ ne obliviscaris. * Memento v. 30.
enim, quoniam nisi per illos [k] natus non fuisses; &
retribue illis, quomodo & illi tibi. * In tota anima v. 31.
tua time Deum; & sacerdotes illius sanctifica. * In v. 32.
omni virtute dilige [l] Deum, qui te fecit; & mini-
stros ejus non derelinquas. * Honora Deum ex tota v. 33.
anima mea; & honorifica sacerdotes. *Et post sex ver-*
sus: * Et pauperi porrige manum tuam, ut perfi- v. 36.
ciatur [m] benedictio tua. * Gratia [n] datûs in cons- v. 37.
pectu omnis viventis, & à mortuo non prohibeas
gratiam. * Non desis plorantibus in [o] consolatio- v. 38.
ne, & cum lugentibus ambula. * Non te pigeat vi-
sitare infirmum: ex his enim in dilectione firmabe- v. 39.
ris. * In omnibus operibus tuis memorare novissima v. 40.
tua, & in æternum non peccabis.* Non litiges cum Eccli. 8. v. 1.
homine potente; ne fortè incidas in manus illius.
* Non contendas cum homine locuplete, ne fortè v. 2.
contrà [p] concitet litem tibi. * Multos enim perdi- v. 3.
dit aurum; & usque ad cor regum extendit, & con-
vertit. * Non litiges cum homine linguoso, & non v. 4.
[q] strues in ignem illius ligna. *Et post duos versus:*
* Ne despicias hominem avertentem se à peccato, v. 6.
neque improperes ei: memento quoniam omnes
sumus in correptione. * Ne spernas hominem in sua v. 7.
senecta: etenim ex nobis senescunt. * Noli de mor- v. 8.
tuo [r] inimico tuo gaudere, sciens quoniam omnes
morimur, & in gaudium nolumus venire. * Ne des- v. 9.
picias narrationem presbyterorum sapientium, &
in proverbiis illorum conversare? * Ab ipsis enim v. 10.
disces [f] doctrinam intellectûs, & servire magnatis
sine querela. * Non te prætereat narratio senio- v. 11.
rum: & ipsi enim didicerunt à patribus suis. * Quo- v. 12.

[a] MSS. *permanet.*
[b] Editi, *permanent.* At MSS. juxta Vulgatam, *permanet.*
[c] In editis, *disces eam.* Abest *eam* à MSS. hujus libri, necnon à sincerioribus Bibliis.
[d] Sic etiam in antiquis Corb. Bibliis. Nunc autem Vulgata in excusis habet, *à Domino*; juxta Græc. παρὰ κυρίου.
[e] In priùs editis, *virtutem irrumpere iniquitatis.* Emendavimus ad MSS qui cum Vulgata concordant.
[f] Habebat sic Vulgata in antiquis Corb. & aliis plerisque Bibliis: sed substitutum est, *in æquitate tua*; juxta Græc. ἐν εὐθύτητί σου.
[g] Vulgata, *& exaltat circumspector Deus.*
[h] Reg. MS *non bona*, prætermisso *est*: sic etiam Biblia Corb. Porrò in Græco legitur, οὐ εἰς ἀγαθόν, *non in bonum.*
[i] Redintegrandus iste locus ad Vulgatam, in qua versiculus 24. est, *Pecora tibi sunt? adtende illis, & si sunt utilia, perseverent apud te.* tum sequitur v. 25. *Filij tibi sunt?* &c.
[k] Vox *natus* abest à MSS. Speculi & ab antiquis Bibliis Corb.
[l] Sacra Biblia, *dilige eum qui te fecit.*
[m] Vulgata, *propitiatio & benedictio* Abest *propitiatio* à Græco textu.
[n] Vulgata, *dati*: ac paulò post, *& mortuo*, prætermissâ præpositione *à*. cum qua his locis convenit Regius codex Speculi.
[o] MSS hujus operis, *in rogatione.*
[p] Sic in MSS. At in editis legebatur, *contra te consistat litem*: in Vulgata *contra te constituat.*
[q] Regius cod. *& non struas*: juxta Græc. καὶ μὴ ἐπιστοιβάσῃς.
[r] Abest *inimico tuo* à Græco textu, necnon à Regio MS. Speculi: at iste codex postea sic habet, *& in gaudium inimicorum nolumus venire.*
[f] Vulgata in excusis, *disces sapientiam & doctrinam*: at in antiquis Corb. Bibliis convenit hîc cum Augustini Speculo & cum Græco.

niam ab ipsis disces intellectum, & in tempore ne- A
v. 20. cessitatis [a] responsum. *Et post sexdecim versus:* * Cum
fatuis ne consilium habeas: non enim poterunt di-
v. 21. ligere, nisi quæ ipsis placent. * Coram extraneo ne
facias consilium: nescis enim quid pariet. *Et post*
Eccli. 9. v. 1. *duos versus:* * Non zeles mulierem sinus tui. *Et post*
v. 5. *septem versus:* * Virginem ne [b] concupiscas, ne for-
te scandalizeris in decore ejus.* Non des fornicariis
v. 6. animam tuam in ullo, ne perdas te & hereditatem
v. 8. tuam. *Et post duos versus:* * Averte faciem tuam à
muliere comta, & non circumspicias speciem alie- B
v. 14. nam. *Et post duodecim versus:* * Ne derelinquas ami-
v. 15. cum antiquum: novus enim non erit similis illi.* Vi-
num novum amicus novus; veterascet, & cum
v. 16. suavitate bibes illud. * Non zeles gloriam & opes
peccatoris: non enim scis quæ futura sit ipsius sub-
v. 17. versio. * Non placeat tibi injuria [c] injustorum. *Et*
v. 18. *post duos versus:* * Longè abesto ab homine pote-
statem habente occidendi, & non suspicaberis ti-
v. 19. morem mortis.* Et si accesseris ad illum, noli ali-
quid committere; ne fortè auferat vitam tuam. *Et* C
v. 21. *post quatuor versus:* * Et cum sapientibus & prudenti-
v. 22. bus tracta.* Viri justi sint tibi convivæ; & in timore
Dei sit gloriatio tibi. *Et post* [d] *quinquaginta-tres ver-*
Eccli. 10. v. 23. *sus:* * Semen hominum honorabitur hoc, quod ti-
met Deum: semen autem hoc exhonorabitur ho-
v. 24. minum, quod præterit mandata Domini. * In me-
dio fratrum illorum rector in honore; & qui timent
v. 25. Dominum, erunt in oculis illius. * Gloria divitum,
v. 26. honoratorum, & pauperum, timor Dei est. * Non
despicias hominem justum pauperem, & non [e] ma- D
v. 27. gnificaveris virum peccatorem divitem. * Magnus,
& judex, & potens est in honore, & non est major
v. 28. illo qui timet Deum. * Servo sensato liberi servient:
vir prudens & disciplinatus non murmurabit corre-
v. 31. ptus. *Et post quinque versus:* * Fili, in mansuetudine
serva animam tuam, & da illi honorem secundùm
Eccli. 11. v. 1. meritum suum. *Et post sex versus:* * Sapientia humi-
liati exaltabit caput ipsius, & in medio magnato-
v. 2. rum consedere illum faciet. * Non laudes virum in
specie sua, neque spernas hominem in visu suo. E
v. 3. * Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris
v. 4. habet fructus illius. * In vestitu ne glorieris um-
quam, nec in die honoris tui extollaris. *Et post sex*
v. 7. *versus:* * Priusquam interroges, non vituperes
quemquam; & cùm interrogaveris, corripe justè.
v. 8. * Priusquam audias, ne respondeas verbum; & in
v. 9. medio [f] seniorum ne adjicias loqui. * De re ea quæ
te non molestat, ne certaveris: & in judicio pec-
v. 10. catorum ne consistas. * Fili, ne in multis sint actus
tui: & si dives fueris, non eris immunis à delicto.
Si enim secutus fueris; non apprehendes: & non F
effugies, si præcucurreris. *Et post viginti versus:*
v. 22. * Ne manseris in operibus peccatorum: fide autem
in Deo, & mane in loco tuo. *Et post aliquot versus:*
v. 30. * Ante mortem ne laudes hominem quemquam. *Et*
v. 31. *post unum versum:* * Non omnem hominem inducas
in domum tuam: multæ enim insidiæ dolosi sunt.
v. 32. * Sicut enim eructant præcordia [g] infantium, &
sicut perdix inducitur in foveam, & ut caprea in
laqueum, sic & cor superborum; & sicut prospe-
ctor videns casum proximi sui. * Bona enim in mala v. 33.
convertens insidiatur, & in electis imponet macu-
lam. * Ab scintilla una augetur ignis, & ab uno do- v. 34.
loso augetur sanguis. Homo verò peccator sangui-
ni insidiatur. * Adtende tibi à pestifero; fabricat v. 35.
enim mala: ne fortè inducat super te subsannatio-
nem in perpetuum. * Admitte ad te alienigenam, & v. 36.
subvertet te in [h] torpore, & alienabit te à tuis pro-
priis. * Si benefeceris, scito cui benefeceris, & erit Eccli. 12.
gratia in bonis tuis multa. * Benefac justo, & inve- v. 1. v. 2.
nies retributionem magnam; & si non ab ipso, cer-
tè à Deo. * Non est eis bene, qui assidui sunt in ma- v. 3.
lis, & eleemosynas non danti: quoniam & Altissi-
mus odio habet peccatores, & misertus est pæni-
tentibus. * Da misericordi, & ne susceperis pecca- v. 4.
torem. * Benefac humili, & ne dederis impio. Pro- v. 6.
hibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit: * nam v. 7.
duplicia mala invenies in [i] omnibus bonis: quoniam
& Altissimus odio habet peccatores, & impiis red-
det vindictam. *Et post quatuor versus:* * Non credas v. 10.
inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum,
æruginat nequitia illius.* Et si humiliatus vadat cur- v. 11.
vus, [k] adjice animum tuum, & custodi te ab illo.
* Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexte- v. 12.
ram tuam; [l] ne conversus stet in loco tuo: ne fortè
conversus in locum tuum, inquirat cathedram
tuam, & in novissimo agnoscas verba mea, & in
sermonibus meis stimuleris. * Quis miserebitur in- v. 13.
cantatori à serpente percusso, & omnibus qui ap-
propiant bestiis? Sic & qui comitatur cum viro ini-
quo, & obvolutus est in peccatis ejus: * unâ horâ v. 14.
tecum permanebit; si autem declinaveris, non sup-
portabit. * In labiis suis indulcat inimicus, & in v. 15.
corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. * In v. 16.
oculis suis lacrymatur inimicus; & si invenerit tem-
pus, non satiabitur sanguine. * Si incurrerint mala v. 17.
tibi, invenies eum illic priorem. * In oculis suis la- v. 18.
crymatur inimicus, & quasi adjuvans suffodiet
plantas tuas. * Caput suum movebit, & [m] plaude- v. 19.
bit manu; & multa susurrans commutabit vultum
suum. *Et post sexaginta & unum versus:* * Bona est Eccli. 13. v. 30.
substantia, cui non est peccatum in conscientia: &
nequissima paupertas in ore impij. *Et post tres versus:* Eccli. 14. v. 1.
* Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, &
non est stimulatus in tristitia delicti. * Felix qui non v. 2.
habuit animi sui tristitiam, & non excidit ab spe
sua. * Viro cupido & tenaci sine ratione est substan- v. 3.
tia, & homini livido ad quid aurum? *Et post qua-*
tuordecim versus: * Fili si habes, benefac tecum, & v. 11.
Deo dignas oblationes offer. * Memor esto, quo- v. 12.
niam mors non tardat, & testamentum inferorum,
quia demonstratum est tibi: testamentum enim hu-
jus mundi morte morietur. * Ante mortem benefac v. 13.
amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens da
pauperi. *Et post sexdecim versus:* * Beatus vir qui in v. 22.
sapientia morabitur, & qui in justitia [n] sua medita-
bitur, & in sensu suo cogitabit circumspectionem

[a] Sacra Biblia, *dare responsum.*
[b] Vulgata, *ne conspicias*: Græc. μὴ καταμάνθανε.
[c] Sic Carnutensis codex juxta Vulgatam. At editi habebant hîc, *justorum.*
[d] Ita Regius MS. Carnutensis verò, *Et post* LIIII.
[e] Editi *non magnificare*: emendavimus ad Reg. MS. *non magnificaveris*; quamquam idem codex paulò antè habet, *Ne despicere.* Concinniùs Vulgata *noli despicere*; tumq. *noli magnificare.*
[f] Legendum ut in Bibliis Sixti auctoritate correctis, *sermonum*; juxta Græc. λόγων. Paulò pòst pro *ne certaveris*, MSS. hujus libri pariter cum Vulgata præferunt *ne certeris.*
[g] Vulgata in excusis, *fœtentium*: in antiquis Corb. Bibliis, *fætantium.*
[h] Sacra Biblia, *in turbine.*
[i] Regius cod. *in hominibus non bonis*: Vulgata juxta Græcum post *in omnibus bonis*, addit *quæcumque feceris illi.* quod tamen abest à Corb. Bibl.
[k] Sic Reg. cod. juxta Vulgatam. Editi verò *abjice*, uti etiam habet Bibliorum codex Corbeiensis.
[l] Ex Vulgata in excusis expunctum est illud, *ne conversus stet in loco tuo*: quod in omnibus exemplaribus hujus operis & in antiquis Corb. Bibl. reperitur; positum fortè pro eo quod in Græco legitur, μὴ ἀνατρέψας σε στῇ ἐπὶ τὸν τόπον σου.
[m] Sic etiam olim Bibl. Corb. Nunc autem Vulgata, *plaudet.*
[n] Abest *sua* à Regio codice: abest etiam *suo*, post vocem *sensu.*

v. 23. Dei : * Qui excogitat vias illius in corde ſuo, & in A
abſconditis illius intelligens. *Et poſt viginti-quinque*
Eccli. 15. v. 7. *verſus :* * Homines ſtulti non apprehendent illam ;
& homines ſenſati obviabunt illi. Homines ſtulti
non videbunt illam ; longè enim abeſt à ſuperbia &
v. 8. dolo. * Viri mendaces non erunt memores illius ; &
viri veraces invenientur in illa, & ſucceſſum habe-
v. 9. bunt uſque ad inſpectionem Dei. * Non eſt ſpecioſa
v. 10. laus in ore peccatoris : * quoniam à Deo profecta
eſt ſapientia. Sapientiæ enim Dei adſtabit laus ; &
in ore fideli abundabit, & dominator eam illi da- B
v. 11. bit. * Non dixeris, Per Deum abeſt ; quæ enim
v. 12. odit ne feceris. * Non dicas, Ille me implanavit :
v. 13. non enim neceſſarij ſunt illi homines impij. * Omne
exſecramentum erroris odit Deus, & non erit ama-
v. 14. bile timentibus illum. * Deus ab initio conſtituit
hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.
v. 15. * Adjecit mandata & præcepta ſua : * ſi volueris
v. 16. ſervare mandata, conſervabunt te, & in perpetuum
v. 17. fidem placitam facere. * Appoſuit tibi aquam &
v. 18 ignem, ad quod voles porrige manum tuam. * Ante C
hominem vita & mors, bonum & malum ; quod
v. 19. placuerit ei, dabitur illi. * Quoniam multa ſapien-
tia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine in-
v. 20. termiſſione. * Oculi Dei ad timentes eum, & ipſe
v. 21. agnoſcet omnem operam hominis. * Nemini man-
davit impiè agere ; & nemini dedit ſpatium peccan-
v. 22. di. * Non enim concupiſcit multitudinem filiorum
Eccli. 16. v. 1. infidelium & inutilium. * Et ne jocunderis in filiis
impiis, ſi multiplicentur : non oblecteris ſuper ip-
v. 2. ſos, ſi non eſt timor Dei cum illis. * Non credas D
vitæ illorum, & ne reſpexeris in labores illorum.
v. 3. * Melior eſt enim unus timens Deum, quàm mille
v. 4. filij impij : * & utile mori ſine filiis, quàm relinque-
v. 16. re filios impios. *Et poſt viginti & unum verſus :* * Non
dicas, A Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei
Eccli. 17. v. 17. memorabitur ? *Et paulò pòſt :* * Non ſunt abſconſa
teſtamenta per iniquitatem illorum, & omnes ini-
v. 18. quitates eorum in conſpectu Dei. * Eleemoſyna vi-
ri quaſi ſignaculum cum ipſo, & gratiam hominis
v. 19. quaſi pupillam conſervabit : * & poſtea reſurget, & E
retribuet illis retributionem unicuique in caput illo-
v. 20. rum, & convertet in interiores partes terræ : * Pæ-
nitentibus autem dedit viam juſtitiæ, & confirma-
vit deficientes ſuſtinere, & deſtinavit illis ſortem
v. 21. veritatis. * Convertere ad Deum, & relinque pec-
v. 22. cata tua : * precare ante faciem, [a] & minue offen-
v. 23. diculum. * Revertere ad Deum, & avertere ab in-
juſtitia tua, & nimis odito exſecrationem. *Et poſt*
v. 28. *novem verſus :* * Quàm magna miſericordia Dei, &
v. 29. propitiatio illius convertentibus ad ſe. * Nec enim F
omnia poſſunt eſſe in hominibus ; quoniam non eſt
immortalis filius hominis. *Et poſt triginta verſus :*
Eccli. 18. v. 14. * Miſeretur excipientium doctrinam miſerationis,
v. 15. & qui feſtinant in judiciis ejus. * Fili in bonis non
des querelam, & in omni dato non des triſtitiam
v. 16. verbi mali. * Nonne ardorem refrigerabit ros ? Sic
v. 17. & verbum melius quàm datum. * Nonne ecce ver-
bum ſupra datum bonum ? [b] & utraque cum homi-
v. 18. ne juſtificato. * Stultus acriter improperabit, & da-
v. 19. tus indiſciplinati tabeſcere facit oculos. * Ante ju- G
dicium para juſtitiam tibi, & antequam loquaris
v. 20. diſce. * Et ante languorem abhibe medicinam, &
ante judicium interroga teipſum ; & in conſpectu

Dei invenies propitiationem. * Ante languorem v. 21.
humilia te, & in tempore infirmitatis oſtende con-
verſationem tuam. * Non impediaris orare ſemper, v. 22.
& non verearis uſque ad mortem juſtificari ; quo-
niam merces Dei manet in æternum. * Ante ora- v. 23.
tionem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi
homo, qui tentat Deum. *Et poſt ſex verſus :* * Ho- v. 27.
mo ſapiens, in omnibus metuet, & in diebus deli-
ctorum adtendet ab inertia. *Et poſt quinque verſus :*
* Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate v. 30.
tua avertere. * Si præſtes animæ tuæ concupiſcen- v. 31.
tias ejus, faciet te in gaudium inimicis. * Ne oble- v. 32.
cteris in turbis, nec immodicis delecteris. *Et poſt*
quinque verſus : * Et qui ſpernit modica, paulatim Eccli. 19. v. 1.
decidet. * Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſa- v. 2.
pientes, & arguunt ſenſatos. *Et poſt aliquot verſus :*
* Qui credit citò, levis corde eſt, & minorabitur : v. 4.
& qui delinquit in animam ſuam, inſuper habebi-
tur. *Et poſt duos verſus :* * Et qui odit loquacitatem, v. 5.
exſtinguit malitiam. *Et poſt octo verſus :* * Audiſti v. 10.
verbum adversùs proximum, commoriatur in te,
fidens, quoniam non te diſrumpet. * A facie verbi v. 11.
parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis.
* Sagitta infixa femori carnis, ſic verbum in [c] ore v. 12.
ſtulti. * Corripe amicum, ne fortè non intellexerit,
& dicat, Non feci ; aut ſi fecit, ne iterum addat v. 13.
facere. * Corripe proximum, ne fortè non dixerit ; v. 14.
& ſi dixerit, ne fortè iteret. * Corripe amicum ; v. 15.
ſæpè enim fit commiſſio : * & non omni verbo cre- v. 16.
das. Eſt qui labitur in lingua ſua, ſed non ex animo.
* Quis eſt enim qui non deliquerit in lingua ſua ? v. 17.
Corripe proximum antequam commineris ; * & da v. 18.
locum timori Altiſſimi : quia omnis ſapientia timor
Dei, & in illa timere Deum. *Et poſt quinque verſus :*
* Melior eſt homo qui deficit ſapientiâ, & deficiens v. 21.
ſenſu in timore, quàm qui abundat ſenſu, & tranſ-
greditur legem Altiſſimi. *Et poſt ſexdecim verſus :*
* Quàm bonum eſt arguere quàm iraſci. *Et poſt ali-* Eccli. 20. v. 1.
quot verſus : * Et qui poteſtatem ſibi aſſumit inju- v. 8.
ſtè, odietur. *Et poſt octo verſus :* * Sapiens in verbis v. 13.
ſeipſum amabilem facit. *Et poſt ſexdecim verſus :*
* Lapſus falſæ linguæ quaſi qui de pavimento ca- v. 20.
dens, ſic caſus malorum feſtinanter veniet. * Ho- v. 21.
mo acharis quaſi fabula vana, in ore [d] diſciplina-
torum aſſidua erit. * Ex ore fatui reprobabitur pa- v. 22.
rabola : non enim illam dicit in tempore ſuo. *Et poſt*
duos verſus : * Eſt qui perdit animam ſuam præ con- v. 24.
fuſione, & ab imprudenti perſona perdet eam ; per-
ſonæ autem acceptione perdet ſe. * Eſt qui præ con- v. 25.
fuſione promittit amico, & lucratus eſt eum inimi-
cum gratis. * Opprobrium nequam in homine men- v. 26.
dacium, & in ore indiſciplinatorum aſſiduè erit.
* Potior fur, quàm aſſiduitas viri mendacis : perdi- v. 27.
tionem autem ambo hereditabunt. * Mores homi- v. 28.
num mendacium ſine honore, & confuſio [e] illius
cum ipſo ſine intermiſſione. * Sapiens in verbis pro- v. 29.
ducet ſeipſum. *Et poſt quatuor verſus :* * Xenia & v. 31.
dona excæcant oculos judicum, & quaſi mutus in
ore avertit correptiones eorum. * Sapientia ab- v. 32.
ſconſa, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſ-
que ? * Melior eſt in hominibus qui abſcondit inſi- v. 33.
pientiam ſuam, quàm qui abſcondit ſapientiam
ſuam. * Fili peccaſti, ne adjicias iterum : ſed & de Eccli. 21. v. 1.
præteritis deprecare, ut tibi remittantur. * Quaſi v. 2.

a Conſonat Græc. At Vulgata præfert, *precare ante faciem Domini, & minue offendicula :* Reg. MS. *ante faciem ejus*. In ſubſequenti verſ. idem codex cum Carnutenſi, *Refer te ad Deum :* favet Græc. ἐπάναγε.

b Ita MSS. & Corb. Bibl. juxta Græc. At editi cum Vulgata, *ſed utraque.*

c Vulgata, *in corde.*

d Sacra Biblia, *indiſciplinatorum.*

e Legendum juxta Vulgatam, *& confuſio illorum cum ipſis* vel in priore parte verſ. caſtigandum eſt juxta Græc. *Mos hominis mendacis.*

à facie colubri fuge peccata ; & ſi acceſſeris ad illa, A
v. 3. ſuſcipient te. * Dentes leonis, dentes ejus, inter-
v. 4. ficientes animas hominum : * quaſi rhomphæa bis
acuta omnis iniquitas ; plagæ illius non eſt ſanitas.
v. 7. *Et poſt quatuor verſus :* * Qui odit correptionem, ve-
ſtigium eſt peccatoris ; & qui timet Deum, con-
v. 11. vertetur ad cor ſuum. *Et poſt quinque verſus :* * Via
peccantium [a] complantata lapidibus ; & in fine il-
v. 12. lorum inferi & tenebræ & pœnæ. * Qui cuſtodit ju-
v. 13. ſtitiam, continebit ſenſum ejus. * Conſummatio ti-
moris Dei, ſapientia & ſenſus. *Et poſt aliquos verſus :* B
v. 18. * Verbum ſapiens quodcumque audierit ſcius, lau-
dabit, & ad ſe adjiciet : audiet luxurioſus, & diſ-
plicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.
v. 19. * Narratio fatui quaſi ſarcina in via : nam in labiis
v. 20. ſenſati invenietur gratia. * Os prudentis quæritur in
Eccleſia, & verba illius cogitabunt in cordibus ſuis.
v. 22. *Et poſt duos verſus :* * Compedes in pedibus ſtulto do-
ctrina, & quaſi vincula manuum ſupra manum dex-
v. 23. teram. * Fatuus in riſu, exaltat vocem ſuam : vir
v. 24. autem ſapiens vix tacitè ridebit. * Ornamentum C
aureum prudenti doctrina, & quaſi brachiale in
v. 29. brachio dextro. *Et poſt octo verſus :* * In ore fatuo-
rum cor illorum, & in corde ſapientium os illorum.
v. 30. * Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe
v. 31. animam ſuam. * Suſurro coinquinabit animam
ſuam, & in omnibus odietur : & qui [b] manſerit,
odioſus erit : tacitus & ſenſatus honorabitur. * In
Eccli. 22. v. 1. lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquen-
tur ſuper aſpernationem illius. *Et poſt quatuor ver-*
v. 4. *ſus :* * Filia prudens hereditas viro ſuo : nam quæ D
v. 5. confundit, in contumeliam fit genitoris. * Patrem
& virum confundit quæ audax eſt, & ab impiis
non minorabitur, ab utriſque autem inhonorabi-
v. 6. tur. * Muſica in luctu, importuna narratio : flagel-
v. 7. la & doctrina, in omni tempore ſapientia. * Qui do-
v. 8. cet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam. * Qui
narrat verbum non adtendenti, quaſi qui excitat
v. 9. dormientem de gravi ſomno. * Cum dormiente lo-
quitur, qui enarrat ſtulto, [c] & in fine dicit, Quis eſt
v. 10. hic ? * Super mortuum plora, deficit enim lux ejus : E
v. 11. & ſuper fatuum plora, deficit enim ei ſenſus. * Mo-
dicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit :
v. 12. * nequiſſimi enim nequiſſima vita ſuper mortem fa-
v. 13. tui. * Luctus mortui ſeptem diebus : fatui autem &
impij, omnes dies vitæ illorum. *Et poſt viginti &*
v. 25. *unum verſus :* * Mittens lapidem in volatilia, deji-
ciet illa : ſic & qui conviciatur amico, diſſolvet
v. 26. amicitiam. * Ad amicum & ſi produxeris gladium,
v. 27. non deſperes : eſt enim regreſſus. Ad amicum * ſi
aperueris os triſte, non timeas ; eſt enim con- F
cordatio : excepto convicio, & improperio, &
ſuperbiâ, & myſterij revelatione, & plagâ do-
loſâ. in his omnibus effugiet amicus. *Et poſt de-*
v. 33. *cem verſus :* * Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſu-
per labia mea ſignaculum certum, ut ne cadam
Eccli. 23. v. 1. ab ipſis, & lingua mea perdat me. * Domine pater
& dominator vitæ meæ, non relinquas me, & ne
v. 2. ſinas me cadere in illis. * Quis ſuperponet in cogita-
tu meo flagella, & in corde meo doctrinam ſapien-

tiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, &
non appareant delicta illorum : * ne adincreſcant v. 3.
ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, &
peccata mea abundent, & incidam in conſpectu
adverſariorum, & gaudeat inimicus meus ? * Do- v. 4.
mine pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me
in cogitatu illorum. * Extollentiam oculorum meo- v. 5.
rum ne dederis mihi, & omne deſiderium [d] averte
à me. * Aufer à me ventris concupiſcentias ; & v. 6.
concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me ;
& animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me.
* Doctrinam oris audite filij ; & qui cuſtodierit il- v. 7.
lam, non periet labiis ſuis, nec ſcandalizabitur in
operibus nequiſſimis. * In vanitate ſua apprehendi- v. 8.
tur peccator, & ſuperbus & maledicus ſcandaliza-
bitur in illis. * Jurationi non aſſueſcat os tuum ; mul- v. 9.
tus enim caſus in illa. * Nominatio verò Dei non v. 10.
ſit in ore tuo aſſidua, & nominibus ſanctorum non
admiſcearis ; quoniam non eris immunis ab eis. * Si- v. 11.
cut enim ſervus interrogatus aſſiduè, à livore non
minuitur : ſic omnis jurans & nominans in toto à
peccato non purgabitur. * Vir multùm jurans im- v. 12.
plebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius
plaga. * Et [e] ſi fruſtraverit, delictum illius ſuper v. 13.
ipſum erit : & ſi diſſimulaverit, delinquit dupliciter.
* Et ſi in vacuum juraverit, non juſtificabitur : re- v. 14.
plebitur enim retributione [f] domus illius. *Et poſt*
quatuor verſus : * [g] Indiſciplinationi non aſſueſcat os v. 17.
tuum : eſt enim in illa verbum peccati. * Memento v. 18.
patris & matris tuæ ; in medio enim magnatorum
conſiſtis : * ne fortè obliviſcatur te Deus in conſpectu v. 19.
illorum, & aſſiduitate tua infatuatus improperium
patiaris, & maluiſſes non naſci, & diem nativitatis
tuæ maledicas. * Homo aſſuetus in verbis impro- v. 20.
perij, in omnibus diebus ſuis non erudietur. * Duo v. 21.
genera abundant in peccatis, & tertium adducit
iram & perditionem. * Anima calida quaſi ignis ar- v. 22.
dens non exſtinguetur, donec aliquid glutiat : * & v. 23.
homo nequam in ore carnis ſuæ non deſinet, do-
nec incendat ignem. *Et poſt duos verſus :* * Omnis v. 25.
homo qui tranſgreditur lectum ſuum, contemnens *f. in animo ſuo.
* in animam ſuam, & dicens, Quis me videt ? * te-
nebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me ; v. 26.
& nemo circumſpicit me ; quem verear ? delicto-
rum meorum non memorabitur Altiſſimus, * & non v. 27.
intelliget, quoniam [h] non videt oculus illius : quo-
niam expellet à ſe timorem Dei hujuſmodi hominis
timor, & oculi hominum timentes illum. * Et non v. 28.
cognovit, quoniam oculi Domini plus multo luci-
diores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias
hominum & profundum abyſſi, & hominum corda
intuentes in abſconditas partes. *Et paulò pòſt :* * Quæ Eccli. 25. v. 5.
in juventute tua non congregaſti, quomodo inve-
nies in ſenectute tua ? * Quàm ſpecioſum canitiei ju- v. 6.
dicium, & preſbyteris cognoſcere conſilium. * Quàm v. 7.
ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſis intellectus
& conſilium. * Corona ſenum multa peritia, & v. 8.
gloria illorum timor Dei. *Et poſt decem verſus :* * Ti- v. 14.
mor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit. * Beatus cui v. 15.
donatum eſt habere timorem Dei. Qui [i] timet il-

a In verioribus Bibliis, *complanata* ; pro Græco, ὡμαλισμένη.

b Sic etiam in antiquis Corb. Bibliis. At nunc in excuſis Vulgata præfert, *& qui cum eo manſerit.*

c Editi juxta Vulgatam, *qui narrat ſtulto ſapientiam & in fine narrationis dicit.* At MSS. carent vocibus, *ſapientiam & narrationis :* quæ etiam à Græco abſunt.

d In editis, *deſiderium pravum averte à me.* Abeſt vox *pravum* à MSS. & à ſacris Bibliis.

e Editi, *Et ſi fruſtraverit fratrem.* Abeſt *fratrem* à Græco & à Vulgata, necnon à Regio MS. qui codex pro *fruſtraverit*, habet *fruſtra juraverit.*

f Hîc in editis additur *peſſima* : quo verbo MSS. & ſacra Biblia carent.

g Carnutenſis codex *Indiſciplinate non aſſueſcat* : Regius, *Indiſciplinatæ jurationi vel loquelæ :* Græcus demum textus in quibuſdam Bibl. ſonat, *Indiſciplinationi temerariæ* ; in aliis *Intemperantiæ juramenti.*

h Regius codex, *Et non intelligit quoniam videt* &c. Vulgata, *Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à ſe* &c.

i Sacra Biblia, *Qui tenet illum.*

v. 15. tur. * Spes enim illorum in ſalvantem illos ; &
v. 16. oculi Dei in diligentes ſe. * Qui timet Dominum,
nihil trepidabit, & non pavebit ; quoniam ipſe
v. 17. eſt ſpes ejus. * Timentis Dominum, beata eſt
v. 18. anima. * Ad quem reſpicit, & quis eſt fortitudo
v. 19. ejus ? * Oculi Domini ſuper timentes eum : pro-
tector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen
v. 20. ardoris & umbraculum [a] meridianum, * depre-
a catio offenſionis & adjutorium caſus, exaltans
animam & illuminans oculos, dans ſanitatem &
v. 21. vitam & benedictionem. * Immolantis ex iniquo
oblatio eſt maculata, & non ſunt beneplacitæ
v. 22. ſubſannationes injuſtorum. * Dominus ſolus ſuſti-
*f. Dominus ſalus. nentibus ſe in via veritatis & juſtitiæ. * Dona
v. 23. iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in
oblationibus iniquorum, nec in multitudine ſa-
v. 24. crificiorum eorum propitiabitur peccatis. * Qui
offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi
v. 25. qui victimat filium in conſpectu patris ſui. * Pa-
nis indigentium, vita pauperis eſt : qui defrau-
v. 26. dat illum, homo ſanguinum eſt. * Qui aufert in
ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.
v. 27. * Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit
v. 28. mercenario, fratres ſunt. * Unus ædificans &
unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor ?
v. 29. * Unus orans, & unus maledicens, cujus vocem
v. 30. exaudiet Deus ? * Qui baptizatur à mortuo, &
iterum tangit illum, quid proficiet lavatio illius ?
v. 31. * Sic homo qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum
eadem facit, quid proficit humiliando ſe ? oratio-
Eccli. 35. nem ejus quis exaudiet ? * Qui conſervat legem,
v. 1. multiplicat orationem. * Sacrificium ſalutare eſt
v. 2. adtendere mandatis, & diſcedere ab omni ini-
v. 3. quitate ; * & propitiationem litare ſacrificij ſuper
injuſtitias & deprecatio pro peccatis, recedere
v. 6. ab injuſtitia. *Et poſt paucos verſus :* Non appa-
v. 7. rebis in conſpectu Dei vacuus. * Hæc enim om-
v. 8. nia propter mandata Domini fiunt. * Oblatio juſti
impinguat altare, & odor ſuavitatis eſt in con-
v. 9. ſpectu Altiſſimi. * Sacrificium juſti acceptum eſt,
& memoriam ejus non obliviſcetur Dominus.
v. 10 * Bono animo gloriam redde Deo, & non mi-
v. 11. nuas primitias manuum tuarum. * In omni dato
hilarem fac vultum tuum, & in exſultatione ſan-
v. 12. ctifica decimas tuas. * Da Altiſſimo ſecundùm
datum ejus, & in bono oculo adinventionem fa-
v. 13. cito manuum tuarum : * quoniam Dominus retri-
v. 14. buens eſt, & ſepties reddet tantum tibi. * Noli
offerre munera prava ; non enim ſuſcipiet illa.
v. 15. * Noli reſpicere ſacrificium injuſtum ; quoniam
Dominus judex eſt, & non eſt apud illum glo-
v. 16. ria perſonæ. * Non accipiet Dominus perſonam
v. 17. in pauperem, & precationem læſi exaudiet. * Non
deſpiciet preces pupilli, nec viduæ, ſi effundat
v. 18. loquelam gemitûs. * Nonne [b] lacryma ad maxil-
b lam deſcendit, & exclamatio à maxilla adſcen-
dit propter illud quod deſcendit ſuper illam ? *Et*
v. 21. *poſt quatuor verſus :* * Oratio humiliantis ſe, nu-
Eccli. 37. bes penetrabit. *Et poſt aliquantum :* * Cum viro
v. 15. ſancto aſſiduus eſto, quemcumque cognoveris
v. 16. obſervantem timorem Dei, * cujus anima eſt ſe-
cundùm animam tuam. *Et poſt quinque verſus :*
v. 19. * Et in his omnibus deprecare Altiſſimum, ut di-
rigat in veritate viam tuam. *Et poſt viginti & unum verſus :* * Fili in vita tua tenta animam tuam ;
v. 30. & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem. * Non
v. 31. enim omnibus omnia expediunt, & non omni
v. 32. animæ omne genus placet. * Noli avidus eſſe in
omni epulatione, & non te effundas ſuper om-
Eccli. 38. nem eſcam. *Et poſt quatuor verſus :* * Honora me-
v. 1. dicum propter neceſſitatem ; etenim illum crea-
v. 2. vit Altiſſimus. * A Deo enim eſt medela, & à
v. 3. rege accipiet donationem. * Diſciplina medici
exaltabit caput ipſius, & in conſpectu magnato-
v. 4. rum collaudabitur. * Altiſſimus creavit de terra
c medicinam, & vir prudens non abhorrebit il-
v. 5. lam. * Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara ?
v. 6. * Ad agnitionem hominum virtus illius, & dedit
homini ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabi-
v. 7. libus ſuis. * In his curans [d] mitigavit dolorem ip-
d ſorum. *Et poſt quatuor verſus :* * Fili in tua infir-
v. 9. mitate non deſperes ; ſed ora Dominum, & ipſe
v. 10. curabit te. * Averte à delicto, & dirige manus,
& ab omni delicto munda cor tuum. *Et poſt unum*
v. 11. *verſum :* * Et impingua oblationem, & da locum
v. 12. medico ; * etenim illum Dominus creavit : & non
diſcedat à te ; quoniam opera ejus ſunt neceſſa-
v. 13. ria. * Eſt enim quando in manus illorum incurras :
v. 14. * ipſi verò Dominum deprecabuntur, ut dirigat
c requiem eorum & ſanitatem propter [c] converſa-
v. 16. tionem illorum. *Et poſt unum verſum :* * Fili in
mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus
incipe plorare. Et ſecundùm judicium contege
corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius.
v. 17. * Propter delaturam amarè fer luctum illius una
v. 18. die, & conſolare propter triſtitiam : * & fac lu-
ctum ſecundùm meritum ejus uno die vel duo-
v. 19. bus, propter detractionem. * A triſtitia enim fe-
ſtinat mors, & cooperiet virtutem, & triſtitia
v. 21. cordis flectet cervicem. *Et poſt unum verſum :* * Non
dederis in triſtitiam cor tuum. *Et poſt novem ver-*
v. 25. *ſus :* * Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis, &
Eccli. 39. qui minoratur actu ſapientiam percipiet. *Et paulò*
v. 17. *poſt :* * In voce [f] dicito, Obaudite me divini fru-
f ctus aquarum, & quaſi roſa plantata ſuper rivum
v. 18. fructificate. * Quaſi Libanus odorem ſuavitatis ha-
v. 19. bete, * Florete flores quaſi lilium, date odorem,
& frondete in gratiam, & collaudate canticum, &
v. 20. benedicite Dominum in operibus ſuis. * Date ma-
gnificentiam nomini ejus, & confitemini illi in
voce labiorum veſtrorum, in canticis labiorum &
v. 21 citharis : & ſic dicetis in confeſſione : * Opera
v. 22. Domini univerſa bona valde. * In verbo ejus ſte-
tit aqua ſicut congeries, & in ſermone oris ejus
v. 23. ſicut exceptoria aquarum. * Quoniam in præce-
pto ipſius placor fit, & non eſt minoratio in ſalu-
v. 24. te illius. * Opera omnis carnis coram illo, & non
v. 25. eſt quidquam abſconditum ab oculis ejus * A
g ſæculo & uſque in ſæculum [g] reſpiciet ; & nihil
v. 26. eſt mirabile in conſpectu ejus. * Non eſt dicere,
Quid eſt hoc, aut quid eſt illud : omnia enim
Eccli. 40. in tempore ſuo quærentur. *Et paulò poſt :* * Gra-
v. 17. tia ſicut paradiſus in benedictionibus, & miſeri-
cordia in ſæculum permanet. *Et poſt duodecim ver-*
v. 24. *ſus :* * Fratres in adjutorium in tempore tribula-
tionis, & ſuper eos miſericordia liberabit. *Et poſt*
Eccli. 41. *paululum :* * Sapientia enim abſcondita, & theſau-
v. 17. rus occultus, quæ utilitas in utriſque ? * Melior
v. 18.

a Vulgata, *meridiani.*
b Sacra Biblia, *Nonne lacryma viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus ſuper deducentem eas.*
c In ſacris Bib. *medicamenta.*
d Vulgata, *mitigabit dolorem, & unguentarius* &c. Præterea in v. 9. pro *non deſperes*, habet *ne deſpicias teipſum.*
e MSS. *propter converſionem illorum.*
f In Vulgata habetur, *dicit, obaudite me divini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate.*
g Vulgata, *reſpicit.*

eſt

eſt homo qui abſcondit ſtultitiam ſuam, quàm A
homo qui abſcondit ſapientiam ſuam. *Et aliquantò*
Eccli. 43. *poſt :* * Benedicentes Dominum exaltate illum
v. 33. quantum poteſtis ; major eſt omni laude. * Exal-
v. 34. tantes eum replemini virtute. *Et poſt multa :* * Ap-
Eccli. 51. propriate ad me indocti, & congregamini in do-
v. 31. mum diſciplinæ. * Quid adhuc retardatis, & quid
v. 32. adhuc dicitis ? In his animæ veſtræ ſitiunt vehe-
v. 33. menter. * Aperui os meum, & locutus ſum : Com-
v. 34. parate vobis ſine argento [a] ſapientiam, * & collum
a veſtrum ſubjicite jugo, & ſuſcipiet anima veſtra
diſciplinam. In proximo enim eſt invenire eam. B
v. 35. * Videte oculis veſtris, quoniam modicè labo-
v. 36. ravi, & inveni mihi multam requiem. * Aſſumite
diſciplinam in multo numero argenti, & copio-
v. 37. ſum aurum poſſidete in ea. * Lætetur anima ve-
ſtra in miſericordia ejus, & non confundemini
v. 38. in laude ipſius. * Operamini opus veſtrum ante
tempus, & dabit vobis mercedem veſtram in tem-
pore ſuo.

De libro Tobiæ iſta ponenda credidimus.

De Tobiæ libro.

Tob. 4. v. 3. Honorem habebis matri tuæ omnibus
v. 4. diebus vitæ ejus. * Memor enim eſſe de-
bes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te
v. 6. in utero ſuo. *Et poſt duos verſus :* * Omnibus au-
tem diebus vitæ tuæ Deum in mente habe, &
cave ne aliquando peccato conſentias, & præ-
v. 7. termittas præcepta Dei tui. * Ex ſubſtantia tua
fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam
ab ullo paupere : ita enim fiet, ut nec à te aver- D
v. 8. tatur facies Domini. * Quo modo potueris, ita
v. 9. eſto miſericors. * Si multum tibi fuerit, abundan-
ter tribue : ſi exiguum fuerit, etiam exiguum li-
v. 10. benter impertire ſtude. * Præmium enim tibi bo-
v. 11. num theſaurizas in die neceſſitatis. * Quoniam
eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat,
v. 12. & non patitur animam ire in tenebras. * Fiducia
magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna om-
v. 13. nibus, qui faciunt eam. * Adtende tibi fili, ab
omni fornicatione, & præter uxorem tuam num- E
v. 14. quam patiaris crimen ſcire. * Superbiam autem
numquam in tuo ſenſu aut in tuo verbo domi-
nari permittas : in ipſa enim initium ſumſit om-
v. 15. nis perditio. * Quicumque aliquid tibi operatus
fuerit, ſtatim mercedem ei reſtitue ; & merces
v. 16. mercenarij apud te omnino non maneat. * Quod
ab alio odis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquan-
v. 17. do facias. * Panem tuum cum eſurientibus egenis
comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. *Et*
v. 19. *poſt duos verſus :* * Conſilium ſemper à ſapiente F
v. 20. perquire. * Omni tempore benedic Deum, &
pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia con-
b ſilia tua in ipſo permaneant. *Et poſt* [b] *ſeptem verſus :*
v. 23. * Noli timere, fili mi : pauperem quidem vi-
tam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi ti-
muerimus Deum, & receſſerimus ab omni pec-
Tob. 12. v. 6. cato, & fecerimus bene. *Et poſt multa :* * Tunc
Raphaël dixit eis occultè, Benedicite Deum cæli,
& coram omnibus viventibus confitemini illi,
quoniam fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. G
v. 7. * Etenim ſacramentum regis abſcondere bonum
eſt : opera autem Dei revelare & confiteri, hono-
v. 8. rificum eſt. * Bona eſt oratio cum jejunio, & elee-
moſyna magis quàm theſauros auri recondere.
v. 9. * Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa
eſt quæ purgat peccata, & facit invenire vitam
v. 10. æternam. * Qui autem faciunt peccatum & ini-
quitatem hoſtes ſunt animæ ſuæ. *Et paulò poſt :*
Tob. 14. v. 10. * Audite ergo filij mei patrem veſtrum : Servite
Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ
v. 11. ſunt placita illi : * & filiis veſtris mandate, ut fa-
ciant juſtitias & eleemoſynas, ut ſint memores
Dei, & benedicant eum in omni tempore, in ve-
ritate & in tota virtute ſua.

Iam nunc quoniam non omnes libri canonici [c] *ve-* c
teriſque Teſtamenti huic operi noſtro neceſſaria dede-
runt ; neque ij qui dederunt, ex omnibus ſuis locis
conveniebat ut darent, ſed ex eis tantùm, ubi aper-
tiora morum bonorum præcepta comperimus ; ſive ubi
utilia jubentur, ſive ubi contraria prohibentur : ad ſa-
cras litteras Evangelicas & Apoſtolicas tranſeamus.
Caput in canone Teſtamenti novi notiſſima & præ-
clariſſima quatuor Evangelia tenuerunt, in quorum
primo, quod ſecundùm Matthæum eſt, ea quæ nobis
ſunt ad hoc opus, quod ſuſcepimus, congrua, videamus.

C De Evangelio ſecundùm Matthæum.

Cap. 5. v. 1. Videns autem Dominus turbas, adſcendit
in montem : & cùm ſediſſet, acceſſerunt
v. 2. ad eum diſcipuli ejus. * Et aperiens os ſuum do-
v. 3. cebat eos, dicens : * Beati pauperes ſpiritu ; quo-
v. 4. niam ipſorum eſt regnum cælorum. * Beati mi-
v. 5. tes ; quoniam ipſi poſſidebunt terram. * Beati qui
v. 6. lugent ; quoniam ipſi conſolabuntur. * Beati qui
eſuriunt & ſitiunt juſtitiam ; quoniam ipſi ſatu-
v. 7. rabuntur. * Beati miſericordes ; quoniam ipſi mi-
v. 8. ſericordiam conſequentur. * Beati mundo corde ;
v. 9. quoniam ipſi Deum videbunt. * Beati pacifici ;
v. 10. quoniam Filij Dei vocabuntur. * Beati qui per-
ſecutionem patiuntur propter juſtitiam ; quoniam
v. 11. ipſorum eſt regnum cælorum. * Beati eſtis cùm
d maledixerint vobis [d] homines, & perſecuti vos
fuerint, & dixerint omne malum adverſùm vos
v. 12. mentientes propter me : * gaudete & exſultate,
quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis : ſic
enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante
v. 13. vos. * Vos eſtis ſal terræ : quòd ſi ſal evanuerit,
in quo ſalietur ? Ad nihilum valet ultrà, niſi ut
mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.
v. 14. * Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcon-
v. 15. di ſupra montem poſita : * neque accendunt lu-
cernam, & ponunt eam ſub modio ; ſed ſuper can-
delabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.
v. 16. * Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut vi-
deant veſtra bona opera, & glorificent Patrem
v. 17. veſtrum qui in cælis eſt. * Nolite putare, quo-
niam veni ſolvere Legem, aut Prophetas : non
v. 18. veni ſolvere, ſed adimplere. * Amen dico vobis,
donec tranſeat cælum & terra, iota unum, aut
unus apex non præteribit à Lege donec omnia
v. 19. fiant. * Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis
minimis, & docuerit ſic homines, minimus voca-
bitur in regno cælorum : qui autem fecerit &
docuerit, hic magnus vocabitur in regno cæ-
v. 20. lorum. * Dico autem vobis, quoniam niſi abunda-
verit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Pha-
riſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.
v. 21. * Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occi-
v. 22. des : qui autem occiderit, reus erit judicio. * Ego
autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri

a Vox *ſapientiam* abeſt à MSS. necnon à ſacris Bibliis.
b Regius MS. *Et poſt* VIII. *verſus.*
c In Regio cod. *veteresque huic operi* præterminſſa voce, *Teſtamenti.*
d Vox *homines* abeſt à Carnutenſi codice, necnon à ſacris Bibl.

suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, A
Racha; reus erit concilio: qui autem dixerit, Fa-
v. 23. tue; reus erit gehennæ ignis. * Si ergo offers munus
tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater
v. 24. tuus habet aliquid adversùm te; * relinque ibi mu-
nus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari
a fratri tuo, & tunc veniens [a] offeres munus tuum.
v. 25. * Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in
via cum eo: ne fortè tradat te adversarius judici,
& judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.
v. 26. * Amen dico tibi, non exies inde donec reddas B
v. 27. novissimum quadrantem. * Audistis quia dictum est
v. 28. antiquis, Non mœchaberis. * Ego autem dico vobis,
quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscen-
dum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.
v. 29. * Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue
eum, & projice abs te. Expedit enim tibi ut u-
num pereat membrorum tuorum, quàm totum
v. 30. corpus tuum [b] mittatur in gehennam. * Et si dex-
b tera manus tua scandalizat te, abscide eam, &
projice abs te. Expedit enim tibi ut unum pereat C
membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum
v. 31. eat in gehennam. * Dictum est autem, Quicumque
dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudij.
v. 32. * Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit
uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit
eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adul-
v. 33 terat. * Item audistis quia dictum est antiquis,
Non perjurabis: reddes autem Domino juramen-
v. 34. ta tua. * Ego autem dico vobis, non jurare omni-
v. 35. no, neque per cælum, quia thronus Dei est; * ne- D
que per terram, quia scabellum pedum ejus est; ne-
que per Jerosolymam, quia civitas est magni regis;
v. 36. * neque per caput tuum juraveris; quia non potes
v. 37. unum capillum album facere aut nigrum. * Sit au-
tem sermo vester, Est, est; Non, non: quod au-
v. 38. tem his abundantius est, à malo est. * Audistis quia
dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro
v. 39. dente. * Ego autem dico vobis, non resistere malo;
sed si quis te percusserit in dexteram maxillam
v. 40. tuam, præbe illi & alteram: * & ei qui vult tecum E
in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, di-
v. 41 mitte ei & pallium. * Et quicumque te angariave-
v. 42. rit ire mille passus, vade cum illo alia duo. * Qui
c petit à te, da ei: & [c] volentem mutuari à te, ne
v. 43. avertaris. * Audistis quia dictum est, [d] Diliges pro-
d ximum tuum, & odies inimicum tuum. * Ego au-
v. 44. tem dico vobis, Diligite inimicos vestros, bene-
facite iis qui vos oderunt, & orate pro persequen-
v. 45. tibus & calumniantibus vos: * ut sitis filij Patris ve-
stri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit su- F
per malos & bonos, & pluit super justos & injustos.
v. 46. * Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mer-
cedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?
v. 47. * Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid am-
v. 48. plius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? * Esto-
te ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis
Matth. 6. v. 1. perfectus est. * Adtendite ne justitiam vestram fa-
ciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alio-
quin mercedem non habebitis apud Patrem ve-
v. 2. strum, qui in cælis est. * Cùm ergo facis eleemosy- G
nam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ fa-

ciunt in synagogis & in vicis, ut honorificentur ab
hominibus. Amen dico vobis, receperunt merce-
dem suam. * Te autem faciente eleemosynam, nes-
v. 3. ciat sinistra tua quid faciat dextera tua, * ut sit elee-
v. 4. mosyna tua in absconso: & Pater tuus qui videt in
absconso, reddet tibi. * Et cùm oratis non eritis
v. 5. sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in an-
gulis platearum stantes orare, ut videantur ab ho-
minibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem
suam. * Tu autem cùm [e] oraveris, intra in cubicu-
v. 6. lum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in c
absconso: & Pater tuus qui videt in absconso, red-
det tibi: * Orantes autem nolite multum loqui,
v. 7. sicut ethnici: putant enim quia in multiloquio suo
exaudiantur. * Nolite ergo assimilari eis: scit enim
v. 8. Pater vester [f] quid opus sit vobis, antequam pe- f
tatis eum. * Sic ergo orabitis, Pater noster qui es
v. 9. in cælis. Sanctificetur nomen tuum. * Adveniat re-
v. 10. gnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in
terra. * Panem nostrum [g] supersubstantialem da
v. 11. g
nobis hodie. * Et dimitte nobis debita nostra, sicut
v. 12. & nos dimittimus debitoribus nostris. * Et ne nos
v. 13. inducas in tentationem: sed libera nos à malo. * Si
v. 14. enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimit-
tet vobis Pater vester cælestis delicta vestra. * Si
v. 15. autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester
dimittet vobis peccata vestra. * Cùm autem jeju-
v. 16. natis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. * Tu autem cùm jejunas, ungue caput
v. 17. tuum, & lava faciem tuam; * ne videaris homini-
v. 18. bus jejunans, sed Patri tuo qui est in absconso: &
Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. * No-
v. 19. lite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo
& tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. * Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo,
v. 20. ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fu-
res non effodiunt nec furantur. * Ubi enim est the-
v. 21. saurus tuus, ibi est & cor tuum. * Lucerna corporis
v. 22. h tui est oculus. [h] Si fuerit oculus tuus simplex, to-
tum corpus tuum lucidum erit: * si autem oculus
v. 23. tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebro-
sum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt,
ipsæ tenebræ quantæ erunt? * Nemo potest duobus
v. 24. dominis servire: aut enim unum odio habebit, &
alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum
contemnet. Non potestis Deo servire & mammo-
næ. * Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ ve-
v. 25. stræ quid manducetis, neque corpori vestro quid
induamini. Nonne anima plus est quàm esca, &
corpus plus quàm vestimentum? * Respicite vola-
v. 26. tilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, ne-
que congregant in horrea, & Pater vester cælestis
pascit illa. nonne vos magis pluris estis illis? * Quis
v. 27. autem vestrûm cogitans potest adjicere ad statu-
ram suam cubitum unum? * Et de vestimento
v. 28. quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo
crescunt: non laborant, neque nent. * Dico au-
v. 29. tem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria
sua coopertus est sicut unum ex istis. * Si autem fœ-
v. 30. num agri quod hodie est, & cras in clibanum mit-

[a] Regius codex; *offer*, juxta Græcum, προσφερε.
[b] MSS. *eat*.
[c] Sic editi & MSS. codices hujus operis, juxta Græcum μὴ δανίσασθαι παρὰ σοῦ θελήσῃς. At Vulgata, *volenti mutuari à te*. Postea verò Regius cod. pro *ne avertaris*, habet *ne avertas*: in Græco est, μὴ ἀπστραφῆς.
[d] Editi addunt hîc, *antiquis*: quæ vox à MSS. abest & à sacris Bibl.
[e] In MS. Carnutensi & antiquis Corb. Bibl. *cùm orabis*. Hoc eodem vers. post *ostio*, additur *tuo* in Corb. Bibl. & in Græco.
[f] Regius cod *quibus opus sit vobis*: Græc. ὧν χρείαν ἔχετε.
[g] Editi, *quotidianum*. At MSS. cum sacris Bibliis, *supersubstantialem*.
[h] Sic omnes codices hujus Speculi. At Vulgata, *Lucerna corporis tui est oculus tuus*. Græca autem littera non sonat aliud quàm, *Lucerna corporis est oculus*.

a titur, Deus sic vestit, quanto magis vos [a] modicæ A
v. 31. fidei? * Nolite ergo solliciti este dicentes, Quid
manducabimus, aut quid bibemus, aut quo ope-
v. 32. riemur. * Hæc enim omnia Gentes inquirunt: scit
v. 33. enim Pater vester quia his omnibus indigetis. * Quæ-
rite ergo primùm regnum Dei & justitiam ejus, &
v. 34. hæc omnia adjicientur vobis. * Nolite ergo solliciti
esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit
Matth. 7. v. 1. sibi ipsi. sufficit diei malitia sua. * Nolite judicare,
ut non judicemini. * In quo enim judicio judicave-
v. 2. ritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueri- B
v. 3. tis, remetietur vobis. * Quid autem vides festucam
in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vi-
v. 4. des? * Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine ejiciam
festucam de oculo tuo: & ecce trabes est in oculo
v. 5. tuo? * Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo
tuo; & tunc videbis ejicere festucam de oculo fra-
v. 6. tris tui. * Nolite sanctum dare canibus, neque mi-
seritis margaritas vestras ante porcos, ne fortè con-
culcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant
v. 7. vos. * Petite, & dabitur vobis; quærite, & inve- C
v. 8. nietis; pulsate, & aperietur vobis. * Omnis enim
qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti
v. 9. aperietur. * Aut quis ex vobis homo, quem si pe-
tierit filius suus panem, numquid lapidem porriget
v. 10. ei. * Aut si piscem petierit, numquid serpentem
v. 11. porriget ei? * Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bo-
na data dare filiis vestris; quanto magis Pater ve-
ster, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?
v. 12. * Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis
homines, & vos facite eis. hæc est enim Lex & D
v. 13. Prophetæ. * Intrate per angustam portam; quia
lata porta & spatiosa via, quæ ducit ad perditio-
v. 14 nem, & multi sunt qui intrant per eam. * Quàm
angusta porta & arta via, quæ ducit ad vitam, &
v. 15. pauci sunt qui inveniunt eam. * Adtendite à fal-
sis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis
v. 16. ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. * Ex
fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colli-
v. 17. gunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? * Sic om-
nis arbor bona fructus bonos facit, mala autem E
v. 18. arbor, fructus malos facit. * Non potest arbor bo-
na fructus malos facere, neque arbor mala fructus
v. 19. bonos facere. * Omnis arbor quæ non facit fructum
v. 20. bonum excidetur, & in ignem mittetur. * Igitur ex
v. 21. fructibus eorum cognoscetis eos. * Non omnis qui
dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum
cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui
v. 22. in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. * Multi
dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne
in nomine tuo prophetavimus, & in tuo nomine F
dæmonia ejecimus, & in tuo nomine virtutes mul-
v. 23. tas fecimus? * Et tunc confitebor illis, quia num-
quam novi vos: discedite à me qui operamini ini-
v. 24. quitatem. * Omnis ergo qui audit verba mea hæc,
& facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædifica-
v. 25. vit domum suam supra petram, * & descendit plu-
via, & venerunt flumina, & flaverunt venti, &
b [b] irruerunt in domum illam, & non cecidit; fun-
v. 26. data enim erat supra petram. * Et omnis qui audit
verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro G
stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam,
v. 27. * & descendit pluvia, & venerunt flumina, & fla-

verunt venti, & irruerunt in domum illam, & ce-
cidit, & fuit ruina ejus magna. *Et paulò post*: * Gra- Matth. 10.
tis accepistis, gratis date. * Nolite possidere au- v. 8.
rum, neque argentum, neque pecuniam in zonis v. 9.
vestris, * non peram in via, neque duas tunicas, v. 10.
neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim
operarius cibo suo. * In quamcumque civitatem v. 11.
aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea di-
gnus sit, & ibi manete donec exeatis. * Intrantes v. 12.
autem in domum, salutate eam [c] dicentes, Pax c
huic domui. * Et si quidem fuerit domus illa digna, v. 13.
veniet pax vestra super illam: si autem non fuerit
digna, pax vestra ad vos revertetur. * Et quicum- v. 14.
que non receperit vos, neque audierit sermones ve-
stros, exeuntes foras, de domo vel de civitate, ex-
cutite pulverem de pedibus vestris. * Amen dico v. 15.
vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Go-
morrhæorum in die judicij, quàm illi civitati. * Ec- v. 16.
ce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.
Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices
sicut columbæ. * Cavete autem ab hominibus. Tra- v. 17.
dent enim vos in conciliis, & in synagogis suis fla-
gellabunt vos: * & ad præsides & reges ducemini v. 18.
propter me, in testimonium illis & gentibus. * Cùm v. 19.
autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut
quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora
quid loquamini. * Non enim vos estis, qui loqui- v. 20.
mini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vo-
bis. * Tradet autem frater fratrem in mortem, & v. 21.
pater filium; & insurgent filij in parentes, & morte
eos afficient. * Et eritis odio omnibus [d] hominibus v. 22. d
propter nomen meum. Qui autem perseveraverit
usque in finem, hic salvus erit. * Cùm autem per- v. 23.
sequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen
dico vobis, non [e] consummabitis civitates Israël, e
donec veniat filius hominis. * Non est discipulus v. 24.
super magistrum, nec servus super dominum suum.
* Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, & v. 25.
servus sicut dominus ejus. Si patrem-familiâs Beel-
zebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?
* Ne ergo timueritis eos. Nil enim opertum est v. 26.
quod non revelabitur, & occultum quod non scie-
tur. * Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumi- v. 27.
ne, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.
* Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam v. 28.
autem non possunt occidere: sed potiùs eum time-
te, qui potest & animam & corpus perdere in ge-
hennam. * Nonne duo passeres asse veneunt, & v. 29.
unus ex illis non cadet super terram sine patre ve-
stro. * Vestri autem & capilli capitis omnes nume- v. 30.
rati sunt. * Nolite ergo timere, multis passeribus v. 31.
meliores estis vos. * Omnis ergo qui confitebitur v. 32.
me coram hominibus, confitebor & ego eum co-
ram Patre meo, qui in cælis est. * Qui autem ne- v. 33.
gaverit me coram hominibus, negabo & ego eum
coram Patre meo, qui in cælis est. * Nolite arbi- v. 34.
trari, quia venerim pacem mittere in terram: non
veni pacem mittere, sed gladium. * Veni enim se- v. 35.
parare hominem adversùs patrem suum, & filiam
adversùs matrem suam, & nurum adversùs socrum
suam; * & inimici hominis domestici ejus. * Qui v. 36. v. 37.
amat patrem aut matrem plus quàm me, non est
me dignus: & qui amat filium aut filiam super me,

[a] Sic MSS. juxta Vulgatam. At editi, *minimæ fidei*.
[b] MSS. *inciderunt*, Græc. προσέπεσον.
[c] Sic editi juxta Vulgatam. At MSS. carent his verbis, *dicentes, Pax huic domui*; quæ nec in Græco textu habentur, nec apud Hieronymum. Quin immo cùm Hieronymus eum in locum dicit, *Occultè salutationem Hebræi ac Syri sermonis expressit*; significat salutationis formulam explicitè prolatam à Matthæo non fuisse, sed tantùm implicitè, eo videlicet quod subsequitur, *veniet pax vestra super eam*. Sed exprimitur à Luca cap. 10. v. 5.
[d] Vox *hominibus* abest à Regio codice, necnon à Græco textu, & à Vulgata: sed exstat tamen in vetustis Corb. Bibliis.
[e] Regius codex, *mensurabitis*.

v. 38. non eſt me dignus. * Et qui non accipit crucem
v. 39. ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. * Qui in-
venit animam ſuam, perdet illam: & qui perdide-
v. 40. rit animam ſuam propter me, inveniet eam. * Qui
recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit
v. 41. eum qui me miſit. * Qui recipit prophetam in no-
mine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: &
qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti
v. 42. accipiet. * Et quicumque potum dederit uni ex mini-
mis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine
diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem
Matth. 11. ſuam. *Et paulò pòſt:* * Cui autem ſimilem æſtimabo
v. 16. generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus
v. 17. in foro, qui clamantes coæqualibus, * dicunt, Ce-
cinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, &
v. 18. non planxiſtis. * Venit enim Johannes neque man-
ducans, neque bibens; & dicunt, dæmonium ha-
v. 19. bet. * Venit filius hominis manducans, & bibens;
& dicunt, Ecce homo vorax, & potator vini, pu-
blicanorum & peccatorum amicus. Et juſtificata
v. 28. eſt ſapientia à filiis ſuis. *Et poſt paululum:* * Venite
ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego
v. 29. reficiam vos. * Tollite jugum meum ſuper vos, &
diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde; & in-
v. 30. venietis requiem animabus veſtris. * Jugum enim
meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt. *Item poſt*
Matth. 12. *paululum:* * Si autem ſciretis quid eſt, Miſericor-
v. 7. diam volo, & non ſacrificium, numquam condem-
v. 30. naſſetis innocentes. *Et poſt paululum:* * Qui non eſt
mecum, contra me eſt: & qui non congregat me-
v. 31. cum, ſpargit. * Ideo dico vobis, omne peccatum
& blaſphemia remittetur hominibus: Spiritûs au-
v. 32. tem blaſphemia non remittetur. * Et quicumque
dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur
ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum,
non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in
v. 33. futuro. * Aut facite arborem bonam, & fructum
ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum
ejus malum: ſiquidem ex fructu arbor cognoſcitur.
v. 34. * Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona lo-
qui, cùm ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os
v. 35. loquitur. * Bonus homo de bono theſauro [a] cordis
ſui profert bona, & malus homo de malo theſauro
v. 36. profert mala. * Dico autem vobis, quoniam omne
verbum otioſum quod locuti fuerint homines, red-
v. 37. dent rationem de eo in die judicij. * Ex verbis enim
tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.
Matth. 15. *Et poſt aliquantum:* * Audite, & intelligite, * Non
v. 10. quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod
v. 11. procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. *Et pau-*
v. 15. *lò pòſt:* * Reſpondens autem Petrus, dixit ei, Ediſ-
v. 16. ſere nobis parabolam iſtam. * At ille dixit, Adhuc
v. 17. & vos ſine intellectu eſtis? * Non intelligitis, quia
omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſe-
v. 18. ceſſum emittitur: * quæ autem procedunt de ore,
v. 19. de corde exeunt, & ea coinquinant hominem? * De
corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia,
adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia,
v. 20. blaſphemiæ. * Hæc ſunt quæ coinquinant homi-
nem: non lotis autem manibus manducare, non
Matth. 16. coinquinat hominem. *Item poſt aliquantum:* * Tunc
v. 24. dixit Jeſus diſcipulis ſuis, Si quis vult poſt me veni-
re, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, &
v. 25. ſequatur me. * Qui enim voluerit animam ſuam ſal-
vam facere, perdet eam: qui autem perdiderit ani-
mam ſuam propter me, inveniet eam. * Quid enim v. 26.
prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur,
animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam
dabit homo commutationem pro anima ſua. * Fi- v. 27.
lius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui
cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecun-
dùm opera ejus. *Item aliquantò pòſt:* * Amen dico Matth. 18.
vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut par- v. 3.
vuli, non intrabitis in regnum cælorum. * Quicum- v. 4.
que ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt
major in regno cælorum. * Et qui ſuſceperit unum v. 5.
parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. * Qui v. 6.
autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in
me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſina-
ria in collo ejus, & demergatur in profundum ma-
ris. * Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim ut v. 7.
veniant ſcandala: verumtamen væ homini per
quem ſcandalum venit. * Si autem manus tua vel v. 8.
pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & projice abs
te. Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem [b] vel b
claudum, quàm duas manus vel duos pedes haben-
tem mitti in ignem æternum. * Et ſi oculus tuus v. 9.
ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum
eſt tibi cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos
oculos habentem mitti in gehennam ignis. * Videte v. 10.
ne contemnatis unum ex his puſillis: dico autem vo-
bis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem
Patris mei, qui in cælis eſt. * Venit enim Filius ho- v. 11.
minis ſalvare quod perierat. *Et paulò pòſt:* * Si autem v. 15.
peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum in-
ter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fra-
trem tuum: * ſi autem te non audierit, adhibe tecum v. 16.
adhuc unum vel duos; ut in ore duorum teſtium,
vel trium, ſtet omne verbum. * Quòd ſi non audie- v. 17.
rit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem & Eccleſiam non audie-
rit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. * Amen di- v. 18.
co vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram,
erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis
ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. * Iterum di- v. 19.
co vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper
terram, de omni re quamcumque petierint, fiet
illis à Patre meo, qui in cælis eſt. * Ubi enim ſunt v. 20.
duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in
medio eorum. * Tunc accedens Petrus ad eum, v. 21.
dixit Domine, quoties peccabit in me frater meus,
& dimittam ei? uſque ſepties? * Dicit illi Jeſus, v. 22.
Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies
ſepties. * Ideo aſſimilatum eſt regnum cælorum ho- v. 23.
mini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis
ſuis: * & cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus v. 24.
eſt ei unus qui debebat decem millia talenta: * cùm v. 25.
autem non haberet unde redderet, juſſit eum do-
minus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios, &
omnia quæ habebat, & reddi. * Procidens autem v. 26.
ſervus ille orabat eum, dicens, Patientiam habe in
me, & omnia reddam tibi. * Miſertus autem Domi- v. 27.
nus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.
* Egreſſus autem ſervus ille invenit unum de con- v. 28.
ſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & te-
nens ſuffocabat eum dicens, Redde quod debes.
* Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, di- v. 29.
cens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.
* Ille autem noluit; ſed abiit, & miſit eum in car- v. 30.
cerem, donec redderet debitum, * Videntes autem v. 31.
conſervi ejus, quæ fiebant, contriſtati ſunt valde:

[a] Vulgata non habet, *cordis ſui:* licèt Græcus textus ferat, τῆς καρδίας, addito in quibuſdam codicibus ἰδίας, uti apud Chryſoſtomum.

[b] In editis omiſſum fuerat, *vel claudum:* quod hîc in MSS. uti & in ſacris Bibliis reperitur.

& venerunt, & narraverunt Domino ſuo omnia,
v. 32. quæ facta fuerant. * Tunc vocavit illum Dominus
ſuus, & ait illi, Serve nequam, omne debitum di-
v. 33 miſi tibi, quoniam rogaſti me: * nonne ergo opor-
tuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui mi-
v. 34. ſertus ſum? * Et iratus Dominus ejus, tradidit eum
tortoribus, quoaduſque redderet univerſum debi-
v. 35. tum. * Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non
remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus ve-
Matth. 19. ſtris. *Et paulò pòſt:* * Et acceſſerunt ad eum Phari-
v. 3. ſæi, tentantes eum, & dicentes, Si licet homini di-
v. 4. mittere uxorem ſuam quacumque ex cauſſa? * Qui
a reſpondens ait eis, Non legiſtis, quia qui fecit [a] ab
Gen. 1. 27. initio, maſculum & feminam fecit eos: & dixit,
Matth. 19. * Propter hoc dimittet homo patrem & matrem,
v. 5. & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.
v. 6. * Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod er-
v. 7. go Deus conjunxit, homo non ſeparet. * Dicunt
Deut. 24. 1. illi, Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum re-
Matth. 19. pudij, & dimittere? * Ait illis, Quoniam Moyſes ad
v. 8. duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxo-
v. 5. res veſtras; ab initio autem non fuit ſic. * Dico au-
tem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam,
niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœcha-
v. 10. tur; & qui dimiſſam duxerit mœchatur. * Dicunt
illi diſcipuli ejus, Si ita eſt cauſſa hominis cum uxo-
v. 11 re, non expedit nubere. * Qui dixit, Non omnes ca-
v. 12. piunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. * Sunt
enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt; &
ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt
eunuchi qui ſeipſos eunuchizaverunt propter re-
v. 13. gnum cælorum: qui poteſt capere, capiat. * Tunc
oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, &
v. 14. oraret: diſcipuli autem increpabant eos. * Jeſus verò
ait eis, Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad
v. 15. me venire. Talium eſt enim regnum cælorum. * Et
v. 16. cùm impoſuiſſet eis manus, abiit inde. * Et ecce
unus accedens ait illi, Magiſter bone, quid boni fa-
v. 17. ciam, ut habeam vitam æternam? * Qui dixit ei,
Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus Deus.
v. 18. Si autem vis ingredi ad vitam, ſerva mandata. * Di-
Exodi 20. cit ei, Quæ? Jeſus autem dixit, Non homicidium
13. facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non
Matth. 19. falſum teſtimonium dices: * Honora patrem tuum
v. 19. & matrem: & diliges proximum tuum ſicut teip-
v. 20. ſum. * Dicit illi adoleſcens, Omnia hæc cuſtodi-
b vi, [b] quid adhuc mihi deeſt? * Ait illi Jeſus, Si vis
v. 21. perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pau-
peribus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſe-
v. 22. quere me. * Cùm autem audiſſet verbum adoleſ-
cens, abiit triſtis; erat enim habens multas poſſeſ-
v. 23. ſiones. * Jeſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen di-
co vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cæ-
v. 24. lorum. * Et iterum dico vobis, Facilius eſt came-
lum per foramen acus tranſire, quàm divitem in-
v. 25. trare in regnum cælorum. * Auditis autem his, diſ-
cipuli mirabantur valde, dicentes, Quis ergo po-
v. 26. teſt ſalvus eſſe? * Adſpiciens autem Jeſus, di-
xit illis, Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud
v. 27. Deum autem omnia poſſibilia ſunt. * Tunc reſpon-
dens Petrus dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia, & G
v. 28. ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? * Jeſus autem
dixit illis, Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti
A eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius homi-
nis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſe-
des duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.
* Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut v. 29.
ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut
filios, aut agros propter nomen meum, centuplum
accipiet, & vitam æternam poſſidebit. * Multi au- v. 30.
tem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi. *Et*
paulò pòſt: * Sicut filius hominis non venit mini- Matth. 20.
ſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redem- v. 28.
tionem pro multis. *Et aliquantò pòſt:* * Reddite er- Matth. 22.
go quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. v. 21.
Et alibi: * Diliges Dominum Deum tuum in toto v. 37.
corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente
tua. * Hoc eſt maximum & primum mandatum. v. 38.
* Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proxi- v. 39.
mum tuum ſicut teipſum. * In his duobus mandatis v. 40.
univerſa Lex pendet & Prophetæ. *Et poſt paucos*
verſus: * Tunc Jeſus locutus eſt ad turbas & ad diſ- Matth. 23.
cipulos ſuos, * dicens, Super cathedram Moyſi ſe- v. 1.
v. 2.
C derunt Scribæ & Phariſæi. * Omnia ergo quæcum- v. 3.
que dixerint vobis ſervate, & facite: ſecundùm ope-
ra verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non
faciunt. * Alligant autem onera gravia & importa- v. 4.
bilia, & imponunt in humeros hominum, digito
autem ſuo nolunt ea movere. * Omnia verò opera v. 5.
ſua faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant
enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.
* Amant autem primos recubitus in cœnis, & pri- v. 6.
mas cathedras in ſynagogis, * & ſalutationes in fo- v. 7.
D ro, & vocari ab hominibus Rabbi. * Vos autem no- v. 8.
lite vocari Rabbi: unus eſt enim magiſter veſter;
omnes autem vos fratres eſtis. * Et patrem nolite v. 9.
vobis vocare ſuper terram: unus eſt enim pater ve-
ſter, qui in cælis eſt. * Nec vocemini magiſtri; quia v. 10.
magiſter veſter unus eſt Chriſtus. * Qui major eſt v. 11.
veſtrûm, erit miniſter veſter. * Qui autem ſe exal- v. 12.
taverit, humiliabitur; & qui ſe humiliaverit, exal-
tabitur. *Et paulò pòſt:* * Væ vobis Scribæ & Phariſæi v. 23.
hypocritæ, quia decimatis mentham & anethum
E & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis,
judicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc opor-
tuit facere, & illa non omittere. * Duces cæci, ex- v. 24.
colantes culicem, camelum autem glutientes. * Væ v. 25.
vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia munda-
tis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intus au-
tem [c] pleni ſunt rapinâ, & omni immunditiâ. * Pha- v. 26.
c riſæe cæce, munda priùs quod intus eſt calicis &
paropſidis, ut fiat & id quod deforis eſt mundum.
* Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſi- v. 27.
F miles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ à foris parent
hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus
mortuorum & omni ſpurcitiâ. * Sic & vos à foris v. 28.
quidem paretis hominibus juſti, intus autem pleni
eſtis hypocriſi & iniquitate. * Væ vobis Scribæ & v. 29.
Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis ſepulcra Pro-
phetarum, & ornatis monumenta juſtorum; * & di- v. 30.
citis, Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non
eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum.
* Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij v. 31.
G eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt: * & vos im- v. 32.
plete menſuram patrum veſtrorum. * Serpentes, v. 33.
genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio

[a] Editi, *quia qui fecit hominem.* At MSS. carent voce *hominem*; quam addere non ſolet Auguſtinus, uti jam à nobis obſervatum fuit: quamquam verò hæc vox nunc in Vulgata exſtet, abeſt tamen ab antiquis Corb. Bibliis, & à Græco.

[b] Vulgata in excuſis addit, *à juventute mea:* quod hîc loci non habet Auguſtini Speculum, neque vetuſta Corb. Biblia nec textus Græcus.

[c] Regius MS. *plena ſunt rapinâ* &c. Græc. γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς: Vulgata, *pleni eſtis rapinâ & immunditiâ:* præterminſſo, *omni*, quod nec in Græco legitur.

v. 34 gehennæ ? * Ideo, [a] Ecce ego mitto ad vos prophe- A
a tas, & ſapientes, & ſcribas ; & ex illis occidetis, &
crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis ve-
v. 35. ſtris, & perſequemini de civitate in civitatem : * ut
veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus
eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti, uſque ad
ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidi-
v. 36. ſtis inter templum & altare. * Amen dico vobis, ve-
nient hæc omnia ſuper generationem iſtam. *Et pau-*
Matth. 24. *lò pòſt :* * Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſ-
v. 12. cet caritas multorum : * qui autem perſeveraverit B
v. 13. uſque in finem, hic ſalvus erit. *Et poſt aliquantum :*
v. 44. * Eſtote parati quia [b] neſcitis qua horâ Filius ho-
b minis venturus eſt. * Quis putas eſt fidelis ſervus &
v. 45. prudens, quem conſtituit Dominus ſuus ſupra fa-
v. 46. miliam ſuam, ut det illis cibum in tempore ? * Bea-
tus ille ſervus, quem cùm venerit Dominus ejus,
v. 47. invenerit ſic facientem. * Amen dico vobis, quo-
v. 48. niam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. * Si
autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo, Moram
v. 49. facit Dominus meus venire ; * & cœperit percutere C
conſervos ſuos, manducet autem & bibat cum
v. 50 ebriis : * veniet Dominus ſervi illius in die qua non
v. 51. ſperat, & horâ qua ignorat ; * & dividet eum, par-
temque ejus ponet cum hypocritis : illic erit fletus
Matth. 25. & ſtridor dentium. *Et poſt paululum :* * Vigilate ita-
v. 13. que, quia neſcitis diem neque horam. *Item poſt pau-*
v. 31. *lulum :* * Cùm autem venerit filius hominis in maje-
ſtate ſua, & omnes Angeli cum eo ; tunc ſedebit
v. 32. ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, * & congregabuntur
ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invi-
v. 33. cem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis : * & ſta-
tuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à
v. 34. ſiniſtris. * Tunc dicet rex iis, qui à dextris ejus erunt,
Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vo-
v. 35. bis regnum à conſtitutione mundi. * Eſurivi enim,
& dediſtis mihi manducare : ſitivi, & dediſtis mihi
v. 36. bibere : hoſpes eram, & collegiſtis me : * nudus, &
cooperuiſtis me : infirmus, & viſitaſtis me : in car-
v. 37. cere eram, & veniſtis ad me. * Tunc reſpondebunt
ei juſti, dicentes, Domine, quando te vidimus eſu-
rientem, & pavimus te ; ſitientem, & dedimus tibi
v. 38. potum ? * Quando autem te vidimus hoſpitem, &
v. 39. collegimus te ; aut nudum, & cooperuimus ? * Aut
quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & ve-
v. 40. nimus ad te ? * Et reſpondens rex, dicet illis, Amen
dico vobis, quamdiu feciſtis uni de his fratribus
v. 41. meis minimis, mihi feciſtis. * Tunc dicet & iis, qui à
ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem
æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.
v. 42. * Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare : ſi-
v. 43. tivi, & non dediſtis mihi potum : * hoſpes fui, &
non collegiſtis me : nudus, & non cooperuiſtis me :
v. 44. infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. * Tunc
reſpondebunt ei & ipſi, dicentes, Domine, quan-
do te vidimus eſurientem, & ſitientem, & hoſpitem,
aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, & non
v. 45. miniſtravimus tibi ? * Tunc reſpondebit illis, di-
cens, Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni
v. 46. de minoribus his, nec mihi feciſtis. * Et ibunt hi in
ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.
Matth. 26. *Et poſt aliquantum :* * Vigilate, & orate, ut non in-
v. 41. tretis in tentationem.

De Evangelio ſecundum Marcum.

* Advocans iterum turbam, dicebat illis, Marci 7.
Audite me omnes, & intelligite : * Nihil eſt v. 14.
extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum v. 15.
coinquinare ; ſed quæ de homine procedunt, illa
ſunt quæ communicant hominem. * Si quis habet v. 16.
aures audiendi, audiat. * Et cùm introiſſet in do- v. 17.
mum à turba, interrogabant eum diſcipuli ejus pa-
rabolam. * Et ait illis, Sic & vos imprudentes eſtis? v. 18.
Non intelligitis, quia omne extrinſecùs introiens
in hominem, non poteſt eum communicare ; * quia v. 19.
non intrat in cor ejus, ſed in ventrem, [c] & in ſe- c
ceſſum exit, purgans omnes eſcas ? * Dicebat au- v. 20.
tem, quoniam quæ de homine exeunt, illa com-
municant hominem. * Ab intus enim de corde ho- v. 21.
minum [d] exeunt cogitationes malæ, procedunt d
adulteria, fornicationes, homicidia, * furta, ava- v. 22.
ritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus ma-
lus, blaſphemiæ, ſuperbia, ſtultitia. * Omnia hæc v. 23.
mala ab intus procedunt, & communicant homi-
nem. *Et alio loco :* * Convocatâ turbâ cum diſcipulis Marci 8.
ſuis, dixit eis, Si quis vult [e] me ſequi, deneget ſe- v. 34. e
ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. [f] Qui v. 35.
enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet
eam : qui autem perdiderit animam ſuam propter
me & Evangelium, ſalvam eam faciet. * Quid enim v. 36.
proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & de-
trimentum faciat animæ ſuæ ? * Aut quid dabit ho- v. 37.
mo commutationem pro anima ſua ? * Qui enim me v. 38.
confuſus fuerit & mea verba in generatione iſta
adultera & peccatrice, & filius hominis [f] confun- f
det eum in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis. *Et ali-*
bi : * Et accipiens puerum ſtatuit eum in medio eo- Marci 9.
rum ; quem cùm complexus eſſet, ait illis : * Quiſ- v. 35.
quis unum ex hujuſmodi pueris receperit in nomine v. 36.
meo, me recipit ; & quicumque me ſuſceperit, non
me ſuſcipit, ſed eum qui me miſit. *Et paulò pòſt :*
* Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ v. 40.
[g] in nomine meo, quia Chriſti eſtis ; amen dico g
vobis, non perdet mercedem ſuam. * Et quiſquis v. 41.
ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in
me, bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola
aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur. *Et poſt*
paululum : * Habete in vobis ſalem, & pacem ha- v. 50.
bete inter vos. *Et paulò pòſt :* * Et accedentes Pha- Marci 10.
riſæi interrogabant eum, Si licet viro uxorem di- v. 2.
mittere, tentantes eum. * At ille reſpondens, di- v. 3.
xit eis, Quid vobis præcepit Moyſes ? * Qui dixe- v. 4.
runt, Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere, &
dimittere. * Quibus reſpondens Jeſus ait, Ad du- v. 5.
ritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud :
* ab initio autem creaturæ maſculum & feminam v. 6.
fecit eos Deus. * Propter hoc relinquet homo pa- v. 7.
trem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ ; * & v. 8.
erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo,
ſed una caro. * Quod ergo Deus conjunxit, homo v. 9.
non ſeparet. * Et in domo iterum diſcipuli ejus de v. 10.
eodem interrogaverunt eum. * Et dicit illis, Qui- v. 11.
cumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit,
adulterium committit ſuper eam : * & ſi uxor dimi- v. 12.
ſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur. *Et*
poſt quatuor verſus : * Sinite parvulos venire ad me, v. 14.

a Editi, *Ideo dico vobis.* At MSS. & ſacra Biblia catent, *dico vobis.*
b Sacra Biblia, *quia qua neſcitis horâ.*
c Vulgata, *ſed in ventrem vadit.*
d Verbum *exeunt* abeſt à Vulgata : ſed exſtat in codicibus hujus Speculi, è quibus Regius MS. poſt *cogitationes malæ*, proſequitur, *inde procedunt* &c.
e Regius cod. juxta Græc. *poſt me ſequi :* ſic etiam antiqua Corb. Biblia.
f Vulgata, *confundetur eum.*
g In editis addebatur, *frigida :* quod abeſt à MSS. & à ſacris Bibliis.

& ne prohibueritis eos. Talium eſt enim regnum A
v. 15. Dei. * Amen dico vobis, quiſquis non receperit re-
v. 16. gnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. * Et
complexans eos, & imponens manus ſuper illos,
v. 17. benedicebat eos. * Et cùm egreſſus eſſet in viam,
a [a] præcurrens quidam genu flexo ante eum, roga-
bat eum, Magiſter bone, quid faciam, ut vitam
v. 18. æternam percipiam? * Jeſus autem dixit ei, Quid me
v. 19. dicis bonum ? Nemo bonus niſi unus Deus. * Præ-
Exodi 20. cepta noſti ? Ne adulteres, Ne occidas, Ne fure-
13. ris, Ne falſum teſtimonium dixeris, Ne fraudem B
Marci 10. feceris, Honora patrem tuum & matrem. * At ille
v. 20. reſpondens, ait illi, Magiſter, hæc omnia ſervavi
v. 21. à juventute mea. * Jeſus autem intuitus eum, dile-
xit eum ; & dixit illi, Unum tibi deeſt : vade, quæ-
cumque habes vende, & da pauperibus, & habe-
v. 22. bis theſaurum in cælo ; & veni ſequere me. * Qui
contriſtatus in verbo, abiit mærens : erat enim
v. 23. habens multas poſſeſſiones. * Et circumſpiciens Je-
ſus, ait diſcipulis ſuis, Quàm difficilè qui pecunias
v. 24. habent, in regnum Dei introibunt. * Diſcipuli au- C
tem obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jeſus rurſus
reſpondens, ait illis, Filioli, quàm difficile eſt con-
v. 25. fidentes in pecuniis in regnum Dei introire. * Facil-
lius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm
v. 26. divitem intrare in regnum Dei. * Qui magis admi-
rabantur, dicentes ad ſeipſos, Et quis poteſt ſalvus
v. 27 fieri ? * Et intuens illos Jeſus, ait, Apud homines
impoſſibile eſt, ſed non apud Deum : omnia enim
v. 28. poſſibilia ſunt apud Deum. * Et cœpit Petrus ei di-
cere, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus D
v. 29. te. * Reſpondens Jeſus ait, Amen dico vobis, nemo
eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores,
aut matrem, aut patrem, aut filios, aut agros pro-
v. 30. pter me & propter Evangelium, * qui non accipiat
centies tantum nunc in tempore hoc, domus, &
fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros,
cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam
v. 31. æternam. * Multi autem erunt primi noviſſimi, &
v. 42. noviſſimi primi. *Et paulò pòſt :* * Scitis quia ij qui vi-
dentur principari gentibus, dominantur eis, & E
v. 43. principes eorum poteſtatem habent ipſorum. * Non
ita eſt autem in vobis ; ſed quicumque voluerit fieri
v. 44. major, erit veſter miniſter ; * & quicumque volue-
v. 45. rit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus. * Nam
& Filius hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed
ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemtio-
Marci 11. nem pro multis. *Et aliquantò pòſt :* * Et reſpondens
v. 22. Jeſus, ait eis, Habete fidem Dei. * Amen dico vo-
v. 23. bis, quicumque dixerit huic monti, Tollere & mit-
tere in mare ; & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed F
crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.
v. 24. * Propterea dico vobis, Omnia quæcumque oran-
b tes petitis, credite quia accipietis, & [b] venient vo-
v. 25. bis. * Et cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid
habetis adverſùs aliquem ; ut & Pater veſter qui in
v. 26. cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. * Quòd ſi
vos non dimiſeritis, nec Pater veſter qui in cælis eſt,
dimittet vobis peccata veſtra. *Item poſt aliquantum :*
Marci 12. * Reſpondens autem Jeſus, dixit illis, Reddite igi-
v. 17. tur quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. G
v. 28. *Et alio loco :* * Et acceſſit unus de Scribis, qui au-
dierat illos conquirentes, & videns quia bene illis
reſponderit, interrogavit eum, quod eſſet primum
v. 29. omnium mandatum. * Jeſus autem reſpondit ei,
Quia primum omnium mandatum eſt, Audi Iſraël,

a Vulgata, *procurrens.* Græc. προδραμών, *adcurrens.*
b Vulgata, *& evenient.*

Dominus Deus tuus Deus unus eſt. * Et, Diliges v. 30.
Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex
tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota
virtute tua : hoc eſt primum mandatum. * Secun- v. 31.
dum autem ſimile eſt illi, Diliges proximum tuum
tamquam teipſum. Majus horum aliud mandatum
non eſt. * Et ait illi Scriba, Bene magiſter in veri- v. 32.
tate dixiſti, quia unus eſt Deus, & non eſt alius
præter eum : * & ut diligatur ex toto corde, & ex v. 33.
toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota forti-
tudine : & diligere proximum tamquam ſeipſum,
majus eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis.
* Jeſus autem videns quòd ſapienter reſpondiſſet, v. 34.
dixit illi, Non es longè à regno Dei. Et nemo jam
audebat eum interrogare. *Et paulò pòſt :* * Cavete v. 38.
à Scribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari
in foro, * & in primis cathedris ſedere in ſynagogis, v. 39.
& primos diſcubitus in cœnis : * qui devorant do- v. 40.
mos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis, hi
[c] accipiunt prolixius judicium. * Et ſedens Jeſus v. 41. c
contra gazophylacium, adſpiciebat quomodo tur-
ba jactaret æs in gazophylacium : & multi divites
jactabant multa. * Cùm veniſſet autem una vidua v. 42.
pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans : * & v. 43.
convocans diſcipulos, ait illis, Amen dico vobis,
quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui
miſerunt in gazophylacium. * Omnes enim ex eo v. 44.
quod abundabat illis miſerunt ; hæc verò de penu-
ria ſua omnia quæ habuit miſit, totum victum ſuum.
Et paulò pòſt : * Et cùm duxerint vos tradentes, no- Marci 13.
lite præcogitare quid loquamini, ſed quod datum v. 11.
fuerit vobis in illa hora, id loquimini. Non enim
eſtis vos loquentes, ſed Spiritus ſanctus. *Et poſt*
paululum : * Et eritis odio omnibus propter nomen v. 13.
meum. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus
erit. *Et alio in loco :* * Videte, vigilate, & orate ; v. 33.
neſcitis enim quando tempus ſit. * Sicut homo qui v. 34.
peregrè profectus, reliquit domum ſuam, & dedit
ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori
præcepit ut vigilet. * Vigilate ergo ; neſcitis enim v. 35.
quando dominus domus veniat ; ſerò, an media
nocte, an galli cantu, an manè : * ne cùm venerit v. 36.
repentè, inveniat vos dormientes. * Quod autem v. 37.
vobis dico, omnibus dico, Vigilate.

De Evangelio ſecundum Lucam.

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax Luca 2. v.
hominibus bonæ voluntatis. *Et aliquantò pòſt :* 14.
* Et interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid er- Luca 3. v.
go faciemus ? * Reſpondens autem, dicebat illis, 10.
Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui v. 11.
habet eſcas, ſimiliter faciat. * Venerunt autem & v. 12.
publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum,
Magiſter, quid faciemus ? * At ille dixit ad eos, Ni- v. 13.
hil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis, fa-
ciatis. * Interrogabant autem eum & milites, di- v. 14.
centes, Quid faciemus & nos ? Et ait illis, Nemi-
nem concutiatis, neque calumniam faciatis, &
contenti eſtote ſtipendiis veſtris. *Et poſt aliquantum :*
* Beati pauperes ; quia veſtrum eſt regnum Dei. Luca 6. v.
Beati qui nunc eſuritis ; quia ſaturabimini. * Beati 20.
qui nunc fletis ; quia ridebitis. * Beati eritis, cùm v. 21.
vos oderint homines, & cùm ſeparaverint vos, & v. 22.
exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tam-
quam malum propter Filium hominis. * Gaudete v. 23.
in illa die, & exſultate ; ecce enim merces veſtra

c Vulgata, *accipient.*

multa est in cælo: secundùm enim hæc faciebant A
v. 24. Prophetis patres eorum. * Verumtamen væ vobis
v. 25. divitibus; quia habetis consolationem vestram.*Væ
vobis qui saturati estis; quia esurietis. Væ vobis qui
v. 26. ridetis nunc; quia lugebitis, & flebitis. * Væ cùm
a benedixerint vobis [a] omnes homines: secundùm
v. 27. hæc faciebant pseudoprophetis patres eorum. * Sed
vobis dico qui auditis, Diligite inimicos vestros,
v. 28. benefacite iis qui vos oderunt. * Benedicite maledi-
v. 29. centibus vobis. Orate pro calumniantibus vos. * Et
qui te percutit in maxillam, præbe & alteram; & B
ab eo qui aufert tibi vestimentum tuum, etiam tu-
v. 30. nicam noli prohibere. * Omni autem petenti te,
v. 31. tribue; & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. * Et
prout vultis ut faciant vobis homines, facite illis
v. 32. similiter. * Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ
vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se
v. 33. diligunt. * Et si benefeceritis iis qui vobis benefa-
ciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccato-
v. 34. res hoc faciunt. * Et si mutuum dederitis iis à qui-
bus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & C
peccatores peccatoribus fœnerant, ut recipiant
v. 35. æqualia. * Verumtamen diligite inimicos vestros;
benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes:
& erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi;
quia ipse benignus est super ingratos & malos.
v. 36. * Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester
v. 37. misericors est. * Nolite judicare, & non judicabi-
mini. Nolite condemnare, & non condemnabimi-
v. 38. ni. Dimittite, & dimittemini.* Date, & dabitur vo-
bis. Mensuram bonam, & confertam, & coagita- D
tam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.
Eadem quippe mensurâ, qua mensi fueritis, reme-
v. 39. tietur vobis. * Dicebat autem illis & similitudinem,
Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne am-
v. 40. bo in foveam cadunt? * Non est discipulus super
magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut
v. 41. magister ejus. * Quid autem vides festucam in ocu-
lo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est
v. 42. non consideras? * Aut quomodo potes dicere fratri
tuo, Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo: E
ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita,
ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspi-
v. 43. cies ut educas festucam de oculo fratris tui. * Non
est enim arbor bona quæ facit fructus malos, neque
v. 44. arbor mala faciens [b] fructum bonum. * Unaquæ-
b que arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim
de spinis colligunt ficus, neque de rubo vinde-
v. 45. miant uvas. * Bonus homo de bono thesauro cordis
sui profert bonum; & malus homo de malo the-
sauro profert malum. Ex abundantia cordis os lo- F
v. 46. quitur, * Quid autem vocatis me, Domine, Domi-
v. 47. ne; & non facitis quæ dico? * Omnis qui venit ad
me, & audit sermones meos, & facit eos, osten-
v. 48. dam vobis cui similis sit. * Similis est homini ædifi-
canti domum, qui fodit in altum, & posuit funda-
mentum supra petram. Inundatione autem facta, il-
lisum est flumen domui illi, & non potuit eam mo-
v. 49. vere; fundata enim erat super petram. * Qui autem
audit, & non facit, similis est homini ædificanti
domum suam supra terram sine fundamento: in G
quam illisus est fluvius, & continuò cecidit, & fa-
cta est ruina domus illius magna. *Et post aliquantum:*
* Cui ergo similes dicam homines generationis hu- Luca 7. v. 31.
jus, & cui similes sunt? * Similes sunt pueris seden- v. 32.
tibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicenti-
bus, Cantavimus vobis [c] tibiis, & non saltastis; la- c
mentavimus, & non plorastis. * Venit enim Johan- v. 33.
nes Baptista neque manducans panem, neque bi-
bens vinum; & dicitis, Dæmonium habet. * Venit v. 34.
Filius hominis manducans & bibens, & dicitis, Ec-
ce homo devorator & bibens vinum, amicus pu-
blicanorum & peccatorum. * Et justificata est sa- v. 35.
pientia ab omnibus filiis suis. *Item post aliquantum:*
* Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Luc. 8. v. 11.
* Qui autem secus viam sunt, ij sunt qui audiunt, v. 12.
deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde
eorum, ne credentes salvi fiant. * Nam qui supra v. 13.
petram, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt
verbum; & hi radices non habent, [d] quia ad tem- d
pus credunt, & in tempore tentationis recedunt,
* Quod autem in spinas cecidit, ij sunt qui audie- v. 14.
runt, & à sollicitudinibus & divitiis & voluptatibus
vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.
* Quod autem in bonam terram, ij sunt qui in cor- v. 15.
de bono & optimo audientes verbum retinent, &
fructum afferunt in patientia. * Nemo autem lu- v. 16.
cernam accendens, operit eam vase, aut subtus
lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut in-
trantes videant lumen. * Non enim est occultum v. 17.
quod non manifestetur, nec absconditum quod
non cognoscatur, & in palam veniat. * Videte er- v. 18.
go quomodo [e] audistis. Qui enim habet, dabitur illi; e
& quicumque non habet, etiam quod putat se ha-
bere, auferetur ab illo. *Et post aliquantum:* * Con- Luca 9. v. 1.
vocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis vir-
tutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut
languores curarent. * Et misit illos prædicare re- v. 2.
gnum Dei, & sanare infirmos. * Et ait ad illos, Ni- v. 3.
hil tuleritis in via, neque virgam, neque peram,
neque panem, neque pecuniam, neque duas tuni-
cas habeatis. * Et in quamcumque domum intrave- v. 4.
ritis, ibi manete, & inde ne exeatis. * Et quicum- v. 5.
que non receperint vos, exeuntes de civitate illa,
etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testi-
monium super illos. *Item post aliquantum:* * Dice- v. 23.
bat autem ad omnes, Si quis vult post me venire,
abneget semetipsum, & tollat crucem suam [f] quo- f
tidie, & sequatur me. * Qui enim voluerit animam v. 24.
suam salvam facere, perdet illam. Nam qui perdi-
derit animam suam propter me, salvam faciet il-
lam. * Quid enim proficit homo, si lucretur univer- v. 25.
sum mundum, se autem ipsum perdat, & detri-
mentum sui [g] fiat? * Nam qui me erubuerit & v. 26.
meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm g
venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum
Angelorum. *Et alio loco:* * Intravit autem cogita- v. 46.
tio in eos, quis eorum major esset. * At Jesus vi- v. 47.
dens cogitationes cordis illorum, apprehendens
puerum statuit eum secus se, * & ait illis, Quicum- v. 48.
que susceperit puerum istum in nomine meo, me
recipit: & quicumque me receperit, recipit eum
qui me misit. Nam qui minor est inter omnes vos,
hic major est. *Et post aliquantum:* * Ait autem ad v. 59.
alterum, Sequere me. Ille autem dixit, Domi-
ne, permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem

[a] Vox *omnes* abest nunc à Vulgata: sed exstabat in antiquis Corb. Bibliis, & in Græco.
[b] Regius codex, *fructus bonos*.
[c] In Regio MS. deest hîc, *tibiis*: neque additur ista vox Matth. 11. v. 17. cùm tamen Græcum, ηὐλήσαμεν, quod verbum utroque loco habetur, non sit simpliciter *cecinimus*, sed *cecinimus tibiis*.
[d] In sacris Bibliis, *qui ad tempus*.
[e] Vulgata in excusis, *audiatis*: in antiquis autem Corb. Bibliis, *auditis*.
[f] In MSS. Regio & Carnutensi non additur *quotidie*.
[g] Vulgata, *faciat*.

v. 60. meum. * Dixitque ei Jesus, Sine ut mortui sepe- A
liant mortuos suos: tu autem vade, annuntia re-
v. 61. gnum Dei. * Et ait alter, Sequar te Domine, sed
a primùm permitte mihi renuntiare iis [a] qui domi
v. 62. sunt. * Ait ad illum Jesus, Nemo mittens manum
suam in aratrum, & respiciens retrò, aptus est re-
Luca 10. v. 3. gno Dei. *Et post paululum:* * Ecce ego mitto vos
v. 4. sicut agnos inter lupos. * Nolite portare sacculum,
neque peram, neque calceamenta, & neminem
v. 5. per viam salutaveritis. * In quamcumque domum
v. 6. intraveritis, primùm dicite, Pax huic domui.* Et si B
ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax ve-
v. 7. stra: sin autem, ad vos revertetur. * In eadem au-
tem domo manete edentes & bibentes quæ apud
illos sunt; dignus enim est operarius mercede sua.
v. 8. Nolite transire de domo in domum. * Et in quam-
cumque civitatem intraveritis, & susceperint vos,
v. 9. manducate quæcumque apponuntur vobis; * & cu-
rate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis, Appro-
v. 10. pinquavit in vos regnum Dei. * In quamcumque
civitatem intraveritis, & non receperint vos, exeun- C
v. 11. tes in plateas ejus, dicite, * Etiam pulverem qui
adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos,
tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum
v. 12. Dei. * Dico vobis, quia Sodomis in die illa remis-
v. 20. sius erit quàm illi civitati. *Et post paululum:* * Ve-
rumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vo-
bis subjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina ve-
v. 25. stra scripta sunt in cælis. *Et post paululum:* * Ecce
quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & di-
cens, Magister, quid faciendo vitam æternam pos- D
v. 26. sidebo? * At ille dixit ad eum, In Lege quid scrip-
v. 27. tum est? quomodo legis? * Ille respondens dixit,
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
& ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, &
ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teip-
v. 36. sum. *Et paulò pòst:* * Quis horum trium videtur tibi
v. 37. proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? * At ille
dixit, Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi
Jesus, Vade, & tu fac similiter. *Et post paululum:*
v. 41. * Martha, Martha, sollicita es & turbaris erga plu- E
v. 42. v. 43. rima: * porrò unum est necessarium: * Maria opti-
mam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Item*
Luca 11. *post paululum:* * Cùm oratis, *inquit*, dicite, Pater,
v. 2. sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum:
v. 3. * Panem nostrum quotidianum da nobis [b] hodie:
b v. 4. *Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi di-
mittimus omni debenti nobis: Et ne nos inducas in
v. 5. tentationem. * Et ait ad illos, Quis vestrûm habe-
bit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet
v. 6. illi, Amice, commoda mihi tres panes, * quoniam F
amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod
v. 7. ponam ante illum: * & ille de intus respondens, di-
cat, Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum
est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum
v. 8. surgere & dare tibi. * Et ille si perseveraverit pul-
sans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo
quòd amicus ejus sit; propter improbitatem tamen
ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessa-
v. 9. rios. * Et ego vobis dico, Petite, & dabitur vobis:
quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. G
v. 10. * Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, in-
v. 11. venit; & pulsanti aperietur. * Quis autem ex vobis
patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?
Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit
illi? * Aut si petierit ovum, numquid porriget illi v. 12.
scorpionem? * Si ergo cùm sitis mali, nostis bona v. 13.
data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester
de cælo dabit spiritum bonum petentibus se. *Et pau-
lò pòst:* * Factum est autem cùm hæc diceret, ex- v. 27.
tollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi,
Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.
* At ille dixit, Immò beati qui audiunt verbum v. 28.
Dei, & custodiunt illud. *Et paulò pòst:* * Et cùm v. 37.
loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut
pranderet apud se: & ingressus recubuit. * Phari- v. 38.
sæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare
non baptizatus esset ante prandium: * Et ait Do- v. 39.
minus ad illum, Nunc vos Pharisæi quod de foris
est calicis & catini, mundatis; quod autem intus
est vestrum, plenum est rapinâ & iniquitate.* Stulti, v. 40.
nonne qui fecit quod de foris est, etiam quod in-
tus est fecit? * Verumtamen quod superest, date v. 41.
eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.
* Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis men- v. 42.
tham, & rutam, & omne olus, & præteritis judi-
cium & caritatem Dei. Hæc autem oportuit face-
re, & illa non omittere. * Væ vobis Pharisæi, quia v. 43.
diligitis primas cathedras in synagogis, & saluta-
tiones in foro. * Væ vobis, quia estis ut monumen- v. 44.
ta quæ non parent, & homines ambulantes supra
nesciunt. * Respondens autem quidam ex legisperi- v. 45.
tis, ait illi, Magister, hæc dicens, etiam nobis
contumeliam facis. * At ille ait, Etiam vobis legis- v. 46.
peritis væ; quia oneratis homines oneribus, quæ
[c] portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non c
tangitis sarcinas. *Et alio loco:* * Adtendite à fermen- Luca 12.
to Pharisæorum, quod est hypocrisis. *Et paulò pòst:* v. 1.
* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab v. 4.
iis, qui occidunt corpus, & post hæc non habent
ampliùs quid faciat.* Ostendam autem vobis quem v. 5.
timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit,
habet potestatem mittere in gehennam: ita dico
vobis, hunc timete. * Nonne quinque passeres ve- v. 6.
neunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione
coram Deo? * Sed & capilli capitis vestri omnes v. 7.
numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeri-
bus pluris estis. * Dico autem vobis, Omnis qui- v. 8.
cumque confessus fuerit me coram hominibus, &
Filius hominis confitebitur [d] in illo coram Angelis d
Dei: * qui autem negaverit me coram hominibus, v. 9.
denegabitur coram Angelis Dei. * Et omnis qui v. 10.
dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei
autem qui in Spiritum-sanctum blasphemaverit,
non remittetur. * Cùm autem inducent vos in sy- v. 11.
nagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite
solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid
dicatis: * Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa v. 12.
hora, quæ oporteat dicere. * Ait autem ei quidam v. 13.
de turba, Magister, dic fratri meo ut dividat me-
cum hereditatem. * At ille dixit ei, Homo, quis v. 14.
me constituit judicem, aut divisorem supra vos?
* Dixitque ad illos, Videte, & cavete ab omni ava- v. 15.
ritia; quia non in abundantia cujusquam vita ejus
est, ex his quæ possidet. * Dixit autem similitudi- v. 16.
nem ad illos, dicens, Hominis cujusdam divitis
uberes fructus ager adtulit; * & cogitabat intra se, v. 17.
dicens, Quid faciam, quia non habeo quò con-

[a] Sic etiam in Corb. Bibliis habebat Vulgata; licèt nunc in excusis ferat, *his quæ domi sunt*, neutro genere, non masculino.
[b] In vetustis Corb. Bibliis, *cotidie*; juxta Græc. τὸ καθ' ἡμέραν.
[c] Regius codex hîc, *quæ portari non possunt*: sic etiam antiqua Corb. Biblia. Græcus verò textus δυσβάστακτα, id est difficilia portatu.
[d] Ita codices omnes hujus Speculi; juxta Græcum, ὁμολογήσει ἐν αὐτῷ; qui etiam proximè ante habet, ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοί.

v. 18. gregem fructus meos? * Et dixit, Hoc faciam, de-
A tem ad invitatos parabolam, intendens quomodo
struam horrea mea, & majora faciam, & illuc con-
primos accubitus eligerent, dicens ad illos, * Cùm
gregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea;
v. 19. * & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona
invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo
posita in annos plurimos, requiesce, comede, bi-
loco; ne fortè honoratior te sit invitatus ab eo, * & v. 9.
v. 20. be, epulare. * Dixit autem illi Deus, Stulte, hac
veniens is qui te & illum vocavit, dicat tibi, Da
nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem pa-
huic locum; & tunc incipias cum rubore novissi-
v. 21. rasti cujus erunt? * Sic est omnis qui sibi thesauri-
mum locum tenere. * Sed cùm vocatus fueris, va- v. 10.
v. 22. zat, & non est in Deum dives. * Dixitque ad dis-
de, recumbe in novissimo loco; ut cùm venerit
cipulos suos, Ideo dico vobis, nolite solliciti esse
qui te invitavit, dicat tibi, Amice, adscende super-
animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori,
B riùs: tunc erit tibi gloria coram simul discumben- v. 11.
v. 23. quid vestiamini. * Anima plus est quàm esca, &
tibus. * Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; v. 12.
v. 24. corpus quàm vestimentum. * Considerate corvos,
& qui se humiliat, exaltabitur. * Dicebat autem & ei, qui se invitaverat, Cùm facis prandium vel
quia non seminant, neque metunt; quibus non est
cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres
cellarium, neque horreum; & Deus pascit illos:
tuos, neque cognatos, neque vicinos divites; ne
v. 25. quanto magis vos pluris estis illis? * Quis autem ve-
fortè & ipsi te reinvitent, & fiat tibi retributio.
strûm cogitando potest adjicere ad staturam suam
* Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debi- v. 13.
v. 26. cubitum unum? * Si ergo neque quod minimum est
les, claudos, cæcos; * & beatus eris, quia non ha- v. 14.
v. 27. potestis, quid de ceteris solliciti estis? * Considerate
bent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in [d] re- d
a lilia [a] quomodo crescunt; non laborant, neque
tributione justorum. *Et paulò post:* * Si quis venit ad v. 26.
nent. Dico autem vobis, nec Salomon in omni glo-
C me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxo-
v. 28. ria sua vestiebatur sicut unum ex istis. * Si autem
rem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem
fœnum agri quod hodie in agro est, & cras in cli-
& animam suam, non potest meus esse discipulus.
banum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos
* Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, v. 27.
v. 29. pusillæ fidei? * Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis; & nolite in sublime tolli.
non potest meus esse discipulus. * Quis enim ex vo- v. 28.
bis volens turrim ædificare, non priùs sedens com-
v. 30. * Hæc enim omnia gentes mundi inquirunt: Pater
putat sumtus, qui necessarij sunt, si habeat ad per-
v. 31. autem vester scit quoniam his indigetis. * Verum-
ficiendum; * ne postea quàm posuerit fundamen- v. 29.
b tamen quærite [b] regnum Dei, & hæc omnia adji-
tum, & non potuerit perficere, omnes qui vident
v. 32. cientur vobis. * Nolite timere pusillus grex; quia
incipiant illudere ei, * dicentes, quia hic homo v. 30.
v. 33. complacuit Patri vestro dare vobis regnum. * Ven-
D cœpit ædificare, & non potuit consummare? * Aut v. 31.
dite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite
quis rex iturus committere bellum adversùs alium
vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non
regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum de-
deficientem in cælis; quò fur non appropiat, ne-
cem millibus occurrere ei, qui cum viginti milli-
v. 34. que tinea corrumpit. * Ubi enim thesaurus vester,
bus venit ad se? * Alioquin adhuc illo longè agen- v. 32.
v. 40. ibi & cor vestrum erit. *Et post paululum:* * Et vos
te, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.
estote parati; quia qua horâ non putatis Filius ho-
* Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat om- v. 33.
v. 41. minis [c] veniet. * Ait autem ei Petrus, Domine ad
nibus quæ possidet, non potest meus esse discipu-
c nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? * Dixit
lus. *Et post aliquantum:* * Et ego vobis dico, Facite Luca 16. v.
v. 42. autem Dominus, Quis, putas, est fidelis dispensa-
vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm de- 9.
tor & prudens, quem constituit dominus supra fa-
E feceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. * Qui v. 10.
miliam suam, ut det illis in tempore tritici mensu-
fidelis est in minimo, & in majori fidelis est; & qui
v. 43. ram? * Beatus ille servus, quem cùm venerit do-
in modico iniquus est, & in majori iniquus est. * Si v. 11.
v. 44. minus, invenerit ita facientem. * Verè dico vobis,
ergo in iniquo mammona fideles non fuistis; [e] * quod v. 12.
v. 45 supra omnia quæ possidet, constituet illum. * Quòd
vestrum est quis dabit vobis? * Nemo servus potest e v. 13.
si dixerit servus ille in corde suo, Moram facit do-
duobus dominis servire: aut enim unum odiet, & alterum diliget; aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mammonæ.
v. 46. minus meus venire, & cœperit percutere pueros &
ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: * veniet
dominus servi illius in die, qua non sperat, & horâ
* Audiebant autem hæc omnia Pharisæi, qui erant v. 14.
qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum
avari; & deridebant illum. * Et ait illis, Vos estis v. 15.
v. 47. infidelibus ponet. * Ille autem servus, qui cognovit
F qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem
voluntatem domini sui, & non præparavit, & non
novit corda vestra. quia quod hominibus altum est,
fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis:
abominatio est ante Deum. *Et post paucos versus:*
v. 48. * qui autem non cognovit, & fecit digna plagis,
* Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alte- v. 18.
vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum
ram, mœchatur. *Et post paululum:* * Impossibile est Luca 17.
est, multum quæretur ab eo; & cui commendave-
ut non veniant scandala: væ autem illi, per quem v. 1.
runt multum, plus repetunt ab eo. *Item paulò post:*
veniunt. * Utilius est illi, si lapis molaris imponatur v. 2.
v. 56. * Hypocritæ, faciem terræ & cæli nostis probare;
circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut
hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid
scandalizet unum de pusillis istis. * Adtendite vobis, v. 3.
autem & à vobisipsis non judicatis quod justum est?
Si peccaverit frater tuus, increpa illum; & si pæ-
Luca 23. v. 24. *Et aliquantò post:* * Contendite intrare per angu-
G nitentiam egerit, dimitte illi. * Et si septies in die v. 4.
stam portam: quia multi, dico vobis, quærent in-
peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit
Luca 14. v. 7. trare, & non poterunt. *Et alio loco:* * Dicebat au-
ad te, dicens, Pænitet me, dimitte illi. *Et alio loco:*

[a] Editi, *lilia agri.* Abest *agri* à Regio MS. necnon à sacris Bibliis, quæ eadem voce etiam in subsequenti versiculo carent.

[b] Vulgata habet nunc, *quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus:* at in antiquis Corb. Bibl. carebat his verbis, *primùm, & justitiam ejus:* quæ à Græco etiam textu absunt & ab omnibus codicibus hujus Speculi.

[c] In MSS. & in antiquis Corb. Bibl. *venit:* in Græco ἐρχεται.

[d] Vulgata, *in resurrectione:* Græc. ἐν τῇ ἀναστάσει.

[e] Locus ex sacris Bibliis redintegrandus hunc in modum: *Si ergo in iniquo mammona fidèles non fuistis; quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fidèles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?*

Luca 18. v. 9. * Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant A quem habuit, misit. *Item alio loco:* * Ponite ergo v. 14.
tamquam justi, & aspernabantur ceteros, parabo- in cordibus vestris, non præmeditari, quemadmo-
v. 10. lam istam: * Duo homines adscenderunt in tem- dum respondeatis. * Ego enim dabo vobis os & sa- v. 15.
plum ut orarent, unus Pharisæus, & alter Publi- pientiam, cui non poterunt resistere & contradice-
v. 11. canus: * Pharisæus stans hæc apud se orabat, Deus, re omnes adversarij vestri. * Trademini autem à v. 16.
gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis; &
raptores, injusti, adulteri, veluti etiam hic Publi- morte afficient ex vobis: * & eritis odio omnibus v. 17.
v. 12. canus: * jejuno bis in sabbato, decimas do omnium propter nomen meum: * & capillus de capite vestro v. 18.
v. 13. quæ possideo. * Et Publicanus à longè stans, nole- non peribit. * In patientia vestra possidebitis ani- v. 19.
bat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pe- mas vestras. *Et post aliquantum:* * Adtendite autem v. 34.
ctus suum, dicens, Deus, propitius esto mihi pec- B vobis, ne fortè graventur corda vestra à crapula
v. 14. catori. * Dico vobis, descendit hic justificatus in & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in
domum suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, hu- vos repentina dies illa. * Tamquam enim laqueus v. 35.
v. 15. miliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. * Affe- superveniet in omnes, qui sedent super faciem om-
rebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. nis terræ. * Vigilate itaque omni tempore orantes, v. 36.
Quod cùm viderent discipuli, increpabant illos. ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura
v. 16. * Jesus autem convocans illos, dixit, Sinite pueros sunt, & stare ante Filium hominis. *Item post aliquan-*
venire ad me, & nolite eos vetare. Talium est enim *tum:* * Facta est autem contentio inter eos, quis Luca 22.
v. 17. regnum Dei. * Amen dico vobis, quicumque non eorum videretur esse major. * Dixit autem eis, Re- v. 24.
acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in ges gentium dominantur eorum, & qui potestatem v. 25.
v. 18. illud. * Et interrogavit eum quidam princeps, di- C habent super eos, benefici vocantur. * Vos autem v. 26.
cens, Magister bone, quid faciens vitam æternam non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut [a] ju- a
v. 19 possidebo? * Dixit autem Jesus, Quid me dicis bo- nior; & qui præcessor est, sicut ministrator. * Nam v. 27.
v. 20 num? Nemo bonus, nisi solus Deus. * Mandata quis major est, qui recumbit, an qui ministrat?
nosti? Non occides, Non mœchaberis, Non fur- nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm
tum facies, Non falsum testimonium dices, hono- sum sicut qui ministrat. *Et alio in loco:* * Orate ne v. 40.
v. 21. ra patrem tuum & matrem. * Qui ait, Hæc omnia intretis in tentationem.
v. 22. custodivi à juventute mea. * Quò audito, Jesus ait

De Evangelio secundùm Johannem.

ei, Adhuc tibi unum deest: omnia quæcumque ha- Quomodo potestis vos credere, qui glo- Johan. 5. v.
bes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum riam ab invicem accipitis, & gloriam quæ 44.
v. 23. in cælo; & veni sequere me. * His ille auditis, con- D à solo Deo est non quæritis? *Et post aliquantum:*
v. 24. tristatus est; quia dives erat valde. * Videns autem * Dixit autem Jesus, Nec ego te condemnabo. Johan. 8. v.
illum Jesus tristem factum, dixit, Quàm difficilè Vade, & ampliùs jam noli peccare. *Et paulò post:* 11.
qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. * Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli v. 31.
v. 25. * Facilius est enim camelum per foramen acus tran- mei eritis, * & cognoscetis veritatem, & veritas v. 32.
v. 26. sire, quàm divitem intrare in regnum Dei. * Et di- liberabit vos. *Et post paululum:* * Amen amen dico
xerunt qui audiebant, Et quis potest salvus fieri? vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est
v. 27. * Ait illis, Quæ impossibilia sunt apud homines, pos- peccati. *Et alibi:* * Amen, amen dico vobis, si quis v. 51.
v. 28. sibilia sunt apud Deum. * Ait autem Petrus, Ecce sermonem meum servaverit, non videbit mortem
v. 29. nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. * Qui di- E in æternum. *Et post aliquantum:* * Qui amat animam Johan. 12. v.
xit eis. Amen dico vobis, nemo est qui reliquit do- suam, perdet eam: & qui odit animam suam in 25.
mum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. * Si v. 26.
v. 30. filios, propter regnum Dei, * & non recipiat mul- quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego,
tò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vi- illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrave-
Luca 19. v. 8. tam æternam. *Et alibi:* * Stans autem Zachæus, rit, honorificabit eum Pater meus. *Et alio loco:*
dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meo- * Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm v. 43.
rum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem gloriam Dei. *Et alibi:* * Vos vocatis me magister Johan. 13. v.
v. 9. defraudavi, reddo quadruplum. * Ait Jesus ad eum, & Domine, & bene dicitis; sum etenim: * si ergo 13.
Quia hodie salus domui huic facta est, eo quòd & ego lavi pedes vestros Dominus & magister, & v. 14.
v. 10. ipse filius est Abrahæ. * Venit enim Filius hominis vos debetis alter alterius lavare pedes. * Exem- v. 15.
quærere & salvum facere quod perierat. *Et post ali-* F plum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego fe-
Luca 20. v. 25. *quantum:* * Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, ci vobis, ita & vos faciatis. *Et paulò post:* * Man- v. 34.
v. 45. & quæ sunt Dei Deo. *Et alio loco:* * Audiente au- datum novum do vobis, ut diligatis invicem, si-
v. 46. tem omni populo, dixit discipulis suis, * Adtendite cut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. * In hoc v. 35.
à Scribis, qui ambulare volunt in stolis, & amant cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dile-
salutationes in foro, & primas cathedras in syna- ctionem habueritis ad invicem. *Et paulò post:* * Si Johan. 14. v.
v. 47. gogis, & primos discubitus in conviviis: * qui de- diligitis me, mandata mea servate. *Et post paulu-* 15.
vorant domos viduarum, simulantes longam ora- *lum:* * Qui habet mandata mea & servat ea, ille est v. 21.
Luca 21. v. 1. tionem. hi accipient damnationem majorem. * Res- qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Pa-
piciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua tre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei
v. 2. in gazophylacium divites: * vidit autem & quam- G meipsum. *Et post* [b] *tres versus:* * Si quis diligit me, v. 23.
dam viduam pauperculam mittentem æra minuta b
v. 3. duo. * Et dixit, Verè dico vobis, quia vidua hæc sermonem meum servabit; & Pater meus diliget
v. 4. pauper plus quàm omnes misit. * Nam & omnes hi eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud
ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc au- eum faciemus. * Qui non diligit me, sermones meos v. 24.
tem ex eo quod deest illi, omnem victum suum non servat, *Et paulò post:* * Manete in me, & ego Johan. 15. v. 4.

[a] Editi cum Vulgata, *sicut minor.* At MSS. *sicut junior:* sicque etiam in antiquis Corb. Bibliis, juxta Græcum, ὡς ὁ νεώτερος.

[b] Regius codex, *Et post* III I. *versus.*

in vobis. Sicut palmes non potest facere fructum à
semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in
v. 5. me manseritis. * Ego sum vitis, vos palmites: qui
manet in me, & ego in eo, hic fert fructum mul-
v. 6. tum. Quia sine me nihil potestis facere. * Si quis in
me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, &
arescet; & colligent eum, & in ignem mittent, &
v. 7. ardet. * Si manseritis in me, & verba mea in vobis
manserint; quodcumque volueritis petetis, & fiet
v. 8. vobis. * In hoc clarificatus est Pater meus, ut fru-
ctum plurimum afferatis, & efficiamini mei disci-
v. 9. puli. * Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos:
v. 10. manete in dilectione mea. * Si præcepta mea serva-
veritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego
Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dile-
v. 11. ctione. * Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum
v. 12. in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. * Hoc
est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut
v. 13. dilexi vos. * Majorem hac dilectionem nemo habet,
quàm ut animam suam quis ponat pro amicis suis.
v. 17. *Et paulò pòst:* * Hæc mando vobis, ut diligatis in-
vicem.

Hæc de quatuor Evangeliis in hoc opere ponenda existimavi: ubi intelligi potest, tres Evangelistas, Matthæum scilicet & Marcum & Lucam, ideo nobis plura dedisse præcepta vivendi; quia eam maximè secuti sunt partem, quæ activa dicitur. Quia verò Johannes contemplativam magis tenuit, ideo cùm ejus Evangelium superemineat ceteris, multò pauciora tamen in eo morum præcepta comperimus. Hinc jam de illo libro cui titulum dederunt, Actus Apostolorum, commemorabimus quæ invenimus omnino paucissima. Eo quippe rerum gestarum continetur historia, quibus ædificatur fides, magisque ibi exempla quàm præcepta conscripta sunt.

De libro Actuum Apostolorum.

Act. 15. v. 19. Jacobus *ergo loquens*, * Propter quod, *in-*
quit, ego judico non inquietari eos, qui ex
v. 20 gentibus convertuntur ad Dominum; * sed scribe-
re ad eos ut abstineant se à contaminationibus si-
mulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & san-
v. 28. guine. *Et paulò pòst:* * Visum est enim Spiritui san-
cto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris,
v. 29. quàm hæc necessaria, * ut abstineatis vos ab im-
molatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato,
& fornicatione, à quibus custodientes vos, benè
agetis. Valete. *Et post multa, cùm Paulus apostolus*
a *præpositis Ecclesiæ, quos* [a] *congregaverat, loqueretur,*
Act. 20. v. 28. * Adtendite, *inquit*, vobis, & universo gregi, in
quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere
Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo.
v. 33. *Et paulò pòst idem ad eosdem:* * Argentum, [b] aut au-
b
v. 34. rum, aut vestem nullius concupivi, * ipsi scitis,
quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & iis qui me-
v. 35. cum sunt, ministraverunt manus istæ. * Omnia
ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet sus-
cipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu,
quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quàm
accipere. *Et alio loco, cùm Jacobus & qui cum eo*
Act. 21. v. 20. *erant, Paulo apostolo loquerentur, dixerunt ei:* * Vi-
des frater, quot millia sunt in Judæis, qui credi-
v. 21. derunt; & omnes æmulatores sunt Legis. * Audie-
runt autem de te, quia discessionem doceas à Moy-
se eorum, qui per gentes sunt, Judæorum, dicens,

A non debere eos circumcidere filios suos, neque
secundùm consuetudinem ingredi. * Quid ergo v. 22.
est? Utique oportet convenire multitudinem; au-
dient enim te supervenisse: * hoc ergo fac quod ti- v. 23.
bi dicimus: Sunt nobis viri quatuor votum haben-
tes super se; * his assumtis, sanctifica te cum illis, v. 24.
& impende in illis ut radant capita: & scient om-
nes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed am-
bulas & ipse custodiens Legem. * De iis autem qui v. 25.
crediderunt ex gentibus, nos scripsimus judican-
B tes, ut abstineant se ab idolis immolato, & sangui-
ne, & suffocato, & fornicatione.

Hæc de libro Actuum Apostolorum, nostro huic operi congruentia, quæ hic poneremus, satis esse comperimus. Vbi videmus Apostolos, eis qui ex gentibus crediderunt, nulla voluisse onera veteris Legis imponere, quantum adtinet ad corporalis abstinentiam voluptatis; nisi ut observarent ab his tribus, id est, ab eis quæ idolis immolarentur, & à sanguine, & à fornicatione. Vnde nonnulli putant tria tantùm crimina esse mortifera, idololatriam, & homicidium, & fornicationem; ubi utique & adulterium, & omnis præter uxorem concubitus intelligitur: quasi non sint mortifera crimina quæcumque alia sunt præter hæc tria, quæ à regno Dei separant, aut inaniter & fallaciter dictum sit, Neque fu- 1. Cor. 6. 10.
C res, neque avari, neque ebriosi, neque [c] maledi- c
ci, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. *Sed oportet nos repressa disputatione nostra, ad Epistolas apostolicas jam venire, & videre etiam in ipsis quid huic operi convenienter aptetur.*

D De Epistola B. Pauli Apostoli ad Romanos.

Non enim erubesco Evangelium. Virtus Rom. 1. v. 16.
enim Dei est in salutem omni credenti, Ju-
dæo primùm & Græco. * Justitia enim Dei in eo v. 17.
revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Ju- Habac. 2. 4.
stus autem ex fide [d] vivit. * Revelatur enim ira Rom. 1. v. 18.
Dei de cælo super omnem impietatem & injusti- d
tiam hominum eorum, qui veritatem [e] in injusti- c
tia detinent: * quia quod notum est Dei, manife- v. 19.
stum est in illis: Deus enim illis manifestavit. * In- v. 20.
visibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ
facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna
quoque ejus virtus & divinitas; ut sint inexcusa-
biles: * quia cùm cognovissent Deum, non sicut v. 21.
Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed
evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum
est insipiens cor eorum. * Dicentes enim se esse sa- v. 22.
pientes, stulti facti sunt: * & mutaverunt gloriam v. 23.
incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis cor-
F ruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupe-
dum, & serpentium. * Propter quod tradidit illos v. 24.
Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam,
ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.
* Qui commutaverunt veritatem Dei in menda- v. 25.
cium; & coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs
quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula, A-
men. * Propterea tradidit illos Deus in passiones v. 26.
ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt
naturalem usum, in eum usum, qui est contra na-
turam. * Similiter autem & masculi relicto naturali v. 27.
usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem,
masculi in masculos turpitudinem operantes; &
mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetip-

a Regius MS. *quos conseraverat.*
b Sic etiam in Corb. Bibliis: at in Bibl. excusis, *& aurum.*
c In editis, *maleffici.* At in Regio MS. uti in sacris Bibl. *maledici.*
d Græcè est hîc & Habac. 2. 4. ζήσεται, *vivet.*
e Hic in Vulgata additur, *Dei:* quæ tamen vox abest à Græco.

v. 28. fis recipientes. * Et sicut non probaverunt Deum A
habere in notitia; tradidit eos Deus in reprobum
v. 29. sensum, ut faciant quæ non conveniunt; * reple-
tos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avari-
tiâ, nequitiâ; plenos invidiâ, homicidio, conten-
v. 30. tione, dolo, malignitate; susurrones, * detracto-
res, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, ela-
tos, inventores malorum, parentibus non obe-
v. 31. dientes, * insipientes, incompositos, sine affectio-
v. 32. ne, absque fœdere, sine misericordia. * Qui cùm
justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, B
quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non
solùm qui ea faciunt, sed & qui consentiunt fa-
Rom. 2. v. 1. cientibus. * Propter quod inexcusabilis es, ô homo
omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum,
a teipsum condemnas, eadem enim agis, [a] quæ ju-
v. 2. dicas. * Scimus enim, quoniam judicium Dei est
v. 3. secundùm veritatem, in eos qui talia agunt. * Exi-
stimas autem hoc, ô homo, qui judicas eos qui ta-
lia agunt, & facis ea, quòd tu effugies judicium
v. 4. Dei? * An divitias bonitatis ejus & patientiæ & C
b longanimitatis contemnis? [b] Ignoras quoniam be-
v. 5. nignitas Dei ad pænitentiam te adducit? * Secun-
dùm duritiam autem tuam, & impænitens cor,
thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi
v. 6. judicij Dei, * qui reddet unicuique secundùm ope-
v. 7. ra ejus: * his quidem, qui secundùm patientiam
boni operis, gloriam & honorem & incorruptio-
v. 8. nem [c] quærentibus vitam æternam: * his autem,
c qui ex contentione, & qui non adquiescunt verita-
v. 9. ti, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. * Tri- D
bulatio & angustia in omnem animam hominis ope-
v. 10. rantis malum, Judæi primùm & Græci. * Gloria
autem, & honor, & pax omni operanti bonum,
v. 13. Judæo primùm & Græco. *Et post paululum:* * Non
enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed fa-
v. 21. ctores Legis justificabuntur. *Item paulò pòst:* * Qui
ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædi-
v. 22. cas non furandum, furaris: * qui dicis non mœ-
chandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacri-
v. 23. legium facis: * qui in Lege gloriaris, per prævari-
v. 24. cationem Legis Deum inhonoras. * Nomen enim
Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scrip-
Rom. 5. v. 1. tum est. *Et aliquantò pòst:* * Justificati igitur ex fide,
pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum
v. 2. Jesum Christum: * per quem & accessum habemus
d fide in [d] gratia ista, in qua stamus, & gloriamur in
v. 3. spe gloriæ filiorum Dei. * Non solùm autem, sed
& gloriamur in tribulationibus, scientes quia tri-
v. 4. bulatio patientiam operatur, * patientia autem pro-
v. 5. bationem, probatio verò spem, * spes autem non F
confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus
nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.
Rom. 6. v. 12. *Et alio loco:* * Non ergo regnet peccatum in vestro
mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.
v. 13. * Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justi-
v. 19. tiæ Deo. *Et post paululum:* * Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati G
ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Et alio loco:*

* Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut se- Rom. 8. v. 12.
cundùm carnem vivamus. * Si enim secundùm car- v. 13.
nem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta car-
nis mortificaveritis, vivetis. * Quicumque enim v. 14.
Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. *Et post paulu-*
lum: * Heredes quidem Dei, coheredes autem Chri- v. 17.
sti: si tamen compatiamur, ut & conglorificemur.
Et post paululum: * Si autem quod non videmus, spe- v. 25.
ramus; per patientiam exspectamus. *Et post paucos*
versus: * Scimus autem, quoniam diligentibus v. 28.
Deum omnia cooperantur in bonum. *Et paulò pòst:*
* Quis nos separabit à caritate Christi, tribulatio, v. 35.
an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas,
an periculum, an gladius? * Sicut scriptum est; v. 36.
Quia propter te mortificamur tota die, æstimati su- Psal. 43. 23.
mus ut oves occisionis. * Sed in his omnibus supera- Rom. 8. v. 37.
mus, propter eum qui dilexit nos. * Certus sum v. 38.
enim, quia neque mors, neque vita, neque ange-
li, neque principatus [e] neque instantia, neque fu- e
tura, neque fortitudo, * neque altitudo, neque v. 39.
profundum, neque creatura alia poterit nos sepa-
rare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Do-
mino nostro. *Et alio loco:* * Corde enim creditur Rom. 10. v. 10.
ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.
* Dicit enim Scriptura, Omnis qui credit in illum, v. 11.
non confundetur. * Non enim est distinctio Judæi Isa. 28. 16. Rom. 10. v. 12.
& Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in
omnes qui invocant illum. * Omnis enim quicum- v. 13.
que invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Et alio*
loco: * Tu autem fide [f] sta: noli altum sapere, sed Rom. 11. v. 20.
time. * Si enim Deus naturalibus ramis non peper- f
cit, ne fortè nec tibi parcat. * Vide ergo bonitatem v. 21.
& severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt v. 22.
severitatem; in te autem [g] bonitatem, si perman- g
seris in bonitate. *Et paulò pòst:* * Obsecro itaque Rom. 12. v. 1.
vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis
corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo
placentem, rationabile obsequium vestrum. * Et v. 2.
nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in
novitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas
Dei bona, & placens, & perfecta. * Dico enim per v. 3.
gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter
vos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sa-
pere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus divisit
mensuram fidei. * Sicut enim in uno corpore multa v. 4.
membra habemus, omnia autem membra non
eumdem actum habent: * ita multi unum corpus v. 5.
sumus in Christo, singuli autem alter alterius mem-
bra. * Habentes autem donationes secundùm gra- v. 6.
tiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophe-
tiam secundùm rationem fidei, * sive ministerium in v. 7.
ministrando, sive qui docet in doctrina, * qui exhor- v. 8.
tatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui
præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate:
* dilectio sine simulatione, odientes malum, adhæ- v. 9.
rentes bono: * caritatem [h] fraternitatis invicem di- v. 10.
ligentes, honore invicem prævenientes: * sollicitu- h
dine non pigri, spiritu ferventes, Domino servien- v. 11.
tes, * spe gaudentes, in tribulatione patientes, ora- v. 12.
tioni instantes, * necessitatibus sanctorum commu- v. 13.
nicantes, hospitalitatem sectantes. * Benedicite v. 14.
persequentibus vos, benedicite, & nolite maledi-
cere. * Gaudere cum gaudentibus, flere cum flenti- v. 15.

a Am. & Er. *qui judices* Græc. ὁ κρίνων.
b In vetustis Corb. Bibliis participium est, *i gnorans:* juxta Græcum, ἀγνοῶν.
c Vulgata in excusis, *quærunt vitam æternam; his autem qui sunt ex contentione;* at illa in antiquis Corb. Bibl. nihil differt ab hoc Speculo.
d In sacris Biblis, *per fidem in gratiam istam.*
e Hîc sacra Biblia addunt, *neque virtutes.*
f Vulgata, *stas.* Græc. ἕστηκας.
g In Vulgata, post *bonitatem* additur *Dei:* quod à Græco abest.
h Sic olim habuit Vulgata: at nunc emendatiùs, *caritate:* item aliquantò infrà loco *Mihi vindicta*, habet *Mihi vindicta.*

v. 11. discedere : * quòd si discesserit, manere innuptam,
aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimit-
v. 12. tat. * Nam ceteris ego dico, non Dominus, Si
quis frater uxorem habet infidelem, & hæc con-
v. 13. sentit habitare cum illo, non dimittat illam. * Et si
qua mulier [a] habet virum infidelem, & hic consen-
v. 14. tit habitare cum illa, non dimittat virum. * San-
ctificatus est enim vir infidelis in muliere fideli : &
sanctificata est mulier infidelis in viro fideli. Alioquin
filij vestri immundi essent : nunc autem sancti sunt.
v. 15. * Quòd si infidelis discedit, discedat. Non est enim
servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi : in
v. 16. pace autem vocavit nos Deus. * Unde enim scis
mulier, si virum salvum facies ? Aut unde scis vir, si
v. 17. mulierem salvam facies ? * nisi unicuique sicut divi-
sit Dominus. Unumquemque sicut vocavit Deus
v. 18. ita ambulet, sicut in omnibus Ecclesiis doceo. * Cir-
cumcisus aliquis vocatus est ? non adducat præpu-
tium. In præputio aliquis vocatus est ? non circum-
v. 19. cidatur. * Circumcisio nihil est, & præputium nihil
v. 20. est : sed observatio mandatorum Dei. * Unusquis-
que in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.
v. 21. * Servus vocatus es ? non sit tibi curæ : sed & si po-
v. 22. tes liber fieri, magis utere. * Qui enim in Domino
vocatus est servus, libertus est Domini : similiter
v. 23. qui liber vocatus est, servus est Christi. * Pretio
v. 24. emti estis, nolite fieri servi hominum. * Unusquis-
que in quo vocatus est, [b] frater, in hoc permaneat
v. 25. apud Deum. * De virginibus autem præceptum
Domini non habeo : consilium autem do, tam-
quam misericordiam consecutus à Domino, ut sim
v. 26. fidelis. * Existimo ergo hoc bonum esse propter in-
stantem necessitatem, quoniam bonum est homini
v. 27. sic esse. * Alligatus es uxori ? noli quærere solutio-
nem. Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem.
v. 28. * Si autem acceperis uxorem, non peccasti : & si
nupserit virgo, non peccavit : tribulationem tamen
carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis par-
v. 29. co. * Hoc itaque dico, fratres, Tempus breve est :
reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam
v. 30. non habentes sint ; * & qui flent, tamquam non
flentes ; & qui gaudent, tamquam non gaudentes ;
v. 31. [c] * & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utan-
v. 32. tur. Præterit enim figura hujus mundi. * Volo au-
tem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est,
sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat
v. 33. Deo. * Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ
sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori ; & di-
v. 34. visus est. * Et mulier innupta & virgo cogitat quæ
Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu. Quæ
autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomo-
v. 35. do placeat viro. * Porrò hoc ad utilitatem vestram
dico : non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod
honestum est, & quod facultatem præbeat sine im-
v. 36. pedimento Dominum [d] obsecrandi. * Si quis autem
turpem se videri existimat super virginem suam,
quod sit superadulta, & ita oportet fieri ; quod vult,
v. 37. faciat : non peccat, si nubat. * Nam qui statuit in
corde suo firmus, non habens necessitatem, pote-
statem autem habet suæ voluntatis, & hoc judica-
vit in corde suo servare virginem suam, bene facit.
v. 38. * Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam,
bene facit ; & qui non jungit, meliùs facit. * Mu- v. 39.
lier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit :
quòd si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult, nu-
bat, tantùm in Domino. * Beatior autem erit, si v. 40.
sic permanserit, secundùm meum consilium. Puto
autem quòd & ego Spiritum Dei habeam. * De iis 1. Cor. 8.
autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes v. 1.
scientiam habemus. Scientia inflat : caritas verò
ædificat. * Si quis se existimat scire aliquid, non- v. 2.
dum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.
* Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab v. 3.
eo. * De escis autem quæ idolis immolantur, sci- v. 4.
mus quia nihil est idolum in mundo. *Et post paulu-
lum :* * Sed non in omnibus est scientia. Quidam au- v. 7.
tem conscientiâ usque nunc idoli, quasi idolothy-
tum manducant ; & conscientia ipsorum cùm sit
infirma, polluitur. * Esca autem nos non commen- v. 8.
dat Deo. Neque enim si non manducaverimus, de-
ficiemus ; neque si manducaverimus, abundabimus.
* Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offen- v. 9.
diculum fiat infirmis. * Si enim quis viderit eum qui v. 10.
habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne
conscientia ejus cùm sit infirma, ædificabitur ad
manducandum idolothyta ? * Et peribit infirmus in v. 11.
tua scientia frater, propter quem Christus mor-
tuus est. * Sic autem peccantes in fratres, & percu- v. 12.
tientes conscientiam eorum infirmam, in Christum
peccatis. * Quapropter si esca scandalizat fratrem v. 13.
meum, non manducabo carnem in æternum, ne
fratrem meum scandalizem. *Et post pauca :* * Num- 1. Cor. 9. v. 4.
quid non habemus potestatem manducandi & bi-
bendi ? * Numquid non habemus potestatem soro- v. 5.
rem mulierem circumducendi, sicut & ceteri Apo-
stoli, & fratres Domini, & Cephas ? * Aut solus v. 6.
ego & Barnabas non habemus potestatem hoc ope-
randi ? * Quis militat suis stipendiis umquam ? Quis v. 7.
plantat vineam, & de fructu ejus non edit ? Quis
pascit gregem, & de lacte gregis non manducat ?
* Numquid secundùm hominem hæc dico ? An & v. 8.
Lex hæc non dicit ? * Scriptum est enim in Lege v. 9.
Moysi, Non alligabis os bovi trituranti. Numquid Deut. 25. 4.
de bobus cura est Deo ? * An propter nos hoc uti- 1. Cor. 9. v. 10.
que dicit ? Nam propter nos utique scripta sunt :
quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat
in spe fructus percipiendi. * Si nos vobis spiritalia v. 11.
seminavimus : magnum est si carnalia vestra meta-
mus ? * Si alij potestatis vestræ participes sunt, non v. 12.
potiùs nos ? Sed non usi sumus hac potestate : sed
omnia sustinemus ne quod offendiculum demus
Evangelio Christi. * Nescitis quoniam qui in sacra- v. 13.
rio operantur, quæ de sacrario sunt, edunt : & qui
altario deserviunt, cum altario [e] participantur. * Ita v. 14.
& Dominus ordinavit iis qui Evangelium annun-
tiant, de Evangelio vivere. * Ego autem nullo ho- v. 15.
rum usus sum. Non scripsi autem hæc, ut ita fiant
in me. Bonum est enim mihi magis mori, quàm ut
gloriam meam quis evacuet. * Nam & si evange- v. 16.
lizavero, non est mihi gloria : necessitas enim mihi
incumbit : væ enim mihi est, si non evangelizave-
ro. * Si enim volens hoc ago, mercedem habeo : si v. 17.
autem invitus, dispensatio mihi credita est. * Quæ v. 18.
est ergo merces mea ? ut Evangelium prædicans,

[a] Hîc in Vulgata additur *fidelis* : quod tamen verbum abest à Corb. Bibl. & à Græco.

[b] In sacris Bibliis, *fratres*.

[c] Hoc loco desiderantur isthæc verba, *& qui emunt, tamquam non possidentes.*

[d] In Regio Speculi codice, *observandi* : quod verbum in plerisque Bibliis ante Sixti correctionem habebatur : porrò in Corbeiensibus legitur, *Domino observandi* ; fortè pro, *Domino obseruiendi*. In Græco est, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον, καὶ εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως. quod Hieronymus in 1. adversùs Jovinianum lib. vertit, *sed ad id quod honestum est, & intentè facit servire Domino absque ulla distractione.* quamquam Græcam proprietatem Latino sermone non explicari dicit.

[e] Consonant antiqua Corb. Bibl. At Vulgata nunc, *participant.*

* sine

sine sumtu ponam Evangelium [a] Christi, ut non
v. 19. abutar potestate mea in Evangelio ? * Nam cùm li-
ber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut
v. 20. plures lucrifacerem. * Et factus sum Judæis tam-
v. 21. quam Judæus, ut Judæos lucrarer : * iis qui sub Le-
ge sunt, quasi sub lege essem, [b] cùm ipse non essem
sub Lege, sed sub gratia, ut eos qui sub Lege erant
lucrifacerem : iis qui sine Lege erant tamquam sine
Lege essem, cùm sine Lege Dei non essem, sed in
Lege essem Christi, ut lucrifacerem eos qui sine
v. 22. Lege erant. * Factus sum infirmis ut infirmus, ut
infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum,
v. 23. ut omnes [c] lucrifacerem. * Omnia autem facio
propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar.
v. 24. * Nescitis quòd hi qui in stadio currunt, omnes
quidem currunt, sed unus accipit bravium ? Sic
v. 25. currite ut comprehendatis. * Omnis autem qui in
agone contendit, ab omnibus se abstinet : & illi
quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos
v. 26. autem incorruptam. * Ego igitur sic curro, non
quasi in incertum : sic pugno, non quasi aërem
v. 27. verberans : * sed castigo corpus meum & in servitu-
tem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse
1. Cor. 10. v. 1. reprobus efficiar. * Nolo enim vos ignorare, fra-
tres, quoniam patres nostri omnes sub nube fue-
v. 5. runt. *Et post paucos versus :* * sed non in pluribus eo-
rum beneplacitum est Deo : nam prostrati sunt in
v. 6. deserto. * Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut
non simus concupiscentes malorum, sicut & illi con-
v. 7. cupierunt. * Neque idololatræ efficiamini, sicut qui-
Exodi 32. 6. dam ex ipsis, quemadmodum scriptum est, Sedit
populus manducare & bibere, & surrexerunt lude-
1. Cor. 10. v. 8. re. * Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis forni-
cati sunt, & ceciderunt una die viginti-tria millia.
v. 9. * Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum
v. 10. tentaverunt, & à serpentibus perierunt. * Neque
murmuraveritis, sicut quidam eorum murmurave-
v. 11. runt, & perierunt ab exterminatore. * Hæc autem
omnia in figura contingebant illis : scripta sunt au-
tem ad correptionem nostram, in quos fines sæcu-
v. 12. lorum devenerunt. * Itaque qui se existimat stare,
v. 13. videat ne cadat. * Tentatio vos non apprehendat,
nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non pa-
tietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet
cum tentatione etiam proventum, ut possitis susti-
v. 14. nere. * Propter quod, carissimi mihi, fugite ab
v. 20. idolorum cultura. *Et paulò pòst :* * Sed quæ immo-
lant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.
Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non po-
testis calicem Domini bibere & calicem dæmonio-
v. 21. rum. * Non potestis mensæ Domini participes esse,
v. 22. & mensæ dæmoniorum. * An æmulamur Domi-
num ? Numquid fortiores illo sumus ? Omnia mihi
v. 23. licent, sed non omnia expediunt. * Omnia mihi li-
v. 24. cent, sed non omnia ædificant. * Nemo quod
v. 25. suum est quærat, sed quod alterius. * Omne quod
in macello venit, manducate, nihil interrogantes
v. 28. propter conscientiam. *Et paulò pòst :* * Si quis au-
tem dixerit, Hoc immolatum est idolis : nolite
manducare, propter illum qui indicavit, & prop-
v. 29. ter conscientiam. * Conscientiam autem dico non
tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judi-
v. 30. catur ab alia conscientia ? * Si ego cum gratia parti-
cipo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago ?
Sive ergo manducatis sive bibitis, vel aliud quid v. 31.
facitis, omnia in gloriam Dei facite. * Sine offen- v. 32.
sione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei :
* sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quæ- v. 33.
rens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi
fiant. * Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 1. Cor. 11.
Et post paululum : * Omnis vir orans aut prophetans v. 1. v. 4.
velato capite, deturpat caput suum. * Omnis au- v. 5.
tem mulier orans aut prophetans non velato capite,
deturpat caput suum. *Et post aliquantum :* * Hoc v. 17.
autem præcipio non laudans, quòd non in me-
lius, sed in deterius convenitis. * Primùm quidem v. 18.
convenientibus vobis in ecclesiam audio scissuras
inter vos esse, & ex parte credo. * Nam oportet & v. 19.
hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant
in vobis. * Convenientibus ergo vobis in unum, jam v. 20.
non est Dominicam cœnam manducare. * Unus- v. 21.
quisque enim suam cœnam præsumit ad mandu-
candum : & alius quidem esurit, alius autem ebrius
est. * Numquid domos non habetis ad manducan- v. 22.
dum & bibendum ? aut ecclesiam Dei contemni-
tis, & confunditis eos, qui non habent ? Quid di-
cam vobis ? Laudo vos ? in hoc non laudo. *Et post
aliquos versus :* * Itaque quicumque manducaverit v. 27.
panem, [d] vel biberit calicem Domini indignè, reus
erit corporis & sanguinis Domini. * Probet autem v. 28.
seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice
bibat. * Qui enim manducat & bibit indignè, ju- v. 29.
dicium sibi manducat & bibit, non dijudicans cor-
pus Domini. * Ideo inter vos multi infirmi, & im- v. 30.
becilles, & dormiunt multi. * Quòd si nosmetipsos v. 31.
dijudicaremus, non utique judicaremur. * Dum v. 32.
judicamur autem, à Domino corripimur, ut non
cum hoc mundo damnemur. * Itaque fratres mei, v. 33.
cùm convenitis ad manducandum, invicem exspe-
ctate. * Si quis esurit, domi manducet, ut non in v. 34.
judicium conveniatis. Cetera autem, cùm venero,
disponam. *Et alio loco :* * Sed Deus temperavit cor- 1. Cor. 12. v. 24.
pus, ei cui deerat, abundantiorem tribuendo ho-
norem, * ut non sit schisma in corpore, sed in id- v. 25.
ipsum pro invicem sollicita sint membra. * Et si v. 26.
quid patitur unum membrum, compatiuntur om-
nia membra : sive [e] gloriatur unum membrum,
congaudent omnia membra. * Vos autem estis cor- v. 27.
pus Christi, & membra de membro. * Et quosdam v. 28.
quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm aposto-
los, secundò prophetas, tertiò doctores, deinde
virtutes, exinde gratias curationum, gubernatio-
nes, opitulationes, genera linguarum, interpreta-
tiones sermonum. * Numquid omnes apostoli ? v. 29.
numquid omnes prophetæ ? numquid omnes do-
ctores ? * numquid omnes virtutes ? numquid omnes v. 30.
gratiam habent curationum ? numquid omnes lin-
guis loquuntur ? numquid omnes interpretantur ?
* Æmulamini autem charismata meliora : & adhuc v. 31.
excellentiorem vobis viam demonstro. * Si linguis 1. Cor. 13. v. 1.
hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem
non habeam, factus sum velut æramentum sonans
aut cymbalum tinniens. * Et si habuero prophe- v. 2.
tiam, & noverim mysteria omnia & omnem scien-
tiam : & si habuero omnem fidem, ita ut montes
transferam, caritatem autem non habuero, nihil
sum. * Et si distribuero in cibos pauperum omnes v. 3.
facultates meas, & si tradidero corpus meum ut

[a] In Græco quoque exstat vox, *Christi* : non tamen in Vulgata.

[b] Græcus textus caret hisce verbis, *cùm ipse non essem sub Lege, sed sub gratia.* Vulgata verò nonnisi istis, *sed sub gratia* : quæ pariter cum antecedentibus adscita videntur ex Rom. 6. v. 14. & 15.

[c] Vulgata, *facerem salvos.*

[d] Vulgata juxta Græc. *panem hunc.*

[e] Carnutensis codex, *glorificatur* : juxta Græc. δοξάζεται, id est gloriâ afficitur.

ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi A
v. 4. prodest. * Caritas patiens est, benigna est. Caritas
non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,
v. 5. * non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non
v. 6. irritatur, non cogitat malum, * non gaudet super
v. 7. iniquitate, congaudet autem veritati. * Omnia suf-
fert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.
v. 8. * Caritas numquam excidit. *Et post aliquos versus :*
v. 13. * Nunc autem manet fides, spes, caritas, tria hæc:
1. Cor. 14. major autem his est caritas. * Sectamini autem ca-
v. 1. ritatem. *Et paulò pòst* : * Quoniam æmulatores estis B
v. 12. spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut
v. 20. abundetis. *Item post paululum :* * Fratres nolite pueri
effici sensibus : sed malitiâ parvuli estote, sensibus
v. 26. autem perfecti estote. *Et alio loco :* * Quid ergo est
fratres? Cùm convenitis, unusquisque vestrûm
psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim
habet, linguam habet, interpretationem habet?
omnia ad ædificationem fiant. *Et post aliquos ver-*
v. 34. *sus :* * Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim per-
mittitur illis loqui, sed subditas esse, sicut & Lex C
v. 35. dicit. * Si quid autem volunt discere, domi viros
suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in
v. 36. Ecclesia. * An à vobis verbum Dei processit, aut in
1. Cor. 15. vos solos devenit? *Et post paululum :* * Nolite seduci:
v. 33. corrumpunt mores bonos colloquia mala. * Evigi-
v. 34. a late [a] justi, & nolite peccare. Ignorantiam enim
Dei quidam habent. ad reverentiam vobis loquor.
v. 58. *Et post paululum :* * Itaque, fratres mei dilecti, esto-
te stabiles & immobiles, abundantes in opere Do-
mini semper, scientes quod labor vester non est D
1. Cor. 16. inanis in Domino. * De collectis autem quæ fiunt
v. 1. in sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita
v. 2. & vos facite., * Per unam sabbati unusquisque ve-
strûm apud se ponat, recondens quod ei bene pla-
cuerit : ut non cùm venero, tunc collectæ fiant.
v. 3. * Cùm autem præsens fuero, quos probaveritis, per
epistolas hos mittam perferre gratiam vestram in
v. 4. Jerusalem. * Quòd si dignum fuerit ut & ego eam,
v. 5. mecum ibunt. * Veniam autem ad vos cùm Mace-
doniam pertransiero. Nam Macedoniam pertran- E
v. 6. sibo. * Apud vos autem forsitan remanebo, vel
etiam hyemabo, ut vos me deducatis quocumque
v. 7. iero. * Nolo enim vos modò in transitu videre: spe-
ro autem me aliquantum temporis manere apud
v. 8. vos, si Dominus permiserit. * Permanebo autem
v. 9. Ephesi usque ad Pentecosten. * Ostium enim mihi
apertum est magnum & evidens, & adversarij mul-
v. 10. ti. * Si autem venerit Timotheus, videte ut sine ti-
v. 13. more sit apud vos. *Et post paululum :* * Vigilate, state
v. 14. in fide, viriliter agite, & confortamini. * Omnia F
vestra in caritate fiant.

De Epistola B. Pauli ad Corinthios II.

2. Cor. 1. v. 12. NAM gloria nostra hæc est, testimonium con-
b scientiæ nostræ, quòd in simplicitate [b] &
sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in
gratia Dei conversati sumus in mundo. *Et post pau-*
2. Cor. 2. v. 5. *lulum :* * Si quis autem contristavit [c] me, non me
c contristavit, sed ex parte, ut non onerem, omnes
v. 6. vos. * Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, G
quæ fit à pluribus : * ita ut è contrario magis donetis v. 7.
& consolemini, ne forte abundantiore tristitiâ ab-
sorbeatur, qui ejusmodi est. * Propter quod obse- v. 8.
cro vos ut confirmetis in illum caritatem. * Ideo v. 9.
enim scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum,
an in omnibus obedientes sitis. * Cui autem aliquid v. 10.
donastis, & ego. Nam & ego quod donavi, si quid
donavi, propter vos in persona Christi : * ut non v. 11.
circumveniamur à satana. non enim ignoramus
cogitationes ejus. *Et alio loco :* * Ideo habentes 2. Cor. 4. v. 1.
[d] hanc administrationem, juxta quod misericor- d
diam consecuti sumus, non deficimus, * sed abdi- v. 2.
camus occulta dedecoris, non ambulantes in astu-
tia, neque adulterantes verbum Dei, sed in mani-
festatione veritatis commendantes nosmetipsos ad
omnem conscientiam hominum coram Deo. *Et*
post paucos versus : * Non enim nosmetipsos prædica- v. 5.
mus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos
autem servos vestros per Jesum. *Et paulò pòst :* * Ha- v. 7.
bemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus,
ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. * In v. 8.
omnibus tribulationem patimur, sed non angustia-
mur : aporiamur, sed non destituimur; * persecu- v. 9.
tionem patimur, sed non derelinquimur; [e] dejici- e
mur, sed non perimus : * semper mortificationem v. 10.
Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita
Jesu in corporibus nostris manifestetur. * Semper v. 11.
enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter
Jesum, ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra
mortali. * Ergo mors in nobis operatur, vita autem v. 12.
in vobis. * Habentes autem eumdem spiritum fidei, v. 13.
sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus Psal. 115. 1.
sum, & nos credimus propter quod & loquimur.
Et post sex versus : * Propter quod non deficimus : 2. Cor. 4.
sed licèt is qui foris est homo noster corrumpatur, v. 16.
tamen is qui intus est renovatur de die in diem. * Id v. 17.
enim quod in præsenti est momentaneum & leve
tribulationis nostræ, supra modum in [f] sublimitate f
æternum gloriæ pondus operatur in nobis : * non v. 18.
contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non
videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt:
quæ autem non videntur, æterna sunt. *Et post pau-*
lulum : * [g] Adjuvantes autem adhortamur, ne in 2. Cor. 6. v. 1.
vacuum gratiam Dei recipiatis. * Ait enim, Tem- g
pore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi v. 2.
te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies Isa. 49. 8.
salutis. * Nemini dantes ullam offensionem, ut non 2. Cor. 6. v. 3.
vituperetur ministerium nostrum : * sed in omnibus v. 4.
exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in
multa patientia, in tribulationibus, in necessitati-
bus, in angustiis, * in plagis, in carceribus, in se- v. 5.
ditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, * in v. 6.
castitate, in scientia, in longanimitate, in suavita-
te, in Spiritu-sancto, in caritate non ficta, * in v. 7.
verbo veritatis, in virtute Dei : per arma justitiæ, à
dextris & sinistris, * per gloriam & ignobilitatem, v. 8.
per infamiam & bonam famam : ut seductores &
veraces, sicut qui ignoti & cogniti : * quasi mo- v. 9.
rientes, & ecce vivimus : ut castigati & non mor-
tificati : * quasi tristes, semper autem gaudentes : v. 10.
sicut egentes, multos autem locupletantes : tam-

[a] Græc. Ἐκνήψατε δικαίως, *Evigilate justè*.

[b] In Bibliis Sixti V. jussu recognitis post *in simplicitate*, additur *cordis* : sed hæc vox aberat ab antiquis Corb. & à Græco, necnon ab omnibus codicibus hujus Speculi.

[c] Hoc loco *me* non est in Regio codice, nec in Græco, fuitque demum expunctum è Vulgata, quæ illud in vetustis Bibliis Corb. & in aliis plerisque addebat.

[d] Vulgata nunc in editis, *habentes administrationem*, prætermissa voce *hanc*. At in antiquis Corb. Bibl. ferebat, *habentes hanc ministrationem* ; juxta Græcum, τὴν διακονίαν ταύτην.

[e] Apud Lov. interpositum hîc fuerat ex Gemblacensi codice, *humiliamur, sed non confundimur* : quod nec in MSS. nostris aliisve editionibus Speculi, nec in sacris Bibliis nisi fortè quibusdam interpolatis, reperiebatur.

[f] Regius codex & Corb. Biblia, *supra modum in sublimitatem*; juxta Græc. καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν.

[g] Regius cod. *Adjurantes*.

quam nihil habentes, & omnia possidentes. *Et post* A
v. 13. v. 14. *paucos versus :* * Dilatamini & vos. * Nolite jugum
ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio ju-
stitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad te-
v. 15. nebras? * Quæ autem conventio Christi ad Belial?
v. 16. aut quæ pars fideli cum infideli? * Qui autem con-
sensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis tem-
Levit. 26. 12. plum Dei vivi, sicut dicit Dominus. Quoniam in-
habitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero
2. Cor. 6. v. 17. illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. * Prop-
Isa. 52. 11. ter quod exite de medio eorum, & separamini, di- B
2. Cor. 6. v. 18. cit Dominus, & immundum ne tetigeritis; * &
ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos
eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omni-
2. Cor. 7. v. 1. potens. * Has igitur habentes promissiones, carissi-
mi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis
& spiritus, perficientes sanctificationem in timore
v. 8. Dei. *Et post paululum :* * Quoniam & si contristavi vos
in epistola, non me pœnitet: & si pœniteret, videns
quòd epistola illa etsi ad horam vos contristavit,
v. 9. * nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia C
contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim
estis secundùm Deum, ut in nullo detrimentum
v. 10. patiamini ex nobis. * Quæ enim secundùm Deum
tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem ope-
v. 11. ratur. Sæculi autem tristitia mortem operatur. * Ec-
ce enim hoc ipsum secundùm Deum contristari
vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem?
2. Cor. 8. v. 1. *Et post paucos versus :* * Notam autem vobis facimus
fratres gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Ma-
v. 2. cedoniæ, * quòd in multo experimento tribulatio- D
a nis abundantia gaudij [a] ipsorum, & altissima pau-
pertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eo-
v. 3. rum. * Quia secundùm virtutem, (testimonium il-
lis reddo,) & supra virtutem voluntarij fuerunt,
v. 4. * cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam,
& communicationem ministerij quod fit in sanctos:
v. 5. * & non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt,
primùm Domino, deinde nobis per voluntatem
v. 6. Dei : * ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum
b cœpit, ita & perficiat in [b] vobis etiam gratiam E
v. 7. istam. * Sed sicut in omnibus abundatis fide, & ser-
mone, & scientiâ, & omni sollicitudine, insuper
& caritate vestra in nos, ut & in hac gratia abun-
v. 8. detis : * non quasi imperans dico, sed per aliorum
c sollicitudinem etiam vestræ caritatis [c] ingenium bo-
v. 9. num comprobans. * Scitis enim gratiam Domini
nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus
factus est, cùm esset dives, ut inopiâ illius vos di-
v. 10. vites essetis. * Et consilium in hoc do. Hoc enim
vobis utile est, qui non solùm facere, sed & velle F
v. 11. cœpistis ab anno priori. * Nunc verò & facto per-
ficite, ut quemadmodum promtus est animus vo-
luntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.
v. 12. * Si enim voluntas promta est, secundùm id quod
habet accepta est, non secundùm id quod non ha-
v. 13. bet. * Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem
v. 14. tribulatio; sed ex æqualitate, * in præsenti tempo-
re vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut
& illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplemen-
tum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est, * Qui v. 15.
multum, non abundavit; & qui modicum, non Exod. 16. 18.
minoravit. * Gratias autem Deo, qui dedit eamdem 2. Cor. 8.
sollicitudinem pro vobis in corde Titi : * quoniam v. 16.
exhortationem quidem suscepit, sed cùm sollici- v. 17.
tior esset, sua voluntate profectus est ad vos. * Mi- v. 18.
simus autem cum illo fratrem, cujus laus est in
Evangelio per omnes Ecclesias. * Non solùm au- v. 19.
tem, sed & ordinatus ab Ecclesiis comes peregri-
nationis nostræ, [d] in hac gratia, quæ ministratur d
à nobis ad Domini gloriam & destinatam volunta-
tem nostrâm : * devitantes hoc, ne quis nos vitupe- v. 20.
ret in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis.
[e] * Providemus enim bona non solùm coram Deo, v. 21.
sed etiam coram hominibus. *Et post aliquos versus :* e
* Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abun- 2. Cor. 9.
danti est mihi scribere vobis. * Scio enim promtum v. 1.
animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud v. 2.
Macedones; quoniam Achaia parata est ab anno
præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos.
* Misi autem fratres, ut ne quod gloriamur de vo- v. 3.
bis, evacuetur in hac parte : ut, quemadmodum
dixi, parati sitis; * ne cùm venerint mecum Mace- v. 4.
dones, & invenerint vos imparatos, erubescamus
nos (ut non dicam vos) in hac substantia. * Neces- v. 5.
sarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant
ad vos, & præparent repromissam benedictionem
hanc paratam esse : sic quasi benedictionem, non
quasi avaritiam. * Hoc autem dico, Qui parcè se- v. 6.
minat, parcè & metet; & qui seminat in benedi-
ctionibus, de benedictionibus & metet. * Unusquis- v. 7.
que prout destinavit in corde suo, non ex tristi-
tia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem di-
ligit Deus. * Potens est autem Deus omnem gra- v. 8.
tiam abundare facere in vobis, ut in omnibus sem-
per omnem sufficientiam habentes, abundetis in
omne opus bonum, * sicut scriptum est, Dispersit, v. 9.
dedit pauperibus, justitia ejus manet in [f] æternum. f Psal. 111. 9.
* Qui autem administrat semen seminanti, & pa- 2. Cor. 9.
nem ad manducandum præstabit, & multiplicabit v. 10.
semen vestrum, & augebit incrementa frugum ju-
stitiæ vestræ : * ut in omnibus locupletati abundetis v. 11.
in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gra-
tiarum actionem Deo : * quoniam ministerium hu- v. 12.
jus officij, non solùm supplet ea quæ desunt sanctis,
sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in
Domino, * per probationem ministerij hujus : glo- v. 13.
rificantes Deum in obedientia confessionis vestræ,
[g] & simplicitate communicationis in illos & in om- g
nes : * & ipsorum obsecratione pro vobis, desideran- v. 14.
tium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.
* Gratias [h] ago Deo super inenarrabili dono ejus. v. 15.
Et alio loco : * Qui autem gloriatur, in Domino 2. Cor. 10.
glorietur. * Non enim qui seipsum commendat, ille v. 17.
probatus est; sed quem Deus commendat. *Et post* v. 18.
aliquantum : * Ministri Christi sunt? [i] & ego : ut
minùs sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, v. 23. i
in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum,
in mortibus frequenter : * à Judæis quinquies qua- v. 24.
dragenas unâ minus accepi. * Ter virgis cæsus sum, v. 25.

[a] Vulgata nunc habet, *ipsorum fuit* : sed carebat *fuit* in Corb. Bibliis & in Græco, necnon in codicibus hujus Speculi.

[b] Regius codex, *perficiat in vos* : paulòque pòst, *sollicitudine & caritate vestra in nobis* ; prætermisso *insuper* : quibus locis ad Græcum quadrat.

[c] Am. & Er. hîc, *ingenuum bonum*. In Græco unum tantùm verbum est γνήσιον, quod *ingenuitatem* sive *sinceritatem* significat.

[d] Sic etiam Corb. Biblia ferebant. At nunc in Vulgata legitur, *in hanc gratiam* : in Græco, σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ.

[e] Hîc in editis addebatur, *in Domini gloriam* : quod à MSS. & à sacris Bibliis abest. Paulò infrà, pro *Et post aliquos*, habet Regius codex, *Et post novem versus*.

[f] Sic MSS. cum antiquis Corb. Bibl. At editi habebant sicuti nunc Vulgata, *in sæculum sæculi* : quamvis in Græco sit tantùm, εἰς τὸν αἰῶνα.

[g] Hîc in sacris Bibliis additur, *in Evangelium Christi*.

[h] Vulg. *Gratias Deo* : prætermisso *ago*. Græc autem, χάρις δὲ τῷ Θεῷ.

[i] Redundat, *& ego* : quod quidem in Vulgata etiam hîc repetebatur; sed meritò per Bibliorum castigatores expunctum fuit, cùm id textus Græcus non habeat.

semel lapidatus sum, ter naufragium feci; nocte
v. 26. & die in profundo maris fui: * in itineribus sæpe,
periculis fluminum, periculis latronum, periculis
ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civi-
tate, periculis in solitudine, periculis in mari, pe-
v. 27. riculis in falsis fratribus: * in labore & ærumna, in
vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in
v. 28. frigore & nuditate: * præter illa quæ extrinsecùs
sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium
v. 29. Ecclesiarum. * Quis infirmatur, & ego non infir-
v. 30. mor? Quis scandalizatur, & ego non uror? * Si glo-
riari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.
2. Cor. 12. v. 9. *Et post paululum:* * Libenter igitur gloriabor in in-
firmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.
v. 10. * Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis,
in contumeliis, in necessitatibus, in persecutioni-
a bus, in angustiis [a] multis pro Christo. Cùm enim
infirmor, tunc potens sum. *Et post aliquos versus:*
v. 14. * Ecce tertiò paratus sum venire ad vos, & non ero
gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed
vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare,
v. 15. sed parentes filiis. * Ego autem libentissimè impen-
dam, & superimpendar ipse pro animabus vestris,
licèt plus vos diligens, minùs diligar. *Et post aliquos*
v. 20. *versus:* * Timeo enim ne fortè cùm venero, non
quales volo inveniam vos, & ego inveniar à vobis
qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmu-
lationes, animositates, dissensiones, detractiones,
susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos:
v. 21. * ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud
vos, & lugeam multos ex iis, qui antè peccave-
runt, & non egerunt pænitentiam super immundi-
b tia [b] & impudicitia, quam gesserunt. *Et alio loco:*
2. Cor. 13. v. 7. * Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis: non
ut nos probati pareamus, sed ut vos quod [c] justum
v. 11. est faciatis. *Et post sex versus:* * De cetero fratres
gaudete, perficimini, exhortamini, idipsum sapi-
te, pacem habete; & Deus dilectionis & pacis erit
vobiscum.

De Epistola B. Pauli ad Galatas.

Gal. 1. v. 10. Gal. 5. v. 6. * Si adhuc hominibus placerem, Christi ser-
vus non essem. *Et post aliquantum:* * Nam in
Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, ne-
que præputium; sed fides quæ per dilectionem ope-
v. 13. ratur. *Et alio loco:* * Vos autem [d] in libertatem vocati
d estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem
e carnis detis, sed per caritatem [e] spiritus servite in-
v. 14. vicem. * Omnis enim Lex in uno sermone imple-
v. 15. tur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. * Quòd
si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab in-
v. 16. vicem consumamini. * Dico autem, [f] Spiritu am-
f bulate, & desideria carnis non perficietis. * Caro
v. 17. enim concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem
adversùs carnem. Hæc enim sibi invicem adversan-
v. 18. tur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. * Quòd
v. 19. si spiritu ducimini, non estis sub Lege. * Manifesta

[a] Sacra Biblia non addunt, *multis*.
[b] Hic sacra Biblia interponunt, *& fornicatione*.
[c] Vulgata, *quod bonum est*: Græc ὃ καλόν.
[d] Sic MSS. hujus Speculi, juxta Vulgatam. At editi, *in libertate*. In Græco est ἐπ' ἐλευθερίᾳ.
[e] Vox *spiritus* abest à vetustis Corb. Bibliis & à Græco.
[f] Editi post *Dico autem*, addunt *in Christo*: quod nec in MSS. est, nec in sacris Bibliis nisi fortè interpolatis.
[g] In Vulgata inseritur hîc *impudicitia*: quæ vox à vetustis Corb. Bibliis abest. Reperitur quidem apud Hieronymum, sed subtractâ voce *luxuria*. In Græco autem nominatur primùm *adulterium*, tum *fornicatio*; deinde alia ut hîc recensentur omisso nomine *impudicitiæ*.
[h] Vulgata, *non consequentur*, Græc. οὐ κληρονομήσουσι.
[i] In Vulgata superadduntur duo vocabula, scilicet hoc loco *man-*

autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, im-
v. 20. munditia, [g] luxuria, * idolorum servitus, veneficia,
g inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ,
v. 21. dissensiones, sectæ, * invidiæ, homicidia, ebrie-
tates, comessationes, & his similia: quæ prædico
vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, re-
v. 22. gnum Dei non [h] possidebunt. * Fructus autem spi-
h ritûs est, caritas, gaudium, pax, patientia, longani-
v. 23. mitas, bonitas, benignitas, [i] * fides, modestia, conti-
i nentia. Adversùs hujusmodi non est lex. * Qui au-
v. 24. B tem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum
vitiis & concupiscentiis. * Si spiritu vivimus, spiri-
v. 25. tu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ
cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.
Gal. 6. v. 1. * Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo
delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instrui-
te in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne &
v. 2. tu tenteris. * Alter alterius onera portate, & sic ad-
v. 3. implebitis legem Christi. * Nam si quis existimat
v. 4. se aliquid esse, cùm nihil sit; ipse se seducit. * Opus
C autem suum probet unusquisque, & sic in semet-
ipso tantùm habebit gloriam, & non in altero.
v. 5. v. 6. * Unusquisque enim onus suum portabit. * Com-
k municet autem is qui catechizatur [k] verbum, ei
v. 7. qui se catechizat, in omnibus bonis. * Nolite erra-
v. 8. re, Deus non irridetur. * Quæ enim seminaverit
homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in car-
ne sua, de carne & metet corruptionem: qui au-
tem seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam
v. 9. æternam. * Bonum autem facientes non deficia-
D mus; tempore enim suo metemus non deficientes.
v. 10. * Ergo dum tempus habemus, operemur bonum
ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.

De Epistola B. Pauli ad Ephesios.

Ephes. 4. v. 1. Obsecro itaque vos, fratres, ego vinctus in
Domino, ut dignè ambuletis vocatione qua
v. 2. vocati estis, * cum omni humilitate & mansuetu-
dine, cum patientia supportantes invicem in cari-
v. 3. tate, * solliciti servare unitatem spiritus in vinculo
v. 17. E pacis. *Et alio loco:* * Hoc itaque dico, & testificor
in Domino, ut jam non ambuletis sicut & gentes
v. 18. ambulant, in vanitate sensus sui, * tenebris obscu-
ratum habentes intellectum, alienati à vita Dei
per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem
v. 19. cordis ipsorum: * qui desperantes semetipsos tra-
diderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ
omnis [l] & avaritiæ. * Vos autem non ita didicistis
v. 20. l Christum: * si tamen illum audistis, & in ipso docti
v. 21. m estis, sicut est veritas in Jesu. * [m] Deponite vos se-
v. 22. F cundùm pristinam conversationem veterem ho-
minem, qui corrumpitur secundùm desideria er-
v. 23. roris. * Renovamini autem spiritu mentis vestræ;
v. 24. * & induite novum hominem, qui secundùm Deum
v. 25. creatus est in justitia & sanctitate veritatis. * Prop-
ter quod deponentes mendacium, loquimini ve-
ritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam

suetudo, postremo *castitas*: sicque fructus spiritûs fiunt duodecim. At in vetustis Corb. Bibliis non sunt plus undecim, quia omittitur *mansuetudo*: in Græco autem non plus novem, quia absunt *patientia* & *castitas*, neque vocabulis *mansuetudo* ac *modestia* respondet nisi unum πραότης.
[k] Sic etiam in Corb. Bibliis juxta Græcum, τὸν λόγον. At in Vulgata nunc est auferendi casu, *catechizatur verbo*.
[l] Pro *& avaritia*, habet nunc Vulgata, *in avaritiam*: Corb. Biblia, *in avaritia*; juxta Græcum, καὶ πλεονεξίᾳ.
[m] Vulgata, *deponere*: quamquam illa in Corb. Bibliis habuit à prima manu, *deponite*. Porro in Græco est ἀποθέσθαι ὑμᾶς, *deposuisse vos*: & consequenter ἀνανεοῦσθαι, *renovatos fuisse*, ἐνδύσασθαι *induisse*: ubi Vulgata infinitis in imperativa mutatis præferre *renovamini*, *induite*.

v. 26. sumus invicem membra. * Irascimini, & nolite
peccare. Sol non occidat super iracundiam ve-
v. 27. v. 28. stram. * Nolite locum dare diabolo. * Qui furaba-
tur, jam non furetur; magis autem laboret ope-
rando manibus suis quod bonum est, ut habeat un-
v. 29. de tribuat necessitatem patienti. * Omnis sermo
malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bo-
a nus ad ædificationem [a] opportunitatis, ut det gra-
v. 30. tiam audientibus. * Et nolite contristare Spiritum-
b sanctum Dei, in quo signati estis in [b] die redem-
v. 31. tionis. * Omnis amaritudo, & ira, & indignatio,
& clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum
v. 32. omni malitia. * Estote autem invicem benigni, mi-
sericordes, donantes invicem, sicut & Deus in
Ephes. 5. v. 1. Christo donavit vobis. * Estote ergo imitatores
v. 2. Dei, sicut filij carissimi; * & ambulate in dilectio-
ne, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semet-
ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in
v. 3. odorem suavitatis. * Fornicatio autem, & omnis
immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis,
v. 4. sicut decet sanctos, * aut turpitudo, aut stultilo-
quium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet;
v. 5. sed magis gratiarum actio. * Hoc enim scitote in-
telligentes, quòd omnis fornicator, aut immun-
dus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non
v. 6. habet hereditatem in regno Christi & Dei. * Ne-
mo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim
v. 7. venit ira Dei in filios diffidentiæ. * Nolite ergo es-
v. 8. fici participes eorum. * Eratis enim aliquando te-
nebræ: nunc autem lux in Domino: ut filij lucis
v. 9. ambulate, * (Fructus enim lucis est in omni bonita- D
v. 10. te & justitia & veritate,) * probantes quid sit be-
v. 11. neplacitum Deo. * Et nolite communicare ope-
ribus infructuosis tenebrarum: magis autem redar-
v. 12. guite. * Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe
v. 13. est & dicere. * Omnia autem quæ arguuntur, à lu-
mine manifestantur. Omne enim quod manifesta-
v. 14. tur, lumen est. * Propter quod dicit, Surge qui
c dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit [c] ti-
v. 15. bi Christus. * Videte itaque fratres, quomodo cau-
v. 16. tè ambuletis, non quasi insipientes, * sed ut sapien- E
tes, redimentes tempus; quoniam dies mali sunt.
v. 17. * Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelli-
v. 18. gentes quæ sit voluntas Dei. * Et nolite inebriari
vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu-
v. 19. d sancto, * loquentes vobismetipsis in psalmis &
d hymnis & canticis spiritualibus cantantes & psal-
v. 20. lentes in cordibus vestris Domino, * gratias agen-
tes semper pro omnibus in nomine Domini nostri
v. 21. Jesu Christi, Deo & Patri, * subjecti invicem in ti-
v. 22. more Christi. * Mulieres viris suis subditæ sint, sicut F
v. 23 Domino: * quoniam vir caput est mulieris, sicut
Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis
v. 24. e ejus. * Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita
e v. 25. & mulieres viris suis in omnibus. * Viri diligite uxo-
res vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, &
v. 26. seipsum tradidit pro ea, * ut illam sanctificaret,
v. 27. mundans lavacro aquæ in [f] verbo: * ut exhiberet
f ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem ma-
culam aut rugam, aut aliquid ejusmodi; sed ut sit

sancta & immaculata. * Ita & viri debent diligere v. 28.
uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem dili-
git, seipsum diligit. * Nemo unquam carnem suam v. 29.
odio habuit; sed nutrit & fovet eam, sicut & Chri-
stus Ecclesiam: * quia membra sumus corporis ejus, v. 30.
de carne ejus & de ossibus ejus. * Propter hoc re- v. 31.
linquet homo patrem & matrem suam, & adhæ-
rebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. * Sacra- v. 32.
mentum hoc magnum est: ego autem dico in Chri-
sto & in Ecclesia. * Verumtamen & vos singuli v. 33.
B unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat:
uxor autem timeat virum. * Filij obedite parentibus Ephes. 6. v. 1.
vestris in Domino. Hoc enim justum est. * Honora v. 2.
patrem tuum & matrem, quod est primum man-
datum in promissione, * ut bene sit tibi, & sis lon- v. 3.
gævus super terram. * Et patres nolite ad iracun- v. 4.
diam provocare filios vestros, sed educate eos in
disciplina & correptione Domini. * Servi obedite v. 5.
dominis carnalibus cum timore & tremore, in sim-
plicitate cordis vestri, sicut Christo: * non ad ocu- v. 6.
C lum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut
servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo,
* cum bona voluntate servientes ut domino, & non v. 7.
hominibus: * scientes quoniam unusquisque quod- v. 8.
cumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino,
sive servus, sive liber. * Et vos domini eadem facite v. 9.
illis, remittentes minas; scientes quia & illorum &
vester Dominus est in cælis, & personarum accep-
tio non est apud eum. * De cetero fratres conforta- v. 10.
mini in Domino, & in potentia virtutis ejus. * In- v. 11.
D duite vos amaturam Dei, ut possitis stare adversùs
insidias diaboli: * quia non est nobis colluctatio ad- v. 12.
versùs carnem & sanguinem, sed adversùs princi-
pes & potestates, adversùs mundi rectores, tene-
brarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cæle-
stibus. * Propterea accipite armaturam Dei, ut v. 13.
possitis resistere in die mala, & in omnibus perfecti
stare. * State ergo succincti lumbos vestros in veri- v. 14.
tate, & induti loricam justitiæ, * & calceati pedes v. 15.
in præparatione Evangelij pacis: * in omnibus su- v. 16.
E mentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ne-
quissimi ignea exstinguere: * & galeam salutis assu- v. 17.
mite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei,
* per omnem orationem & obsecrationem, orantes v. 18.
omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in om-
ni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis;
* & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris v. 19.
mei cum fiducia notum facere mysterium Evange-
lij, * propter quod legatione fungor [g] in catena, ita v. 20.
g
ut in ipso audeam prout oportet me loqui.

De Epistola B. Pauli ad Philippenses.

Philip. 1. v. 20. * Quia in nullo confundar, sed in omni fidu-
cia, sicut semper, & nunc magnificabitur
Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per
mortem. * Mihi enim vivere Christus est, & mori v. 21.
lucrum. * Quòd si vivere in carne hic mihi fructus v. 22.
operis est; & quid eligam, ignoro. * Coartor enim v. 23.
è duobus, desiderium habens dissolvi, & cum Chri-
sto esse multò magis melius: * permanere autem in v. 24.

[a] Vulgata, *ad ædificationem fidei*. At codices omnes hujus Speculi, *ad ædificationem opportunitatis*: juxta Hieronymum, qui hunc in locum id observat: Proco, ait, quod nos posuimus *ad ædificationem opportunitatis*, hoc est quod dicitur Græcè πρὸς χρείαν, in Latinis codicibus propter euphoniam mutavit interpres, & posuit *ad ædificationem fidei*.
[b] Vulgata, *in diem*: suffragante Græco, εἰς ἡμέραν.
[c] Loco *tibi*, in Vulgata est *te*: licèt Græcè legatur, ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός, *illuxerit*, sive uti Hieronymus interpretatur, *oriatur tibi Christus*.
[d] Sic etiam Vulgata in excusis. At in antiquis Corb. Bibliis non additur *sancto*: quod pariter Hieronymus Græco inhærens prætermittit.
[e] Pronomen *eius* abest à MSS. hujus Speculi, nec in Græco reperitur, nec apud Hieronymum.
[f] Sic etiam apud Hieronymum, non addita voce *vitæ*: quæ quidem vox, post *in verbo*, legitur nunc in Vulgata, non autem in textu Græco.
[g] Editi, *in catena ista*, *ita ut* &c. At Regius codex & sacra Biblia carent pronomine, *ista*.

carne necessarium propter vos. *Et post sex versus :*
v. 27. * Tantùm dignè Evangelio Christi conversamini, ut
sive cùm venero & videro vos, sive absens audiam
de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, col-
v. 28. laborantes fidei Evangelij. * Et in nullo terreamini
ab adversariis, quæ est illis caussa perditionis, vobis
v. 29. autem salutis: & hoc à Deo. * Quia vobis donatum
est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed
v. 30. ut etiam pro illo patiamini: * idem certamen ha-
bentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de
Philip. 2. v. 1. me. * Si qua ergo consolatio in Christo, si quod so-
a latium caritatis, si qua societas spiritus, si qua [a] vis-
v. 2. cera & miserationes, * implete gaudium meum, ut
idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, una-
v. 3. nimes, idipsum sentientes. * Nihil per contentio-
nem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate
v. 4. superiores sibi invicem arbitrantes. * Non quæ sua
sunt singuli considerantes; sed ea quæ aliorum.
v. 5. * Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Je-
v. 6. su, * qui cùm in forma Dei esset, non rapinam ar-
v. 7. bitratus est esse se æqualem Deo: * sed semetipsum
exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem
v. 8. hominum factus, & habitu inventus ut homo: * hu-
miliavit semetipsum, factus obediens usque ad mor-
v. 9. tem, mortem autem crucis. * Propter quod &
Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod
v. 10. est super omne nomen: * ut in nomine Jesu omne
genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infer-
v. 11. norum, * & omnis lingua confiteatur, quia Domi-
v. 12. nus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. * Itaque
carissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in
præsentia mei tantùm, sed multo magis nunc in
absentia mea, cum metu & tremore vestram salu-
v. 13. tem operamini. * Deus est enim qui operatur in vo-
v. 14. bis & velle, & perficere, pro bona voluntate. * Om-
nia autem facite sine murmurationibus & hæsita-
v. 15. tionibus, * ut sitis sine querela, & simplices filij Dei,
sine reprehensione in medio nationis pravæ & per-
versæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo:
v. 16. * verbum vitæ continentes ad gloriam [b] mihi in
b diem Christi; quia non in vacuum cucurri, neque
v. 17. in vacuum laboravi. * Sed & si immolor supra sa-
crificium & ministerium fidei vestræ, gaudeo &
v. 18. congratulor omnibus vobis. * Idipsum autem & vos
v. 19. gaudete, & congratulamini mihi. * Spero autem in
Domino Jesu Timotheum citò mittere ad vos, ut
& ego bono animo sim, cognoscens quæ circa vos
v. 20. sunt. * Neminem enim habeo tam unanimem, qui
v. 21. sincera affectione pro vobis sollicitus sit. * Omnes
v. 22. enim sua quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. * Ex-
perimentum autem ejus cognoscite, quoniam sicut
v. 23. patri filius mecum servivit in Evangelio. * Hunc
igitur spero me mittere, mox ut videro quæ circa
v. 24. me sunt. * Confido autem in Domino, quoniam &
v. 25. ipse veniam ad vos citò. * Necessarium autem exi-
stimavi Epaphroditum fratrem & cooperatorem &
commilitonem meum, vestrum autem apostolum,
& ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos:
v. 26. * quoniam quidem omnes vos desiderabat, & mæ-
stus erat propter quod audistis illum infirmatum.
v. 27. * Nam & infirmatus est usque ad mortem, sed Deus
misertus est ejus: non solùm autem ejus, verùm
etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam habe-
v. 28. rem. * Festinantiùs ergo misi illum, ut viso eo ite-

A rum gaudeatis, & ego sine tristitia sim. * Excipite v. 29.
itaque illum cum omni gaudio in Domino; & ejus-
modi cum honore habetote: * quoniam propter v. 30.
opus Christi usque ad mortem accessit, tradens ani-
mam suam, ut impleret quod vobis deerat erga
meum obsequium. *Et paulò post:* * Fratres, ego me Philip. 3. v.
non arbitror apprehendisse: unum autem, quæ 13.
quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt
priora extendens me, * ad destinatum persequor, v. 14.
ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Je-
B su. * Quicumque ergo perfecti, hoc sentiamus: & v. 15.
si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit:
* verumtamen ad [c] id quod pervenimus, ut idem v. 16.
c sapiamus, & in eadem permaneamus regula. * Imi-
tatores mei estote, fratres; & observate eos qui ita v. 17.
ambulant, sicut habetis formam nostram. * Multi v. 18.
enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc
autem & flens dico, inimicos crucis Christi: * quo- v. 19.
rum finis interitus; quorum Deus venter, & glo-
ria in confusione ipsorum; qui terrena sapiunt.
C * Nostra autem conversatio in cælis est. *Et post tre-* v. 20.
decim versus: * Gaudete in Domino semper, iterum Philip. 4. v.
dico gaudete. * Modestia vestra nota sit omnibus 4.
hominibus. Dominus enim prope est. * Nihil sol- v. 5.
liciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione cum v. 6.
gratiarum actione petitiones vestræ innotescant
apud Deum. * Et pax Dei, quæ exsuperat omnem v. 7.
sensum, custodiat corda vestra & intelligentias ve-
stras in Christo Jesu. * De cetero, fratres, quæ- v. 8.
cumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcum-
D que justa, quæcumque sancta, quæcumque ama-
bilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua
laus, [d] hæc cogitate: * quæ & didicistis, & acce- v. 9.
pistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & d
Deus pacis erit vobiscum. * Gavisus sum autem in v. 10.
Domino vehementer, quoniam tandem aliquando
refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: oc-
cupati autem eratis. * Non quasi propter penuriam v. 11.
dico. Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens
esse. * Scio & humiliari; scio & abundare: ubique v. 12.
E & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire,
& abundare, & penuriam pati: * Omnia possum in v. 13.
eo qui me confortat. * Verumtamen bene fecistis v. 14.
communicantes tribulationi meæ. * Scitis autem & v. 15.
vos Philippenses, quòd in principio Evangelij,
quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi
vos soli: * quia & in Thessalonicam & semel & bis v. 16.
in usum mihi misistis. * Non quia quæro datum, sed v. 17.
requiro fructum abundantem in [c] rationem ve- c
F stram. * Habeo autem omnia, & abundo. Reple- v. 18.
tus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem
Deo.

De Epistola B. Pauli ad Thessalonicenses I.

Ipsi scitis fratres introitum nostrum ad vos, 1. Thess. 2.
quia non inanis fuit: * sed antè passi [f] multa & v. 1.
f contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fidu- v. 2.
G ciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evan-
gelium Dei in multa sollicitudine. * Exhortatio v. 3.
enim nostra non de errore, neque de immundi-
tia, neque in dolo: * sed sicut probati sumus à Deo, v. 4.

[a] Vulgata, *viscera miserationis.* Græc. σπλάγχνα & οἰκτιρμοί.
[b] Consonat Græcus textus. At Vulgata præfert, *ad gloriam meam in die Christi.*
[c] Abest, *id* à sacris Bibliis; neque in illis particula &, post verbum *sapiamus* reperitur.
[d] Apud Lov. additum fuerat hîc *disciplinæ*, juxta Vulgatam: sed Am. Er & Regius codex vocem istam cum Græco præterierunt.
[e] Editi antea juxta Vulgatam, *in ratione vestra.* At MSS. juxta Græcum & antiqua Biblia, *in rationem vestram.*
[f] Vox *multa* à sacris Bibliis abest.

ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur; A consolamini invicem, & ædificate alterutrum, sicut
non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui pro- & facitis. * Rogamus autem vos, fratres, ut nove- v. 12.
v. 5. bat corda nostra. * Neque enim aliquando fuimus ritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis
in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occa- in Domino, & monent vos, * ut habeatis illos abun- v. 13.
v. 6. sione avaritiæ, Deus testis est: * neque quærentes dantiùs in caritate, propter opus illorum, pacem
ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab habete cum eis. * Rogamus autem vos, fratres, cor- v. 14.
v. 7. aliis. * Cùm possemus vobis oneri esse, ut Christi ripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipi-
Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrûm, te infirmos, patientes estote ad omnes. * Videte ne v. 15.
v. 8. tamquam si nutrix foveat filios suos: * Ita deside- quis malum pro malo alicui reddat: sed semper
rantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non quod bonum est sectamini in invicem, & in omnes.
solùm Evangelium Dei, sed etiam animas nostras; * Semper gaudete: * sine intermissione orate: * in v. 16. v. 17.
v. 9. quoniam carissimi nobis facti estis. * Memores enim B omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei est v. 18.
facti estis, fratres, laboris nostri & fatigationis: no- in Christo Jesu, in omnibus vobis. * Spiritum nolite v. 19.
cte & die laborantes, ne quem vestrûm gravare- exstinguere. * Prophetias nolite spernere. * Omnia v. 20. v. 21.
v. 10. mus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. * Vos autem probate: quod bonum est tenete. * Ab om- v. 22.
testes estis & Deus, quàm sanctè, & justè, & sine
v. 11. querela vobis, qui credidistis, affuimus: * sicut sci-
tis, qualiter unumquemque vestrûm, tamquam
v. 12. pater filios suos, * deprecantes vos, & consolantes,
testificati sumus ut ambularetis dignè Deo, qui vo-
v. 13. cavit vos in suum regnum & gloriam. * Ideo & nos
gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam C
cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, ac-
cepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est
verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui cre-
v. 14. didistis. * Vos enim imitatores facti estis, fratres,
Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo
Jesu; quia eadem passi estis & vos à contribulibus
1. Thessal. 4. v. 1. vestris, sicut & ipsi à Judæis. *Et alio loco:* * De ce-
tero ergo, fratres, rogamus vos, & obsecramus in
Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis
quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, D
v. 2. sic & ambuletis, ut abundetis magis. * Scitis enim
quæ præcepta dederimus vobis per Dominum Je-
v. 3. sum. * Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio
v. 4. vestra, ut abstineatis vos à fornicatione; * ut sciat
unusquisque vestrûm suum vas possidere in sanctifi-
v. 5. catione & honore, * non in passione desiderij, sicut
v. 6. & gentes quæ ignorant Deum. * & ne quis super-
grediatur, neque circumveniat in negotio fratrem
suum: quoniam vindex est Deus de his omnibus,
v. 7. sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. * Non E
enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in san-
v. 8. ctificationem. * Itaque qui hæc spernit, non homi-
nem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum
v. 9. suum sanctum in vobis. * De caritate autem frater-
nitatis non necesse habemus scribere vobis; ipsi
v. 10. enim vos à Deo didicistis ut diligatis invicem. * Et-
enim facitis illud in omnes fratres in universa Ma-
cedonia. Rogamus autem vos fratres, ut abundetis
v. 11. magis; * & operam detis, ut quieti sitis; & ut ve-
strum negotium agatis, & operemini manibus ve- F
stris, sicut præcepimus vobis: ut honestè ambuletis
ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.
v. 12. * Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dor-
mientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri qui
1. Thessal. 5. v. 6. spem non habent. *Et post aliquos versus:* * Igitur non
dormiamus, sicut & ceteri: sed vigilemus, & sobrij
v. 7. simus. * Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; &
v. 8. qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. * Nos autem qui
diei sumus, sobrij simus; induti loricam fidei & ca-
v. 9. ritatis, & galeam spem salutis. * Quoniam non po- G
suit nos Deus in iram, sed in adquisitionem salutis,
v. 10. per Dominum nostrum Jesum Christum: * qui
mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dor-
v. 11. miamus, simul cum illo vivamus. * Propter quod

De Epist. B. Pauli ad Thessalonicenses II.

Gratias agere debemus Deo semper pro 2. Thess. 1. v.
vobis, fratres, ita ut dignum est; quoniam 3.
supercrescit fides vestra, & abundat caritas unius-
cujusque vestrûm in invicem: * ita ut nos ipsi in vo- v. 4.
bis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra
& fide in omnibus persecutionibus vestris & tribu-
lationibus, quas sustinetis * in exemplum justi judi- v. 5.
cij Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo &
patimini. * Si tamen justum est apud Deum retri- v. 6.
buere tribulationem iis, qui vos tribulant; * & vo- v. 7.
bis qui tribulâmini, requiem nobiscum, in revela-
tione Domini Jesu de cælo cum Angelis virtutis
ejus, * in flamma ignis, dantis vindictam iis, qui v. 8.
non noverunt Deum, & qui non obediunt Evan-
gelio Domini nostri Jesu Christi. * Qui pœnas da- v. 9.
bunt [a] in interitum æternas, à facie Domini, & à a
gloria virtutis ejus, * cùm venerit glorificari in san- v. 10.
ctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui credi-
derunt, quia creditum est testimonium nostrum
super vos in die illo. * In quo etiam oramus semper v. 11.
pro vobis, ut dignetur vocatione vos sua Deus no-
ster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, [b] & b
opus fidei in virtute: * ut clarificetur nomen Do- v. 12.
mini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in illo, se-
cundùm gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Chri-
stti. *Et alio loco:* * Denuntiamus autem vobis, fra- 2. Thess. 3. v.
tres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut sub- 6.
trahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè,
& non secundùm traditionem quam acceperunt à
nobis. * Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat v. 7.
imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter
vos; * neque gratis panem manducavimus ab ali- v. 8.
quo: sed in labore & fatigatione nocte ac die ope-
rantes, ne quem vestrûm gravaremus. * Non quasi v. 9.
non habuerimus potestatem; sed ut nosmetipsos
formam daremus vobis ad imitandum nos. * Nam v. 10.
& cùm essemus apud vos, hoc denuntiabamus vo-
bis, quoniam si quis non vult operari, nec mandu-
cet. * Audivimus enim inter vos quosdam ambula- v. 11.
re inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes.
* His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & ob- v. 12.
secramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio
operantes, suum panem manducent. * Vos autem v. 13.
fratres nolite deficere benefacientes. * Quòd si quis v. 14.
non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc
notate, & non commisceamini cum illo, ut con-
fundatur. * Et nolite quasi inimicum existimare, sed v. 15.
corripite ut fratrem.

[a] Sic MSS. At editi *dabunt interitum.* Vulgata, *dabunt in interitu.*
[b] In editis addebatur, *sua:* quæ vox abest à MSS. & à sacris Bibliis.

De Epistola B. Pauli ad Colossenses.

Coloss. 3. v. 1. IGitur, si consurrexistis cum Christo, quæ
sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera
v. 2. Dei sedens: * quæ sursum sunt sapite, non quæ su-
v. 3. per terram. * Mortui enim estis, & vita vestra ab-
v. 4. scondita est cum Christo in Deo. * Cùm autem
Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos appa-
v. 5. rebitis cum ipso in gloria. * Mortificate ergo mem-
bra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem,
immunditiam, libidinem, concupiscentiam ma- B
lam, & avaritiam, quæ est idolorum servitus:
v. 6. * propter quæ venit ira Dei super filios incredulita-
v. 7. tis. * In quibus & vos ambulastis aliquando, cùm
v. 8. viveretis in illis. * Nunc autem deponite & vos om-
nia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam,
a turpem sermonem de ore vestro [a] ne emiseritis.
v. 9. * Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos vete-
v. 10. rem hominem cum actibus ejus, * & induentes no-
vum, eum qui renovatur in agnitionem Dei, se-
v. 11. cundùm imaginem ejus, qui creavit eum: * ubi C
non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præpu-
tium, Barbarus & Scytha, servus & liber; sed
v. 12. omnia & in omnibus Christus. * Induite ergo vos
sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera miseri-
cordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam,
v. 13. patientiam: * supportantes invicem, & donantes
vobis ipsis, si quis adversùs aliquem habet quere-
lam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos
v. 14. [b] facite. * Super omnia autem hæc caritatem habe-
b v. 15. te, quod est vinculum perfectionis: * & pax Chri- D
sti exsultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis
v. 16. in uno corpore: & grati estote. * Verbum Christi
habitet in vobis abundanter, in omni sapientia do-
centes & commonentes vosmetipsos psalmis, hym-
nis & canticis spiritalibus, in gratia cantantes in
v. 17. cordibus vestris Deo. * Omne quodcumque facitis
in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini
nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per
v. 18. ipsum. * Mulieres subditæ estote viris, sicut opor-
v. 19. tet, in Domino. * Viri diligite uxores vestras, & E
v. 20. nolite amari esse ad illas. * Filij obedite parentibus
v. 21. per omnia; hoc enim placitum est in Domino. * Pa-
tres nolite ad indignationem provocare filios ve-
v. 22. stros, ut non pusillo animo fiant. * Servi obedite
per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ser-
vientes, quasi hominibus placentes; sed in simpli-
v. 23. citate cordis, timentes Dominum, * quodcumque
facitis, ex animo operamini, sicut Domino, &
v. 24. non hominibus: * scientes, quod à Domino acci-
pietis retributionem hereditatis. Domino Christo F
v. 25. servite. * Qui enim facit injuriam, recipiet id quod
iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud
Coloss. 4. v. 1. Deum. * Domini, quod justum est & æquum, ser-
vis præstate; scientes quoniam & vos Dominum
v. 2. habetis in cælo. * Orationi instate, vigilantes in ea
v. 3. cum gratiarum actione: * orantes simul & pro no-
bis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad lo-
quendum mysterium Christi, propter quod etiam
v. 4. vinctus sum, * ut manifestem illud ita ut oporteat me
v. 5. loqui. * In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, G
v. 6. tempus redimentes. * Sermo vester semper in gra-
tia sale conditus sit, ut sciatis quomodo oporteat
vos unicuique respondere.

A De Epistola B. Pauli ad Timotheum I.

FInis autem præcepti est caritas de corde 1. Tim. 1. v. 5.
puro, & conscientia bona, & fide non ficta.
* A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in va- v. 6.
niloquium, * volentes esse Legis doctores, non in- v. 7.
telligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus
affirmant. * Scimus autem quoniam bona est Lex, si v. 8.
quis eâ legitimè utatur, * [c] scientes hoc, quia ju- v. 9.
sto Lex non est posita, sed injustis & non subditis, c
impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis,
parricidis & matricidis, homicidis, * fornicariis, v. 10.
masculorum concubitoribus, plagiariis, mendaci-
bus, perjuris; & si quid aliud sanæ doctrinæ adver-
satur, * quæ est secundùm Evangelium gloriæ beati v. 11.
Dei, quod creditum est mihi. *Et post paululum:*
* Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecratio- 1. Tim. 2. v. 1.
nes, orationes, postulationes, gratiarum actiones,
pro omnibus hominibus, * pro regibus, & omni- v. 2.
bus qui in sublimitate sunt: ut quietam & tranquil-
lam vitam agamus, in omni pietate & castitate.
Item post paululum: * Volo ergo viros orare in omni v. 8.
loco, levantes puras manus sine ira & disceptatio-
ne. * Similiter & mulieres in habitu ornato, cum v. 9.
verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis
crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pre-
tiosa; * sed quod decet mulieres promittentes pie- v. 10.
tatem per opera bona. * Mulier in silentio discat v. 11.
cum omni subjectione. * Docere autem mulieri non v. 12.
permitto, neque dominari in virum, sed esse in
silentio. *Et post aliquot versus:* * Oportet ergo Epis- 1. Tim. 3. v. 2.
copum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum,
sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospi-
talem, doctorem: * non vinolentum, non percus- v. 3.
sorem, sed modestum: non litigiosum, non cupi-
dum; * sed suæ domui bene præpositum, filios ha- v. 4.
bentem subditos cum omni castitate. * Si quis au- v. 5.
tem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ
Dei diligentiam habebit? * Non neophytum, ne v. 6.
in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.
* Oportet autem & illum testimonium habere bo- v. 7.
num ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium
incidat & laqueum diaboli. * Diaconos similiter pu- v. 8.
dicos, non bilingues, non multo vino deditos, non
turpe lucrum sectantes, * habentes mysterium fidei v. 9.
in conscientia pura. * Et hi autem probentur pri- v. 10.
mùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes.
* Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, so- v. 11.
brias, fideles in omnibus. * Diaconi sint unius uxo- v. 12.
ris viri, qui filiis suis bene præsunt & suis domibus.
* Qui enim bene ministraverint, gradum bonum v. 13.
sibi [d] adquirunt, & multam fiduciam in fide, quæ d
est in Christo Jesu. *Et post duodecim versus:* * Spiri- 1. Tim. 4. v. 1.
tus autem manifestè dicit, quia in novissimis tem-
poribus discedent quidam à fide, adtendentes spiri-
ritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, * in hy- v. 2.
pocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam
habentium suam conscientiam, * prohibentium v. 3.
nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad
percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, &
iis qui cognoverunt veritatem. * Quia omnis crea- v. 4.
tura Dei bona, & nihil abjiciendum quod cum
gratiarum actione percipitur. * Sanctificatur enim v. 5.
per verbum Dei & orationem. * Hæc proponens v. 6.

a Regius Speculi codex & sacra Biblia carent his verbis, *ne emiseritis*: itemque voce *Dei*, quæ hîc in v. 10. post *in agnitionem* legitur.

b Verbum *facite* abest à Regio codice & à sacris Bibliis.

c Vulgata *sciens*: Græc. εἰδώς.

d Vulgata, *adquirent*. At codices hujus Speculi, *adquirunt*; suffragante Græco, περιποιοῦνται.

fratribus

fratribus bonus eris minister Christi Jesu, nutritus A
verbis fidei & bonæ doctrinæ, quam assecutus es.
v. 7. * Ineptas autem & aniles fabulas devita. Exerce te-
v. 8. ipsum ad pietatem. * Nam corporalis exercitatio ad
modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est,
promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.
v. 9. v. 10. * Fidelis sermo & omni acceptione dignus. * In hoc
enim laboramus & maledicimur, quia speramus in
Deum vivum, qui est salvator omnium hominum,
v. 11. v. 12. maximè fidelium. * Præcipe hæc, & doce. * Ne-
mo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum B
esto fidelium, in verbo, in conversatione, in cari-
v. 13. tate, in fide, in castitate. * Dum venio, adtende
v. 14. lectioni, exhortationi, doctrinæ. * Noli negligere
gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophe-
v. 15. tiam, cum impositione manuum presbyterij. * Hæc
meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus
v. 16. sit [a] omnibus. * Adtende tibi & doctrinæ, insta in
a illis: hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, &
1. Tim. 5. v. 1. eos qui te audiunt. * Seniorem ne increpaveris, sed
obsecra ut patrem; juvenes, ut fratres; * anus, ut C
v. 2. matres; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.
v. 3. v. 4. * Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. * Si qua au-
b tem vidua filios aut nepotes habet; [b] discant pri-
mùm domum suam regere, & mutuam vicem red-
dere parentibus: hoc enim acceptum est coram
v. 5. Deo. * Quæ autem verè vidua est & desolata, [c] spe-
c rat in Deum, & instat obsecrationibus & orationi-
v. 6. bus nocte & die. * Nam quæ in deliciis est, vivens
v. 7. mortua est. * Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles
v. 8. sint. * Si quis autem suorum, & maximè domesti- D
corum curam non habet, fidem negavit, & est in-
v. 9. fideli deterior. * Vidua eligatur non minùs sexaginta
v. 10. annorum, quæ fuerit unius viri uxor, * in operibus
bonis testimonium habens, si filios educavit, si
hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribu-
lationem patientibus subministravit, si omne opus
v. 11. bonum subsecuta est. * Adolescentiores autem vi-
duas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chri-
v. 12. sto, nubere volunt, * habentes damnationem, quia
v. 13. primam fidem irritam fecerunt. * Simul autem & E
otiosæ discunt circumire domos; non solùm otio-
sæ, sed & verbosæ, loquentes quæ non oportet.
v. 14. * Volo autem juniores nubere, filios procreare, ma-
tres-familiâs esse, nullam occasionem dare adver-
v. 15. sario maledicti gratiâ. * Jam enim quædam conver-
v. 16. sæ sunt retrò post satanam. * Si [d] quis fidelis habet
d viduas, subministret illis, ut non gravetur Ecclesia,
v. 17. ut iis quæ verè viduæ sunt sufficiat. * Qui bene præ-
sunt presbyteri, duplici honore digni habeantur:
v. 18. maximè qui laborant in verbo & doctrina. * Dicit F
Deut. 25. 4. enim Scriptura, Non [e] infrenabis os bovi trituran-
e Luca 10. 7. ti: &, dignus est operarius mercede sua. * Adver-
1. Tim. 5. sùm presbyterum accusationem noli recipere, nisi
v. 19. sub duobus & tribus testibus. * Peccantes coram
v. 20. omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.
v. 21. * Testor coram Deo & Christo Jesu & electis An-
gelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil fa-
v. 22. ciens in alteram partem declinando. * Manus citò
nemini imposueris, neque communicaveris pecca-
v. 23. tis alienis. Teipsum castum custodi. * Noli adhuc G
aquam bibere, sed vino modico utere, propter sto-

machum tuum & frequentes tuas infirmitates.
* Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, v. 24.
præcedentia ad judicium: quosdam autem & sub-
sequuntur: * Similiter & facta bona manifesta sunt; v. 25.
& quæ aliter se habent, abscondi non possunt.
* Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos 1. Tim. 6.
omni honore dignos [f] habeant, ne nomen Domini v. 1. f
& doctrina blasphemetur. * Qui autem fideles ha- v. 2.
bent dominos, non contemnant, quia fratres sunt;
sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui
beneficij participes sunt. hæc doce, & exhortare.
* Si quis aliter docet, & non adquiescit sanis sermo- v. 3.
nibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secun-
dùm pietatem est doctrinæ, * [g] superbus, nihil v. 4. g
sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas ver-
borum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones,
blasphemiæ, suspiciones malæ, * conflictationes v. 5.
hominum mente corruptorum, & qui privati sunt
veritate; existimantium quæstum esse pietatem.
* Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficien- v. 6.
tia. * Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud v. 7.
dubium quia nec auferre quid possumus. * Haben- v. 8.
tes autem alimenta, & quibus tegamur, his con-
tenti simus. * Nam qui volunt divites fieri, inci- v. 9.
dunt in tentationes, & in laqueum diaboli, & de-
sideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt ho-
mines in interitum & perditionem. * Radix enim v. 10.
omnium malorum est cupiditas, quam quidam ap-
petentes erraverunt à fide, & inseruerunt se dolori-
bus multis. * Tu autem ô homo Dei hæc fuge: se- v. 11.
ctare verò justitiam, pietatem, fidem, caritatem,
patientiam, mansuetudinem. * Certa bonum cer- v. 12.
tamen fidei; apprehende vitam æternam, in [h] qua h
vocatus es, & confessus bonam confessionem
coram multis testibus. * Præcipio tibi coram v. 13.
Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, qui te-
stimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam con-
fessionem, * ut serves mandatum sine macula irre- v. 14.
prehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu
Christi. *Et post paucos versus:* * Divitibus hujus sæ- v. 17.
culi præcipe, non superbè sapere, neque sperare in
incerto divitiarum, sed in Deo, qui præstat nobis
omnia abundè ad fruendum; * bene agere, divites v. 18.
fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communi-
care, * thesaurizare sibi fundamentum bonum in v. 19.
futurum, ut apprehendant veram vitam. * O Ti- v. 20.
mothee depositum custodi, devitans profanas vo-
cum novitates & oppositiones falsi nominis scien-
tiæ, * quam quidam promittentes circa fidem ex- v. 21.
ciderunt. Gratia tecum, Amen.

De Epistola B. Pauli ad Timotheum II.

NOn enim dedit nobis Deus spiritum timoris, 2. Tim. 1. v. 7.
sed virtutis & dilectionis & sobrietatis. * Noli v. 8.
itaque erubescere testimonium Domini nostri, ne-
que me vinctum ejus; sed collabora Evangelio se-
cundùm virtutem Dei. *Et post paucos versus:* * For- v. 13.
mam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in
fide & dilectione in Christo Jesu. * Bonum deposi- v. 14.
tum custodi per Spiritum-sanctum, qui habitat in
nobis. *Et paulò pòst:* * Tu ergo fili mi confortare in 2. Tim. 2. v. 1.
gratia, quæ est in Christo Jesu: * & quæ audisti à v. 2.

a Regius codex, *manifestus sit in omnibus*; juxta Græcum, ἐν πᾶσιν.

b Sic omnes codices Speculi; juxta Græcum, μανθανέτωσαν. At Vulgata, *discat*, numero singulari.

c Vulgata, *speret & instet*. Græca Scriptura, ἤλπικεν καὶ προσμένει, *speravit & instat*: hinc Regius codex, litterâ *u* per librarios, ut sæpe sæpius contingit, mutatâ in *b*. habet, *sperabit*.

d In vetustis Corb. Bibl. *Si quis fidelis vel si qua fidelis*; juxta Græc. εἴ τις πιστὸς ἢ πιστή.

e Sic etiam Corb. Bibl. At nunc Vulgata, *non alligabis*.

f Vulgata, *arbitrentur*.

g Legendum cum Vulgata *superbus est*, vel *superbit*, juxta Græc. τετύφωται.

h Græca Scriptura εἰς ἣν, *in quam*.

me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus ho-
v. 3. minibus, qui idonei erunt & alios docere. * Labora
v. 4. ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. * Nemo militans Deo,
implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui
v. 5. ſe probavit. * Nam & qui certat in agone, non co-
v. 6. ronatur niſi legitimè certaverit. * Laborantem agri-
v. 7. colam oportet primùm de fructibus accipere. * In-
telligè quæ dico: dabit enim tibi Dominus intelle-
v. 8. ctum in omnibus. * Memor eſto, Dominum Jeſum
Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David,
v. 9. ſecundùm Evangelium meum: * in quo laboro uſ-
que ad vincula, quaſi malè operans: ſed verbum
v. 10. Dei non eſt alligatum. * Ideo omnia ſuſtineo pro-
pter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ
v. 11. eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cæleſti. * Fidelis ſer-
mo: Nam ſi commortui ſumus, & convivemus:
v. 12. * ſi [a] ſuſtinebimus, & conregnabimus: ſi negabi-
a
v. 13. mus, & ille negabit nos: * ſi non credimus, ille
v. 14. fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. * Hæc
commone teſtificans coram Deo. Noli verbis con-
tendere, in nihil utile, niſi ad ſubverſionem au-
v. 15. dientium. * Sollicitè autem cura teipſum probabi-
b lem exhibere Deo, operarium [b] inconfuſibilem,
v. 16. rectè tractantem verbum veritatis. * Profana au-
c tem & vaniloquia devita: multùm [c] proficient ad
v. 17. impietatem; * & ſermo eorum ut cancer ſerpit. *Et*
v. 19. *poſt ſex verſus:* * Cognovit Dominus qui ſunt ejus,
d & [d] diſcedant ab iniquitate omnes qui invocant no-
v. 20 men Domini. * In magna autem domo non ſolùm
ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia;
& quædam quidem in honorem, quædam autem in
v. 21. contumeliam. * Si quis ergo mundaverit ſe ab iſtis,
erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino
v. 22. ad omne opus bonum paratum. * Juvenilia autem
deſideria fuge: ſectare verò juſtitiam, fidem, ca-
ritatem, pacem cum iis qui invocant Dominum de
v. 23. corde puro. * Stultas autem & ſine diſciplina quæ-
v. 24. ſtiones devita, ſciens quòd generant lites. * Servum
autem Domini non oportet litigare, ſed manſue-
v. 25. tum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, * cum
e modeſtia corripientem eos qui [e] reſiſtunt: nequan-
do det illis Deus pænitentiam ad cognoſcendam
v. 26. veritatem, * & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo
2. Tim. 3. captivi tenentur ad ipſius voluntatem. * Hoc au-
v. 1. tem ſcito, quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tem-
v. 2. pora periculoſa, * & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus
v. 3. non obedientes, ingrati, ſcleſti, * ſine affectione,
ſine pace, criminatores, incontinentes, immites,
v. 4. ſine benignitate, * proditores, protervi, tumidi,
v. 5. voluptatum amatores magis quàm Dei, * habentes
ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus ab-
v. 6. negantes. & hos devita. * Ex iis enim ſunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis,
v. 7. * ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veri-
v. 10. tatis pervenientes. *Et poſt octo verſus:* * Tu autem
aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem,
v. 11 patientiam, * perſecutiones, paſſiones, qualia mihi
facta ſunt Antiochiæ, Iconio, Lyſtris, quales per-
ſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus me eripuit Do-

[a] Carnutenſis codex & Corb. Biblia, *ſi ſuſtinemus*. Paulò pòſt Jo. co *ſi negabimus*, habet Regius cod. juxta Vulgatam, *ſi negaverimus*.
[b] MSS. *operarium irreprehenſibilem*. Paulò infrà Regius MS. & editio Er. *& inaniloquia devita*: ſic etiam Corb. Biblia.
[c] Huic lectioni ſuffragatur Græcus textus. At Vulgata præfert, *multum enim proficimus*.
[d] Sacra Biblia, *& diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat.*

A minus. * Et omnes qui volunt piè vivere in Chriſto v. 12.
Jeſu, perſecutionem patientur. * Mali autem ho- v. 13.
mines & ſeductores proficient in pejus, errantes, &
in errorem mittentes. * Tu verò permane in iis quæ v. 14.
didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris.
* Et quoniam ab infantia ſacras litteras noſti, quæ v. 15.
te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt
in Chriſto Jeſu. * Omnis Scriptura divinitus inſpi- v. 16.
rata, eſt utilis ad docendum, ad arguendum, ad
[f] corrigendum, ad erudiendum in juſtitia: * ut per- v. 17.
f
B fectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. * Teſtificor coram Deo & Chriſto Jeſu, qui 2. Tim. 4.
judicaturus eſt vivos & mortuos, & per adventum v. 1.
ipſius & regnum ejus, * prædica verbum, inſta op- v. 2.
portunè, importunè; argue, obſecra, increpa in
omni patientia, & doctrina. * Erit enim tempus, v. 3.
cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua
deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, purientes
auribus: * & à veritate quidem auditum avertent, v. 4.
ad fabulas autem convertentur. * Tu verò vigila, in v. 5.
C omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium
tuum imple. [g] * Ego enim jam delibor, & tempus v. 6.
g
mea reſolutionis inſtat. * Bonum certamen certa- v. 7.
vi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: * in reli- v. 8.
quo repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet
mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolùm
autem mihi, ſed iis qui diligunt adventum ejus.

De Epistola B. Pauli ad Titum.

D HUjus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ Tit. 1. v. 5.
deſunt, corrigas, & conſtituas per civita-
tes preſbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui. * Si quis ſi- v. 6.
ne crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fide-
les, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos.
* Oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut v. 7.
Dei diſpenſatorem; non ſuperbum, non iracun-
dum, non vinolentum, non percuſſorem, non
[h] turpis lucri cupidum: * ſed hoſpitalem, beni- v. 8.
h
gnum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem,
* amplectentem eum qui ſecundùm doctrinam eſt v. 9.
E fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. *Et*
poſt aliquos verſus: * Quam ob cauſſam increpa il- v. 13.
los durè, ut ſani ſint in fide, * non intendentes Ju- v. 14.
daïcis fabulis, & mandatis hominum averſantium
ſe à veritate. * Omnia munda mundis: coinquina- v. 15.
tis autem & infidelibus nihil mundum, ſed inqui-
natæ ſunt & mens eorum, & conſcientia. * Confi- v. 16.
tentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: cùm
ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bo-
num reprobi. * Tu autem loquæ quæ decet ſanam Tit. 2. v. 1.
F doctrinam. * Senes, ut ſobrij ſint, pudici, pruden- v. 2.
tes, ſani in fide, in dilectione, in patientia. * Anus v. 3.
ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non
vino multo ſervientes, bene docentes, * ut pruden- v. 4.
tiam doceant adoleſcentulas, ut viros ſuos ament,
filios diligant, * prudentes, caſtas, [i] domûs curam v. 5.
i
habentes, benignas, ſubditas ſuis viris, ut non
blaſphemetur verbum Dei. * Juvenes ſimiliter hor- v. 6.
tare ut ſobrij ſint. * In omnibus teipſum præbe v. 7.
G exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. * Verbum ſanum, irreprehen- v. 8.

[e] Vulgata, *reſiſtunt veritati*. Vox tamen *veritati* abeſt à Græco & à codicibus hujus operis, excepto MS. Gemblacenſi.
[f] In Vulgata, *ad corripiendum*: in Græco, ἐπανόρθωσιν *ad correctionem*.
[g] Nihil ſuprà in Græcis Bibliis: at in Latinis additur, *ſobrius eſto*.
[h] Regius cod. *non turpe lucrum ſectantem*.
[i] Vulgata addit, *ſobrius*: cui verbo nihil hîc in Græco reſpondet.

ſibile: ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil ha-
v. 9. bens malum dicere de [a] nobis. * Servos dominis
a
ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non con-
v. 10. tradicentes, * non fraudantes, ſed in omnibus fidem
bonam oſtendentes, ut doctrinam ſalvatoris noſtri
v. 11. Dei ornent in omnibus. * Apparuit enim gratia Dei
v. 12. ſalvatoris [b] omnibus hominibus, * erudiens nos,
b
ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria,
v. 13. ſobriè & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo, * ex-
ſpectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni
v. 14. Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, * qui dedit
B ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni
iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem,
v. 15. ſectatorem bonorum operum. * Hæc loquere, &
exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te
Tit. 3. v. 1. contemnat. * Admone illos, principibus & pote-
ſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus
v. 2. bonum paratos eſſe: * neminem blaſphemare, non
litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes
manſuetudinem ad omnes homines. *Et poſt paucos*
v. 8. *verſus:* * Fidelis ſermo eſt; & de his volo te confir- C
mare, ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt
v. 9. Deo. Hæc ſunt bona & utilia hominibus. * Stultas
autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones,
& pugnas Legis devita: ſunt enim inutiles & vanæ.
v. 10. * Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam
v. 11. correptionem devita, * ſciens quia ſubverſus eſt qui
ejuſmodi eſt, & delinquit proprio judicio condemnatus.

De Epistola B. Pauli ad Philemonem.

D GAudium enim magnum habui & conſo- Philem. v. 7.
lationem in caritate tua, quia viſcera ſan-
ctorum requieverunt per te, frater. *Et paulò pòſt:*
v. 13. * Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te
v. 14. mihi miniſtraret in vinculis Evangelij. * Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex
neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.

De Epistola ad Hebræos.

E VIdete fratres, nè fortè ſit in aliquo veſtrûm E Hebr. 3. v. 12.
cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo
v. 13. vivo: * ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos
dies, donec Hodie cognominatur, ut non obdu-
v. 14. retur quis ex vobis fallaciâ peccati. * Participes
enim Chriſti effecti ſumus; ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus,
v. 11. * dum dicitur, Hodie ſi vocem ejus audieritis, no-
Pſal. 94. 8. lite obdurare corda veſtra, quemadmodum in exa-
Hebr. 4. v. 1. cerbatione. *Et poſt paucos verſus:* * Timeamus ergo,
ne fortè relicta pollicitatione introeundi in re- F
quiem ejus, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe.
v. 2. * Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemadmodum
& illis: ſed non profuit illis ſermo auditus, non
c
[c] admixtus fidei ex iis quæ audierunt. *Et alio loco:*
v. 14. * Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum filium Dei, teneamus confeſ-
v. 16. ſionem. *Et poſt tres verſus:* * Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Et paulò pòſt:* * Non enim injuſtus Deus, G
Heb. 6. v. 10. ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius; qui miniſtraſtis ſan-

[a] Regius cod. *de vobis*: juxta Græcum.
[b] Vulgata, *ſalvatoris noſtri*: abeſt *noſtri* à codicibus Speculi, & à Græco textu Immo in Græco cùm articulo feminino eſt nominandi caſu ἡ σωτήρος, quo *gratia* ipſa *ſalutaris* ſeu *ſalutifera* ſignatur.
[c] In Bibliorum codice Corbeienſi necnon in Complutenſi editione legitur, *non admixtis*; ut iſtud participium non ad ſermonem, ſed ad

Actis, & miniſtratis. * Cupimus autem unumquem- v. 11.
que veſtrûm eamdem oſtentare ſollicitudinem ad
expletionem [d] ſpei uſque in finem: * ut non ſegnes v. 12.
efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & d
patientiâ hereditabunt promiſſiones. *Et poſt ſeptem*
verſus: * Homines enim per majorem ſui jurant, v. 16.
& omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt juramentum. *Et poſt aliquantum:* * Tenea- Heb. 10. v.
mus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem. Fi- 23.
delis enim eſt qui repromiſit, * & conſideremus v. 24.
invicem in provocationem caritatis & bonorum
operum: * non deſerentes collectionem noſtram, v. 25.
ſicut eſt conſuetudinis quibuſdam; ſed conſolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. * Voluntariè enim peccantibus nobis v. 26.
poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hoſtia pro peccatis. * Terribilis namque v. 27.
quædam exſpectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ
conſumtura eſt adverſarios. * Irritam quis faciens v. 28.
Legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel
tribus moritur teſtibus: * quanto magis putatis de- v. 29.
teriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei concul-
caverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? * Scimus enim qui dixit, Mihi v. 30.
e vindictam, & ego reddam: & iterum, Quia ju- e
dicabit Dominus populum ſuum. * Horrendum eſt Deut. 32. 35. Ibid. 36.
incidere in manus Dei viventis. * Rememoramini Hebr. 10.
autem priſtinos dies, in quibus illuminati magnum v. 31. v. 32.
certamen ſuſtinuiſtis paſſionum. * Et in altero qui- v. 33.
D dem opprobriis & tribulationibus ſpectaculum fa-
cti, in altero autem ſocij taliter converſantium effecti. * Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam v. 34.
bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. * Nolite itaque amittere confidentiam v. 35.
veſtram, quæ magnam habet remunerationem.
* Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. * Ad- v. 36. v. 37.
huc enim modicum aliquantulúmque qui ventu-
rus eſt veniet, & non tardabit. * Juſtus autem meus v. 38.
ex fide [f] vivit: quòd ſi ſubtraxerit ſe, non place- f
bit animæ meæ. *Et aliquantò pòſt:* * Ideoque & nos Hebr. 12. v.
tantam habentes impoſitam nubem teſtium, de- 1.
ponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum
nobis certamen, * adſpicientes in auctorem fidei v. 2.
& conſummatorem Jeſum: qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contemta, atque in dextera ſedis Dei ſeder. * Recogitate enim v. 3.
eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſùm
ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes. * Nondum enim uſque ad v. 4.
ſanguinem reſtitiſtis adverſùm peccatum repugnantes: * & obliti eſtis conſolationis, quæ vobis v. 5.
tamquam filiis loquitur dicens, Fili mi, noli negli- Prov. 3. 11.
gere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab & 12.
eo argueris. * Quem enim diligit Dominus, caſti- Hebr. 12.
gat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. v. 6.
* In diſciplina perſeverate, tamquam filiis vobis v. 7.
offert ſe Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? * Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cujus v. 8.
participes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non

illos quibus ſermo non profuit, referatur: cui lectioni ſuffragantur Græca quædam exemplaria. confer Theophilacti commentarios.
[d] Lov. *fidei*: refragantibus editis aliis & MSS. qui cum ſactis Bibliis habent, *ſpei*.
[e] Vulgata, *Mihi vindicta, & ego retribuam*.
[f] In Græco hîc & Habac. 2. v. 4. ζήσεται, *vivet*.

v. 9. filij estis. * Deinde patres quidem carnis nostræ ha- A
buimus eruditores, & verebamur: non multo ma-
gis obtemperabimus Patri spirituum; & vivemus?
v. 10. * Et illi quidem in tempore paucorum dierum se-
cundùm voluntatem suam erudiebant nos; hîc au-
tem ad id quod utile est, in recipiendo sanctifica-
v. 11. tionem ejus. * Omnis autem disciplina in præsenti
quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris; po-
stea autem fructum pacatissimum exercitatis per
v. 12. eam reddet justitiæ. * Propter quod remissas manus
v. 13. & soluta genua erigite, * & gressus rectos facite B
pedibus vestris; ut non claudicans quis erret, ma-
v. 14. gis autem sanetur. * Pacem sequimini cum omni-
bus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.
v. 15. * Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua
radix amaritudinis sursum germinans impediat, &
v. 16. per illam inquinentur multi: * ne quis fornicator,
Gen. 25. 33. aut profanus, ut Esaü, qui propter unam escam
Hebr. 13. v. 1. vendidit primitiva sua. *Et alio loco:* * Caritas fra-
ternitatis maneat in vobis, * & hospitalitatem no-
v. 2. a lite oblivisci. Per hanc enim [a] placuerunt quidam C
v. 3. Angelis hospitio receptis. * Mementote vinctorum,
tamquam simul vincti, & laborantium, tamquam
v. 4. & ipsi in corpore manentes. * Honorabile connu-
bium in omnibus, & thorus immaculatus: fornica-
v. 5. tores enim & adulteros judicabit Deus. * Sint mores
sine avaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit,
Josue 1. 5. Non te deseram neque derelinquam: * ita ut con-
Hebr. 13. v. 6. fidenter dicamus, Dominus mihi adjutor est, non
Psal. 117. 6. timebo quid faciat mihi homo. * Mementote præ-
Hebr. 13. v. 7. positorum vestrorum, qui vobis locuti sunt ver- D
bum Dei: quorum intuentes exitum conversatio-
v. 8. nis, imitamini fidem. * Jesus Christus heri & hodie,
v. 9. ipse & in sæcula. * Doctrinis variis & peregrinis no-
lite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor,
non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in
v. 10. eis. * Habemus altare, de quo edere non habent
v. 11. potestatem qui tabernaculo deserviunt. * Quorum
enim animalium infertur sanguis pro peccato in
sancta per pontificem, horum corpora cremantur
v. 12. extra castra. * Propter quod & Jesus, ut sanctifica- E
ret per suum sanguinem populum, extra portam
v. 13. passus est. * Exeamus igitur ad eum extra castra,
v. 14. improperium ejus portantes. * Non enim habemus
hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus,
v. 15. * Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper
Deo, id est fructum labiorum confitentium nomi-
v. 16. ni ejus. * Beneficentiæ autem & communionis no-
lite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.
v. 17. * Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi
enim pervigilant, quasi rationem pro animabus ve- F
stris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non
v. 18. gementes. hoc enim non expedit vobis. * Orate
pro nobis. Confidimus autem, quia bonam con-
scientiam habemus in omnibus bene volentes con-
versari.

DE EPISTOLA PETRI I.

1. Petri 1. v. 6. MODICUM nunc si oportet contristari in
variis tentationibus, * ut probatio vestræ
v. 7. fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem G
v. 13. probatur. *Et alio loco:* * Propter quod succincti
lumbos mentis vestræ sobrij, perfectè sperate in
b eam, quæ offertur vobis, gratiam in [b] revelatione
Jesu Christi: * quasi filij obedientiæ, non configu- v. 14.
rati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, * sed se- v. 15.
cundùm eum qui vocavit vos sanctum, ut & ipsi in
omni conversatione sancti sitis: * quoniam scriptum v. 16.
est, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. * Et si Lev. 11. 44.
Patrem invocatis eum, qui sine acceptione perso- 1. Petri 1. v. 17.
narum judicat secundùm uniuscujusque opus, in
timore incolatus vestri tempore conversamini. *Et
post aliquos versus:* * Animas vestras castificantes in v. 22.
obedientia caritatis, in fraternitatis amore, sim-
plici ex corde invicem diligite adtentiùs, [c] renati. c
Et post paucos versus: * Deponentes igitur omnem 1. Pet. 2. v. 1.
malitiam, & omnem dolum, & simulationes, &
invidias, & omnes detractiones, * sicut modò geniti v. 2.
infantes rationabile sine dolo lac concupiscite. *Et
post paululum:* * Carissimi, obsecro vos tamquam v. 11.
advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus
desideriis, quæ militant adversùs animam. * Con- v. 12.
versationem vestram inter gentes habentes bonam,
ut in eo quod detractant de vobis tamquam de ma-
lefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes
glorificent Deum in die visitationis. * Subjecti esto- v. 13.
te omni humanæ [d] ordinationi propter Deum; sive d
regi, quasi præcellenti; * sive ducibus, tamquam v. 14.
ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem
verò bonorum. * Quia sic est voluntas Dei, ut be- v. 15.
nefacientes obmutescere faciatis imprudentium
hominum ignorantiam: * quasi liberi, & non quasi v. 16.
velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut
servi Dei. * Omnes honorate, fraternitatem dili- v. 17.
gite, Deum timete, regem honorificate. * Servi v. 18.
subditi estote in omni timore dominis vestris, non
tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis. * Hæc v. 19.
est enim gratia, si propter conscientiam Dei susti-
net quis tristitias patiens injustè. * Quæ enim [e] glo- v. 20.
ria est, si peccantes & colaphizati, suffertis? Sed e
si bene facientes patimini, & patienter sustinetis,
hæc est gratia apud Deum. * In hoc enim vocati v. 21.
estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis
relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.
* Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in v. 22.
ore ejus. * Qui cùm malediceretur, non maledice- v. 23.
bat; cùm pateretur, non comminabatur: trade-
bat autem judicanti se [f] injustè. * Qui peccata no- v. 24.
stra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut f
peccatis mortui, justitiæ vivamus, [g] hujus livore g
sanati estis. * Eratis enim sicut oves errantes, sed v. 25.
conversi estis nunc ad pastorem & episcopum ani-
marum vestrarum. *Et alio loco:* * Similiter & mu- 1. Pet. 3. v. 1.
lieres subditæ sint viris suis, ut & si qui non credunt
verbo, per mulierum conversationem sine verbo
lucrifiant, * considerantes in timore castam con- v. 2.
versationem vestram. * Quarum sit non extrinse- v. 3.
cùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indu-
menti vestimentorum cultus: * sed qui absconditus v. 4.
est cordis homo in incorruptibilitate quieti ac mo-
desti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.
* Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes v. 5.
in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris: * sicut v. 6.
Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Gen. 18. 12.
Cujus estis filiæ bene facientes, & non timentes ul-
lam perturbationem. * Viri similiter cohabitantes, 1. Petri 3. v. 7.
secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo mu-
liebri impartientes honorem, tamquam & cohe-

a Vulgata in Bibliis non mendosis, *latuerunt*.
b Sic etiam in antiquis Corb Bibl. juxta Græcum, ἐν ἀποκαλύψει. At in excusis Vulgata habet, *in revelationem*.
c Regius codex omittit, *renati*.
d Interpres videtur legisse τάξει, pro κτίσει, quod est *creatura*.

e Sic MSS. cum sacris Bibliis. At editi, *gratia est*. In altera parte ejusdem versiculi Vulgata non habet, *patimini &c.*
f In Græco est, τῷ κρίνοντι δικαίως, *judicanti justè*.
g Vulgata, *cujus*: Græc. οὗ.

redibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes A
v. 8. vestræ. * In fide autem omnes unanimes, compa-
a tientes, fraternitatis amatores, misericordes, [a] mo-
v. 9. desti, humiles: * non reddentes malum pro malo,
vel maledictum pro maledicto, sed è contrario be-
nedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictio-
v. 10. nem hereditate possideatis. * Qui enim vult vitam
diligere, & videre dies bonos, coërceat linguam
suam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum.
v. 11. * Declinet autem à malo, & faciat bonum; inqui-
v. 12. rat pacem, & sequatur eam. * Quia oculi Domini B
super justos, & aures ejus in preces eorum. Vultus
v. 13. autem Domini super facientes mala. * Et quis est
v. 14. qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? * Sed
& si quid patimini propter justitiam, beati. Timo-
rem autem eorum ne timueritis, ut non conturbe-
v. 15. mini. * Dominum autem Christum sanctificate in
cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem
omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est,
v. 16. spe: * sed cum modestia & timore, conscientiam
habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis, C
confundantur qui calumniantur vestram bonam in
v. 17. Christo conversationem. * Melius est enim bene
facientes, si velit Dei voluntas, pati, quàm ma-
1. Petri 4. v. 1. leficientes. *Et post aliquos versus:* * Christo igitur
passo in carne, & vos eadem cogitatione armami-
ni: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis,
v. 2. * ut jam non hominum desideriis, sed voluntati Dei,
v. 3. quod reliquum est in carne vivat temporis. * Suffi-
cit enim præteritum tempus ad voluntatem gen-
tium consummandam his, qui ambulaverunt in lu- D
xuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus,
b potationibus, [b] ebrietatibus, & illicitis idolorum
v. 7. cultibus. *Et post aliquos versus:* * Estote itaque pru-
v. 8. dentes, & vigilate in orationibus. * Ante omnia mu-
tuam in vobismetipsis caritatem continuam haben-
tes: quia caritas operit multitudinem peccatorum.
v. 9. v. 10. * Hospitales invicem, sine murmuratione. * Unus-
quisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam
administrantes, sicut boni dispensatores multifor-
v. 11. mis gratiæ Dei. * Si quis loquitur, quasi sermones E
Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute quam
administrat Deus: ut in omnibus honorificetur
Deus, per Jesum Christum Dominum, cui est glo-
v. 12. ria & imperium in sæcula sæculorum. * Carissimi
c nolite [c] peregrinari in fervore, qui ad tentationem
vobis fit: nolite pavere quasi aliquid novi vobis
v. 13. contingat: * sed communicantes Christi passionibus
gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis
v. 14. exsultantes. * Si exprobramini in nomine Christi,
d beati [d] eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, F
& virtutis Dei, & qui est ejus spiritus, super vos
v. 15. requiescet. * Nemo autem vestrûm patiatur quasi
homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum
v. 16. appetitor. * Si autem ut Christianus, non erubes-
v. 17. cat: glorificet autem Deum in isto nomine: * quo-
e niam tempus est ut incipiat judicium [e] de domo
Dei. Si autem primùm à vobis, quis finis eorum qui
v. 18. non credunt Dei Evangelio? * Et si justus vix salva-
bitur, impius & peccator ubi parebunt? * Itaque v. 19.
& ij qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli
creatori commendent animas suas in benefactis.
* Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro conse- 1. Petri 5. v. 1.
nior & testis Christi passionum, qui & ejus quæ in
futuro revelanda est gloriæ communicator, * pas- v. 2.
cite qui in vobis est gregem Dei, providentes non
coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque
turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: * neque ut domi- v. 3.
nantes in cleris, sed formæ facti gregis ex animo.
* Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis v. 4.
immarcescibilem gloriæ coronam. * Similiter ado- v. 5.
lescentes subditi estote senioribus. Omnes autem
invicem humilitatem insinuate; quia Deus super-
bis resistit, humilibus autem dat gratiam. * Humi- v. 6.
liamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet
in tempore visitationis. * Omnem sollicitudinem v. 7.
vestram projicientes in eum; quoniam ipsi cura est
de vobis. * Sobrij estote, vigilate: quia adversarius v. 8.
vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quæ-
rens quem devoret. * Cui resistite fortes in fide, v. 9.
scientes eamdem passionem ei, quæ in mundo est,
vestræ fraternitati fieri. * Deus autem omnis gratiæ, v. 10.
qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Chri-
sto Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirma-
bit, solidabitque. * Ipsi gloria & imperium in sæ- v. 11.
cula sæculorum. Amen.

DE EPISTOLA PETRI II.

PER [f] quem maxima nobis & pretiosa pro- f
missa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ 2. Petri 1. v. 4.
consortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo est
concupiscentiæ corruptionem. * Vos autem curam v. 5.
omnem subinferentes, ministrate in fide vestra vir-
tutem, in virtute autem scientiam, * in scientia au- v. 6.
tem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam,
in patientia autem pietatem, * in pietate autem fra- v. 7.
ternitatis amorem, in amore autem fraternitatis
caritatem. * Hæc enim [g] vobis cùm adsint & su- v. 8.
perent; non vacuos, nec sine fructu vos constituent g
in Domini nostri Jesu Christi [h] cognitione. * Cui v. 9.
enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu h
tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum
suorum delictorum. * Quapropter fratres magis sa- v. 10.
tagite, ut per bona opera certam vestram vocatio-
nem & electionem faciatis. Hæc enim facientes
non peccabitis aliquando. *Et post paululum:* * Sicut 2. Petri 2. v. 1.
& in vobis erunt magistri mendaces, qui introdu-
cent sectas perditionis, & eum qui emit eos, Deum
[i] negabunt, superducentes sibi celerem perditio- i
nem. * Et multi sequentur eorum luxurias, per quos v. 2.
via veritatis blasphemabitur, * & in avaritia fictis v. 3.
verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium
jam olim non cessat, & perditio eorum non dormi-
tat. *Et alio loco:* * Novit Dominus pios de tentatio- v. 9.
ne eripere, iniquos verò in diem judicij reservare
cruciandos. * Magis autem eos, qui post carnem in v. 10.
concupiscentia immunditiæ ambulant, dominatio-
nemque contemnunt: audaces, sibi placentes, se-

a Verbum *modesti* abest à Regio codice & à Corb. Bibliis: neque in Græco textu pro his duobus, *modesti, humiles*, aliud est quàm φιλόφρονες.
b Redundat vox *ebrietatibus*, nec est in sincerioribus Bibliis.
c MSS. pro *nolite peregrinari*, habent *nolite mirari*: quod non minùs quadrat ad Græcum, μὴ ξενίζεσθε, id est ne commoveamini ut fit re nova & insolita. nam & paulò post ὡς ξένου, vertit interpres *quasi novi aliquid*: quibus verbis quod hîc præmittitur, *nolite pavere*, abest à sacris Bibliis.
d Regius codex Græco consentiens non addit, *eritis*.
e Vulgata, *à domo*: Græc. ἀπὸ τοῦ οἴκου.

f Sic editi juxta Vulgatam: quæ tamen in Corb. Bibliis habebat *per quam*. Et ita Speculum in Gemblacensi codice: at in Regio, *per quæ*; juxta Græcum δι' ὧν: quamquam hoc possit ad præcedentes voces *gloria & virtute* referri, & verti *per quas*.
g Editi, *si vobiscum adsint*: sic etiam nunc Vulgata. At particula *si*, aberat ab antiquis Corb. Bibl. & à Regio MS. Speculi, neque necessaria est, dummodo non conjunctim legatur *vobiscum*. In Græco sic est, ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα.
h Regius codex & Corb. Biblia favente Græco, *cognitionem*.
i Am. Er. & duo MSS. juxta Vulgatam, *negant*.

a ctas non metuunt [a] introducere, blasphemantes. A
v. 11. * Ubi angeli fortitudine & virtute cùm sint majores, non portant adversùs se exsecrabile judicium.
v. 12. * Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & perniciem, in iis quæ ignorant blas-
v. 13. phemantes, in corruptione sua peribunt, * percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vo-
v. 14. biscum, * oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor B exercitatum in avaritia habentes, maledictionis
v. 15. filij, * derelinquentes rectam viam erraverunt. *Et*
v. 18 *post paucos versus:* * Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ, eos qui paululùm effugiunt, qui in errore conversantur,
v. 19. * libertatem illis promittentes, cùm ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus
v. 20. & servus est. * Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt C
v. 21. eis posteriora deteriora prioribus. * Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis
v. 22. traditum est, sancto mandato. * Contigit enim illis
Pr. v. 26. 11. illud veri proverbij, Canis reversus ad vomitum suum: & sus lota in volutabro luti. *Et post aliquantum:*
2. Petri 3. v. 11. * Cùm hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus & pie-
v. 12. tatibus, * exspectantes & properantes in adventum
v. 14. diei Dei. *Et paulò post:* * Carissimi, hæc exspectan- D tes satagite immaculati & inviolati inveniri in pace, & Domini nostri longanimitatem salutem arbitra-
v. 17. mini. *Et alio loco:* * Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excida-
v. 18. tis à propria firmitate. * Crescite verò in gratia & in cognitione Domini nostri & salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis. Amen.

De Epistola Jacobi.

Jac. 1. v. 2. O M N E gaudium existimate, fratres mei, cùm E
v. 3. in tentationes varias incideritis: * scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur:
v. 4. patientia autem opus perfectum habet, ut sitis per-
v. 5. fecti & integri, in nullo deficientes. * Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur
v. 6. ei. * Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento
v. 7. movetur & circumfertur. * Non enim æstimet ho-
v. 8. mo ille, quod accipiat aliquid à Domino. * Vir du- F
v. 9. plex animo, inconstans in omnibus viis suis. * Glo-
v. 10. rietur autem frater humilis in exaltatione sua, * dives autem in humilitate sua; quoniam sicut flos
v. 11. fœni transiet. * Exortus est enim Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus suis mar-
v. 12. cescet. * Beatus vir qui suffert tentationem: quia
b cùm probatus fuerit, accipiet [b] coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Et post paululum:* * Nolite itaque errare, fratres dilectissimi. * Omne v. 16. v. 17.
datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum. *Et post*
v. 19. *paucos versus:* * Scitis fratres mei dilectissimi: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad
v. 20. loquendum, & tardus ad iram. * Ira enim viri ju-
v. 21. stitiam Dei non operatur. * Propter quod abjicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod
v. 22. potest salvare animas vestras. * Estote autem facto- res verbi, & non auditores tantùm, fallentes vos-
v. 23. metipsos. * Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum
v. 24. nativitatis suæ in speculo: * consideravit enim se,
v. 25. & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. * Qui autem perspexerit in [c] lege perfectæ libertatis, & per- c
v. 26. manserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. * Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans lin-
v. 27. guam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. * Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. * Fratres mei, nolite in personarum Jac. 2. v. 1.
v. 5. acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. *Et post aliquos versus:* * Audite fratres mei dilectissimi, Nonne Deus elegit pauperes in hoc
v. 6. mundo, divites in fide, & heredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? * Vos autem exho-
v. 7. norastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judicia?
v. 8. * Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos? * Si tamen legem perficitis
Levit. 19. 18. regalem secundùm Scripturas, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. * Si autem perso-
Jac. 2. v. 9. nas accipitis, peccatum operamini, redarguti à
v. 13. Lege quasi transgressores. *Et post paucos versus:* * Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit mi-
d sericordiam. [d] Superexsultat autem misericordia
Jac. 3. v. 1. judicio. *Et post aliquantum:* * Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus judicium
v. 2. sumitis. * In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest
e etiam freno circumducere totum corpus. *Et alio*
v. 8. *loco:* * Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero.
v. 9. * In ipsa benedicimus Deum & Patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei
v. 10. facti sunt. * Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.
v. 13. *Et post paucos versus:* * Quis sapiens & disciplinatus inter vos, ostendat ex bona conversatione [f] ope- f
v. 14. ram suam in mansuetudine sapientiæ? * Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse ad-
v. 15. versùs veritatem. * Non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. * Ubi
v. 16. enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne

[a] Regius codex & Corb. Biblia, loco *introducere*, habent *facere:* sed neutrum verbum expressum est ex Græco textu, qui nil aliud continet quàm, δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες, quod nonnullis ita sonat, *glorias*, id est *dignitate præstantes viros non verentur maledictis appetentes*, seu *maledictis appetere*. Confer Epistolam Judæ vers. 8. ubi in Vulgata legitur, *Dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant:* in Græco verò hæc ipsa verba sunt, δόξας δὲ βλασφημοῦσι.

[b] Sic MSS. cum sacris Bibliis. At editi habebant, *accipiet vitam.*

[c] Carnutensis cod. *in lege perfectam libertatem.* At Vulgata versio suffragante Græco habet, *in legem perfectam libertatis.* Hoc eodem versu particulæ *in ea*, post verbum *permanserit*, non adduntur in editis Am. & Er. neque in Græco.

[d] Vulgata nunc, *Superexaltat autem misericordia judicium.* Codices verò hujus Speculi necnon Corb. Biblia loco *judicium*, habent *judicio*; nec malè si legatur *superexsultat*, uti passim in aliis Augustini libris, juxta Græcum ἡ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. Porrò in editione Er. habetur hîc, *superexsultet.*

[e] Editi, *potest enim.* At MSS. juxta Vulgatam, *potest etiam.* In Græco est, δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα, id est, potens freno moderari & totum corpus.

[f] MSS. duo cum Vulgata, *operationem suam.*

v. 17. opus pravum. * Quæ autem de sursum est sapientia, A primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena miseri-
a cordiâ & fructibus bonis, [a] dijudicans sine simula-
v. 18. tione. * Fructus autem justitiæ in pace seminatur
Jac. 4. v. 1. facientibus pacem. * Unde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in
v. 3. membris vestris? *Item post paucos versus:* * Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis, ut in con-
v. 4. cupiscentiis vestris insumatis. * Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Qui- B cumque ergo voluerit amicus esse hujus sæculi, ini-
v. 6. micus Dei constituitur. *Et paulò post:* * Propter
1. Petr. 5. 5. quod dicit, Deus superbis resistit, humilibus au-
Jac. 4. v. 7. tem dat gratiam. * Subditi ergo estote Deo: resi-
v. 8. stite autem diabolo, & fugiet à vobis. * Appropinquate autem Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores, & purificate corda
v. 9. duplices animo. * Miseri estote, & lugete, & plorate. Risus vester convertatur in luctum, & gau-
v. 10. dium in mærorem. * Humiliamini in conspectu C
v. 11. Domini, & exaltabit vos. * Nolite detrahere alter-
v. 12. utrûm fratres. *Et post paucos versus:* * Unus est legislator & judex, qui potest perdere & liberare.
v. 13. * Tu autem quis es qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in civitatem illam, & faciemus ibi quidem annum, &
v. 14. mercabimur, & lucrum faciemus; * qui ignoratis
b quid erit in [b] crastinum. * Quæ est enim vita vestra?
v. 15. Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis, Si Dominus voluerit, D
v. 16. & si vixerimus, faciemus hoc aut illud. * Nunc autem exsultatis in superbiis vestris: omnis exsultatio
v. 17. talis maligna est. * Scienti igitur bonum facere, &
Jac. 5. v. 1. non facienti, peccatum est illi. * Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient
v. 2. vobis. * Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vesti-
v. 3. menta vestra à tineis comesta sunt. * Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras
c sicut ignis. Thesaurizastis [c] vobis iram in novissimis E
v. 4. diebus. * Ecce merces operariorum qui messuerunt
d regiones vestras, [d] qui fraudati sunt à vobis, clamant: & clamor ipsorum in aures Domini Sabaoth
v. 5. introiit. * Epulati estis super terram, & in luxuriis
v. 6. enutristis corda vestra. In die occisionis * [e] adduxistis, occidistis justum, & non restitit vobis. * Pa-
v. 7. tientes igitur estote fratres usque ad adventum Domini. *Et paulò post:* * Patientes estote & vos, con-
v. 8. firmate corda vestra; quoniam adventus Domini
v. 9. appropinquavit. * Nolite ingemiscere fratres in al- F
v. 12. terutrum, ut non judicemini. *Et alio loco:* * Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum: sit autem sermo vester, Est est,
v. 13. Non non; ut non sub judicio decidatis. * Tristatur aliquis vestrûm? oret: æquo animo est? psal-
v. 14. lat. * Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo
v. 15. in nomine Domini. * & oratio fidei salvabit infir-
f mum, & [f] allevabit eum Dominus: & si in pecca- G tis sit, remittentur ei. * Confitemini ergo alterutrûm v. 16.
peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua. *Et post*
v. 19. *aliquot versus:* * Fratres mei, si quis ex vobis erra-
v. 20. verit à veritate, & converterit quis eum, * scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

De Epistola Johannis I.

1. Johan. 1. SI dixerimus quoniam societatem habemus cum
v. 6. eo, & in tenebris ambulamus; mentimur, &
v. 7. veritatem non facimus: * si autem in luce ambulamus, sicut & ipse in luce est; societatem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi Filij ejus emun-
v. 8. dat nos ab omni peccato. * Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. * Si confiteamur peccata
v. 9. nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata [g] nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. g
v. 10. * Si dixerimus quoniam non peccavimus; menda- cem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.
1. Johan. 2. * Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis: sed
v. 1. & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; * & ipse est propi-
v. 2. tiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. * Et in hoc
v. 3. scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. * Qui dicit se nosse eum, & man-
v. 4. data ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. * Qui autem servat verbum ejus, verè
v. 5. in hoc caritas Dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus; [h] si in eo maneamus. * Qui di-
v. 6. h cit se in illo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare. *Et post aliquot versus:* * Qui dicit se
v. 9. in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. * Qui diligit fratrem suum, in lumine
v. 10. manet, & scandalum in eo non est. * Qui autem
v. 11. odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat; quoniam tenebræ ob-
v. 15. cæcaverunt oculos ejus. *Et paulò post:* * Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt:
v. 16. i * quoniam omne quod est in mundo, concupis- centia carnis est, & concupiscentia oculorum, &
superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo
v. 17. est: * & mundus transit & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum,
v. 21. k *Et alio loco:* * Omne mendacium non ex veritate
1. Johan. 3. est. *Et post paululum:* * Carissimi, nunc filij Dei su-
v. 2. mus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quo- k niam cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam
v. 3. videbimus eum sicuti est. * Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.
v. 4. * Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit:
v. 5. & peccatum est iniquitas. * Et scitis quoniam ille apparuit, ut peccata [i] tolleret, & peccatum in eo i
v. 6. non est. * Omnis qui in eo manet, non peccat: &
omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit
v. 7. eum. * Filioli, nemo vos seducat: Qui facit justi- tiam, justus est, sicut & ille justus est. * Qui facit
v. 8. peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio dia-

[a] Vulgata, *non judicans, sine simulatione.* Græca scriptura, ἀδιάκριτος ἢ ἀνυπόκριτος.

[b] Vulgata, *quid sit in crastino:* in Corb. Bibliis, *quid pariat crastinum.*

[c] Regius MS. & editi Am. Er. omittunt, *vobis iram:* quæ verba & à Græco absunt.

[d] In Vulgata, *quæ fraudata est à vobis, clamat.*

[e] Legendum ut in emendatioribus Bibliis, *addixistis*; juxta Græc. κατεδικάσατε, id est, condemnastis.

[f] Sic etiam in vetustis Corb. Bibl. At in excusis habet nunc Vulgata, *alleviabit.*

[g] Non additur *nostra* in Regio codice, nec in textu Græco.

[h] Sacra Biblia carent his verbis, *si in eo maneamus.*

[i] Hîc deest pars altera versiculi 15. *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.*

[k] Additum in editis fuerat, *sicut & Deus manet in æternum*: quod à Speculi MSS. & à sacris Bibliis abest.

[l] In sacris Bibliis additur, *nostra.*

SYLLABUS CODICUM

AD QUOS DE NOVO RECOGNITI SUNT LIBRI

in tertii tomi parte prima comprehensi:
Necnon variantes lectiones aliquot inter omissas selectæ.

*Quæ asteriscum * habent videntur referendæ in textum.*

DE DOCTRINA CHRISTIANA
Libri quatuor,

Recogniti sunt de novo ad codices MSS. triginta, scilicet ad Vaticanos tres, ad Corbeienses duos, quorum alter optimæ notæ & ante annos circiter mille descriptus videtur; ad unum è bibliotheca Regia, unum è Thuanea & unum è Germanensi nostra. Alios suppeditarunt Collegium Navarricum & Sorbonicum, PP. Franciscani majoris conventus Parisiensis, PP. Dominicani viâ Jacobeâ, PP. Augustiniani ad Sequanæ ripam, D. de Vion d'Herouval, D. Bigot, Cisterciensis Abbatia, item Abbatia Floriacensis, Vindocinensis, Gemmeticensis, Beccensis, Pratellensis, Lyrensis, S. Arnulfi Metensis, S. Albini Andegavensis, S. Audoëni Rotomagensis, S. Martialis Lemovicensis, S. Michaëlis in periculo maris, S. Remigii Remensis, S. Theoderici prope Remos & Casalis Benedicti. Præterea libris iisdem emendandis adhibitæ sunt variantes Lectiones, quas olim ex Belgicis sex MSS. collegerunt Lovanienses Theologi: collatæ etiam fuerunt antiquiores & potiores editiones, Bad. id est quæ Jodoci Badii Ascensii studio recognita, atque Johannis Parvi typis excusa est Parisiis an. 1502. Am. quæ ex Johannis Amerbachii officina prodiit Basileæ an. 1506. Er. quam scilicet Desiderius Erasmus à se recensitam & emendatam curavit Frobeniano prelo excudi Basileæ an. 1528. & Lov. id est quam Lovaniensium Theologorum operâ castigatiorem ceteris hactenus habebamus, ex Plantiniana typographia profectam an. 1576.

Pag. 10. a. Bad. Am. & Er. *ut se ad* indulgentiam *convertant.* Meliùs ceteri codices, *diligentiam.*

Ibid. e. Am. & Er. *morumque* rejectio.

11. b. Undecim MSS. *animæ honore* * præcedit.

12. c. Bad. Am. & Er. *Et hinc quidem cum aliqua festa* nonnulla *quæstio* fuit.

Ibid. d. Bad. Am. Er. uno tantùm suffragante MS. *&* integerrimum *corpus.*

Ibid. Quatuor melioris notæ MSS. *id est, consuetudines* inclinationis *animæ.*

14. c. Editi: *partim eos* diligamus. At MSS. excepto uno, *diligimus.*

15. a Omnes propè MSS. *Et quis est* mihi *proximus.*

16. b. Excusi: At *cetera quæ sunt, & nisi ab illo esse non* possunt, *& in tantum bona* sunt. Non malè; melior tamen visa est lectio MSS.

17. e. Am. & undecim MSS. *talem inde sententiam* dixerit.

Ibid. f. g. Octodecim MSS. *qui mentitur,* iniquè *facit.* Unus, *iniquum.*

24. c. Editi: *sicut cùm dicimus bovem, intelligimus pecus.* Aliquot MSS. *sicut dicimus bovem, & pecus intelligimus.* Alii: *sicut dicimus bovem, cùm intelligimus* &c.

43. c. Bad. Am. & Er. *per* umbram imaginariam *celebrabant.*

Ibid. d. Bad. Am. Er. & plerique MSS. *ad summum* quo *adhæret caput.*

44. a. Editi: *supereminentem* scientiam caritatis *Christi.* At plures & melioris notæ MSS. *scientiæ caritatem.*

Ibid. d. Editi: *in caritate,* quam *scientia inflare.* Plerique MSS. *quem.*

51. b. Editi: *Et* sanius *quisque.* MSS. *sanus.*

54. c. Am. Er. & septem MSS. *tam* impia & *adultera.* Bad. *tam* impii *adultera.*

66. d. Bad. Am. Er. & septem MSS. *conciliare* aversos.

Ibid. g. Lov. *prodesse.* civibus. Editi alii & MSS. *civitatibus.*

DE GENESI AD LITTERAM
Imperfectus Liber,

Hunc librum jam habes suis, quibus antè scatebat, mendis purgatum ope Vaticani MS. præter quem etiam in hanc rem adhibitæ fuerunt editiones Am. Er. & Lov.

DE GENESI AD LITTERAM
Libri duodecim,

Hos libros cum viginti sex MSS. contulimus, scilicet cum Vaticanis tribus, PP. Augustinianorum majoris conventus Parisiensis duobus, Navarrici Collegii & Thuaneæ bibliothecæ totidem, cum uno è bibliotheca Laudunensis Ecclesiæ, uno Abbatiæ S. Martini de campis apud Parisios, cum Sorbonico, Colbertino, Bigotiano, Cisterciensi, Albinensi, Audoënensi, Culturensi, Gemmeticensi, Germanensi, Lyrensi, Michaëlino, Remigiano, Theodericensi, Vindocinensi, & uno Abbatiæ B. Mariæ de Josaphat Carnutensis. Consuluimus insuper variantes lectiones Belgicorum sex codicum per Lovanienses Theologos excerptas: necnon antiquiores editiones Am. Er. & Lov.

Pag. 121. c. Editi: *& tenebræ erant super* faciem abyssi. At MSS. juxta Græc. Lxx. *super abyssum.*

127. c. Editi: *tum exigua* videtur. MSS. *docetur:* postque sex ex iis, loco *adjuvemur,* habent *adjuvetur.*

133. b. Lov. *deorsum versus* eruptis *aquis.* Ceteri codices, *irruptis.*

135. b. Post, *cogantur aquarum naturam,* in editis additum fuit, *credere:* quod verbum abest à MSS. & abesse debet, si *pendere,* quod in fine sententiæ est, non à *pendeo,* sed à *pendo* accipiatur, pro *æstimare.*

136. f. In plerisque MSS. *sed* tamen *iterum repeteret.*

137. g. Plures è MSS. *quæ in Verbo Dei est,* conditæ *creaturæ.*

140. e. Magna pars MSS. hîc & infrà constanter habet: *in firmamento cœli,* sic *ut luceant.*

142. c. Lov. *ut articulos quosdam:* omisso, *tempora:* quod in ceteris libris reperitur.

148. g. Editi: *quòd* terra solida *omnibus admiscetur.* At MSS. *terræ solidum.*

151. e. Plures è MSS. *quòd omnes* repentes *intelligi voluit.*

153. e. Lov. *utrùm in primis rerum* mortalium *conditionibus.* Abest, *mortalium,* ab aliis libris.

171. b. Editi: *Quæ quies* Dei. At MSS. *Deo.* Et mox Lov. pro *creaturæ autem,* habet, *creatura:* refragantibus ceteris codicibus.

212. d. Editi: *explicare* conabor. MSS. *curabo.*

214. a. In editis: *& ob hoc consummatis:* expunctâ particulâ *à,* quæ exstat in omnibus MSS.

217. b. In editis: *humore* sola *anima.* In MSS. *solo.*

221. e. Editi: *An illa* creatura *spiritalis.* Prætulimus hîc lectionem MSS. consensione firmatam.

225. a. Habebant excusi: *ut non sit substantia Dei,* & sic *incorporea,* ut *non sit corpus.* At MSS. *ut non sit substantia Dei, & sit incorporea, id est non sit corpus.*

238. f. Editi: *quo* trangressor ejus *esset.* MSS. *transgresso reus.*

240. b. Editi: *ab aliquo* articulari *cardine.* MSS. *articuli.*

243. f. Legebatur in editis: *id est* præter *primam.* At in MSS. est, *propter:* quod in eumdem sensum redit.

249. a. In editis: *quo lignum vetitum.* In MSS. *contra vetitum.*

252. c. In editis: *Nec in potestate* illius *animæ.* In MSS. *ullius.*

Ibid. e. Apud Lov. desunt hæc verba: *& corpora sibi subdita per tempus:* quæ exstant in ceteris codicibus.

258. b. Editi: *velut in* omnibus, *qui jam sunt* facti, *ratio.* Meliùs MSS. *velut in hominibus qui jam sunt, facta ratio.*

268. f. In editis: *& sapientia,* sic *possunt.* In omnibus MSS. *si.*

275. a. Editi: *Non edetis ab* illo *ligno.* MSS. ut in sacris Bibliis, *ab omni.*

301. c. Editi: *cogitatio* imaginari *potuerit.* MSS. *formare.*

321. b. MSS. magno consensu: *& illa* inferna *tormenta.*

Ibid. b. MSS. plerique: *magnum* chasma.

Ibid. d. Editi: *quomodo* eum *apud inferos.* At omnes nostri MSS. *eam:* quod ad *requiem* refertur.

LOCUTIONUM LIBRI SEPTEM,

Castigati sunt de novo ad MSS. Victorinos duos, ad Vaticanum, Sorbonicum, Cisterciensem, Beccensem, Michaëlinum, PP. Bernardinorum collegii Parisiensis unum, ad Corbeiensem vetustissimum & optimæ notæ, ad variantes Lovaniensium lectiones ex quatuor Belgicis: & demum ad editiones Am. Er. & Lov.

Pag. 330. b. Editi: *in quibus* habitabant *in eis.* MSS. *habitabat:* scilicet Lot, juxta Græcum.

334. c. Editi: *quæ circa eum erant.* Nec addunt, *nihil,* quod ex MSS. reposuimus: quippe cùm hujus vocis causâ Locutionem illam commemoret Augustinus.

337. c. In excusis omissum fuerat: *Magis consuetudo loquendi exigebat dici, ut videam mala quæ invenient patrem meum.* restituitur. locus ex MSS.

QUÆSTIONUM IN HEPTATEUCHUM
Libri septem,

Recensiti sunt ad MSS. codices Vaticanos duos, Fuxensis collegii apud Tholosates unum, ad Sorbonicum scriptum ante annos circiter 400. Beccensem qui annos 600. præfert, ad ejusdem ferè ætatis Remigianum & Michaëlinum, ad Thuaneum & Benignianum, qui ante 800. annos scripti videntur, ad vetustissimum omnium & optimæ notæ Corbeiensem: ad variantes lectiones Lovaniensium Theologorum ex quinque Belgicis decerptas: item ad Excerpta Eugypii abbatis in duobus MSS. contenta, & ad Flori collectionem manu descriptam. Postremò collati fuerunt ad antiquiores editiones Bad. seu Rat. id est quæ ex Augustini Ratisponensis recognitione, curâ Jodoci Badii prodiit Lugduni an. 1497. ad Amerbachianam, ad Frobenianam Erasmi, & ad Lovaniensium Antuerpiensem.

Pag. 379. c. Am. Er. & Lov. *voluimus litteris* adtingere. Tres antiquiores MSS. *adtinere* Nos cum Rat. & duobus MSS. *adtineri.*

381. c. Editi *totam* structuram *ejus.* At omnes nostri MSS. *instructuram.*

Ibid. e. In editis, *Duo & duo intraverunt.* Abest particula, *&,* à MSS. & à Græco Lxx.

382. a. Editi: *prævaluerunt aquæ:* omisso, *id est,* quod habent nostri omnes MSS.

Ibid. b. Editi: *Quod scriptum est* exaltatam esse aquam *post centum quinquaginta dies, & adductum esse:* refragantibus septem melioris notæ MSS. quos hîc sequimur.

Ibid. c. Am. Er. & Lov. *dum* in illo *spiritu.* At Rat. & omnes MSS. *dum nullo spiritu.*

Ibid. e. Editi: *ad* malitiam *à juventute.* At MSS. Corbeiensis & Eugypii duo, *ad malignâ:* juxta Græc. Lxx. ἐκ τῆς νεότητος.

Ibid. f. Editi: *omnis hominis* nomine *intelligi.* Abest, *nomine,* à MSS. è quibus duo ejus loco habent, *vel hominis.*

383. c. Editi: *confundamus* linguas *eorum.* Et paulò infrà, *confudit Dominus* labium *terræ.* Nos juxta Græcum, primò ad Corbeiensem cod. reponimus *confundamus ibi linguam eorum:* deinde ad alios cum eodem septem, *labia terræ.*

Ibid. f. In excusis: Thare *pater Abrahæ.* At in MSS. constanter, *Thara,* vel *Tharra:* & sic in Græco.

385. g. Editi: *irrigua* ut terra *Ægypti.* MSS. verò, *& terræ Ægypti:* supple, *comparatur.*

388. b. Editi: *dicens, Ego verò pariam.* MSS. juxta Græc. *Ergo verè.*

398. e. Editi: Hic *non est nisi domus Dei.* MSS. *Hoc:* quod in Græco est, τοῦτο.

398. f. In editis, *Balam:* at in MSS. cum gemina *ll* scribitur *Ballam,* ut in Græco.

404. a. Quinque melioris notæ MSS. *tabernaculum suum* ad *Emmor* patrem *Sychem.* Et sic Latina editio versionis Græcæ Lxx.

405. f. Am. Er. & Lov. *donec serviendo* Lia ei desponsaretur. At MSS. favente Rat. *id adipisceretur:* scilicet *conjugium.*

406. b. Post, *firmanda est,* habet vetustissimus codex Corbeiensis in medio contextu, *Ab hinc scribendum.* Ex quo intelligere est istum codicem fortè descriptum fuisse ad exemplar illud, in quo Eugypius qui hunc locum excerpsit, id sua manu adnotaverat: & conjecturam auget, quòd solet cum Eugypii Excerptis in variantibus lectionibus convenire.

415. a. Libri omnes, *Sed utique filii:* excepto uno è Vat. MSS. qui habet * *Sex.* Meliùs, Scripturâ suffragante.

417. d. Editi: *si* deficit *argentum.* MSS. juxta Græc. *defecit.*

418. d. Plerique MSS. *sive in* cacumen: pro, *in cacumine.*

431. f. Septem melioris notæ MSS. *& timor Isaac* esset *mihi:* juxta Græc. ὦν μοι.

Ibid. Post, *super eos,* in Corb. MS. additur: *Ita dicit, Ego enim gravavi cor ejus, ut ordine superveniant signa mea hæc super eos.*

435. c. d. In editis: *Caath, Amram.* At in MSS. constanter scriptum est, *Cath, Ambram.* Consentit Græc. Lxx. in *Ambram:* non in *Cath,* quod quidem sic exstat Gen. 46. sed Exod. 6. cum gemino αα legitur, Καάθ.

437. f. Vaticani MSS. *Confidite, State:* omisso, *&,* quod etiam à Græco abest.

438. c. Am. Er. & Lov. *quoniam* caro *sunt.* At editio Rat. suffragantibus nostris MSS. *carnes:* plurali numero, ut est in Græco Lxx.

Ibid. d. Plerique MSS. *Iste itaque Spiritus Dei in Ægyptios:* nam *Spiritus iræ ejus quibus nocuit.* Ubi additur, *nam:* & omittitur, *fuit.*

439. c. Editi: *sed ut* ipse *ipsis.* Meliùs MSS. *ipsos ipsis.*

441. f. Editiones: *secundum quod* illâ *incommutabili veritate* perceperint: exceptâ Rat. quæ cum nostris MSS. habet, *illa..... praeceperit.*

457 d. Apud Rat. & antiquiores MSS. *muræna:* loco, *muræniulæ.*

458. a. Unus è Vat. MSS. *quæ corporaliter* ut *fiunt.*

460. b. Editi: *id est* ipsius *Aaron.* At MSS. *hujus:* quo articulo indicat Augustinus nomen *Aaron,* hoc Exodi loco poni in gignendi casu.

461. a. Am. Er. & Lov. *misericordia* significatur, intelligendum *est* quàm *propitius* sit *peccatis eorum.* Nos hîc sequimur Rat. & MSS.

463. g. Legendum ut MSS. & castigatiores editi habent: *tabulas testimonii* * tabulas *lapideas.*

468. e. Editi: *& in* spelunca *petræ.* At MSS. Vaticani & Gallicani, cum Eugypio in duobus MSS. *specula.*

Ibid. f. Editi: *Et tegam* manum meam *super te.* At MSS. juxta Græc. *manu mea.*

473. a. Corbeiensis vet. cod. *quæ pertinent ad* artis *opificum.* Fortè leg. *ad artis opificium.*

Ibid. b. Melioris notæ MSS. *&* vestis sacerdotalis: pro, *& vestes sacerdotales.*

474. b. Hîc ab excusis in quæstionum distinctione incipimus discedere, ut sequamur MSS.

475. c. Plures MSS. *interim* ad proprietatem *narrationis,* excepta, (vel, exspectata) *& in aliud* &c. Vaticani duo: *interim* quantum ad proprietatem *narrationis* spectat, *& in aliud.*

478. g. Editi: *in* sanctis *sanctorum.* Vaticani MSS. juxta Græc. *in sancto sanctorum.*

485. a. Editi: *auferunt ex his cubitis* ducenta *cubita.* MSS. verò, *centena:* id est, duo latera auferunt sua quodque centum cubita. Sed infrà ad c. graviori typographorum lapsu in editione Lov. pro *centenùm cubitorum;* habebatur, *centum cubitorum:* &, *quinquaginta cubita:* pro, *quinquagena.*

Ibid. g. Editi: *quia veli* undecim *cubita.* Verùs aliquot MSS. *undecimi.*

492. d. Editi: *Et si peccaverit nolens à sanctis* Dominum. At MSS. consentiente Græco carent, *si:* & habent, *Domini.* Quorum demum auctoritate passim lectionem Græ-

cam Lxx. interpretum reſtituimus, tam frequentibus locis, ut nos ea omnia pigeat adnotare.

493. d. Er. & Lov. *non habere* capram. Alii codices, *caprum*.

Ibid. e. Editi : *quòd licebat pro* eo. MSS. *pro eis*.

Ibid. f. Fortè leg. *&* non *illas aviculas*.

503. c. Huc tres Scripturæ verſiculos, in antè excuſis rejectos, ſcilicet, *Et adipem qui à vitulo*, &c. revocavimus ex MSS.

506. e. Noſtri omnes MSS. *hoc divina* adſpiratione *dixiſſe*.

510. f. Am. Er. & Lov. *in cute* color *ejus*. Rat. verò & MSS. *coloris*. In Græco eſt, τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ.

515. a. Editi : *& tabernaculum* teſtimoniorum. MSS. cum Græco, *teſtimonii*.

Ibid. f. Editi : *An quia* & tale *aliquid*. Et paulùm infrà: *qui in omnibus venis & corporis* junctura. Reponimus ex novem MSS. *An quia vitale*, &c. *per corporis cuncta*.

530. e. Editi : *aliunde operiretur altare* : omiſſis verbis, *non quod ipſo veſtimento adoperiretur*, quæ ex MSS. reſtituuntur.

Ibid. f. Editi : *reſtituet delictum, & quintas* : omiſſo, *caput*. Paulòque pòſt : *ita ut reddat illi delictum ipſum* : omiſſo, *ad*. Redintegravimus utrumque locum ad MSS. qui concordant cum Græco.

533. e. Fortè leg. *verba futuri temporis* adhibere *cœpit*.

544. f. Editi : *polluit*, exterminabitur *anima illa* : excepto Rat. qui cum MSS. habet, *exteretur*.

545. e. In excuſis : *portantes* perſonas *Domini ſui, qui verè mundus eſt*. At in MSS. portantes *perſonam Domini ſui, qui verè vir mundus eſt*.

565. b. Editi : *& in ovibus tuis* maſculinum. MSS. cum Græco, *maſculina*.

568. c. In excuſis : *quinquaginta* didrachmata. In aliquot MSS. ut in Græco, *didrachma* : in aliis, *didrachmas*.

569. e. In excuſis : *& ſi de omnibus talibus* voluit. Nos ad quinque melioris notæ MSS. reponimus, *noluit*.

571. e. Editi : *quæ in deliciis agit* : omiſsâ negante particulâ, quæ interponitur in potioribus MSS.

572. c. Editi : *ſeu* pœnâ *faciliore*. At MSS. *veniâ*.

574. e. Deſiderabantur hìc verba illa : *ſic & iſthic repetatur, Non præteribis ab omnibus, quæ ego mando tibi hodie*: quæ reperimus in codice Sorbonico & Remigiano.

579. c. In 6. libri titulo legendum non ut in editis, *Joſue*; ſed, * *Jeſum Nave*, ut in MSS. conſtanter appellatur.

585. e. MSS. *ſe* tamquam *illis juraſſe*.

591. c. Editi : *pro univerſo populo* duodecim *tribus*. At noſtri omnes MSS. *undecim*.

592. d. Hìc poſt, *& ejecit illos*, addimus ex MSS. *à facie veſtra*. In Græco nunc eſt, ἀπὸ προσώπου ἡμῶν, *à facie noſtra*.

598. e. Editi : *eo vivente jam fieri* præceperat. Veriùs Vaticani codices : *jam cœperat fieri*.

ANNOTATIONUM IN JOB LIBER,

Recenſitus fuit ad MSS. Victorinæ bibliothecæ duos, Regiæ unum, Navarrici Collegii unum, ad Beccenſem & Floriacenſem, ad variantes lectiones ex uno MS. Belgico deſcriptas : necnon ad editiones Am. Er. & Lov.

SPECULUM,

In Gallicanis MSS. nonniſi duobus repertum eſt, Regiæ bibliothecæ uno, altero Carnutenſis Eccleſiæ : quorum codicum ope, necnon collatis ad eoſdem codices editionibus Am. Er. & Lov. reſtituitur in integrum multis in locis.

FINIS.

*

INDEX
IN PRIMAM PARTEM TERTIJ TOMI OPERUM S. AUGUSTINI.

A

AARON medius inter Moyſen & populum, 424. f. In Aarone miniſterium fuit, in Moyſe principatus, *ibid.* c Aaroni imputatur peccatum Iſraëlitarum, 464. f. Aaronis & Moyſis non ſolùm officia ſed & mortes fuere ſigna futurorum, 551. f. Aaron, *Vide* Sacerdotium.
ABIMELECH ad quem abiit Iſaac, an alter ab eo ad quem perrexerat Abraham, 397. a. *& ſeq.*
Abortus. Ad homicidium non pertinet puerperium informe, 448. d
Abſtinentias cerimoniarum obſervare non licet, niſi quas ratio approbaverit, 554. c
Abundare dicitur quod non eſt, 602. b
Abrahamium locus ubi ſunt corpora Patriarcharum, 418. c. 421. d. diſtat à monte Calvariæ triginta millibus, 418. c
ABRAHAM quo anno vitæ Tharræ natus & egreſſus de Charran, 383. f. *& ſeq.* Transfluvialis appellatus eſt ex ea regione unde venerat, 386. d. Semen ejus. ſecundùm hyperbolen dicitur futurum ſicut arena maris, *ibid.* Non mentitus eſt dicendo Saram eſſe ſororem ſuam, 385. f. Ipſi facta eſt promiſſio terræ ampliſſima, 386. b. Terra ipſi promiſſa in poſſeſſionem æternam, aut ſpiritaliter accipi debet, aut ſecundùm tempus cujus non conſtituitur finis, 387. a. b Abrahæ corpus emortuum dicitur reſpectu Saræ ſenioris, 387. f. non erat emortuum reſpectu Cethuræ, *ibid.* & 395. c. Abrahæ riſus admirationis fuit & lætitiæ, Saræ autem dubitationis, 388. c. Per miraculum ſuſcepit Iſaac de Sara, 387. f 395. c. Convivium quod celebravit die quo ablactatus eſt Iſaac, referendum eſt ad ſpiritalem ſignificationem, 390. e. Non peccavit quòd filium Deo juſſus voluit immolare, 515. d. 612 a. Munera ab Abrahamo filiis concubinarum ſuarum diſtributa myſticè quid ſignificant, 395. f. Conjugium ejus cum Cethura aliquid myſticè ſignificat, 395. f. Caro ejus ſimul habebat & vulnus prævaricationis, & medicamentum vulneris, 270. g. Ab Abraham uſque ad Moyſen generationes ſeptem per Jacob numerantur, duodecim per Eſaü, 407. e. Reges gentium quomodo ex filio Abraham, 387. c. Sinus Abrahæ, 321. b
Accentus in codicibus græcis non contemnendi, 418. c
Accipere iniquitatem, pro, ignoſcere aut obliviſci iniquitatem, 340. c
Acediari, 739. c
Actio. Tota hominis actio bona, eſt converti ad Deum, 234. f
ADAM qua ætate aut ſtaturâ conditus fuerit, 205. f. Adam & Eva non formati in illo die ſpiritali primitus condito, 200. c. Adæ non ſpiritale ſed animale corpus à Deo formatum eſt, 208. c. mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris, 210. d. Licèt ſpiritalis mente, corpus tamen habuit animale, etiam in paradiſo conſtitutus, 211. c. Adami corpus priùs animale, poſtea ſpiritale factum eſſe quidam opinati ſunt, 209. a. diſcutitur illa opinio, *ibid.* c. f Non aliter formatus fuit quàm haberent cauſſæ primordiales, 206. f. 208. a. Corpus Adæ ex hoc mortale ex quo animale, 209. f. 210. e. Adam immortalis creatus eſt, quatenùs poterat non mori, 210. d. Difficultates variæ ſi anima Adæ non priùs creata quàm corpori inſpirata, 223. g. *& ſeq.*
Adæ ecſtaſis, 256. d. Per illam factus eſt particeps Angelicæ curiæ, 256. d. Evigilavit tamquam prophetiæ plenus, *ibid.* Quomodo Adæ locutus ſit Deus, 243. a. In aliqua ſpecie corporali, 238, g
Adæ peccatum. Qua ratione ad peccandum inductus ſit, 296. c. d Appetivit non eſſe ſub dominatione Dei, 236. b. Non credidit ſerpenti, 295. d. 296. c. Peccavit amicali quadam benevolentiâ, non carnis victus concupiſcentiâ, 296. c. Credidit Deum facilè indulturum veniam peccati, 290. c. Excuſationes Adami & Evæ plenæ ſuperbiâ, 292. c. Adæ peccatum ex eo tempore requiri debet, ex quo potuit vivere vel bene vel malè, 203. b. c. Quo ſenſu dixit Deus, Ecce Adam factus eſt tamquam unus ex nobis, 294. c
Adami pœna, 293. f. g. E paradiſo expellitur, 294. e. Separari debuit à ligno vitæ, 294. f. Tamquam excommunicatus fuit, 294. f. Quare contra paradiſum collocatus, 294. g. Quid perdidit per peccatum, 211. a. Adam per peccatum factus eſt homo vetus qui corrumpitur &c. 211. a. Ejus corpus factum eſt propter peccatum, non mortale ſed mortuum, 210. e. Si Adam juſtè vixiſſet, corpus ejus in ſpiritalem habitudinem mutatum fuiſſet, nec iviſſet in mortem, 209. f. 210. f. 211. d. 245. f. Ipſe & poſteri ejus potuiſſent in Angelicam formam citra mortem mutari, 247. b. Adæ caro ſimul habuit & vulnus prævaricationis, & medicamentum vulneris, 270. g. Adamum peccato mortem animæ non corporis meruiſſe quidam non rectè arbitrantur, 209. d. Tentatio & culpa ejus permiſſa eſt ad utilitatem poſterorum, 180. c. In Adam genus humanum tamquam radicaliter inſtitutum eſt, 202. c
Adipem in eſcam non ſumunt Judæi, 499. b
Adjuro te, pro, jura mihi, 330. f
Adjutorium Dei ſi deſit, non ideo eſt excuſabile hominis vitium, 575. f. Sine adjutorio Dei non poteſt homo intelligere & obedire oculis & auribus cordis, 575. e. *Vide* Gratia.
Adnominare aliquam, id eſt facere eam uxorem, 446 g
Αδιλεχῆσαι quid, 395. a
Adverſitates temporales neceſſariæ ſunt exercendæ atque perficiendæ virtuti, 154. d. devitandæ etiam cum Deus apertiſſimè adjutor eſt, 437. d. *Vide* Afflictio.
Adulteria. Infantes ex iis nati non ob hoc peccatores, 265. b
Ægyptij Hebræis proximi dicti, 344. d. condiendis corporibus mortuorum præcellunt, 339. b. Geometricam dilexerunt, 381. a. His paſtores abominabiles, 430. a. Ægyptij ſpoliati figura Chriſtianorum proficientium ex Ethnicorum ſcientia, 42. f. Ægyptiis ſacrificia Iſraëlitarum abominationes ſunt, 430. b. In Ægyptiis figura præſentis ſæculi. In Ægypto frumentorum copia ex inundatione Nili, paſcuorum verò è contra, 417. e
Ænigmatiſtæ poëtæ vocantur, 547. g
Aër quando & cur factus ſit, 109. d. *& ſeq.* Cæli & cælorum nomen accepit, 133. g. 145. f. 147. d. Terræ, aquæ, cælo, firmamento, pro ſua puritate vel impuritate deputatur, 109. b. 110. d. 141. b. 147. d. 148. d. e. Venti, tonitrua, nubes, pluvia, grando, ſerenitas fit in inferiore aëris parte, 150. g. non in ſublimiore, 109. a. Aër quomodo geſtandis volatibus avium ſit accommodatus, 109. g. 148. d. e. 151. b. Aër comparatione aquarum ſiccus ſentitur, 109. g. In humidam naturam converſus creditur tempore diluvij, 147. a. Aquâ ſuperiorem eſſe probatur, 133. a. Sine aëre nullus ſenſus aut motus corporis, 218. b. Aër non eſt prætermiſſus in Geneſis hiſtoria, 147. c. 148. c Eſt carcer peccantium angelorum, 151. b. 540. a
Æſtimator integer rerum quis? 13. f. juſtè & ſanctè vivit. *ibid.*
Ætas viginti annorum fideles ſignificat, 519. b. Sex mundi ætates, 620. c
Æternum duobus modis intelligi poteſt, 433. b. c. 495 f Æternum dicitur cujus temporis finis non eſt, 347. c. 387. b. Æternum ardentiùs diligitur adeptum quàm deſideratum, 18. e. Æternæ vitæ meritum non apprehenditur niſi dono Dei, 266. a
Æther mobilior aëre, 97. f
Afflictionibus purgatur & exercetur Eccleſia, 10. c. Numquam immeritò affliguntur homines, 666. b. Affliguntur ut Deum quærant, 659. c. Ut affectiones ſuas à terrenarum delectationum fluxu colligant, 666. d
AGELLIUS cujuſdam philoſophi in maris tempeſtate perturbationem narrat, 386
Agendum nihil quod ratio non approbaverit, 554. d
Agnus Paſchalis figura Chriſti, 433. a. Agnus in lacte matris ſuæ non occidendus; prophetia de Chriſto, 471. b. Agni vel agnæ, pro tempore partûs ovium, 401 b
Agricultura ante peccatum non erat afflictio laboris, 231. g Agriculturæ encomium, 232. a f. plurimi eâ delectantur, 231. f. Agriculturæ opus allegoricè, 232. b
ALEXANDER Macedo Alexandriam condidit, 598. a
Alienatio à ſenſibus, & à ſpiritu malo & à bono fieri poteſt, 311. d. Quonam diſcrimine, *ibid.*
Allevare aliquem, pro interficere, 624. b
Allophyli, 529. c
Amen & Halleluia propter ſanctiorem auctoritatem ſervata ſunt, 25. a. Amen amen ad aliquid affirmandum adſumitur, 468. b
Amicitia ſimilibus moribus conſtit, 113. f
Amiſſionem rerum quas habet natura devitat, 238. a
Amiſiſſe aliquid dicitur qui ſperatum non accepeit, 211. c
AMMANITÆ ex Lot propagati, 568. c
AMMON interpretatur filius populi mei, ſive filius mæroris, 618. d
Amores duo, ſocialis & privatus, 282. b. Amor privatus & ſuperbia fontes malorum, 281. f. Non præcipitur amor niſi Dei & proximi, 11. g. hic finis & plenitudo ſcripturæ, 17. d. Præceptum diligendi Deum toto corde, nullam vitæ noſtræ partem relinquit quæ vacare debeat, 11. e. f. Amor iſte fluvio comparatur, *ibid.* f
Amat rectè proximum qui agit ut etiam ipſe toto corde, totâ animâ, tota mente Deum diligat, 11. f
Amat ſemper ſe & ſuum corpus homo, 12. a. 13. d. Præcipiendus eſt modus homini quo ſe & corpus ſuum diligat, 13. b
Amore eorum quæ forinſecùs ſentiuntur, computreſcunt interiora, 643. a. Non omnia quibus utendum eſt diligenda ſunt, 11. f. Amor egenus & indigus ita diligit, ut rebus quas diligit ſubjiciatur, 121. c Amor, *Vide* Dilectio. Teſtamentum, Lex, Caritas, Homo, Odium.
AMOS Prophetæ eloquentia quàm ſana, 71. a
Ἀνάστασις ſuſcitatio, ἐξανάστασις reſurrectio, 327. b
Anathema unde dictum, & quid ſignificet, 546. c
Ancones & Anconiſci, 456. c
Androgyni, 138. c
Angeli nomen univerſæ ſupernæ civitati tribuitur, 193. f. Angeli organa cæli, 672. e. & militia nominantur in Scripturis, 402. c. Nomine virorum ſolent appellari, 604. b. De Angelorum creatione, 95. c. Per lucem primo die factam intelligitur, 100. c. Angelica natura dies eſt primitus conditus, 193. f. Prima omnium creata eſt, 186. d Quare, *ibid.* Angeli adhæſerunt continuò luci creanti, 178. f Lucem creantem & ſe in illa viderunt in puncto creationis, 178. f.

Viderunt etiam se in se, *ibid.* Ordo quo Angeli opera Dei noverunt, 178. d. 181. b. In ipso VerboDei priùs noverunt rationes æternas creaturarum, deinde in ipsis creaturis, 175. b. c. Sexta repetitione angelicæ cognitionis matutinæ & vespertinæ consummata est universa creatura, 175. f. In angelica cognitione dies, vespera, & manè, 177. b. c. 186. g. Quomodo, 178. d. Angelica cognitio nihilo ignobilior, licèt in ea sit vespera & manè, 177. d. e. Quænam Angelorum cognitio dicitur matutina & vespertina, 193. d. dies & vespera, 175. c. d Dies, manè, vespera an simul in cognitione Angelica initio creationis & nunc, 177. f. g. Angeli non tantùm in Deo norunt quod absconditum est, sed etiam hîc eis apparet cùm efficitur, 194. c. Mysterium regni cælorum noverunt à sæculis, 193. c. Cogitationes nostras etiamsi nolimus noverunt, nos autem ipsorum nisi ostendantur nosse non possumus, 314. a. Quomodo sensibilia cognoscunt, 137. c. d. Angelica cognitio in creatura non remanet, sed creaturam refert in laudem Creatoris, 175. d. f

Angeli quomodo intrinsecùs & extrinsecùs adjuvantur, 242. b. Ab contemplatione Dei numquam resiliunt, 241. d. In Deo veritatem incommutabilem vident, & secundùm eam suas dirigunt voluntates, 241. d. Concordissima contemplatione Verbi Dei sunt unus dies quem fecit Dominus, 175. c. f. Ex quo creati sunt, ipsa Verbi æternitate sancta & pia contemplatione perfruuntur, 137. c. Fiunt participes æternitatis, veritatis & voluntatis Dei, 241. d. In Angelis prima omnium creata est sapientia, 175. b. Naturam Angelicam prorsus nihil delectat illicitum, 278. e. f. Angeli his corporalibus judicandis atque administrandis præsunt, 323. c. Quænam beatis Angelis subditæ creaturæ, 241. a. c. Angeli creare non possunt, 253 a. d. Nonnullam operam præstare possunt ut aliquid creetur, *ibid.* a. c. Quemadmodum in hoc mundo operentur non novimus, 254. a

Angelicæ ruinæ caussa superbia, 281. b. d. 282. a. 285. f. Angeli peccantes in hujus aëris caliginem detrusi sunt, 540. a. Boni & mali angeli habent quædam opera similia, 288. g. Angeli boni potentiores malis, *ibid.* g

Angelis quomodo Deus loquatur, 241. g. Deum in Angelis an & quomodo Abraham & Sara agnoverint, 387. d. 388. c. Angelus qui apparuit Manue, significabat Christum, 623. a. Angelorum genus duplex admittendum esse, non habetur ex scriptura, 284. c. Angeli non essent beati si beatitudinis suæ incerti essent, 282. g. 283. b. Angeli proximi nostri deputandi sunt, 15. d. quanta misericordiæ officia nobis impendant, *ibid.* Angelos Ecclesiarum septem de quibus in Apoc. Tichonius intelligit Ecclesias, 58. a. Angelus ideo in Apoc. prohibet hominem adorare se, quia talis apparuerat, ut pro Deo posset adorari, 393. e

Anima quid sit vix potest exprimi, 220. f. g. Animam esse ipsam Dei substantiam Manichæi dicunt, 216. g. Ejus naturam à natura Dei distingunt philosophi, *ibid.* Anima non est substantia Dei, 220. f. 225. a. Aut de ipsa Dei substantia, 212. f. g. 213. f. 260. b. Non est ex Angelis, 259. f. Non ex elementis, 213. f. 217. b. 218. a. 220. f. Non est corpus, 225. a. 271. e. 272. d. 220. a. b. Neque ex ullo corpore, 220. b. Non est qualitas corporea, 272. d. Non organa corporis, 219. e. Spiritalis est, 319. f. Non corporea, *ibid.* 218. b. 219. b. 320. f. Similitudinem tamen corporis & corporalium membrorum habere potest, *ibid.* Animam corpus esse credidere qui ex parentibus eam creari opinati sunt, 271. c. Alij propter arentem divitis linguam, 229. c. Tertullianus quia incorpoream cogitare non potuit, 273. a. colorem aërium & lucidum, & sensus ipsi dat, *ibid.* b. Si anima corpus est, sequitur etiam Deum esse corpus, 272. c. Animam crescere substantiâ noluit Tertul. 274. a. Quid de incrementis ejus sensit, 274. a. b. Quid alij qui eam corpus esse crediderunt, 271. c. Animæ præstantia supra res corporeas, 219. b. Non est subdita corporibus nequidem cælestibus, 144. f

Anima an ex nihilo, 213. g. 262. d. An ejus creationem materies aliqua præcessit, 214. d. Non potest dici qualis fuisset ista materies, *ibid.* g. In anima non est materia seminis manifesta, aut ratio seminis occulta, 271. c. d. Anima si de materia facta, de materia spiritali, 223. f. Anima Adæ non ex aliqua creatura, 262. c. d. Animam mulieris ex anima viri factam quidam opinati sunt, 256. g. & seq Refelluntur, 257. c. Animam rationalem ex irrationali fieri nonnulli philosophi putarunt, 215. f

Anima an & quomodo condita in primis sex dierum operibus, 214. a. d. 221. b. 222. b. 258. a. Animæ ratio caussalis non fuit inserta in natura Angelica, 222. a. b. Neque in creatura corporali, *ibid.* c. Animas viri & mulieris priùs creatas quàm corpora Scriptura non permittit credere, 201. e. Quæstio de anima valde difficilis, 211. e. 212. c. Non facilè solvitur ex Scripturis, 262. e

Animæ origo tribus modis intelligi potest, 258. c. Circa originem animarum varia expenduntur Scripturæ testimonia, 260. 261 262. 266. & seq. Opiniones duæ de anima, 260. c. Difficultates circa creationem animarum de novo, 258. f. Sententia Traduciariorum præponderare videtur, 272. a. Eorum argumenta, 263. a. & seq. 265. c. 270. b. Per semen concumbentis patris transfundi etiam semen animæ volunt, 271. b. Quid cavendum Traduciariis, 272. d. Animæ an sint ex traduce, an de novo creentur, ambig t Augustinus, 271. e. Anima unde unde sit, à Deo est, 221. a. 259. d. 260. d. 265. c

Anima naturaliter appetit corpus, 223. e. An ad corpus venit propria voluntate, an Dei nutu, 222. g. & seq. Si proprio nutu corpori inserta, non fuit præscia futuri, 223. a. b. Animas pro diversis meritis in diversa corpora detrusas esse non dicendum, 203. a. 266. e. Animæ non habent aliqua merita antequam corpori inserantur, 261. b. c. 266. e. 268. a. 269. d. In carne peccati creantur ut meritum comparent, 265. d. Animarum quarumdam fictitiæ transmigrationes, 216. c. Opinio Manichæorum animarum transmigrationes admittentium deterior quàm philosophorum, *ibid.* Animas hominum in pecora vel pecorum in homines posse transferri fides veritasque catholica non admittit, 215. f. 216. a. Nec morum similitudo evincit, *ibid.* c. Animæ natura in naturam corporis non convertitur, 259. d. nec in naturam animæ irrationalis, nec in naturam Dei, *ibid.*

Animæ lumen Deus, 319. d. Cùm lumen illud anima conatur intueri, palpitat infirmitate & minùs valet, *ibid.* Ex Deo est quidquid intelligit anima sicut valet, 319. e. Ut Deum resque divinas & spiritales intelligat, à sensibus lumine oculorum se avertit, 217. g. Desistentibus nuntiis sentiendi, & ministris movendi anima abscedit, 219. d. Iis autem deficientibus, ejus intentio turbatur, *ibid.* Unde fit ut anima abstrahatur à sensibus, 219. e. Cùm anima intellectuali visione Deum videt, etiam supra se videt illum, 319. e. Lux oculorum impedimento est animæ ad intelligenda spiritalia, 218. a. Anima appetitu corpus administrandi retardatur à visione summi Cæli, 322. f. Animæ corporibus coaptatæ, tamquam oblivione prægravantur, 265. e

Anima est immortalis, 226. a. Ejus vita post mortem adstruitur in Numeris, 544. g. Mutabilis tamen, 226. a. Animæ mutabilitas quæ, 214. e. Vel in deterius, vel in melius commutari potest, 212. f. Mortalis aliquo modo intelligi potest, 226. a. Hæc est mors animæ ut Deum nesciat, 633. e. Animæ pulcritudo, virtus veritatisque doctrina; deformitas, vitium est, 214. e. f. Animæ purgatio, 631. e. Anima quomodo resurgit à peccato, 278. b. Animæ non possunt dici magis vel minùs bonæ nisi vel moribus, vel differentiâ temperaturæ corporum, 267. g. Anima rationalis ut luna splendescere debet, 548. c. Non parvum animæ malum tristitia, 321. c. Vera est aut pœna aut lætitia animæ post mortem, licèt non sit corporalis, 320. a. & seq. Animam humanam habere vim quamdam divinationis in seipsa nonnulli volunt, 306. a. Impugnantur, *ibid.*

Anima quomodo moveat corpus, 240. a. & seq. Corpus administrat per lucem & aërem, 218. b. 219. b. Per sensus accipit quidquid eam corporalium non latet, 217. g. Illuditur non similitudinum rerum vitio, sed opinionis suæ, 315. f. Cùm exierit de corpore non habet aliquod corpus, 319. f. Ad corporalia loca vel non fertur nisi cum aliquo corpore, vel non localiter fertur, 319. f. An animæ cùm à corpore excesserint, loco corporali contineantur, 229. b. Pro meritis feruntur ad loca vel pœnarum vel quietis similia corporalibus, 319. f. &c. 320. a. c. g

Anima pro homine, 352. d. 356. c. 414. f. Anima pro vita, 334. b. 368. f. 515. g. 525. e. 372. g. pro delectatione animali, 552. c. Animæ vivæ quare sic dictæ, 110. d. Anima viva appellatur à Scriptura, administratio corporis, 218. d. Anima mortua quid significat, 523. a. Anima vegetativa non anima dici solet sed vita, 101. b. Anima terra dicta est, 96. c. Animam alicujus quærere & in bono & in malo dicitur, 341. c. Animam suam perdere quid significat, 52. e

Animantia an uno die multiplicata fuerint, 111. c. Animalium ex aquis eductio priùs narratur quàm quæ de terra, quare, 145. c. 146. f. Animantibus Deus certos seminum numeros dedit, 111. b. Animalia verè adducta sunt ad Adam ut iis nomina imponeret, 250. c. Hoc significationem propheticam habet, *ibid.* Quomodo animalia adducta ad Adam, 251. f. Animalia venenosa ante peccatum hominis videntur creata, 153. c. d. Animalia noxia vivos homines aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent, 154. c. Potuerunt ista etiam creata nihil nocere si caussa non exstitisset vel puniendorum vitiorum, vel probandæ virtutis, 153. e. Animalia carnivora non vixisse carnibus in arca magis credendum est, 381. d

Animus tantò fit plenior Deo, quantò in superna atque æterna liberiùs extenditur, 442. b. Nimis intentus humanis actionibus animus Deo quodammodo vacuatur, 442. b. Animus diligendo corpus fit infirmus, 12. b. Sanitas animi est firmissimè inhærere incommutabili Deo, 12. b. Animi mors & resurrectio quædam, 10. e. Cujus animus non moritur huic sæculo, is non resurgit ad vitam, sed ad supplicia, *ibid.* Animus absque simulacris potest aliquid cernere, 165. b

Anni manifesti, & obscuriores quinam sunt, 107. d. Quis annus magnus, sive Platonis, *ibid.* e. Anni per agnos, vindemias, messes aut aristas aliquando numerantur, 401. b & seq. Annorum numerus unicuique computandus est ex quo facta est prima mortalis nativitas, 669. b

Ansulæ de ossibus struthionum in digitis, genus superstitionis, 31. f

Ante Deum, id est in honorem Dei, 440. a. 441. e

ANTICHRISTUS de tribu Dan exsurrecturus, 591. c

ANTONIUS Ægyptius monachus vir sanctus & perfectus, 3 b. Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuit, & prudenter cogitando intellexit, *ibid.*

Apes sic operantur generationem filiorum, quemadmodum ceræ speciem liquoremque mellis, 249. d

APOLLINARISTÆ Verbum in Christo loco animæ fuisse asserebant, 528. a

Apostoli oculi Ecclesiæ, 641. e. Apostoli nec cùm suspicerentur ab hominibus, nec cùm despicerentur elisi, 54. a

Ἀποτελέσματα quid, 144. e

Apparitiones Dei, *Vide* Deus. Apparebat Deus Moysi in specie visibili assumta, 466. f

Apponi alicui rei, id est eam amare, 333. e. Apponi ad populum quid, 420. a. b

Aqua dicta est mundi materia, 105. b. 120. f. Aqua quando creata, 125. e. Et speciem propriam accepit, 140. b. Quare super aquas Spiritus-sanctus superferebatur, 120. f. 121. c. Non omnis aqua mare est, 105. e. Aquarum congregatio quomodo facta, 125. c. Aquarum congregatio est earum formatio, 105. c. Aqua aëri similis, 140. g. Aquarum tenues halitus aëri vaporaliter inseruntur, 151. b Aqua pro aëre terris contiguo sumta, 108. g. 109. d. Terræ vocabulum etiam aquis tribuitur, 244. d

Aqua supra firmamentum & sub firmamento quomodo intelligenda, 103. e. g. 104. a. Naturam aquarum non posse esse super sidereum cælum multi asserunt, 131. e. Non refelluntur recurrendo ad omnipotentiam Dei, *ibid.* Aquas esse etiam super sublime cælum non repugnat, 134. d. e. Aquas esse supra cælos quomodo quidam conatus est demonstrare, 133. g. Aquas esse super cælum non dubitandum est, qualeslibet aut quoquo modo sint, 135. b. Aquas super cælum non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere quidam autumant, 135. b. Ex aqua cuncta genera nascuntur vel animalium, vel herbarum atque lignorum, 188. b. Vapor aquarum marinarum decoctarum sinuato cooperculo exceptus, humorem dulcem gustantibus exhibet, 110. b. Aqua omnem potum significat, 350. e. 471. c. Vis quædam rationi subjecta, qua ratione Deus veritasque cognoscitur, rectè aqua divinitus appellata est, 103. g. Potest & intelligi vita spiritalis informis nomine aquæ, 120. f. Aqua & populum significat & Spiritum-sanctum, 56. a. Est symbolum gratiæ, 546. a

Aquatilibus solis cur benedictio sicut homini impertita, 152. c

Aquilas non vixisse carnibus in arca magis credendum est, 381. d. Aquila symbolum Christi, 677. e

Aquilo numquam in bono sumitur in sanctis libris, 669. g

Arbitrium voluntatis non omnibus naturis datum, 241. a. Deus non aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium, 563. d. *Vide* Libertas.

Arbores quomodo & quando creatæ, 140. d. Tertia die creatæ secundùm rationes caussales, 228. a. Omnia quæ ad arborem pertinent, primitus in semine fuerunt vi & potentia caussali, 196. c. De herbis & arboribus non solùm dicitur *secundùm genus* sed & *secundùm similitudinem*, 152. e. Arbor ex semine, & semen ex arbore quomodo, 196. d. Arborum insitio, 254. b

Arca quomodo bicamerata & tricamerata, 381. b. Arcæ capacitatem probat Origenes per cubitum geometricum, 381. a. Arcæ & propitiatorij mystica expositio, 454. g

Ἀρχιμάγειρος præpositus militiæ vel coquorum, 409. e. 411. c

Architectonica etiam dicitur ars opificum ex auro argento, & metallo, 473. b. Architectonicum opus in textilibus, 351. a. c

Argentum probatum, 413. b

Ariani putant substantiam filij Dei nullo assumto corpore per seipsam esse visibilem, 244. a. Patrem solum esse invisibilem, *ibid.* b

Aridum. Non omne aridum terra est, 105. e

Aries rubricatus figura Christi & Martyrum, 456. b

Arithmetica non est ex instituto hominum, 41. a

Artium cognitio aliquid confert ad intelligentiam Scripturæ, 37. f. Earum quædam in effectione, quædam in actione versantur, *ibid.* In artibus sapientia quo sensu, 351. a. *Vide* Studium.

Aruspicum libri superstitiosi, 31. d

Asia, nomen provinciæ, & etiam tertiæ partis terræ, 586. e. Asiam penè universam Scythæ aliquando tenuerunt, 598. a

Asina Balaam loquens quid significet, 550. d

Aspidiscæ, 457. d

ASSARACI domus, id est, Romani, 367. a

ASTAROTH & ASTARTE nomen Junonis, 599. d. e

Asterisci in codicibus Græcis significant ea quæ habent Hebræi, nec habent LXX. Interpret. 416. f

Astuti malè cordati intelliguntur, 277. a

Avaritia pro amore privato ponitur, 281. f

Avari formicis comparati, 216. c. Non essent homines amatores pecuniæ, nisi eò se putarent excellentiores quò ditiores, 281. a

Auditus fit ex percussione aëris, 122. c

AUGUSTINI humilitas, 92. d. Modestia, 259. e. 243. f. 269. c. 270. c. 277. 310. c. 311. a. Aug. nō hæret. pertinaciter suæ sententiæ, 177. a Rhetoricam docuit, 65. a. In exponendis scripturis ad litteram succumbit, 92. e. Duos libros de Genesi contra Manichæos initio conversionis scripsit secundùm allegoriam, 227. b. Quare, *ibid.* c. Quo instituto & quo tempore Augustinus scripserit libros XII. de Genesi, 116. Hos libros laudat Cassiodorus, *ibid.* Expositionem Genesis ad litteram, neque impossibilem esse, neque ipsi auctoritati Scripturæ repugnare demonstrandum suscepit, 251. a. & de facto explicat ad litteram, 227. e. In his libris loquitur secundùm proprietatem rerum gestarum, non secundùm ænigmata figurarum, 128. b. Quare interpretando Genesim sæpius nihil asserat, 130. d. Contulit S. Scripturam cum LXX. interpretatione, 379 a. Augustini libri contra Faustum, 385. e. 423. a. Liber XXII. contra eumdem, 464. d. Opus de civitate Dei pollicetur, 282. d. Liber I. de Civitate Dei, 616. b. Augustini scopus in speculo, 681. e. & seq. Speculum Augustini memoriâ maximè tenendum est, 694. b. Augustini sermo XLIV. de diversis laudatus, 397. a. Liber de spiritu & littera, 59. c. Pugnæ civilis immanem consuetudinem apud Cæsaream Mauritaniæ Augustinus populo dissuasit, 87. d.

Augustus mensis sic appellatus in honorem Imperatoris Augusti, 32. d

Augurationes illicitæ in quo à signis licitis differunt, 393. f

Aves non animæ vivæ, sed volatilia animarum vivarum dicuntur, 150. a. In aëre sublimiore volare non possunt, 109. a. Non in firmamento volant, sed secundùm firmamentum, 149. c. Avium vita & memor & garrula & in nidis construendis educandisque fetibus solertissima, 150. a. Inter aves nonnullæ sunt quæ aquam non bibunt, 108. g

Aurum significat sapientiam, 455. a

Auster non aliquid mali significat in sanctis libris, sicut nec Aquilo aliquid boni, 669. g

Avo nomen patris aliquando tribuitur, 333. a

AXA filia Caleb, 595. c.

B

BAAL nomen Jovis, 599. c

BAALSAMEN quasi Dominus cæli Punicè dicitur, 599. c

Baptismus, 49. b. Baptismi sacramentum, dies sabbati, 168. e. Necessarium est infantibus usu rationis carentibus, 265. g. Consuetudo Ecclesiæ in baptizandis parvulis, traditio Apostolica, 272. c. Per baptismum etiam in infantili ætate originalis pœna peccati solvitur, 265. g. Baptismus non prodest, si desit fides, 545. d. Fides aliena prodest infantibus, 265. g. Baptismum procurari infantibus, quorum pietatem futuram si diu vixissent Deus prævidit, an dici possit, 266. d. 267. a. b. Hoc refellendi gratiâ excogitatum est ab Augustino, 267. c. Variæ responsiones iuxta varias de animæ origine sententias, 266. 267. & seq. Quid dicendum de infante per incuriam parentum sine baptismo decedente, 266. b Necesse est ut infans baptizetur vivus, 266. d. Qui sacramento baptismi rectè abluitur, spiritaliter & in carne & in anima mundatur, 545. d. Juvenis carnalem concupiscentiam non domabit nisi adjutus sacramento baptismi, 266. a. Baptismum Christi significabat aqua adspersionis, 544. c. 545. a

Baptizatus quietem & operationem Dei debet imitari, 168. e

Barbarismus quid, 26. e

Basilicarum forma, 477. e

Beatorum status, 316. e. Eorum vita significata est paradiso corporali in quo Adam fuit, 318. c. Præmium quod in fine Deus daturus est, non potest verbis explicari, 10. a. Fides, spes, patientia non erunt in vita beata, 319. c. Vita beata in eo constituitur quod propter se diligendum est, 11. b. Ut natura beatificetur intrinsecùs, doctrina ministratur extrinsecùs, 232. e. Beatam vitam similes actiones atque virtutes indicant, 114. a

Beatè vivere est perfrui Deo, 14. e

Bellare non omnibus fas est, 584. f

Bellum magnum, bellum Domini dicitur, 547. c. Bella justa quænam, 584. f. bella justa gerebant Israëlitæ, 547. e. *Vide* Inimici.

Benedicere pro maledicere dicitur, 602. b

Benedictio quam Deus animantibus dedit ad multiplicationem, quæ sit, 110. g. 111. f

Beneficentia nominatur quod agit caritas ut proximo prosit, 50. b

Benignitas summa & sancta & justa Deo inest, 120. e

Bestiæ & pecoris nomina quibus animalibus usitatè conveniant, 112. a. 151. e. Bestias agri sexto die finxit Deus operatione distincta ab illa qua creavit omnia simul, 200. b. Bestiæ invicem nocentes cur creatæ, 153. f. *Vide* Animalia noxia. Revolutionis bestiarum in homines & hominum in bestias opinio, 288. f. Bestiæ habent quædam inter se signa, 20. b

Bissextum post quatuor annos, 142. e

Bonum nisi remansisset in natura, nullus boni amissi dolor esset in pœna, 236. f. Per prudentiam boni, malum scitur; & per experientiam mali, bonum, 237. a. Soli Christo placuit bonum sine experimento mali, 236. g

Bonis temporalibus non gaudendum, quare, 644. d. Stultum est fidere in vanitate, & laborare ad adquirenda peritura sine ullo timore amittendi, 675. d. Temporalia dona nec dari possunt, nec sperari debent nisi ab uno Deo, 397. e. *Vide*, Temporale.

Boni sumus, in quantum sumus, 16. a. Dei figmentum sumus, non tantùm ut homines simus, sed etiam ut boni simus, 235. c. Boni vasa misericordiæ, 430. g

Beta apud Græcos aliud, aliud apud Latinos significat, 34. e

Bethel Ulammaus, Luza, eadem civitas, 404. g

Bethsan hodie Scythopolis dicitur, 597. g

Bullensium regiorum fons magnus, 149. f.

C

CADAVERIBUS mortuorum, peccata significantur in Lege, 418. a

Cades interpretatur & mutata & sanctitudo, 579. c

Cæcitas impiorum pœna, 660. c. Cæcitas dicitur aliquando, etiam si aliqua tantùm objecta non videantur, 389. f

Cæli nomine intelligitur spiritalis creatura, 122. a. 127. e. Cæli porta quomodo vocetur aliquis locus, 398. f. Quæstiones variæ de motu cæli, 139. b. de figura ejus, 138. a. Cæli & terræ nomine intelligitur materia informis, 96. c. 127. a. 139. f. 186. b. 187. a. machina ætherea, 107. a. universa creatura, 96. a. 119. e. 181. f. 183. b. 193. b. 557. c. spiritales carnalesque in Ecclesia, 132. f. Cælum inferius terræ nomine deputatur, 195. d. Turbulentæ qualitates hujus cæli non casibus volvuntur, *ibid.* c. d. In cælo æthereo pacata sunt atque firmata omnia, infra illud omnia mutabilia sunt & dissolubilia, 104. a. Cæli, Samen appellantur apud Punicos, 599. d. Primum secundum & tertium cælum, corporale spiritale & intellectuale significat, 322. d. Tertij cæli occasione corporalis & animalis & spiritalis hominis differentias quidam accipi volunt, 324. b. In cælesti patria vespere, manè & meridies reperitur, non nox, 177. f. Homines ab hac patria repercutiuntur pravorum morum flatibus, 8. d. Cæli ad serenam intelligentiam veritatis significandam pertinent, 132. f. Quomodo allegoricè intelligendum sit cælum sicut pellis extentum dixit Aug. l. 13. Conf. c. 15. 138. g. Alij septem, alij octo, alij novem vel etiam decem perhibent cælos, 318. e. Cælos stare non putandum ob firmamenti nomen, 139. c. Cælos aërios diluvio periisse quomodo intelligendum, 146. e. &c. Cælesti corpore nihil est in corporibus melius, 103. f

CAIN quomodo potuerit condere civitatem, 379. d. Quantum interfuerit temporis inter primos parentes factos & Caïn Scriptura non expressit, 246. b

Calix an in bonum an in malum accipi debeat in v. 9. Psal. 79. incertum est, 55. g. Calix Dominicus aquam vino mixtam debet habere, 83. d. Aug. loquens de calice aquæ frigidæ quem Deus dari jubet, frigida hominum pectora inflammavit, 79. c

Caloris sedes in jecore, 217. e

Calumnia non est nisi quando falsi criminis objectione proximus læditur, 519. g

Canis pro extremo vel hominum, vel pecorum, 344. d. Et pro hoc quod est contemtibile, 606. c

Canon librorum veteris & novi Testamenti, 23. e

Canticum canticorum amores sanctos Christi & Ecclesiæ commendat, 714. g. difficillimum est ad intelligendum, 715. a. ostendit quantum appetenda quantique pendenda divina caritas, *ibid.* Narratio in cantico canticorum genere locutionis figuratarum rerum est, 225. e

Caput operiebant Africani in luctu, Judæi nudabant, 504. f

Carbones ignis congerere super caput alterius quid sit, 52. d

Carbunculus lucet in tenebris, 29. c

Carere. Non est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas, 53. d

Caro concupiscens adversùs spiritum quid, 263. f. & seq. Quomodo sine anima concupiscat, 264. f. Carnis concupiscentia adversùs spiritum justa pœna inobedientiæ primorum parentum, 250. a. Manichæi aliam animam admittebant, quæ cum carne concupisceret adversùs spiritum, 264. f. Caro animata & sentiens unde & quomodo nascatur, 253. g. Caro pro fratre ponitur, 334. d. pro corpore aut pro consanguineis, 25. e. Quænam carnes desideraverunt Israëlitæ in eremo, 440. d

Carnales. *Vide* Cælum. Esaü.

Caritas est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. 50. a. Est nexus quo homines invicem sibi & Deo connectuntur, 671. e. Gratia est novi Testamenti, 561. f. Caritas & vita æterna, munus hereditatis filiorum promissionis, 395. g. Caritas de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta quid sit, 19. a. Cùm verè sit opus Legis caritate fit, non timore, 561. f. Nonnisi Caritati sunt præcepta facilia, 455. e. Caritas nullo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt, 90. f. Non privatâ excellentiâ lætatur, unde & non inflatur, 282. b. Languescit fide titubante, 18. c. Fidei, spei & caritati omnis scientia & prophetia militat, 18. c. Hæc sententia, Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris, omnia flagitia & facinora exstinguit, 52. a. Caritatis societatem duo Cherubim commendant, 455. c. Caritatis symbolum coccinum, 543. 2. Tabernaculum decem aulæorum, 455. e. *Vide* Præceptum, Scriptura. Lex.

Castitas Dei donum, 459. d. In Deo vera castitas est, 113. a. Nihil pudendum est quod castum est, 254. e

Castra pro aciebus in prælio constitutis, 372. a

Catacarposis reliquiæ holocausti, quod ignis consumsit, 494. f. 495. a

CATONIS lepidum responsum ad superstitio-

INDEX IN PRIMAM PARTEM TERTII TOMI.

sum, 32. a
Cedrinum lignum symbolum spei, 543. d
Census quid, 434. c
Cerebri tres ventriculi, 218. g. Pars cerebri anterior unde sensus omnes distribuuntur, ad frontem collocata est, 218. e
CETHURA. Quod ex ea filios procrearit Abraham, non incontinentiæ tribuendum, sed significationi allegoricæ, 395 c
CHAMOS nomen dei cujusdam, 610. c
CHAM in filio suo Chanaan maledicitur propter prophetiam, 382. f
Chananæorum nomine septem gentes Israëlitis infensæ aliquando intelligendæ, 586. f
CHERUBIM creatura rationalis in multitudine scientiæ, 455. c. Cherubim in propitiatorio positorum explicatio mystica, 455. a. Duo Testamenta figurant, *ibid.* b. Caritatis societatem commendant, *ibid.* c
CHRISTUS apparuit Abrahæ in persona Angeli, 392. g. Christus de regia stirpe & de sacerdotali, 610. b. Ejus origo carnalis ex justis & peccatoribus, 565. g. Christus an & quomodo in lumbis Abrahæ, 270. d. & *seq.* Ex carne Abrahæ non fervorem vulneris, sed materiam traxit medicaminis, 270. g. Si in Abrahamo secundùm animam fuisset, non potuisset non decimari, 271. c. Unde animam acceperit, 269. d. Christi anima non est ex traduce, *ibid.* & fatentur ipsi Traduciarij, 271. a. Christus secundùm aliquos, Sap. 8. 19. dicit *Sortitus sum animam bonam*, 261. c. id examinatur, 268. d. In Christo Verbum loco animæ fuisse sentiebant Apollinaristæ, 528. a
Christus sine concupiscentia conceptus, 269. a. Factus ex muliere nullo interveniente concubitu, 254. d. Ejus corpus non caro peccati, sed similitudo carnis peccati, 269. b. Quare Christus carnem ex Maria sumere voluit, 254. c. Solus Christus sine peccato in hac vita, 542. e. 666. e. In Christo plenitudo divinitatis corporaliter quomodo, 301. g. Christus natus est octavo Kalendas Januarias, 451. c. Conceptus est & mortuus circa octavum Aprilis, *ibid.* Pauper nasci voluit, 510. a. Ejus præsepe securitatem veniæ peccatorum & oblivionem curarum malæ conscientiæ generat, 674. e. Prophetia de Christo non occidendo in infantia, 451. a. 471. b. Christi sapientiam in annis duodecim seniores mirabantur, 268. f. Christum annorum ferè XXX. baptizatum fuisse auctoritate Evangelica retinetur, 36. b
Christi passio figurata per vaccam rufam, 542. b. Distinctio est temporalium bonorum atque carnalium, & spiritalium atque æternorum, 542. a. Prophetia de Christo in crucem tollendo, 580. c. Unde reatum moriendi accepit, 269. b. Nonnisi quando voluit passus est, 167. b. Ætate XLVI. annorum passum esse nonnulli per errorem putarunt, 36. b. Christi mors nobis ad non timendum, resurrectio ad sperandum valet, 269. b. Christus descendit usque ad ea loca ubi peccatores cruciantur, 321. a. Quosdam à tormentis solvit, 321. a. Quomodo tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ, 61. g. Deus requiescens ab operibus suis die septimo prænuntiare voluit diem quo erat Christus in sepultura quieturus, 167. c. Resurrectionis Christi signum concrematio vaccæ rufæ, 543. b. Christi clarificatio in resurrectione & in cælum adscensione cognoscitur, 420. f. In Christi clarificatione peccata dissolvuntur & abolentur, 410. e. Resurrectio Domini & adscensio in cælum nostram fidem fulcit, 9. f. Fidem, spem & caritatem mittere debemus in resurrectionem Christi, 543. d. Christum suas sententias de Platonis libris didicisse quidam dicere ausi sunt, 36. d. Christus loquitur ut peccator, sed in persona membrorum suorum, 268. f
Christus Verbum apud Deum, caro apud nos, Verbum caro inter Deum & nos, 236. g. *Vide.* Verbum. In forma Dei & in forma servi Dominus est Angelorum, 193. g. πρωτότοκος dicitur, non πρωτογενής; μονογενὴς non μονότοκος, 565. c. d. Christus Emmanuel, 236. g. Sponsus, 610. c. Proximus noster, 15. c. Judex *Vide.* Judicium. Christus singulare exemplum obedientiæ, 237. b. Via, veritas & vita quomodo, 17. b. Christus veritas etiam non veritate adnuntiari potest, 89. f. Christus factus est nobis via, 10. c. 175. b. In Christo ut est via non inhærendum, 17. a. d. Christus donando peccata viam aperuit ad patriam, 10. c. Seipsum hominibus dat cibum per sacramentum corporis & sanguinis sui, 672. g. Christus salutare Dei, 591. c. In eo est salus omnium gentium, 666. d. De Christo & Judæis in Christum credituris prophetia est, promissio Moysi facta de visione Dei, 467. c. & *seq.* 468. 469. Figura de Christo, 593. f. & *seq.* Prophetia de benedictione quam Christus daturus erat populo novo, 578. f
Christus lignum vitæ est in paradiso spiritali, 219. b. Petra supra quam Gedeon carnem hœdi & azima posuit, figura Christi, 84. b. Christus petra, 228. e. f. 159. b. 546. a. 593. f. 605. c. Lapis unctus & reprobatus, 229. a. Lux propriè dicitur, lapis autem figuratè, 177. a. Christus oleum, 522. e. Vultur, 677. f. Aquila, *ibid.* c. Ovis, 228. c. Christus figuratus in ariete rubricato, 456. b. In carnibus ad vesperam, & panibus manè præstitis populo Israël, 439. g. Per Melchisedech sacerdotium Christi à sacerdotio Levi discernitur, 269. e. Christi cognitio & adoratio ex gratia ipsius, 467. c. Christi & Ecclesiæ aliquando una persona intimatur, 58. e. Christus & Ecclesia verum semen Abrahæ, 592. b. Duplex Christi corpus, 58. f. Non alicubi non est Christus, 312. c. Non facilè invenitur Patrem à Christo appellatum fuisse dominum, 393. a
Christianus nec falsæ philosophiæ loquacitate seduci, nec falsæ religionis superstitione terreri debet, 131 a. Christianus de rebus naturalibus quasi secundùm Christianas litteras loquens, nihil temere affirmet coram infidelibus, 129. g. 132. e
Cicatrix in Scriptura etiam solius coloris notam significat, 354. d. 510 b
Cinis vaccæ rufæ significat famam quæ consecuta est passionem resurrectionemque Christi, 543. f
Civitates duæ, altera justorum, altera iniquorum, 282. d. Commiscentur in hoc mundo, separabuntur ultimo judicio, 282. d. Opus de civitate Dei pollicetur Aug. 282. d
Clamor pro peccatis manifestis, 654. b. Pro impudentia & libertate iniquitatis, 330. a
Claves Ecclesiæ traditæ, 10. d
Clauthmon mons, 598. c
Cogitationes quæ à spiritu maligno immittuntur difficile est discernere, 306. e. Non discernuntur nisi dono Dei, *ibid.*
Cognitio rei cujusque in Verbo Dei ad diem pertinet, cognitio rei in ejus natura ad vesperam, 174. b. f. Inter utramque multùm interest, *ibid.* Ordo quo fit cognitio, 178. b. c. Cogniti à Deo homines dicuntur cùm eis cognoscendum se præstitit, 166. d. Cognitio Angelica. *Vide*, Angeli.
Columna nubis duce Jesu subtracta est, 581. b
Collyris panis subcinericius, 230. a
Commemorari præceptis, id est admoneri, 571. g
Communicare. *Vide*, dare.
Compendiare alicui, id est occidere, 624. b
Concubina omnis, uxor, non autem omnis uxor, concubina, 400. a
Concubitus maris & feminæ indicium est mortalium corporum, 157. f
Concupiscentia esse non potuit nisi in corpore mortis hujus, 249. g. Carnalis concupiscentiæ caussa non in carne sola, sed etiam in anima, 263. f. In potestate animæ non est ne concupiscat, quamdiu inest peccatum in membris, 264. d. Concupiscentia carnalis, pœna qua percutit Deus carnales, 628. a. Concupiscentia, de peccato factum supplicium, sed de supplicio fieri potest meritum, 249. c. Non regnat concupiscentia cùm desideriis ejus non obeditur, 264. e. Concupiscentiam casta & bona jura nuptiarum non sinunt valere nisi quantùm ex ea possunt generi substituendo prospicere, 270. f. Concupiscentiam sancti Patres conjugati quousque licebat, in concubitum relaxarunt; sed non quousque licebat, ejus impetum pertulerunt, 269. a. Concupiscentiam vincere non est impossibile, 250. a. Magna merces præparata iis qui eam vicerint per gratiam, 250. a
Confessio peccatorum, 456. a. Ipsa hominis justitia in confessione sibi non parcere, 638. a
Conjuges. In ipsis conjugibus luxuria est abutendi intemperantia, 53. d. Liber de bono conjugali ab Aug. editus, 247. e
Conscientiæ bonæ lætitia paradisus est, 321. f
Consecrationis sacramenta non audeat quisquam recusare qualibet præpollens gratiâ, 552. a
Conservatio. Si Deus subtrahat naturæ operationem intimam qua eam substituit & facit, continuò tamquam exstincta nulla remanebit, 167. e. 253. d. & *seq.*
Consilij donum quid efficit, 22. f. Consilium verum ex quacumque anima procedat, Deo tribuendum, 4. c. Nec debet contemni, 442. a. Consilium quintus ad sapientiam gradus, 22. f. *Vide*, Moyses.
Consolationes tamquam potus, 630. c
Constantia sine actionibus similibus atque virtutibus esse non potest, 114. c
Constellatio quid, 32. g
Consuetudines delectationum carnalium, vincula, 660. e. De consuetudine aliorum quomodo judicandum, 52. e. Non ex consuetudinis regula culpanda sunt vel probanda facta hominum, 49. e. f
Contactus mortui est hominis iniquitas, 544. e
Contendere verbis quid sit, 90. e
Continentia & castitas Dei donum, 459. d. Continentia voveri nequit sine utriusque conjugis consensu, 554. a
Contraria. A contrariis notis pleraque intelliguntur ignota, 237. e. Significatio quarumdam vocum à contrario debet intelligi, 602. b
Conversio animæ ad Deum quomodo fit, 265. e. Semper à Deo fieri, semperque perfici debemus inhærentes ei, & in ea conversione quæ ad illum est permanentes, 253. c. Vita spiritalis conversione ad Creatorem formatur atque perficitur, 117. d. 118. b. Conversio Peccatoris. *Vide*, Peccator. Viæ Domini.
Cordis dilatatio & in malo & in bono accipi potest, 366. b. Cordis purgatio sextus ad sapientiam gradus, 22. f. Quisnam verè est purus corde, 23. a. De cordibus judicat Deus, non de verbis, 536. c. Cor carneum & cor lapideum quomodo intelligendum, 61. a. Duritia cordis ex vitio uniuscujusque est, 426. f. Cordis induratio. *Vide*, induratio. Cor confortari pro obdurari, 587. c
CORNELIUS Petro traditur imbuendus, 3. f. Ante visibilem baptismum, Spiritum-sanctum accepit, 544. c
Corporale & propriè & translatè dicitur, 301. g. Omne corporale est passibile ex Tertull. 273. a
Corpus est natura quælibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupans, 220. b. Omne corpus in omne corpus posse mutari quidam asseruerunt, 217. d. Et hoc fieri posse credibile est, 220. a. Nullum corpus in animam, aut in naturam incorpoream converti potest, 217. d. Corpusculum quodlibet in infinitum dividi potest, 134. d. 165. a. Corpus non habet vim ut formet aliquid spiritale, 311. e. Corporis imago præstantior est in spiritu quàm ipsum corpus in substantia sua, 308. c. Corporis imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in se ipso facit, 308. c. 311. e. Corporibus terrenis corpora superiora non sunt potentiora, 144. f
Corpus animæ famulus, 250. a. Secundùm id quod in cælum erectum est, animæ rationali congruit, 205. e. Adæ corpus mortale simul & immortale, 210. c. *Vide* Adam. Corpus nostrum deterioris conditionis est quàm Adæ, *ibid.* f. Corpori dominabantur primi Parentes, 149, b. Si non peccassent, corpora eorum acceptura erant Angelicam formam, *ibid.* Quare Apostolus vocat corpus mortis aut corpus mortuum, non verò mortale, 210. e. f. 248. g. Corpus moriturum est in nobis, etiam justè viventibus, 210. f. Corporis & mors & resurrectio, 10. e. Resurrectio corporum ad perfectam beatitudinem animæ necessaria, 322. f. g. Immortalitas & incorruptio corporis de sanitate animi exsistit, 12. b. Præmium est meriti illius quod Adam amisit, 211. b. Medicorum sententia de corpore humano, 217. e. Membra corporis si etiam singula pulcra sunt, in universi corporis compage pulcriora sunt, 160. b. d. Corpus suum nemo odit, 12. c. Etsi aliquid ampliùs diligitur quàm corpus, non tamen corpus odio habetur, 13. b. Quid de corpore nostro post mortem futurum sit, parum curandum, 154. d. Corporum traditio, 333. g. Corporis sensus unde, 308. a. Corpora pro rebus quæ corporaliter possidentur posita, 333. g. & pro servis, 334. a
Corpus Christi quod est Ecclesia, dicitur Christus; & corpus diaboli diabolus, 286. c. d. Corporis & sanguinis Christi sumtio, 517. a
Correctio fraterna, 520. f
Corvus ex arca dimissus potuit cadaveri insidere, 382. d. Corvi. *Vide*, Peccatores pænitentes.
Coturnices non datæ sunt Israëlitis in Eremo sed ortygometra, 440. e
Creatura non est Deo consubstantialis aut coæterna, 93. c. Non de Dei natura, sed de nihilo facta est, 93. c. Non ante sæcula, sed à sæculis, 194. b. Initium creaturæ in quiete Creatoris manè septimi diei significatum est, 172. b. SS. Trinitas insinuatur in inchoatione & perfectione creaturæ, 121. a. b. Deus per Filium in unitate S. spiritus universam creaturam constituit, 93. b 112. d. Quid est quod in creatione commemoratio fiat filij modo ut est principium, modo ut est Verbum, 120. b. Creaturæ in Deo, 191. g. In ipsa Dei Sapientia, 152. d.

Omnia priusquam fierent, erant in notitia facientis, 192. b
Creatura quælibet præter lucem, primò erat in Verbo Dei, deinde facta est in cognitione rationalis creaturæ, postea in genere suo, 137. b. e. f. g. Creata sunt omnia simul in rationibus creaturæ spiritalis, 106. c. Sine cognitione creaturæ spiritalis ceteræ creaturæ non factæ sunt, 174. b. Omnia simul creata sunt, 103. c. 105. g. 183. d. 187. g. 188. a. 179. b. c. g. 190. d. 239. c. Quomodo itaque sex dies narrentur, 180. a. 186. f. & singulis diebus singulæ tribuantur operationes, 103. c. d. Cur certis diebus certa opera edita sint, 140. f. g. Unus tantummodo dies creatus cujus repetitione multi qui dicuntur dies prætereunt, 173. b. 176. a. 181. d. Non apparet quando septimus dies fuerit creatus, 173. a. *Vide* Dies. Rerum creatio prima facta est sine temporis mora, administratio non ita, 190. c. d
Creaturæ aliter se habent in Verbo Dei, aliter ut primitus à Deo conditæ sunt, aliter ut nunc producuntur, 190. f. Creaturæ non in se, sed in Deo vita sunt, 191. e. Qualis vita sunt in Deo, 192. a. Quæ facta sunt, in Deo sunt meliora, quia ibi veriora, æterna & incommutabilia, 192. c. Creaturas in Verbo Dei & in prima creatione non per sensus novimus, sed ex divina auctoritate credimus, 190. g. Mens nostra non est idonea creaturas videre apud Deum in ipsis rationibus quibus factæ sunt, 192. f. Aliter nota est Angelis creatura Dei, aliter nobis, 185. c. Creaturas non tam facilè novimus quàm Deum, quare, 92. e. Creaturæ plures nobis ignotæ, 193. c. Creaturæ qua ratione à Deo & ab Angelis noscuntur, 193. d. Cognitio creaturæ in seipsa vesperam faciebat, 176. a. non incongruè tamen dicitur dies sub aliquo respectu, 174. f. Creatura habet in se vesperam, non in Deo, 170 f. g. In creaturis *manè* significat earum speciem, *vespera* earum privationem seu defectum, 106. f. Creaturæ in se habent naturæ suæ terminum, quo non sint quod Deus est, 172. a. habent mensuras, numeros, ordines suos, 153. g. In rei natura est ut quid esse possit, ut futurum sit, nonnisi in Dei voluntate, 207. b
Creaturæ in tantum bonæ sunt in quantum acceperunt ut sint, 16. c. Creaturarum defectum non fecit Deus, sed ordinavit, 111. d. Nihil homini secundùm vitia corporalia accidit quod Deus nolit, 423. g. Productio & vicissitudo rerum quæ jam fit, est explicatio sæculorum quæ Deus universæ creaturæ indidit, 195. a. Creatura corporalis per tempora & loca, spiritalis per tempora tantùm mutari potest, 239. d. Quomodo condita sunt quæ temporalibus intervallis moventur ad peragenda quæ suo cuique generi competunt, 179. d. Creatura spiritalis cælum cæli, 112. a. Ejus principium est æterna sapientia, 120. d. Est imperfecta & tenebrosa abyssus dum ad Creatorem non convertitur, 118. b. 122. a. Potest habere vitam informem, quare, 120. d. Informitas creaturæ est aversio ejus à Sapientia incommutabili, pulcritudo verò, conversio ad eam, 120. d. Creatura tunc imitatur Verbi divini formam cùm ad Creatorem suæ substantiæ convertitur, 119. f. 120. a. Ad Creatorem suum non conversa tendit in nihilum, 119. f. Quomodo creatura potest illuminari, 118. b. Creatura rationalis quæ nonnisi malorum comparatione cavet malum, non parvi boni est, 279. g. Creatura intellectualis contemplatione veritatis omnia tempora excedit, 122. e. In Deo habet quietis locum, 171. g. Creaturæ intellectuali non cessat loqui sapientia æterna ut convertatur ad id ex quo est, 120. d. Creatura spiritalis & intellectualis. *Vide* Vita.
Creaturarum subordinatio Deo & sibi invicem, 241. b. e. Spiritalem creaturam corporali Deus præposuit, 239. d. Universa creatura spiritalis & corporalis sæpe cælum & terra nominatur, 141. b. Creaturâ non fruitur Deus, sed utitur, 15. f. g. Amor Dei in opera sua ex beneficentia venit, 120. e. 121. d
Creare non potest ulla creatura, 427. f. Aliquid jam de nihilo fieri violentum est velle monstrare, 259. e
Creatio cæli & terræ *in principio* variè sumi potest, 117. c. Ordo creationis rerum per sex dies non intervallis temporum, sed connexione caussarum, 185. g. 186. b. & *seq.* Opera creationis sexto die consummata & adhuc inchoata quomodo, 179. e. 243. f. 203. g. & *seq.* Mirabilia seu miracula creationis ideo insolita quia prima, 226. e. Scriptura non prætermisit aliquod genus creaturæ in historia creationis, 199. e
Creatoris omnipotentia, 155. a. Est caussa subsistendi omni creaturæ, 167. e. Creator est omnipotens virtute sapientiæ non potentiâ temerarâ, 255. b. Quàm facilis sapientiæ efficacissimus motus est tam facilè Deus condidit omnia, 179. c. Solus Deus potest esse creator cujuslibet naturæ, 252. f. 254. c. Justè Creator laudatur in omnibus quæ fecit omnia bona valde, 223. c
Creditoris & debitoris officium, 570. c
Crescere. Creverunt juvenes, pro, crescendo facti sunt juvenes, 331. e
Crimina mortifera tria tantùm esse quidam putarunt, 776. b. Refelluntur, *ibid.*
Crucis latitudo, longitudo, altitudo & profundum omnem actionem Christianam describit, 43. d. Crucis symbolum virga qua petra percussa est, 546. a. Lignum immissum in aquas ut dulces fierent, 439. b. Littera Græca T figura Crucis, 605. g
Cubitus geometricus sex cubitis nostris æquivalet, 381. a. Per eum arcæ capacitas ad continenda omnia animalia demonstratur, *ibid.*
Cultus. *Vide* Latria.
Cupiditates & libidines solent de repentino successu terrenæ felicitatis exsistere, 601. d. Quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto caritatis augetur, 50. c. Non tam satietas est de plenitudine cupiditatum quàm pressura, 644. c
Curiosa. Tractandis curiosis quæstionibus tempus esse non debet iis qui suæ saluti & Ecclesiæ utilitati studere debent, 139. b. 144. d
Custodiæ, nocturni temporis spatia significant, 529. e
CYPRIANUS linguam suam ab redundantia revocavit & ad graviorem eloquentiam modestioremque restrinxit, 76. d

D

DÆMONES, piratæ, 640. c. Pulli vulturis, 628. e. 639. e. Animalia aëria, 150. d. Quare morte non dissolvuntur, *ibid.* Dæmones angelos cælestes vel supercælestes fuisse nonnulli non putant, 150. f. 284. c. Dæmones detrusi tamquam in carcerem caliginis hujus aëriæ, 150. f. 287. d. In judicio puniendi servantur, 287. d. Transgressorum cælestia corpora, (si fortè gesserunt) non mirum est in aëriam qualitatem fuisse conversa, ut possint ab igne aliquid pati, 151. a. Angelis prævaricatoribus infima pars mundi subjecta est, 33. d. Non est mirum Dæmones nuntiare alicubi longè jam facta, 309. a. Dæmones non tentarent si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, 309. a
Dæmoniaci, cùm Dæmon in eis loquitur, nesciunt quid loquantur, 288. a. Quomodo aliquando verum dicunt, 306. d. Dæmoniacus presbyterum ad se ex duodecim millibus venientem, in domo constitutus cernebat, 309. b
Dativus. Pro dativo casu Græco, ablativum Latini ponunt, 325. c
DANIEL Propheta, 303. d. 304. d
Dare. Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur quomodo habenda est, 5. c. Quis præferendus quando res aliqua duobus vel pluribus dari non potest, 14. a
DAVIDIS mansuetudo erga filium suum Absalom, 54. c. Davidem non suæ injuriæ, sed peccata filij commovebant, *ibid.* David quamquam in adulterium lapsus, longè fuit à libidinosorum intemperantia, 54. d. In Davide immoderatæ libidinis non permansio sed transitus fuit, 54. f. Davidis humilis Confessio, 292. e
Debitoris & creditoris obligatio, 570. c
Decalogus. Præceptorum Decalogi distinctio, 443. c. & *seq.*
Declinare in dextra est velle tribuere sibi quod rectum est, non Dei gratiæ, 574. c
Defectus profectusque creaturæ non sunt sine supplemento decoris universi, 128. c. Nihil homini secundùm vitia corporalia potest accidere quod Deus nolit, 423. g
Deitatis unitas & personarum pluralitas insinuatur in creatione hominis, 156. d
Delectatio. Homines sancti habent in potestate illicitam delectationem cohibere, 278. e. f
Denarij numeri mystica explicatio, 29. f
Derelictio. Miseriores sunt qui omnino malum desertionis suæ non sentiunt, 278. a
Desideria sancta sunt à solo spiritu non à carne, 263. g
Desperare. De peccatorum venia non desperandum, 665. e
Devotatio fit cum maledicto, 546. e
DEI nomen τετραγράμματον ineffabile, 458. f
Deus ineffabilis est, 7. b 192. e. Quomodo, *ibid.* Deus summè ac primitus est, 16. b. Est excellentissima quædam immortalisque natura, 7. e. Et incommutabilis, 212. f. 217. a. Invisibilis & ubique tota, 466. f. Eam primò necessitate, & pòst inexpiabiliter voluntate corruptam Manichæi dicunt, 281. c. Deus immutabile bonum, 236. d
Deum faciliùs percipimus mente quàm creaturas, 192. d. f. Deum omnes intelligunt id quo nihil melius, 7. d. Qualis sit Deus non potest cogitatione comprehendi, 593. c. Deum esse corpus sensit Tertullianus, 273. a. Tale aliquid esse qualis figuraliter spiritui sanctorum demonstratus est, quidam volunt, 273. c. Non temere aliquid tale de Deo dicere debemus quod in Scriptura ejus non legimus, 166. a. Quisquis talem cogitat Deum qualis non est Deus, alienum Deum utique & falsum in cogitatione portat, 593. b. Deus habet in se ut sit longè aliter quàm creaturæ, 192. d. Deus interior, exterior, antiquior, novior omnibus, 242. e
Deus Trinitas, res qua fruendum, 6. e. Natura Dei in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, 212. f. Dum unum verum Deum significare volunt Græci, articulum apponunt, 403. d
Deus nec per locum nec per tempus movetur, 239. b. e. 245. c. Deum esse in aliquo loco corporali, quomodo intelligitur, 559. b. Deus propinquior nobis quàm multæ creaturæ, 192. c. Dei anima, voluntas ejus, 527. b. d. Dei membra, effectus operationum atque virtutum, 527. c. Manus & brachium Dei, potestas & virtus ejus, 204. f. Verbum ejus, 205. c. Consilium Dei non mutabile est, 164. e. Ira Dei & zelus sine perturbatione, 424. b. 470. b. 388 f
Dei dictio quomodo accipienda, 99. d. Deus Verbum coæternum loquitur, 120. e. De locutione Dei, varia inquiruntur, 122. c. quomodo temporaliter fieri potuerit, invenire difficile est, 122. c. Quomodo cum Angelis loquitur Deus, 291. b. More humano in Scripturis ad homines loquitur, 388. f. Aliquando servis suis in ipsis servis suis loquitur, 244. g. Loquitur Deus aut per suam substantiam aut per sibi subditam creaturam, 242. g. Primis parentibus locutus est post peccatum per subditam creaturam, 244. a. 291. a. Cum illis aliis modis intrinsecùs loquebatur, *ibid.* Per creaturam illis in forma humana apparere solebat, 291. f. Nuntios habet propter nos & propter ipsos, 193. e
Deus solus verus creator, 427. f. Et reparator creaturarum, 256. c. Creator est temporum, 172. g Visibilium & invisibilium conditor non quantum ad vitia, sed quantum ad naturas ipsas adtinet, 99. c. Etiam nunc creat quæ nascuntur, 185. e. An caussa rerum dici possit, 6. f. Dei imperium, potentia & benignitas, quomodo intelligitur in creatione rerum, 100. d. Si bona facere non posset Deus, nulla esset potentia; si autem posset nec faceret, magna esset invidentia, 169. g. Deus omnia noverat priusquàm fierent, 191. e. Quare, 192. e. Ubi cernebat unde omnia disponeret, 164. f. In vita sua vidit omnia quando fecit, 192. a. Novit omnia incommutabiliter, 193. e. Cognoscere dicitur cùm cognosci aut cognoscere facit, 194. c. d. 392. e. f. Habet Deus in seipso absconditas quorumdam factorum caussas, quas rebus conditis non inseruit, 255. d. Rerum condendarum tam facultas quàm facilitas est incomparabilis apud Deum, 165. f. Deum vidisse opera sua, est eum illa approbasse, 100. c. Deus omnia in mensura, numero & pondere disposuit, 163. b. 164. c. quomodo, *ibid.* Deus & mensura est & numerus & pondus, 163. c. d. quomodo, *ibid.* e. g. Ab eo est omnis mensurarum modus, parilitas numerorum, ordo ponderum, 195. f. In minimis operibus suis magnus est, 249. d. Deus in operando non laboravit, 165. d. An propriè requievit, *ibid.* *Vide* Requies. Quare Deus septimo die requievit eique benedixit, 168. f. 169. b. Requies Dei ab operibus suis quomodo accipienda, 167. d. 182. b. 194. g. 198. a. Requies Dei sine initio, sine termino, 172. d. Nec manè nec vesperam habet, 170. e. 171. c. 172. d. Requievisse dici potest Deus quatenus creaturæ rationali requiem præbuit in seipso, 165. f. g. 166. c. f 169. e. Quia seipso bono perfectè beatus est, à bonis quæ fecit, in seipso requievit, 162. e. 169. g. Nulli quod ex ipso est debet quod beatus est, *ibid.* c. 170. d. Nec futurus erat minor nisi fecisset mundum, nec beatior cùm fecisset, 169. c. Nullis eget bonis

INDEX IN PRIMAM PARTEM TERTII TOMI.

nec factis nec faciendis, *ibid.* f. & 170. d. Nihil sibi consulit de operibus bonorum, 280. Non eget justitiâ recti hominis, quantò minùs iniquitate perversi, 278. g
Deus usque nunc operatur, 167. d. 194. d. e. quomodo; cùm omnia simul creaverit, 196. b. f. Deus administrat universa, 151. a. Quomodo, 241. c. Quomodo administrat humanum genus, 241. b. & voluntates, 241. b. Administrat imas & vilissimas partes mundi, 195. b. Bipertito opere providentiæ creaturam universam administrat, 241. e. 251. g. 253. d. Deus semper idem & immotus agit omnia, 240. g. 241. d. 242. c. Quomodo Deus immotus moveat creaturas, exemplo animæ deprehendi potest, 239. g. Deus non temporalibus motibus operatur, 128. g. Quomodo Deo non temporaliter jubente, fiant motus temporales in rebus temporalibus difficillimum est capere, 122. c. Si à gubernatione rerum Deus cessaret, continuò dilaberentur, 167. e. Quædam facit Deus & ordinat, quædam ordinat tantùm, 101. f. Deus naturas creat bonitate, voluntates ordinat potestate, 240. g. Deus naturarum optimus conditor, peccantium verò justissimus ordinator est, 160. b. Deo hoc est natura quod fecerit, 206. c. Quidquid incipere & desinere Deus dicitur, non in natura ejus, sed in ejus creatura intelligendum, 99. f. Dei amor in opera sua ex beneficentia venit, 120. c. 121. d. Deus creaturam amat ut sit & ut maneat, 121. e. Deus justè omnia vult, 423. g
Deus cùm sit sapientia incommutabilis rebus omnibus anteponendus, 7. f. Nobis unus diligendus & colendus Deus præcipitur, 48. e. Omni homine, immo & te ipso ampliùs diligendus est, 13. g. Præceptum de Deo & proximo, immo & de se ipso diligendo datum est, 13. d. Quare præceptum quo diligamus Deum, à dilectione proximi distinctum est, 15. e. Optandum & agendum ut omnes Deum diligant, 14. c. Magna est utilitas homini quod Deo servit, 236. c. Deo perfecta servitute serviri non potest, 592. e. Deo debetur λατρεία ut Deo, δουλεία tamquam Domino, 452. c. A quo tempore cœpit appellari Dominus, 234. b. Tantò fit animus plenior Deo, quantò in superna atque æterna liberiùs extenditur, 442. b. Nimis intentus humanis actionibus animus Deo quodammodo vacuatur, 442. b. Deus animæ lumen, 119. d. Summa utilitas & salus nostra est, 234. f. Ad Deum qui ubique præsens est non locis movemur, sed bonis moribus, 8. e. 10. c. Ab eo disceditur non locorum intervallis, sed voluntatis aversione, 215. b. Deum propitium & salubrem sola humilitas & pietas capit, 466. c. Deo perfrui, beatè vivere est, 14. c
Deus tentat ut sciat, id est ut scire faciat, 564. a. Deus non tentat. *Vide* Tentatio. Deus non tentandus, 402. d. Devitanda sedulò quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissimè adjutor est, 437. d
Deus non operator peccatorum, sed ordinator distributione meritorum, 128 a. Ad utilitatem bonorum parcit iis quos malos futuros esse præscit, 430. f. Etiam in electos vindicat temporaliter, 579. f. Esse Deum cum hominibus duræ cervicis, est a se esse vindicando & puniendo, 466. c. Quale bonum sit Deus commendatur, quando nulli ab eo recedenti bene est, 277. g. Dei patientia secundùm corda hominum, quibusdam utilis ad pænitendum, quibusdam inutilis ad resistendum Deo &c. 428. d. Deus etiam ipsis hominum peccatis usus est ad significanda quæ voluit, 615. d. Bene utitur cordibus malis ad id quod vult ostendere vel facere bonis, 426. e. Rectè utitur animarum voluntatibus etiam malis, cùm illæ perversè utantur naturis bonis, 277. d. Agit Deus in cordibus ut det exitum rebus quem constituit, 603. b. Non de verbis sed de cordibus judicat, 536. c. Non mendaciter jubet quod scit non facturum cui jubetur, ut justum judicium consequatur, 426. a. Misericordiâ & veritate homines convertit, 428. c. f. Non tantùm instructio oris, sed ipsa etiam apertio ad Dei voluntatem & gratiam pertinet, 424. a
Deus dum specie corporali apparet, substantia ejus non apparet, 245. b. 453. f. Deum videre cupiebat Moyses in ea substantia qua Deus est, 317. a. Videri solùm in illa vita potest, ubi ut vivatur huic vitæ moriendum est, 468. d. Videtur ab his qui sæculo moriuntur, 22. g. Ad videndum Deum purgandus animus, 8. d. *Vide.* Visio Dei. Trinitas.
Dij gentium ex quo nominari cœperunt in Scriptura, 401. a. Dij alieni pani hordeaceo comparati, 603. f. Qui opera hominum deos putant, altiùs demersi sunt quàm qui opera Dei, 48. e. Cultum deorum simulatorum sæpe ac propriè Scriptura fornicationem vocat, 48. g
Dextera prosperitatem significat, 331. c. Nominatur in omnibus bonis, 331. d. In laude ponitur, 574. a. Dexterà aut sinistrà ire post deos alienos quid sit, 574. f. & *seq.* Dextera iniquitatis quid significat, 575. a
DIABOLUS latinè accusator dicitur, 549. e. Naturâ bestiis omnibus excellentior, 276. e. Non fuit beatus ante peccatum, 282. e. 283. a. 285. f. Diabolum creatum in malitia nonnulli putarunt, 284. d. Refelluntur, 284. e. &c. 285. e. Diabolus ab initio temporis cecidit, 282. e. Nonnulli dicunt cecidisse quòd inviderit homini ad imaginem Dei facto, 281. d. Cecidit quia se delectatus est ampliùs quàm illo cujus participatione beatus erat, 175. d. Cecidit ab eo quod accepturus erat, non verò ab eo quod acceperat, 285. g. Varia de conditione & lapsu diaboli, 287. b. Diabolus quomodo homicida ab initio, 282. f. Diabolum in creaturis Dei censeri noluit Manichæi, 281. a. Urgentur, 281. b. Diabolum non fuisse ex numero Angelorum supercælestium sed mundanorum, quidam senserunt, 283. b. Corpus diaboli aërium, 281. c
Diabolum creavit Deus ut de illo bonis ipse prodesset, 285. c. In serpente locutus est non verò in femina, 287. f. Non est permissus tentare feminam nisi per serpentem, 277. b. Nec virum nisi per feminam, 287. f. Diabolo datur permissio in homines sive probationis caussâ sive vindictæ, vel ad damnationem vel ad correctionem irrogatæ, 673. c. Diabolus leo & draco vocatur, propter insidias & iram, 673. b. Quomodo insidiatur, 673. d. Diaboli pavidi in latebris insidiarum suarum, 673. b. Nihil possunt in quemquam nisi permissi, *ibid.* c. Tentandi voluntatem habet diabolus, in potestate autem nec ut faciat habet, nec quomodo faciat, 287. g. Non quiescit in eo voluntas nocendi etiam cùm potestas non datur, 678. c. De corpore mystico diaboli intelligendum est illud, *Quomodo cecidit de cælo &c. Isai.* 14. 12. 286. a. Et illud Ezech. 28. 12. *Tu es signaculum* &c. 286. e. Diaboli corpus, diabolus dicitur, 286. c. d
Dialecticæ utilitas, 40. d. Plurimùm valet ad intelligentiam Scripturæ, 38. a. Veritas connexionum non instituta est ab hominibus sed animadversa, 38. f. Veritas sententiarum & connexionum unde eruenda, 38. e. Scientia definiendi & dividendi non est falsa etiamsi falsis adhibetur, 40. a
DIDYMUS librum scripsit de Spiritu-sancto, 419. c
Dies appellatur illa lux cui nox præcedenti recedentique succedit, 125. a. A manè usque ad manè numeratur, 103. b. Fit conversione fixorum siderum, 107. d. Dies diversimodè sumitur, 103. a. Diei & noctis nomen quomodo accipiendum, 159. f. 102. b. Dierum & noctium enumeratio valet ad distinctionem ponendam inter Deum & creaturas, 106. f. Dies qui primùm factus est natura est angelica, 186. d. f. lux quædam sapiens vocatus est, 198. g. Diem & noctem, manè & vesperam quomodo lux spiritalis exhibuit, 174. b. Interpretatio data de die spiritali non figurata existimanda est, 176. e. f. Dies & nox quomodo in lucem sensualem & rationalem possint cadere, 102. g. Initium diei & initium noctis principatum utriusque intelligere debemus, 108. c. Quomodo dies unus peractus fuit sive in creatione sive post creationem lucis, 122. g. & *seq* Dies & nox quomodo potuerint esse ante solis creationem, 102. f. 142. a. Quomodo tres dies noctesque sibi succedere potuerint ante solis creationem, 124. e. 125. b. Diem & noctem ante creationem solis, factam fuisse emissione & contractione lucis non probatur, 127. b. Dies, vespera, & manè quomodo intelligi debeat in creationis historia, 176. a. 178. g. Dies, vespera & manè in cognitione angelica, 176. b. 180. b. Omnia simul facta & nihilominus per sex dies facta, 180. c. Dies sex creationis quomodo accipiendi, 159. e. 171. e. 175. f. 184. a. 197. a. Septimus dies est septima repetitio diei primitus creati, 173. c. f. Cur manè habuerit non vesperam, 170. g. & *seq.* 175. g. 186. g. Usitati dies hebdomadæ longe dispares septem diebus Geneseos, 176. d. quid significent, 182. a
Differre aliquem pro accusare, 549. e
Difficilia intellectu apud quos & quomodo tractanda, 73. b
Digitus Dei Spiritus-sanctus, 429. a
Dilectio ad novum Testamentum pertinet, 445. g. Prava sui dilectio, quæ, 12. a. Quænam ordinata dilectio, 13. f. Omnis homo inquantum homo diligendus est propter Deum, Deus verò propter seipsum, 13. g. Ratio cur Deus & homo diligantur, 14. f. Omnes æque diligendi sunt, 14. a. Præceptum de proximo & seipso diligendo corpus & animum importat, 13. e. Ampliùs alius homo diligendus est quàm corpus nostrum, 14. a. Unde inimicos diligamus, 14. e. Ut se quisque diligat, præcepto non opus est, 17. d. Quatuor diligenda sunt, & quæ, 11. g. *Vide* Amor. Deus. Proximus.
Diluvij duratio, incrementa, decrementa &c. 381. a
Discere. Nemo rectè discit quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat à Deo docilis, 77. e. Vis consuetudinis ad discendum, 27. e. Inter discentes & vescentes est aliqua similitudo, 74. f. Quod ad arborem colendi negligentia, hoc ad animam discendi segnitia, 232 e
Dispensare potest Deus circa leges à se constitutas, 605. a. Quod ex inspiratione fit contra præceptum, non transgressioni imputandum est, 605 a. b. 616 b
Disputatio. Non disputatio veritate, sed veritas disputatione requiritur, 379. c. Disputatur cum Omnipotente, quærendo, non convincendo, 678 d
Distinguere labiis suis, pro, definire, 491. c
Divinatio Mathematicorum genus est fornicationis animæ, 33. e. Divinationes & prædictiones plenæ sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis, 34. c. Mira divinatio quorumdam juvenum jocantium, 313. c. Et alterius qui hominem à leone interemtum iri prædixit, 313. e. Animam humanam habere vim quamdam divinationis in seipsa nonnulli volunt 306. a. Impugnantur, *ibid.* *Vide* Mathematici.
Divinantium dicta seu responsa quomodo accipienda, 564. a
Divisio corporis in infinitum, 134. d
Divites superbi struthionibus comparantur, 675. a. Divitum superborum conversio qui fiat, 675. a b. Eorum labor stultus, 675. c. Quomodo intelligenda sit flamma inferni, sinus Abrahæ, & cætera quæ in historia divitis referuntur, vix aut numquam invenitur, 229. d
Docendi munus quàm præstans, 4. a. Docendum est sine superbia & invidia, 3. d. Docendi præcepta non superflua, tametsi doctores efficiat Deus, 77. b. Instituit Deus ut homines ab hominibus docerentur non ab Angelis, quare, 4. a
Doctoris Christiani officium, 66. d. Quisnam verè doctus & sapiens, 41. e *Vide* Magister.
Doctrina omnis vel rerum est vel signorum, 5. d. Adjumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cùm Deus operatur ut prosint, 77. g. Duo genera doctrinarum apud Ethnicos, 31. c
Dolor quid sit, 219. c. Quid corporis dolor, 155. b
Dominari aliis homo appetit, 12. a. Et hoc intolerabilis superbia est, *ibid.* c. *Vide* Servitus.
Dominus Deus solus, 234. e
Domus pro cubiculo vel tentorio, 332. g 333 a
Donum Spiritus-sancti per aquam aut per ignem significatur, 605. d. Discrimen inter donum & datum, 360 f
Dona Dei multiplicantur in hominibus, cùm hi ea aliis dispensant, 5. c Quis præferendus quando res aliqua duobus vel pluribus dari non potest, 14. a
Dormire pro concumbere, 334. f pro manere & cessare, 350. d. 368. b
Dubitare. Melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis, 229. e

E

EBRIETAS pro saturitate frequenter in Scriptura, 413. c
Ecclesia dicitur locus quò Ecclesia seu fideles congregantur, 516. f. 523. a. Ecclesiarum forma, 477. c
Ecclesia Christi corpus & conjunx, 10. b. fusca est & speciosa, 59. a. Christus Ecclesiam nodo unitatis & caritatis tamquam sanitatis adstringit, 10. b. Ab Ecclesia ceciderunt aperta & corporali separatione hæretici, occulta verò & spiritali mali, 286. f. Ecclesiæ tradita facultas peccata condonandi, 10. d. Ecclesiam Deus purgat & exercet quibusdam medicinalibus molestiis, 10. c. Ecclesia primitus in cælo, 194. a. Ecclesia ista terrestris post resurrectionem in cælis congreganda est, 194. b. Unde catholica dicitur, 94. c. Ecclesia cælum, 633. d. Est terra beatorum & terra viventium, 61. c verum Abrahæ semen, 592. b. Appellatur paradisus, 286. e. 318. c. 321. f. Ager Dei fructuosissimus, 715. b. Mons sanctus Dei, 287. a. Petra, 678. e. Regnum, 620. d. Congregatur ex omnibus ætatibus, *ibid.* Ecclesia Virgo, 655. d. Ecclesiæ formationem mysticè significabat mulieris formatio, 256. a. Ecclesia figuratur per Jephte filiam, 620. c. per aream siccam Gedeonis, 614. a. per montem Pharan, 579. c. per vestem summi sacerdotis, 458. d. per mulierem tangentem fimbrias vestimenti Salvatoris, 620. c. Nomine pupillorum & viduarum accipitur, 647. c. Ecclesiæ per cervas exprimuntur, 673. g pariunt per Evangelium, 674. a cum dolore, *ibid.* Universitas Ecclesiæ quatriduo figurata est, 620. g. Christi & Ecclesiæ aliquando una persona intimatur, 58. e
Ecclesiastici auctor Jesus Sirach, 733. d. Libri Sapientiæ & Ecclesiastici non sunt Salomonis, 733. d
Ecstasis quid, 242. a. 305. d. 311. b. In ecstasi imagines quæ cernuntur aliquid significant, 306. d. Rusticanus in ecstasi & vigilare se sciebat, & videre quiddam non oculis corporis, 298. c
EDOM nomen Esaii, 407. c
Effectuum insolitorum & præternaturalium rationes quasi seminales Deus posuit in rebus, 255. b. c. amant homines in experta rimari & caussas insolitorum requirere, 310. d
Electio ad gloriam. *Vide* Vocatio. Ad Electionem non pertinent nisi boni, 406. d.
Electorum nomen non invenitur in malo, nisi quando mali eliguntur à malis, 406. d. Electorum varia symbola & figuræ, 453. f. & *seq.* In electis & reprobis & bonitas Dei & æquitas jure prædicatur, 279. d
Elementa in recensione operum creationis non prætermissa sunt, 99. b. 109. d. 147. c. Non tantùm locis, sed qualitatibus propriis distinguuntur, 131. c. Habent vim & qualitatem suam definitam, 255. a. Quidam philosophi cuique elemento sua animalia tribuunt, 150. a. b. De Elementorum conversione sententiæ variæ, 147 b
ELIAS licitè sacrificavit extra templum Dei, 515. c. Eliam non duxisse uxorem nec procreasse Filios creditur, 246. g. Eliæ animam in Johannem fuisse revolutam quidam hæretici opinati sunt, 535. e. Elias & Enoch creduntur redituri ad hanc vitam ut mortis debitum solvant, 247. a. Nec morbo nec senectute deficiunt, 247. b. Eliæ status inter jam beatorum & adhuc peregrinantium statum medius, 246. f
ELIZABETH fuit de filiabus Aaron, 610. b
Ellipsis Græco & Hebræo eloquio familiaris, 359. a
Eloquens non immeritò dici potest qui docet, delectat & flectit, 78. a
Eloquentia non ab hominibus instituta, 40. c. cum sapientia in sacris auctoribus juncta est, 67. e. & in sacris litteris, 68. c. 69. a. 70. a. Sapientia sine eloquentia parum prodest civitatibus, eloquentia sine sapientia nimiùm obest plerumque, numquam prodest, 66. g. De fine officio & partibus eloquentiæ agitur in toto libro quarto de Doctrina Christiana, Eloquenter & sapienter dicere quid sit, 90. g. Quis sapienter dicit, 67. d. Qui sapienter & eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos, quamvis animæ suæ sit inutilis, 89. f
Emaüs. Apertio oculorum discipulorum Emaüs non figuratè accipienda, 290. a
ENOCH genuit filios, 247. a Translatus est, *ibid. Vide* Elias.
Ephud seu Ephod unum de sacramentis tabernaculi, 607. b. Sacerdotalis honoris insigne, 607. d Ephod utebatur solus summus sacerdos, 607. g
Errare invitum pœna peccati est, 638. f
ESAÜ servivit Jacobo usque ad regem Joram, 396. e. quomodo, *ibid.* Significat carnales in populo Dei, 396. d
Esse. Ille summè ac primitus est, qui omnino incommutabilis est, 26. b. Omne quod est, inquantum aliqua substantia est, & bonum est, & nonnisi à Deo esse potest, 281. b. Inquantum sumus boni, sumus; inquantum mali sumus, minùs sumus, 16. a. b
Esse pro æstimari, 412. e
EVÆ prævaricatio inexcusabilis, 289. a. Evæ menti inerat amor propriæ potestatis & quædam de se superba præsumtio, 289. c. Dedit fructum viro fortassis etiam cum verbo suasorio, *ibid.* d. Etsi præcepti divini oblita fuisset, maximam tamen incurrere culpam non desiisset, 289. b. Probabilius existimavit non esse mortem quam timuerat secuturam, 290. c. Curiositate peccavit, *ibid.* b
Evangelicum lumen figuratum per faculas in hydriis fictilibus militum Gedeonis inclusas, 615. b. Crevit morte martyrum, 615. c
EVANGELISTÆ cæli, 664. f. Angeli, 667. b. Matthæus Marcus & Lucas plura dederunt præcepta vivendi quam Johannes, quare, 775. c. Evangelium Johannis ceteris supereminet, 775. c
Eucharistia, 49. b
Euphrates, 231. a. Nomine magni fluminis intelligitur, 590. a
EUSEBIUS historiam temporum quæ ad sacram Scripturam pertinent, contexuit, 41. g. Eusebij mens de annis servitutis Israëlitarum in Ægypto, 435. f
Exaudire murmurationem id est cognoscere, 346. a
Excommunicatio, 294. f. 570. a
Exsurgere pro expergiscere, 335. d
EZECHIAS secundùm quasdam futurorum caussas moriturus erat, & quomodo quindecim anni ad vitam illius additi, 207. e

F

FAcinus dicitur quod agit cupiditas ut alteri noceat, 50. a
Falsum quid, 40. a
Fama. Exitio suo quisque à bonis putatur bonus, cùm occultus sit malus, 307. b
Fascinare pro invidere, 369. c
Felicitas temporalis communis est justis & impiis, 452. a. ad vetus Testamentum pertinet, 451. c. f
Femina extra sex dies creationis facta est, 201. a. Facta est ad imaginem Dei, 158. c. femineus sexus conformatus propter sobolem, non tamen cum libidine, nisi homo peccasset, procreandam, 249. f. Ut viris serviat ordo naturalis est, 416. c. & Lex voluit, 568. a. Femina sub patre aut sub viro constituta vovere non potest sine eorum consensu, 552. e. 553. a. *Vide* Votum.
Fermentum modò in vituperatione, modò in laude ponitur in Scriptura, 55. e
Fidelis. Quod minimum est minimum est, sed in minimo fidelem esse magnum est, 78. e
Fidelium vita comparata vitæ infidelium dies est, comparata verò vitæ beatorum nox appellari potest, 174. g. & *seq.* Unitatis amor & defectuum tolerantia, fidelibus commendatur, 672. e. Fideles in Ecclesia sunt veluti quædam textura, 672. d. Ovibus detonsis comparantur, 21. e
Fides est à Deo, 59. d. e. Per baptismum solidatur, 132. f. Titubat si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas, 18. c. Fide titubante caritas languescit, 18. c. Fides non ex operibus sed ad gratiam pertinet, 437. c. Deus facit per gratiam suam opus Legis in homine, & homo per fidem suam suscipiens gratiam &c. cooperator est adjuvantis Dei, 563. a. b. c. Fides Christi, operibus Legis præponenda, 437. c. Fides in Deum non impedire debet quin fiant ab hominibus quæ sunt facienda, 402. d. A fide, bona opera pendent & præveniuntur, 437. c. Fidei, spei & caritati, scientia omnis & prophetia militat, 18. c. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum & proximum pertinet, 49. e. Fides catholica quid tenet, 93. b. Quod catholicæ fidei contrarium est, illud nulla dubitatione falsissimum esse credendum est, 131. a. Fidei symbolum hyssopus, 543. d
Fides famulis necessaria, 417. c
Filius dicitur & avi & proavi & ultrà majoris alicujus is qui ex illo propagatur, 332. c
Filius Dei est Principium, 95. a. Principium est non Patri sed universæ creaturæ, 121. b. Jussu Patris omnia creavit, 112. d. Cibus est Angelis in quantum est Verbum Dei apud Deum; hominibus autem ut cibus esset Verbum caro factum est, 672. g
Firmamentum à distinctione & specie nominatum est, 104. a. Idem quod aër, 134 b. Idem quod cælum, 103. f. Non omne firmamentum cælum est, 104. f. Firmamentum cæli quid, 109. b
Flagitium vocatur quod agit cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, 50. a. Flagitia priora sunt facinoribus, 50. b. Flagitiorum compensatio periculosissimè admittitur, 389. c
Flumina paradisi vera flumina, 230. f. Unde oriuntur, 188. f. fontes eorum an noti sint, an ignoti, 231. c
Fœnerationem Scriptura dicit quod mutuò datur, 367. e. 368. a
Fons paradisi irrigans totam terram fortè exsiccatus ut augeretur incolentium labor, 188. d. Variæ de illo fonte quæstiones, 188. d. 189. c. De fontium & fluminum origine, 110. a
Forma. Summè unum est omnis formæ principium, 105. d. Formari est in unum redigi, *ibid.*
Fornax ferrea dura tribulatio, 365. d
Fornicatio grande malum, 551. c. Quandonam prohibita in Lege, 569. c
Fortitudo quartus gradus ad sapientiam, 22. e. Fortitudinis dono esuritur & sititur justitia, *ibid.*
Fortuita caussis occultis divinitus dantur, 400. c.
Fortuna non est numen aliquod, 400. c. Quid sit, *ibid.*
Frater hominis quilibet homo dicitur, 344. b. Carnis nomine intelligitur, 334. d. Fratres appellantur unius cognationis, etiamsi gradu sanguinis differant, 328. f
Frigus & glacies spiritalis & ex iniquitate & ex bonis operibus aliorum nascitur, 663. f
Frui latè dicitur cum delectatione uti, 16. f
Frui propriè est amore inhærere alicui rei propter seipsam, 6. c. Est in illa ponere finem lætitiæ suæ, 16. e. f. Solo Deo fruendum, 16. g. & solis rebus æternis, 11. a. non se ipso, *ibid.* c. non homine, *ibid.* b. Qui homine in Deo fruitur, Deo potiùs quàm homine fruitur, 16. e. Deus nobis non fruitur, sed utitur, 15. f. g
Fur nocturnus si occiditur ad homicidium non pertinet, si diurnus occiditur, pertinet, 449. d. Furis occisio. *Vide* Tabulæ XII.
Furari. Præceptum non furandi quomodo differat à præcepto non concupiscendi rem alienam, 444. b
Furtum non est nisi quando alieno occultè ablato proximus læditur, 519. g. Furtum non fecerunt Israëlitæ spoliando Ægyptios, 432. b
Futura verè sunt quæ Deus vult, 207. d. Necessariò sunt futura quæ Deus præscivit, 207. d

G

GÆSON, scutum, hastam, lanceam interpretantur, 371. g
GALAAD interpretatur abjiciens sive revelatio, 618. c. 619. c. f
Ganges priùs Phison appellabatur, 230. g
GEDEON & Phua quomodo fratres fuerunt, cùm sint è diversis tribubus, 610. a. Gedeon peccavit faciendo Ephud, 613. c. 615. a. Tentavit Dominum, 613. g. 614. c. & *seq.* subdefecit à fide, *ibid.* g. Cùm Gedeon peccaverit, quomodo in Scriptura laudatur, 613. e. Faculæ militum Gedeonis in hydriis fictilibus inclusæ figura luminis Evangelici, 615. b. Gedeonis vellus figura populi Israël, area sicca figura Ecclesiæ, 614. a
Genealogia. In genealogia feminas pro maribus ponere non est Scripturæ consuetudo, 573. f
Generationes in Scripturis non per annos sed per hominum successiones numerantur, 437. c
Generare. Senior vir cum muliere seniore filios facere non potest, 387. f
Geneseos historiam secundùm proprietatem rerum gestarum quidam incipiunt ex quo Adam & Eva dimissi è paradiso genuerunt, 225. f. satisfit rationibus eorum, 226. c. Narratio in libris Geneseos non genere locutionis figuratarum rerum est, sed gestarum, 225. c. Geneseos opera etiam corporaliter intellecta solidiùs asserunt divini eloquij narrationem, 227. a. Judicium Augustini de libris quos ipse edidit in Genesim, 92
Genethliaci qui vulgò & Mathematici vocantur, superstitiosi, 32. b. Genethliacorum scientia ad pacta quædam cum dæmonibus referenda est, 33. c. d. & *seq.*
Gentes, lapides, agri dicuntur, 629. c
Geometricæ Ægyptij dediti, 381. a
Gigantes in lingua Hebræa appellantur Raphaïn, 553. f. An ex hominibus an ex dæmonibus procreati, 380. c. 381. a. In utroque sexu exstiterunt, 380. d
Gignere inter & parere an Scriptura distinguat, 565. f
Glabis, 651. e
Gloria. Vocatio ad gloriam non pro meritis horum sed pro misericordia Dei, 467. f
Gradatio seu κλῖμαξ, dictionis figura, 68. d
Gratia novi Testamenti caritas, 60. e. Gratiæ vis, 10. b. 60. c. Per gratiam homo creatur de

novo, 260. c. Gratia tardos æquat ingeniosis, 675. a. Anima illuminatur gratiâ sicut nubes à sole, 665. b. Gratia est aqua quæ interior sitis irrigatur, 546. a. Aliis est aqua contradictionis, aliis aqua sanctificationis, 546. b. Gratia est necessaria, 665. c. Homo non bene vixisset nisi per gratiam Dei, 277. d. Nulla est anima præter ipsius Christi cui liberandæ à peccato non sit Christiana gratia necessaria, 263. c. Natura per semetipsam non instauratur sed per Dei gratiam, 255. c. 265. f. Homo non potest aliquid agere bene tamquam ex seipso, 234. f. Gratia in tentationibus petenda, 567. c. Non datur secundùm merita, 665. d. Non pendet à visibilibus sacramentis, 524. c. Causa gratiæ per quam salvi fiunt peccatores, in Deo est abscondita, 255. d. f. 256. a. Gratiam Dei ut præcedat voluntas accipiendi & jubet & facit Deus, 424. a. Deus facit per gratiam suam opus Legis in homine, & homo per fidem suam suscipiens gratiam &c. cooperator est adjuvantis Dei, 563. a. & *seq.* Nec Sacerdotium nec Lex introducunt in hereditatem æternam, sed gratia per fidem, 551. d. Gratia Christi tamquam nubes opponitur Judæis, 474. f. Gratia & gloria, promissionis firmitate jam data aliquando dicitur, quæ tamen suo tempore tantùm danda est, 61. c. d

Gratiam significabant priores tabulæ Moysi datæ, 471. f. præceptum de observando sabbato, 473. g. & manna, 455. a. *Vide* Opera. Lex. Caritas.

Gulosi describuntur, 71. g

H

HÆRETICI ob id sunt hæretici quòd Scripturas non intelligentes suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt, 216. a

Halleluia propter sanctiorem auctoritatem servatum est, 25. a

Haruspicum & auspicum libri superstitiosi, 31. d

HEBRÆI unde dicti, 383. d. Hebræa lingua Puniæ familiarissima, 327. c

Heliopolis civitas solis, 411. d. abest à Memphi ampliùs quàm viginti millibus, *ibid.*

Herbæ quomodo & quando creatæ, 140. d. 186. d

Heroüm nomen non facilè reperitur in Scripturis, 338. a

HESIODUS poëta nomen imposuit Musis, 30. f

HIPPOCRATES mulierem suspicione adulterii puniendam liberat, 400. c

Historia non numeranda est inter institutа humana, 36. f. Est demonstrationi similis, 36. g. Historia etiam profana juvat ad intelligendos sanctos libros, 36. a

Histrionum signa valent ex instituto non ex natura, 35. a

Holocarpoma, 494. c 495. a

Holocausta humana Deus improbat, 611. c. & *seq.* 615. e. 616. b De holocausto non manducabatur, 621. b. Non omne sacrificium, holocaustum erat, 621. b. *Vide* Sacrificia.

Holocaustosis, reliquiæ holocausti quod ignis consumsit, 494. f

Homicidium. In homicidio voluntario Deus & homo facit: in involuntario, Deus tantùm, 448. a. In homicidio voluntario quamvis occidatur quem Deus vult occidi, homo tamen pœnâ dignus, *ibid.* b

Hominis creatio, 112. c. cum creatione aliorum animalium conjungitur & etiam distinguitur, *ibid.* c. Deus hominem sicut cetera per Verbum suum fecit, 205. c. Deus sufflavit in faciem hominis, quia in ea sunt velut organa sentiendi, 218. c f. Hominis præstantia, 112. d. Homo magnum bonum, 236. e. sed mutabile, *ibid.* Humanum genus magno est terris ornamento etiam cùm à paucis rectè laudabiliterque vivatur, 248. b. 223. c. Hominem quisquis esse nollet in rebus, contradicit bonitati Dei, 213. d. Homo totus æstimandus est ex eo quod in ipso principatum tenet, 114. c. Magna quædam res est homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, 11. a. Præcipuum opus Dei dicitur, quare, 204. & *seq.* Ad ipsius Trinitatis imaginem factus est, 115. a. Quomodo & secundùm quid ad imaginem Dei factus est, 114. c. 156. g. 205. b. 221. b. 257. g. 258. b. Factus est ad imaginem & similitudinem, non verò ipse est eadem imago & similitudo æqualis Patri, 114. f. Cùm dictum fuisset hominem creatum esse ad imaginem, cur additur & ad similitudinem, 112. f. 113. b. 116. a. 557. a. Similitudo ad quam factus est homo, est ipsum Dei Verbum, 114. f. Homo quomodo ab Apostolo imago Dei vocatur, 114. f. Homo in ipso corpore indicat se ad imaginem Dei factum esse, quòd erectâ staturâ factus est, 205. d. Hominis corpus quatenus est erectæ figuræ ad similitudinem Dei factum dici potest, 114. c. Hominem interiorem primùm factum, deinde corpus hominis quidam suspicantur, 158. a. Homo factus est in die primo creationis invisibiliter, caussaliter, potentialiter; in die autem sexto factus est visibiliter, 201. b. d. 202. c. 203. c. 204. c. 206. f. 258. f. Quomodo factus est in animam vivam, 218. c

Homo in agnitione Dei creatus est, & in ea renovatur, 157. d. Homini hoc est fieri quod est agnoscere Verbum Dei per quod fit, *ibid* c. Homo ante peccatum in suo genere bonus erat, 160. b. Deus fortè non dixit hominem esse bonum quia præsciebat eum peccaturum, 160. a. &c. Homo nisi peccasset posset non mori, 210. d. Et hoc indicat ipsa mors hominis, 209. d. Posse non mori præstabatur ei de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, 210. d. Si immortalis factus est, quomodo cibis indiguerit difficile est dicere, 157. f. Homines ex quo concepti, ægritudinem quamdam inchoant qua sunt necessariò morituri, 249. c. Homo ante peccatum beatus spe commutationis futuræ, 283. c. Ante mali experimentum potuisset intelligere quid esset malum, 237. c. Non bene vixisset, nisi per gratiam Dei, 277. d. Ex seipso peccator, sed non justus ex seipso, 677. a

Homo dominari aliis appetit, 12. a. Et hoc intolerabilis superbia est, *ibid.* c. hominis tentatio quare permissa. 277. c. 278. b. Homo non fuisset futurus magnæ laudis, si propterea posset bene vivere, quia nemo malè vivere suaderet, 277. d. A tentatore dejectus quia superbus, 277. e. Voluntate peccavit, non necessitate, 278 e. Peccavit propria voluntate per culpam, ordinatus est Dei æquitate per pœnam, 277. d. Si liberum arbitrium non haberet, in natura rerum minùs excelleret, 223. d. Homines ex uno procreati propter artiorem cognationis necessitudinem & unitatis vinculum commendandum, 248 d. Hominum multiplicatio quomodo facta fuisset, si immortales permansissent, 157. g. & Adam non peccasset, 246. c

In homine gemina operatio providentiæ reperitur, 232. d. Quomodo Deus hominem operetur, 234. a. Homo melior fit adhærendo Deo, 236. c. Homini natura est ut possit summi boni naturæ adhærere 236. e. Tunc est optimus homo cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, 11. c. Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò tenebratur, 235. b. Dei est non solùm ut homo sit, verùm etiam ut nonnisi ab illo bene sibi sit à quo habet ut sit, 279. d. Nihil est hominis proprium nisi fortè mendacium 4. e. Admoneatur homo erectâ corporis sui staturâ non sibi terrena esse sectanda velut pecora. 205. d. Omnibus inferioris creaturæ moribus præbentur homini salubres admonitiones, 154. a. Homo non propter seipsum diligendus est, 11. b. Non debet seipsum propter se diligere, *ibid.* d. Ignarus futuri vivit ex fide, 223. d. Immundus est usque ad hujus vitæ finem, 544. d. Natura hominis ex Deo est, non iniquitas, 223. c. Homo aliquando est Adam & secundùm carnem, & secundùm spiritum; aliquando secundùm carnem tantùm, 265. f. Vetus homo, pœnitens & qui à Deo perit auxilium, 630. c. f. Homines vitæ genere pecoribus similes sunt, 216. a

Hosanna in aliam linguam transferri non potuisse dicitur, 25. a. Est interjectio lætantis, 25. b

I

JACOB sine dolo benedictionem accepit per dolum, 396. g. Lucta Jacob cum Angelo, prophetia de Christo, 402. g. Jacob in filiis suis plerumque appellatur, 422. c. Significat spiritales in populo Dei, 396. d

Idiomata, proprietates alicujus linguæ, 325. a. 387. c

Idololatria grande malum, 551. c

IDUMÆI gens Edom ab Esaü propagata, 407. c. Ab Israëlitis tributarii facti per David, 396. c

Jejunium quadragenarium Moysis, Eliæ, & ipsius Christi quid significet, 29. e

JEPHTE id est aperiens, 616. f. 618. a. Judex fuit Israëlitarum, non Rex, 619. b. ejus fides, 616. b. Votum Jephte discutitur, 610. f. & *seq.* an Deo displicuit, 612. g. An Jephte voverit ex inspiratione Spiritus-sancti, 614. b. An rectè egerit exsequendo votum, 612. g. Votum Jephte prophetia de Ecclesia, 615. f. 620. a & *seq.* Jephte figura Christi, 616. f. & *seq.*

JEREMIAS quomodo Deo notus antequam formatus, 202. a. d

Jerusalem urbs communis tribubus Judæ & Benjamin, 597. c. Dicta est Jebus, 586. d. 597. c. Significat Jerusalem matrem nostram æternam in cælis, sive in ipsis Angelis, sive in iis qui spe salvi fiunt, 318. d

Ignem aëre superiorem esse probatur, 133. d. Super aërem purus ignis esse dicitur cælum, *ibid.* c. quare ignis reperitur in inferiori parte aëris corruptibilis, 149. b. Ignis noster seu inferior in aliud elementum verti potest, 149. a. Non potest in cælestem superiorem tranquillitatem evadere, 149. a. Non potest frigescere, 147. f. Omnia penetrat ut motum in eis faciat, *ibid.* Ignis nomine pœna intelligitur, 583. d. & *seq*

Ignorantiæ peccata, dicuntur peccata humana, 531. d

Imago quid, 112. c. Imaginem Dei quam Adam perdidit, recipimus per gratiam justitiæ, 211. b. An imaginem Dei non portabat mulieris mens, 295. c. Imaginem cælestis & terreni hominis quomodo portemus, 208. f. Inter imaginem & similitudinem quodnam discrimen, 556. d

Imaginatio non est quid corporeum, 210. d. c. Vis imaginationis matrum in fetus, 400. c. Imaginatione gaudent pecora & volatilia, 210. d

Imaginationes quid, 305. e

Immortalis creatus est primus homo quatenus poterat non mori, 210. d

Immortalitatem corporis amisisse Adam dici potest, cùm propter peccatum ad eam pervenire non potuit, 211. c. Immortalitas & incorruptio corporis de sanitate animi exsistit, 12. b.

Impænitentia. *Vide* Pænitentia.

Impietatis nomen etiam levi peccato tribuitur, 572. b

Impij stulti, 628. c. Impij tentant, 278. c. Impiis occulta dispensatione divinæ providentiæ datur tempus florendi atque regnandi, 537. d. Impii habent locum suum quem in rebus impleant pro utilitate sanctorum, 278. f. Impius persuadens impietatem, homicida, 645. a

Inaures in summo aurium singularum genus superstitionis, 31. f. Inaures dicta idolorum phylacteria, 404. c

Incarnatio Christi infidelibus est incredibilis, 254. d

Incontinentia conjugum venialis est propter matrimonium, 247. d

Induratio Pharaonis quomodo facta, 426. f. Indurationis Pharaonis caussa, ipsa etiam Dei patientia, 428. c. 431. g. Induratur cor cùm deserit Deus & possidet inimicus, 587. c

Indurari pro fortis effici, 375. c

Infans continuò vel citò moriturus cur nascatur, occultum est, 266. g

Innocentes Christi martyres, 272. d

Inferius variè sumitur, 413. a. 409. d. Inferorum vocabulo partes inferiores terræ nuncupantur, 540. a. Quare, 322. a. Inferi in lingua Græca ἅδης appellantur ex eo quod nihil suave habeant, 322. b. Secundùm spiritum inferiora sunt omnia tristiora, 322. b. Inferi non appellantur ubi justorum animæ requiescunt, 320. g. 321. b. Inferi non in bono ponuntur in Scripturа canonica, 321. d. Est prorsus inferorum substantia, sed spiritalis non corporalis, 320. d. De inferorum substantia non dubitarunt sapientes Gentilium, 320. e. Inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem quidam affirmant, 320. e. Christus descendit usque ad ea loca ubi peccatores cruciantur, 321. a

Ingrati describuntur, 71. d

Inimicos unde diligamus, 14. c. Inimicos Deus convertit in usum suorum, non solùm quando vincuntur inimici, sed etiam quando metuuntur, 797. c.

Iniquitas hominis per contactum mortui significatur, 544. f. Quod ad arborem humor inutilis, hoc ad animam persuasio iniquitatis, 232. c

Iniqui, canes Lazari vulnera lingentes, 631. d. grandini comparantur, 669. c

Inobedientia quid, 230. d. grande malum, 235. f

Inquinare pro inquinatum pronuntiare, 354. c

Insecta à Deo creata sunt, 152. c. Quando, 153. a. b. In insectis major est admiratio bene considerantis & laus uberior omnipotentis artificis, 153. f

Insidiæ non injustè ponuntur in bello justo, 583. c

Instituta hominum quænam fugienda, quæ amplectenda, 35. f. Ex institutis humanis non superstitiosis quædam superflua & luxuriosa, quædam commoda & necessaria, 35. a. Quænam illa sint, *ibid.* b. c

Interjectiones in usum alterius linguæ per interpretationem transire non possunt, 25. b

Interpretationum Scripturæ diversitas utilis, 25. c. Interpretationis vitium unde emendari potest, 26. c

Inventionis nonnulla pars est nosse quid quæras, 379. b

Invidia odium felicitatis alienæ, 281. e. Sequitur superbiam non præcedit, 281. d. 282. c. Abesse debet à fidelibus, 672. c

Invocatio dicitur aliquando quæ non Dei sed hominum sit, 339. a

JOHANNES Bap. In Johannem animam Eliæ fuisse revolutam quidam hæretici opinati sunt, 535. c

Johannes Evangelista contemplativam vitam tenuit, tres alii Evangelistæ activam, 775. c

Jordanis. Juxta Jordanem in initio veris est messis tritici, 581. b. Tunc repletur Jordanis ampliùs quàm per hyemem, 581. b

JOSEPH somnium de manipulis manipulum suum adorantibus optimè de Christo intelligitur, 409. b. Familia Joseph ipsius curâ à famis periculo liberata, prophetia de liberandis per Christum, 414. c. d. Joseph Pfontomphanech appellatus est à Pharaone, 411. a. magis propheta quàm Pharao, quare, 303. b. Joseph figura Christi, 414. c. 419. g. Benedictio filiorum Joseph prophetia de Christo, 419. d. Joseph pro quocumque fratre ponitur, 72. d

JOSEPH sponsus Mariæ. Quæstio de duobus patribus Joseph solvitur, 572. c. 573. b

JOTHOR socer Moysi an verum Deum coluerit, 442. c

Ironia & antiphrasis quomodo differunt, 57. c

ISAAC figura filiorum promissionis, 395. g. Isaac raptus in ecstasim post datam benedictionem Jacob, 398. c. Isthæc benedictio significatione prophetica non vacat, 398 b & *seq.*

ISRAELIS nomen promissionem visionis Dei in patria importat, 405. b

ISRAELITÆ quot annis in Ægypto servierint, 434. c. & *seq.* Non fuerunt fecerunt spoliando Ægyptios, 432. b. Non citò hostes vicerunt ne prosperitate elati interirent, 591. a 600. c

Jubere. Ille facit qui jubet, quando ministerium negare non licet, 445. b. *Vide* Præceptum.

JUDAS quantum in ipso fuit fornicatus est, 612. f. Judæ factum neque approbavit Scriptura neque reprobavit, sed pensandum dimisit, *ibid.* Judæ nomine Tribus Juda significatur, 595. b c

JUDÆI quare sub servitute timoris, 438. f. 446. a. *Vide* Gratia.

Judices dicti sunt dii, 449. f. Judicum liber à quo tempore incipit, 595. a

Judicium. In judicio nec pauperi nec diviti favendum, 450. a. b

Judicium ultimum timorem incutit negligentibus, 10. a

Judicia Dei, bonis prosunt, nocent malis, 428. c

Julius mensis sic appellatus in honorem Imper. Julii, 32. d

Jumenta à juvando dicta, 569. c

JUNO Astarte vocatur, 599. d

Jurare. Qui scit aliquem jurare falsum, an & quibusnam tenetur prodere, 489. d

Juratio appellatur aliquando maledictum, 394. d. exsecratio, 397. g. Jurationem servant Hebræi Gabaonitis quamvis mentientibus, 585. c

Justificationum nomen unde exortum est, 452. c

Justitia & misericordia passim commendatur in Scripturis, 394. c. 417. f. Justitia Dei dicitur quæ nostra est, sed donata à Deo, 441. c. Non est in hominibus nisi beneficio gratiæ, 560. b. Justitia esuritur & sititur fortitudinis dono, 22. c. Nonnulli per errorem putarunt nullam esse justitiam per seipsam, 51. g

Justus lumen est, 626. a dies, *ibid.* Nisi homo ad incommutabile bonum, quod est Deus conversus substiterit, formari ut justus beatusque fit non potest, 234. a. Non ita se debet homo ad Dominum convertere ut cùm ab eo factus fuerit justus, abscedat, 234. g. Deus hominem operatur ut justus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat, 233. g. Homo fit justus eo modo quo aër fit lucidus, 235. b. Justi appellati sunt vel Angeli, vel filii Dei, 380. d. Vita justorum paradiso corporali, in quo Adam fuit, significata est, 318. c. *Vide*, Homo. Sanctus.

L

LÆTITIA. Nihil præstantiùs eâ lætitiâ quæ in verbo Dei est, 522. c

Lamina in fronte summi sacerdotis significat fiduciam bonæ vitæ, 459. b. sanctificationem & ablationem peccatorum, 461. b

Lapis demonstrationis & veritatis, 458. b. Unctio lapidis capiti Jacob suppositi, figura unctionis Christi, 398. f

Latria servitus Deo debita, 369. b. 393. d. 449. f. 451. c. 519. b

Latronis anima quo in paradiso collocata, 322. c

Laudare. Deum quem nemo convenienter laudat, nemo quomodocumque non laudat, 79. f

Leo & Christum significat & diabolum, 55. f. Leones non vixisse carnibus in arca magis credendum est, 381. d

LEVI absconditus erat in lumbis Abrahæ, 255. f

LEVITAS pro primogenitis filiorum Israël sibi Deus deputat, 529. g. Quidquid ad Levitas pertinebat, ad Deum pertinere censebatur, 530 b

Lex à legendo seu eligendo dicta est, 497. c

Lex Dei sempiterna, 441. e. Lex Judæis pædagogus à quo perducerentur ad gratiam quæ est in fide Jesu Christi, 438. f. Legem ad condemnationem valere, Tabularum contritio significat, 563. b. Legis repetitio novum Testamentum significat, 472. a. *Vide* Tabulæ. Nihil veteris Legis imponebant Apostoli iis qui ex gentibus credebant, præter tria, 776. b. Lex ex aliqua parte observatur in fide Christiana, 551. c. Non implebatur Lex timore, quæ non impletur nisi caritate, 472. b. 561. f. Nec Lex nec Sacerdotium introducunt in hereditatem æternam, sed gratia per fidem, 551. d. Quatuor modi Legis exponendæ, 94. c. Lex mentis, lex membrorum per Tragelaphos significatur, 673. f

Leges humanæ addiscendæ, 41. c

Libidinis origo, 290. c. 248. c. In libidine sive fornicandi, sive conjugio immoderatiùs utendi, est peccatum, 152. c. Libidinis motum nuptiæ ordinant, continentia cohibet & refrenat, 249. c

Libidinosi describuntur, 71. e. Non creduntur antiquos justos temperanter uti potuisse multis feminis, 53. f

Ligaturæ superstitiosæ, 31. c

Lignum scientiæ boni & mali arbor vera & innoxia, 230. c. 215. c. Quare sic appellatur, 230. d. 236. d. Rectè sic vocaretur, etiamsi non peccassent primi parentes, 237. c. Non ideo vetitum est quia malum, 236. a

Lignum vitæ cibum præstabat, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, 229. g. 230. a. In carne primorum parentum factum fuisset per escam ligni vitæ quod sit in Angelis per æterniratis participationem, 290. e. Nec morbo tentari, nec mutari ætate potuissent, 290. d. Lignum vitæ & verè creatum est, & sapientiam significavit, 228. d. 229. b. g. Est sacramentum sapientiæ, 290. c. 294. f. virtute invisibili prædictum, 294. f. Cibus ligni vitæ magnum aliquid significabat, 230. a

Lignum per quod aquæ dulces factæ sunt, figura crucis, 439. b

Lingua una primitus fuit ante turrim Babel, 250. d. Linguarum cognitio necessaria ad intelligentiam Scripturarum, 24. g

Litigare. Melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis, 229. c

Litteræ quare non sunt communes omnibus gentibus, 21. a. Litterarum repertor Mercurius, 31 a. Litteras à primis hominibus cæpisse nonnullis videtur, 442. g

Locutio metaphoricè, 680. a. Unde dignoscatur an figurata sit Scripturarum locutio, 49. d. 50. e. 52. b. c. Locutiones figuratæ obscuræ fiunt ex ignorantia rerum, 29. a. Locutionis integritas quid sit, 26. f

Locutiones, seu proprietates linguæ Hebraïcæ, vel Græcæ, 325. a

Loqui. Quid necessarium est Doctori ut rectè loquatur, 211. f. Rectè non loquitur homo nisi quantum Dominus adjuvat, 211. f

Loqui cum muliere, pro concumbere, 447. d

LOT meritis Abrahæ liberatus, 390. b justus dicitur comparativè ad Sodomorum scelera, 390. b. Angelos apud se hospitantes credidit esse homines, divinitus tamen missos, 389. d

LUCAS cap. 3. v. 3. conciliatur cum Matthæo, c. 1. 1. 407. f

Luciferum sidus honori & nomini Cæsaris dicare conati sunt Romani, 32. d

Lucus dicitur quòd minimè luceat, 57. d. 602. b

Lugere quemquam numquam debebant qui oleo sanctificati erant, 504. g. 522. f. Lugentium erat antiquorum facere quæ consuetudini essent contraria, 504. f. scindere vestimenta, 522. f. serare corpora sua, 521. b. Hoc fieri Deus prohibet, *ibid.* Sanctis in veteri Testamento celebrabatur luctus septem dies, 421. c. 422. a. Numerus isthic septenarius luctus comprobatur, *ibid. Vide* Novemdial.

Luminaria & sidera unde facta, 133. c. Quare quarto die facta sunt, 106. c. Quomodo dividant inter diem & noctem cùm jam inter lucem & tenebras divisisset Deus, 107. b. Quomodo sint in tempora & signa, in dies & annos, 141. f. g. 142. a. & *seq.*

Luna qualis creata fuerit, 142. f. Lunam plenam primitus factam esse absurdum est dicere, 108. a. Luna omni die perfecta est, 108. a. semper est plena, 143. d Non luna ipsa, sed illud quod accenditur, variatur, 143. c

Lux an est creatura prima, 118. c. Lux quæ initio facta est, quænam, 99. g. 100. a. & *seq.* An quid corporale an quid spiritale, 104. d. 119. d. Lux primùm facta, est vita intellectualis, 122. f. Est conformatio creaturæ spiritalis, 173. c. Interpretatio data de luce & die spiritali non impropria & figurata existimanda est, 176. c. f Lux dici potest facta, cùm Sapientia increata se transfert in animas sanctas, ut illuminatæ lucere possint, 127. d. De Luce creata in primo die variæ difficultates, 124. a. An temporaliter, an in Verbi æternitate dixit Deus, *Fiat lux*, 118. c. 111. f. Quare in creatione lucis non additur, *Et fecit Deus*, 137. a. 104. c. nec dicitur, *& sic factum est*, 157. a. 178. f Divisio facta inter lucem & tenebras quomodo accipienda, 100. c. Quomodo intelligenda in creatura spiritali, 128. b. Lucem aliquam esse præter cælum, facilè ab homine percipi non potest, 100. b. Lux triplex, ætherea, sensualis & rationalis: & contrarium cujusque, 100. f. Nullus sensus, nullus ab anima spontaneus corporis motus sine luce & aëre, 218. b

Luza, Berhel, Ulammaliis, eadem civitas, 404. g

Lybia pars Africæ, competit tamen hoc nomen toti Africæ, 586. c

M

MADIAN filius fuit Abrahæ de Cethura, 548. b

MADIANITÆ ab Abrahamo per Cethuram propagati, 409. c. vocantur aliquando Ismaëlitæ, *ibid.* & Æthiopes, 536. g. nunc Sarraceni appellantur, *ibid.*

Magia. In dubio utrùm medicamentum sit magicum necne, quo animo quisque utatur interest, 37. b

Magister est templum ex quo Deus reddit responsa, 4. a. *Vide* Docere. Doctor.

Mali creati sunt ad utilitatem sanctorum, 278. d. g. 279. a. & *seq.* 280. b. & *seq.* 285. c. Sunt ad admonitionem vel exercitationem bonorum, 431. a. 426. c. 591. a. 597. a. Sunt aliis exercitationis adminiculum & timoris exemplum, 279. f Malorum voluntatem in bonum convertere potuit Deus, sed noluit; cur noluerit penes ipsum est, 279. g. Si Deus vellet, etiam mali boni essent, 279 c. Mali à se habent voluntatem malam, à Deo autem & naturam bonam & justam pœnam, 279. f. Non impunè sumus mali, quia Deus justus est, 16. b. In seipsis malæ voluntates habent interiorem pœnam suam, eamdem ipsam iniquitatem suam, 241. c. Malorum pœnis non indiget Deus, 280. a. Ex malorum pœnis consulit saluti bonorum, *ibid.* & 279. c. Mali vasa perfecta in perditionem, 430. g. An recenseri possunt inter opera quæ Deus fecit bona valde, 284. f. In quantum mali sumus, minùs sumus, 16. b. Malis nocent etiam ipsa bona, 428 d

Mali nulla natura est, sed amissio boni hoc nomen accepit, 236. d. Mala non sunt naturalia, 93. d. Omne quod dicitur malum, aut peccatum est aut pœna peccati, 93. d. Malum nullum esset si non fecissemus, 236. d. Malum nisi experimento non sentiremus, 236. d. Quid esset malum potuisset intelligere homo ante mali experimentum, 237. c. Mala. *Vide* Afflictio.

MANASSE interpretatur necessitas, 619. e

Mancipia dicta, quia manu capta sunt, 416. c.

Manè quomodo intelligi debeat in historia creationis, 106. f. 111. c. 160. c. 174. d. 176. a. & *seq.*

Manicare, 609. d

MANICHÆI vetus Testamentum non aliter quàm oportet accipiendo errant; sed omnino non accipiendo & detestando blasphemant, 217. b. Vim intelligendi tribuebant plantis, 101. b

Manna cessavit trajecto Jordane, 440. c. Manna in arca inclusum, symbolum gratiæ, 455 a

INDEX IN PRIMAM PARTEM TERTII TOMI.

Manus potestatem significat, 335. f. 334. f. Manus superbiæ pro opere superbiæ, 360. b. Manus nostræ non sint super eum, id est manus ei non inseramus, 334. c

MARIÆ Virginis elogium, 85. a Quare ex Maria Christus carnem sumere voluit, 254. c. Maria de virtute Dei non dubitavit, sed modum quo conciperet quæsivit, 536. b. Etsi caro virginis de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit, 268. g. Utero virginis nihil incoinquinatius, *ibid.* g. Mariæ purgatio ex consuetudine Legis magis quàm ex necessitate, 509. f

Maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa, 293. f

Martyris descriptio, 675. c. *& seq.* Martyres ad virtutes & vires Ecclesiæ pervenerunt amando Christum, 715. b. Martyrum sacrificia, 611. e. Martyrum orationibus propitiatur Deus, 456. b. Martyres figurati in ariete rubricato, 456. b

Masculus & femina nonnisi secundùm corpus fieri potuit, 158. a. In mente hominis quasi masculus & femina reperitur, 158. b

Materia congruentiùs nomine aquæ quàm aëris nuncupatur est in lib. Gen. 97. g. Materiæ finis, informitas, & servitus sub artifice insinuatur, 98. b. Nullarum naturarum materia esse potuit nisi à Deo, 126. b. Materia informis non est prior tempore formatis rebus, 126. c. 239. d. Materiam Deus rebus simul concreavit, 143. c

Mathematici unde aliquando verum dicunt, 145. c. Societas inter dæmones & mathematicos, 33. f. 34. a. Mathematici orandi caussas nobis auferre conantur, 144. e. In malefactis ingerunt accusandum potiùs Deum auctorem siderum quàm hominem scelerum, 144. f. Etsi verum dixerint, fugiendi, 33. c. 146. b. Illuduntur ab angelis prævaricatoribus qui credunt Mathematicis, 33. d. *Vide* Genethliaci. Sidera.

MATHUSALAM sex annos ante diluvium secundùm Hebræos codices & LXX. defunctus est, 380. b

Matrimonii triplex bonum, fides, proles & sacramentum, 247. d. Quid adtendendum in illo triplici bono, *ibid.* e. Verba quibus matrimonii indissolubilitas exprimitur, & Deo & Adamo tributi Scriptura, 256. c. In officio gignendi filios nullum est peccatum, 133. f

Mazuroth, 671. a

Medicina cum agricultura conferrur, 232. c

MELCHISEDECH utrùm homo an Angelus fuerit à nonnullis dubitatur, 396. c. gestit typum Christi, 83. f

Memphis civitas ubi Pharaones commanebant, 411. e

Mendacium est cùm falsum ab sciente dicitur, sive illo quisquam sive vemo lædatur, 520. a. Mendacium quia injustum erat, ideo prohibitum, 520. c. An possit excusari, *ibid.* Mendaciorum exempla discutiuntur, *ibid.* Cùm ea quæ non sint tamquam joco dicuntur non deputantur mendacia, 433. d. Mendacium quod alicui prodest, & nihil obest ei cui mentiris, quidam admirtunt, 445. b. Nihil est hominis proprium nisi forrè mendacium, 4. c. Mendacium obstetricum Ægypti an præmio dignum, 421. f. Non imirandum, 423. a. In mentiente est voluntas dicendi falsa, 17. f

Mensura, numerus, & pondus, etiam in spiritalibus, 163. e. 164. a

Mentes rationales non habent veram lucem suam, nisi ipsum Verbum Dei, 191. c. Ab omni iniquitate & errore mundatæ poterunt participes esse Verbi Dei, 191. c. g

Merces summa hæc est, frui Deo & aliis in ipso, 16. c. *Vide* Beatitudo.

Mercenarii merces dicitur sanguis, 516. g

MERCURIUS litterarum repertor dicitur, 31. a

Merita. Non in meritis nostris gloriandum, 467. g. 665. a. Non judicari quemquam à Deo secundùm merita quæ habiturus erat si diutiùs vixisset, 267. a

Merra amaritudo interpretatur, 439. a

Misericordia & justitia, vel misericordia & veritas passim in Scripturis commendatur, 394. c. 417. f. Misericordia non debet esse contra judicium, 450. b. superexsultat judicio, 455. b. 461. b. Ad misericordiam Dei confugiendum ut peccatorum venia obtineatur, 455. b. Misericordiam Dei commendant duo Testamenta, 455 b. Una spes est in misericordia Dei. 455. b. c. Misericordiam alteri impendendo, utilitati propriæ consulimus, 16. c. Misericordiæ officium debetur omnibus, 15. b

MOAB filius fuit Lot, 548. b

MOABITÆ ex Loth propagati, 568. c

Mœchari. Præceptum non mœchandi quomodo differat à præcepto non concupiscendi uxorem, 444. b. Mœchia generale nomen omnem illegitimum concubitum significans, 445. a. propriè tamen nonnisi adulterium intelligi solet, 444. f. 569. d

Monoceros superbiam significat, 674. d

Mors etiam corporis de peccato est, 209. f. Ipsa mors hominis indicat eum sine morte fuisse futurum nisi peccasset, 209. d. f. Peregrinationem nostram tantò ardentiùs finire cupimus, quantò fruimur Deo vel per speculum vel in ænigmate, 14. f. Mors Deo jubente recusanda non est quocumque temporis, 616. c. Cùm mortalibus contingit, non aliquid dirum putandum est, 582. c. Nullum mortis genus perhorrescendum, propter inanes curas exanimatorum corporum, 154. d. Mors accelerata quibusdam est utilis, 584. d Nemo laborat ut mors omnino evitetur, sed tantummodo ut differatur, 616. c. Qui usque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis quos pro justititia offendit occiditur, is gratum Deo sacrificium offert, 611. e. Beatus moriendi apparet in motu carnis non voluntario, 269. b

Mortalitatis & libidinis origo, 290. c

Mortificatio. Qui carnem castigant, corpus suum non odio habent, 12. d. Statum post resurrectionem futurum student imitari, 12. f. Cujus animus non moritur huic sæculo, is non refugit ad vitam, sed ad suppliciа, 10. e. Id agit spiritus in domanda carne, ut eam faciat subjugatam, 12. d. *& seq.*

Motus per loca importat motum per tempora, sed non è contra, 259. c

Movere. Quæ celeriùs moventur, ferventiùs moventur, 134. g. Tardiùs moventur interiora molis rotundæ, exteriora celeriùs, *ibid.*

MOYSES medius inter Deum & Aaron, 424. f. In Moyse principatus fuit, in Aaron ministerium, 424. c. Moysi factum in Ægypti cæde an justificandum, 423. b. Quare Moyses nube descendente non poterat intrare in tabernaculum, intravit verò in nubem ubi erat deus, 474. f. Moyses licèt cum eo Deus loqueretur, consilium tamen regendi populi à socero accepit, 4. b. In hoc humilitas ejus commêdatur, 442. d Moysen ab alienigena admoneri voluit Deus, ubi ipsum posset tentare superbia, 442. a. Moyses sacerdos fuit, 500. a. an summus, *ibid.* b. Quandoquidem Scriptura evidenter dicit Moysen primùm sacrificasse, 453. d. Moyses in vocis silentio, corde clamabat, 438 a. Promissio facta Moysi de visione Dei, prophetia de Christo, 467. c. Cupiebat Moyses videre Deum in ea substantia qua Deus est, 317. a. Moyses an diffisus est Deum posse carnes dare populo in deserto, 536. a. f. Moyses aliquando figura eorum qui participes fiunt intimæ veritatis Dei, aliquando eorum qui gratiam Dei non intelligunt, 474. f. Moysis & Aaronis non solùm officia, sed & mortes signa fuerunt futurorum, 551. f

Mulieris formatio non per alium quàm Deum, 251. f. 253. c. f. 254. d. formatio mulieris eo modo quo narratur facta est, ut quidpiam prænuntiaretur, 251. c. mysticè ædificatio dicta est, 251. d. 252. f. Ecclesiæ formationem mysticè significabat, 256. a An mulieris mens imaginem Dei non portabat, 95. e. Per conversionem mulieris ad virum significatur servitus conditionis potiùs quàm dilectionis, 293. c. Pœna mulieri inflicta figuratè & prophetice intelligenda, 293. c Mulier facta ut vir ei dominaretur, *ibid.* c. In adjutorium propter sobolem facta, 245. d. 246. c. 247. c. etiamsi ex peccato non fuisser necessitas moriendi, 248. a. Mulieres appellantur locutione hebraïca etiam quæ virgines sunt, 331. c. 552. c. Ad mulierem menstruatam accedere, peccatum est, 518. f. Mulierem suspicione adulterii puniendam liberat Hippocrates, 400. c

Mundus sex diebus creatus, quomodo, 186. f *Vide* Dies, Creatio. Cùm creatus est habuit quasi semen eorum omnium quæ nunc fiunt, 196. f. Infima pars mundi angelis prævaricatoribus subjecta est, 33. d. Mundus velut quædam arbor magna rerum, 232. b

Musarum fabula unde orta, 30. c. Eas non esse filias Jovis & memoriæ ostendit Varro, *ibid.*

Musis nomen imposuit Hesiodus poëta, *ibid.* f

Musica sapienter à sapientibus exerceri potest, 72. a. Musicæ voluptariæ amatores, *ibid.*

Myrmicoleon, 627. d

Mysteria quomodo perscrutanda, 272. c

N

NATATILIA potentialiter creata, 186. c. f. Naturarum Deus est auctor, 142. g. 240. g. Natura spiritalis creata quomodo administretur, 241. g. Non est mala natura quæ sic facta est ut posset non peccare si noller, 278. c. Melior est natura quæ omnino peccare nolit, 278. d. Natura non bene se habet facta, si à faciente recesserit, 277. f. Naturæ cursus habet suas leges naturales, 254. g. Quæ fiunt præter cursum naturæ non fiunt contra naturam, 206. c. d. Super cursum naturalem rerum, potest Creator de his omnibus facere aliud quàm eorum quasi seminales rationes habent, 255. b. De obscuris rerum naturalium non affirmando sed quærendo tractandum est, 93. a

NAZARÆI dicebantur in Lege ad tempus qui votum habebant, 621. g

NEMBROTH gigas, 383. a

Nilus priùs Geon, 230. g. Certo tempore per plana Ægypti restagnat, alio tempore ad ripas suas redit, 189. c

Nocere. Nocendi voluntas potest esse à suo quoque animo, non est autem potestas nisi à Deo, 277. b

NOE figura Dominicæ passionis, 83. c

Nomen quasi notamen dictum est, 102. d

Notarii, 35. f

Novendial, dies novem luctûs in funere paganorum, 421. e prohibenda hujus numeri dierum consuetudo Christianis, 421. c

Nox quid sit, 124. g. 125. a

Nubes aqua est, 108. g

Nuditas. Quare primos parentes non pudebat nuditatis suæ, 276. b. Nuditatem suam non adverterunt nisi post peccatum, 291. f

Numeri in Scripturis sacratissimi & mysteriorum plenissimi, 416. a. Numerus quinarius commendatur in vetere Testamento, 528. f. Numerus quaternarius & vicenarius, 529. b. Septenarius, denarius, duodenarius & quicumque alii numeri sæpe pro universo tempore ponuntur, 62. a. Numerus decimus-octavus quid significat, 606. b. In numeris summâ solidâ utitur Scriptura, 436. f Imperfecti, perfecti & plusquam perfecti numeri quinam appellantur, 162. c

Numeri efficacissimi insunt seminibus rerum, 188. c. 186. d. e. f

Nuptiæ quæ sanis esse poterant officium, sunt ægrotis remedium, 247. c. sunt bonæ, 247. d. Septem diebus celebrabantur, 399. c. g

O

OBEDIENTIA, 250. a. Sola est virtus omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate, 230. d. Præceptum prohibens erat homini necessarium ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, 230. d. 231. f. 236. a

Obelisci & Asterisci in codicibus Græcis, 416 f

Obstetricum Ægyptiarum mendacium discutitur, 421. f

Obscurè locuti sunt auctores sacri, quare, 73. a.

Obscuritas sacrorum auctorum non inutilis, 67. f. non imitanda à doctoribus Christianis, 72. g

Occidere. Contra præceptum non occidendi non fit, quando lex occidit, vel occidi aliquem Deus jubet, 445 b. Occidere sanguinem, pro effundere occidendo, 350. d

Occidentalis pars in Scriptura appellatur à mari, 371. f

Occupatio. Nimis intentus humanis actionibus animus Deo quodammodo vacuatur, 442. b

Occurrere in aliquem vel alicui, pro occidere, 376 g. 624. b

Oculos suos eruere magnum indicium dilectionis, 539. a. Mittere oculos in aliquem, id est, amare, 334. f Apertio oculorum Adami & Evæ & discipulorum Emaüs non figuratè accipienda, 290. a

Oleæ ramusculus signum pacis, 29. c

Olympus. In vertice montis Olympi nec nubes videri, nec ventos sentiri dicitur, 382. a. 147. a. Nec alites volare, nec homines ibi diu vivere possunt, *ibid.* An montem hunc transcenderit aqua diluvii, 382. a

Onagri nomine intelliguntur ii qui pauci ab omni negotio liberi Deo serviunt, 674. c

Opera & fides à Deo sunt, 59. d. e. Opera bona ex Deo & homine, 472. f. Fiunt cum requie opera bona, cùm fides per dilectionem operatur, 474. a. Opera quæ non fiunt ex gratia aut sunt humana, aut peccata, aut servilia, 474. a. De suis operibus gloriantes significantur in posterioribus tabulis Moysi datis, 471. f Opera Ecclesiarum quibus honoratur Deus sunt textura quædam, 672. d

Opinionis incertæ dubiæque asserendæ temeritas, difficilè sacrilegii nomen evitat, 93. a

Orator Ecclesiasticus veritati potiùs quàm verbis studeat, 90. d. Bonam vitam eligit, sed non negligit bonam famam, *ibid.* Oratoris est docere, delectare & flectere, 74. f. quomodo hæc tria præstari possunt, 74. g. Perspicuitati studendum, & quomodo, 73. d. 74. a In perspicuitate quædam est diligens negligentia, 73. d. Fructra docetur & delectatur, nisi & flectatur animus, 75. f. Qui eloquenter dicunt, suaviter; qui sapienter, salubriter audiuntur, 67. d. Interest magis ut sapienter dicat Christianus Orator quàm ut eloquenter, 66. f. Undenam quis consequi potest ut sapienter dicat, 67. b. Orator Christianus agit ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, 76. f 78. a. Obedientiùs auditur cujus vita dictioni respondet, 89. f. 90. b. Audiuntur utiliter qui etiam utiliter non agunt, quare, 90. a. Orator Christianus refutare debet quidquid contradici potest, si occurrat, 80. c. Semper in materia grandi versatur, 78. d. 79. b. præmittat orationem ad Deum, 76 f. 78. a 92. b. pro quibus, *ibid.* Non culpandus qui à peritiore sumit conscriptum eloquium quod ad populum proferat, 91. c. 92. a. *Vide*, Eloquentia.

Originale peccatum arguit infantum baptismus, 263. c

Ortygometra genus avium non usquequaque dissimile coturnicibus, 440. c

Osculandi affines consuetudo recepta apud antiquos, 399. c

Ostendere mala, pro facere mala, 340. b

P

PÆNITENS verus homo, 630. f. Pænitentiam qui agunt, dicuntur peccasse Deo; qui nolunt agere, peccasse non Deo, 578. a. d

Pænitentia sera, 660. b. Præcedente pænitentiæ humilitate agglutinatur Deus hominibus, 672. f. 673. a. Afflictio pænitentis pœna peccati est, quamvis medicinalis & salubris, 538. d. Divina justitia est ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum Creator ubique laudetur, 236. f. Justè salus illa perpetua quæ turpiter amissa est per voluptatem, fortiter recipitur per dolorem, 154. f

Pagani. Ludendi ac saltandi mos receptus in solemnitate paganorum, 313. c

Panis significat omnia ad victum pertinentia, 334. c. 336. f. 337. b. 345. g. 350. c. 471. c. Panis & in bono & in malo est in Scriptura, 55. f. Panis subcinericius Eliæ aliquid aliud habuit quàm panis usitatus, 230. a

PANTOMIMUS, 35. a

Paradisus propriè, locus nemorosus, 321. c. Omnis etiam spiritalis quasi regio ubi animæ bene est, meritò paradisus dici potest, *ibid.* f. Paradisum in Eden plantatum, alii corporaliter alii spiritaliter, alii utroque modo accipiunt, 215. c. Sententiam tertiam amplectitur Aug. *ibid.* Paradisus ad proprietatem litteræ intelligi potest & debet, 226. d. 386. a. Paradisi locus à cognitione hominum est remotissimus, 231. c. Ut quid homo positus in paradiso ut operaretur & custodiret eum, 231. c. 232. g. 233. a. *& seq.* Paradiso corporali in quo Adam fuit & vita ista sanctorum quæ nunc in Ecclesia agitur significata est, & illa quæ post hanc in æternum erit, 328. c. Latro potuit introduci in eum paradisum ubi fuerat corpus primi hominis, 229. d. Paradisus in quem raptus est Apostolus, an in tertio Cælo, 321. c. Paradisum & tertium Cælum appellavit Apostolus tertium visionis genus, 318. a. Paradisus Ecclesia dicta est, 186. c. 318. c. In homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est, 321. f

Parcit Deus diversimodè, 465. b

Parentes primi quando creati, 257. g. In quo consistat eorum peccatum, 295. a. Scientiâ boni & mali frui potuissent, si ad lignum suo tempore accessissent, 295. b. Crediderunt Deum facilè veniam indulturum peccati, 290. c. Non habebant appetitum carnalis voluptatis quamvis nunc habent ista corpora, 248. e. Ad quid aperti oculi eorum, 289. c. Apertio oculorum Adami & Evæ, non est figuratè accipienda, 290. a. Mox ut præceptum transgressi sunt, intrinsecùs gratiâ deserente nudati sunt, 290. d. Ipsa propè amicitia Dei pudore onerabat primos parentes post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum, 292. b. Meritò ad vesperam visitantur primi parentes, 291. a. Quare non coierint in paradiso, 246. a Primis parentibus potuissent esse in paradiso honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus, 245. c. In immortalibus corporibus potuit is esse modus ut solo piæ caritatis affectu, nullâ corruptionis concupiscentiâ, filii nascerentur, 157. f. 245. c. 249. c. Si non peccassent non mortui essent nec eorum posteri, 245. f. quomodo, *ibid.* 246. c. *Vide* Lignum vitæ.

Parentibus ut filii serviant ordo naturalis, 416. c Propter parentum peccata an filii puniendi, 570. f

Parvuli in fide non mittendi in præproperam passionem, 451. nor. a

Paschæ celebrationem in alterum mensem differebant qui immundi erant super mortuum, 532. f. Ad Pascha celebrandum, etiam hædum accipiendum esse intelligere conantur Judæi, 433. b

Passio Domini quasi festa qua peccata raduntur, 625. d. Passionis dominicæ figura Noë, 83. c

Pater in divinis non est solus, si habet similitudinem, 114. c

Patientiæ exempla sunt demonstranda ad profectum ceterorum, 154. f

Patriæ, id est aut civitates, aut numerosæ familiæ, 344. c

Patriarchæ antiqui. Cur in eis commendatur, quòd fuerint pecorum nutritores, 416. a

PAULUS apostolus licèt cælesti voce prostratus & instructus, ad hominem tamen missus est ut sacramenta perciperet, 3. f. De raptu Pauli in Paradisum, an in corpore an extra corpus, 297. a. 298. d. Apostolus certus se vidisse tertium cælum, incertus quomodo viderit, 299. b. Quomodo potest hoc fieri, 300. a. Verè tertium cælum fuit illud quò raptus est Apostolus, 299. c. Ignoravit Paulus an anima à corporis sensibus alienata fuerit, an omnino de corpore exierit, 300 f. Quod vidit Paulus in raptu, propriè & non imaginaliter vidit, *ibid.* g Apostolus raptus est usque ad visionem intellectualem in qua videtur Deus ea specie qua Deus est, 318. b. Paulus quàm sapienter simul & eloquenter dixit, 68. 69. 70 Pauli epistolas graves & fortes esse, vel ipsi obtrectatores ejus confessi sunt, 70. f

Peccare. Fortè ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud fit quod vult qui peccat, 537. f. Peccare in Deum & peccare Deo quid sit, 577. f. *& seq.* Quæ putant homines leviter habenda tamquam in carne peccata, Deum ipsum lædunt 390. d

Peccatores tenebræ sunt, 127. f. 626. a. 665. c. In voluntate cujusque est utrùm tenebræ sit an lux, 677. a Conversio peccatoris superbi ob hujus sæculi dignitatem, describitur, 674. d. Conversio peccatoris gratiæ Dei tribuenda, 255. c. Peccatores pœnitentes pullis corvorum comparati, 673. d. Peccatori numquam bene esse potest, 236. c. sed aliquando non sentit, *ibid.* f. & 278. a. Peccatores valent ad exemplum, 278. a. Peccator inquantum peccator non est diligendus, 13. g. Peccator aliquando ponitur pro peccato, 52. f

Peccatum quid, 93. d. Peccati & delicti discrimen & utriusque definitio, 496. g. 497 a. *& seq.* Peccatorum caussa, aut ignorantia, aut fragilitas, aut contemtus, 538. f. Peccatum superbiæ, contemtus verbi Domini, 538. a. *& seq.* nullo sacrificii genere expiabatur, *ibid.* b. Sine pœna ejus qui committit non potest aboleri, *ibid.* c. Peccata nolentium sunt peccata nescientium, 537. g. Peccata humana dicuntur peccata ignorantiæ, 531 d. Peccata naturalia quæ, 94 a. Peccatorum remissio, *Vide* Misericordia. Peccata dissoluntur & abolentur in Christi clarificatione, 420. c. Peccata solus Christus auferre potest, 459. b. Peccatorum remissionem significat sepultura, 418. b. Peccata significantur in Lege cadaveribus mortuorum, 418. a. b. & velis undecim operientibus tabernaculum, 456 a. Peccatis quæ propter liberationes hominum fiunt, veniam concedi, non existimandum, 520. d. Peccati pœna quid, 94. a. Justè decernitur, 236 e. f. Nonnùlla etiam de ira Dei veniunt peccata, 599 a. Peccatum in membris de quo Apostolus, est violenta quædam carnis illecebra in corpore mortis hujus, 264. d. Justi militant non ut non sit concupiscentia in eorum corpore, sed ut non regnet, *ibid.* Quomodo à peccato anima resurgat, 278. b. Difficile est ut dum perversi homines vitia devitant, non in eorum contratia perniciter currant, 247. f. Quidam peccatum proprium nolunt adtribuere pueris nisi ab anni quarti decimi articulo, 264. g. Refelluntur, 265. a. Quare peccata magnorum virorum scripta sunt, 55. b. Pro peccato unius, alter non est plectendus in judicio hominum: in divino autem quandoque puniunt pœnâ visibili, 582. *& 583.* a. b. Peccatum appellatur peccati delectatio, 264. e. pœna peccati, 355. f. & illud quod pro peccato offerebatur, 532. a. 541. b

Pecorum nomine quæ intelliguntur animalia, 112. a Pecudes bis in anno pariunt in Italia, 400. d. f

Pedes Christi odore pretioso quisnam perfundit, 51. a

Pelagiana hæresis unde orta, 59. c. Multùm exercuit Augustinum, *ibid.* d

Percontatio & interrogatio differunt, 46. c

Perfectus. Magnum esse debet gaudium spiritalis ætatis quando fuerit factus homo novus spiritalis, 390. c Nullius justi & sancti est vita ista perfecta in comparatione futuræ, 18. f

Pericula tria transeunda sunt proficientibus membris Christi, 619 e

Periodus, 68. e

PERSÆ matrimonium nonnullis prohibent, 518. b

Persecutio. In persecutionibus Ecclesiæ alii consentiunt, alii fugiunt alii patiuntur, 647. a

Perturbationem definiebant Stoici motum cui ratiocederet, 389. g. non omnem perturbationem excludebant ab animo sapientis, 386. f

Petra symbolum Christi, 546. a

Phantasiæ sunt cùm anima corporalium similitudines spiritu agit; cùm intuetur objectas, ostensiones sunt, 311. f

Phantasma dicitur ubi falsitate visorum sensus noster illuditur, 539. f

Pharan interpretatur mons fructifer, 579. b. Significat Ecclesiam, *ibid.*

PHARAO non hominis nomen, sed regiæ potestatis, 335. f. 338. e. Pharaonis indurati quomodo facta, 426. f

Philosophi cujusdam in magna tempestate perturbati responsio, 386. c

Philosophi ethnici injusti possessores scientiarum, artium &c 41. c. Ab eis si quid rectè dictum, in nostrum usum convertendum est, *ibid.* uti converterunt Cyprianus, Lactantius, Victorinus, Optatus, Hilarius, & ante eos Moyses, 42. f. Summi philosophi gentium sine Spiritu sancto philosophati sunt, quamvis de Patre & Filio non tacuerint, 429 c

Phocæ vituli marini, 150. c

Phœnice quænam regio terræ sanctæ, 440. f

Phreneticus futuram mortem cujusdam feminæ prædixit, 309. d

pietas secundus ad Sapientiam gradus, 22. b

pigmenta impugnarunt Cyprianus & Ambrosius, 85. f. 86. b. Mulieres quæ formam pigmentis colorant, pejores adulteris, *ibid.* d. maritos docent adulterare, *ibid.* c

Pisces memoriam habere certissimum est, 149. f

Placor, 737. d. 752. f

Plantis vim intelligendi tribuebant Manichæi, 101. b

PLATO à posteris Pythagoræ Theologiam didicit, 36. c. De Platonis libris Christum omnes suas sententias didicisse quidam dicere ausi sunt, 36. d. Platonem à nostris potiùs fuisse eruditum ostendit Ambrosius, *ibid.* An à Jeremia? asserit hîc Aug. verùm postea retractavit, *ibid.* Platonis annus, 107. e

Pluvia quomodo fit, 134. b

Pœnis malorum non indiget Deus, sed ex iis consulit bonorum saluti, 280. a b

POETÆ dicuntur æniigmatistæ, 547. g

Pollicem sinistrum dextera manu tenere inter singultiendum, genus superstitionis, 31. f

Polygamia. *Vide.* Uxor. Conjux.

Præceptum prohibens erat homini necessarium, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, 230. d 231. f. 236. a Ex divini præcepti contemtu, experientia mali, 236. c. Jubendo Deus utile facit quidquid jubere voluerit, 236. b. Ex præceptis Decalogi tria ad Deum, septem ad hominem pertinent, 443. e. Præcepti finis est caritas de corde puro &c. 18. g. Præcepta nonnisi caritati facilia, 455. a. c. Præcepta non implentur opere externo tantùm, 577 d. Ad præcepta implenda sufficit voluntas ubi opus externum non potest fieri, *ibid.* Alia omnibus communiter præcipiuntur, alia singulis quibusque generibus pertinarum, 52. g. Quo tempore quid præceptum vel licitum sit considerandum, 13. a

Prædestinatus. Homo non sexto die prædestinatus, sed ante sæculum in præscientia Creatoris, 204. d

INDEX IN PRIMAM PARTEM

Prædicatores verbi, flumina, 65. c
Præferre. Quis præferendus quando res aliqua duobus vel pluribus dari non potest, 14. a
Præscientia Dei falli non potest, 207. c. g. Ea verò futura sunt quæ Deus præscivit, 207. d
Presbyter, nomen ætatis quæ infra senectutem senectuti vicina est, 395 d
Primogenita, Primitiva, Primitiæ, 541. c
Principes dicti sunt dii, 449. f
Principium variè sumitur, 95. a
Prodigi historia est parabola, 228. g. 229. a.
Profani si quid bene dixerunt non adspernandum, 31. a
Progressus in vita spiritali, 619. c
Propheta Dei nihil aliud est, quàm enunciator verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt vel non merentur audire, 426. c. Prophetæ quidam propter brevitatem voluminum suorum appellantur Minores, 716. c. Prophetas inter & videntes discrimen, 311. d
Prophetia omnis fidei, spei & caritati militat, 18. c. Prophetia ad mentem pertinet magis quàm ad spiritum, 303. b
Propitiatorium desuper arcam ponitur, quia Lex à quovis proficiente non ex omni parte completur, 455. a. 461. a. Propitiatorii mystica explicatio, 454. g
Prosperitatis nimiæ excessus refringit Deus in cordibus suorum, 597. c
Πρωτότοκος seu primogenita de quibus intelligenda sunt, 565. b
Providentiæ divinæ argumenta, 195. c. In mundo gemina operatio providentiæ reperitur, 232. b. c. & in homine, *ibid.* d. Mores hominum divinæ providentiæ subjiciuntur, 196. a
Proximus ille est cui vel exhibendum est officium misericordiæ, vel exhibendum esset si indigeret, 15. a. Omnis homo proximus noster, 15. d. 521. c. & Angeli, *ibid.* & ipse Christus, *ibid.* c. Proximi dilectio. *Vide* Amor.
Prunna minutissima grando, 669. f
Psalmorum cantus, 27. a
Psalterium decem chordarum quid significet, 30. c
PSONTHOMPHANECH nomen impositum Joseph à Pharaone, 411. a
Puerperium informe ad homicidium non pertinet, 448. d
Purgatio animi est quasi ambulatio quædam & navigatio ad patriam, 8. c. Purgandi animi exemplum Sapientia incarnata, *ibid.*
Purgare, pro purgatum pronunciare, 354. c
Prævaricationis majus est peccatum, ubi nulla est oblivionis excusatio, 289. b
Pulcritudo unde, 113. f. Cujus corpus pulcrum est & deformis animus, magis dolendus est quàm si deforme haberet & corpus, 90. f

Q

QUADRAGESIMA, præcipua jejuniorum observatio, 420. c. Quadragesimus numerus modò pœnitentiæ, modò lætitiæ convenit, 420. d. Quadragenarii numeri mystica explicatio, 29. c
Quadrupedia quænam animalia dicuntur, 112. a. 151. f. 152. a
Quinarius numerus in vetere Testamento maximè commendatur, 528. f
Quinquagenarius numerus in nostra religione sacratus est, 30. a
Quis non invenitur nisi in voluntate Dei, 678. c. *Vide* Requies.
Quies Mariæ, operationi Marthæ præfertur, quare, 168. g

R

RACHA est interjectio indignantis, 25. b. In aliam linguam non potuisse transferri dicitur, *ibid.* a
Rapaces milvis comparati, 216. c
RAPHAIN id est Gigantes, 555. f
Raptus animæ duplex, spiritali visione & intellectuali, 316. c In raptu spiritali aliquando fit revelatio, 316. d. Natura & excellentia raptus intellectualis, *ibid.* e
Ratio ad vicem viri debet regere omnem animalem motionem, 554. c
Rationale summi sacerdotis, 457. f. In eo lapidem fuisse fabulantur, cujus color sive ad prospera sive ad adversa mutaretur sacerdote intrante in Sancta, 458. b. Rationale Legem & judicia significabat, 461. b
Rebaptizantium errori occurritur, 582. a
Recapitulatio diligenter observanda in Scripturis, 384. b
Reliquiarium, 414. c
Renovatio fit jam spiritu, fiet postea & carne, 210. b. Non renovatur homo, si non ad hoc per Christum revocetur quod in Adam priùs erat, 208. f. In renovatione quomodo id recipimus quod perdidit Adamus, 210. a. 211. a. 212. a. Renovatur homo per Jesum Christum, quomodo, 94. b. Renovari spiritu mentis est spiritalis fieri, 212. a
Requies creaturæ in Deo, 165. f. 169. c. 170. b. 463. c. Manè habet, non vesperam, 170. f 171. f
Requies Dei, 166. f. 168. f. 169. c. 172. d. non percipitur nisi à perfectis, 169. d
Reprobi. *Vide* Electi.
Restitutionis præceptum, 530. g. 531. a. *& seq.*
Regno terreno veteres justi cælestè regnum imaginabantur & prænuntiabant, 51. c
Resurrectio corporum ad perfectam beatitudinem animæ necessaria, 322. f. g. Non pendet ex eorum sepultura, 418. d
Reipublicæ ordo in cujusdam pacis terrenæ vinculum coërcens etiam peccatores, plurimùm valet, 248. b. In republica non se solum quisque curare debet, sed invicem sibi adhibere diligentiam, 582. f
Rhetoricæ utilitas, 40. d. 65. a. Rhetoricæ præcepta ab adolescentibus citò discenda sunt, 65. d. *Vide* Eloquentia.
Rhinocorura civitas, 590. c
Rex dicitur qui carnem suam regit, 660. d
Rixandi libido cavenda, 38. a
ROMANI dicti sunt Assaraci domus, 367. a. Romani Imperii primordia sub Numa Pompilio quadraginta annos patata fuerunt, 602. a. e
Ros unde, 151. c

S

SABBATUM Christianum, 168. c. Sabbatum à Judæis observatum requiem spiritalem figurabat, 167. b. 168. c. & gratiæ altitudinem, 473. f
Sacerdos summus unicus erat, 500. d. A quo ungebatur, *ibid.* Plures aliquando fuerunt summi sacerdotes litis finiendæ caussa, 500. f. Sacerdos intrabat quotidie cum incenso in Sanctum sanctorum, semel autem in anno cum sanguine, 462. a. b. 505. b. Sacerdotis conversatio in tintinnabulis vestis sacerdotalis figurata, 458. d. Vestimentorum summi sacerdotis expositio moralis, 461. b. An & quo tempore summus sacerdos operam dabat liberis procreandis, 523. d. 525. a. Sacerdotes Ægyptii præter servitium in templo deorum suorum, nullum aliud officium gerebant, 411. c. Sacerdotium Aaron quomodo in sempiternum, 459. c. Nec sacerdotium illud nec Lex introducunt in hereditatem æternam, sed gratia per fidem, 551. d
Sacramenta visibilia nihil prosunt sine sanctificatione invisibilis gratiæ, 524. b. c. Sacramentis visibilibus sanctificat minister, Deus invisibili gratiâ, *ibid.* Post Domini resurrectionem signa quædam pauca pro multis eademque sacta facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima tradita sunt, 49. b
Sacrificia pecorum Deum non delectabant, 611. a. erant quædam umbræ futurorum, *ibid.* Qualia sacrificia, diligit & coronat Deus, *ibid.* c. Sacrificium victimarum odor suavitatis Domino, 460. a. Sacrificia per se ipsa nulli peccato mederi possunt, 538. b. Sacrificia privata prohibentur, 515. b. Sacrificare extra templum quod erat Jerusalem, an licebat, *ibid.* c. 605. a. *& seq.* Sacrificium pro peccato non offerebatur nisi cum holocausto, 492. b. Sacrificia pro peccatis ex oblivione, ex ignorantia &c. 492. f. *& seq.* Sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, sacrificium Christi significabatur, 517. a. Ad sacrificium pro peccatis, Holocausti, Salutaris &c. quænam animalia adhibenda, 501. d. 507. b. Quænam sacrificia pro populo, pro principe, pro sacerdote offerebantur &c. 501. c. *& seq.*
Scandalorum caussæ secretæ & abditæ, 669. d.
Sæcula non eâ morâ condita sunt, qua transcurrunt, 179. d. Quænam à sæculo & in sæculo dicuntur, 193. b. Sæculorum pulcritudo per decessionem successionemque rerum contexitur, 121. f. Sæculorum explicatio quomodo fit, 195. a. Inquisitores hujus sæculi rectè culpantur in libro Sapientiæ, 192. g
Sævi leonibus comparati, 216. c
SALOMON dormiens sapientiam præposuit omnibus, 307. g. Sapientiam quam amore spiritali adeptus erat, amore carnali amisit, 54. g. Idololatra fuit, quòd mulierum amori resistere non valuit, 296. b. In Salomone libido regnum possedit, 54. g
Salus. Quantum pro salute spiritali satagere debeat homo discit ex iis quæ pro salute corporali agunt irrationalia, 154. a
Samen apud Punicos cæli appellantur, 599. d
Sanguis dictus est anima, 516. d. 523. c. & merces mercenarii, *ibid.* g
Sanctificari, pro sanctum haberi, 356. d. 361. d. Sanctificatum dicitur quod ex voto & devotione offertur, 525. b. Sanctificari vasa pœnâ eorum qui peccaverunt, quo sensu dicitur, 540. c. Sanctificatus est Deus in ministris templi, etiam vindicando, 504. c. Sanctificat Dominus invisibili gratiâ, Minister visibilibus sacramentis, 524. b
Sanctificatio invisibilis non pendet à visibilibus sacramentis, 524. c. Sine sanctificatione invisibilis gratiæ visibilia sacramenta nihil prosunt, 524. b
Sanctum (Templi pars) figura veteris Testamenti; Sanctum sanctorum figura novi, 456. e. f. In Sanctum sanctorum intrabat sacerdos quotidie cum incenso, semel in anno cum sanguine, 462. a. b. Sancta sanctorum, sanctum sancti & sancta, an idem significent, 474. b
Sanctitati divinæ servitute perfecta non potest contemperari humana fragilitas, 592. e. Sancti & Angeli non permittunt spem in se collocari, 16. d. Sancti nuncupantur dentes Ecclesiæ, 21. c. Facies terræ innovatur per novi Testamenti gratiam numerositate sanctorum, 262. a. Ille justè & sanctè vivit qui rerum integer æstimator est, 13. f
Sapiens quis, 41. c. Sapiens propriè nonnisi in bonam partem laudabiliter appellatur in lingua latina, 276. f. In Scriptura tamen aliquando in malam partem sumitur, 277. a. Ab animo sapientis non omnem perturbationem excludebant Stoïci, 386. f. sapientes certiores sunt in iis quæ præter corporis speciem ac similitudinem intelligunt, 323. b
Sapientia propriè in Deo est, 113. a. Omnia antequam fierent, in sapientia Dei erant, 191. a. In quantum sunt, per ipsam Dei sapientiam sunt, 113. c. Sapientia æterna non cessat loqui creaturæ intellectuali ut convertatur ad id ex quo est, 120. d. Sapientia incarnata purgandi animi exemplum, 8. e. Quomodo sapientia Dei ad nos venit, 8. f. 9. a. Ad hoc venit ut mente pueri esse desinamus, 129. b. Sapientia divina cùm ipsa sit patria, viam se quoque nobis fecit ad patriam, 8. f. Sapientia hominem curavit de quibusdam contrariis & de quibusdam similibus, 9. c
Sapientia finis omnium donorum, 23. a. Pietatis fructus, 28. f. Sapientiam incommutabilem commutabili præponendam esse nemo non videt, 8. a. In ipsa incommutabili sapientia, omnia bona præcepta audiuntur vel videntur, 243. b. Sola creatura rationalis capax est Sapientiæ, 113. c. Gradus septem ad Sapientiam, 22. b. Sapientiæ sacramentum Lignum vitæ, 229. c. 290. c. 294. f
Sapientia in artibus dicitur, quo sensu, 351. a
Sapientiæ libri quisnam sit auctor non apparet, 733. d
SARRACENI, olim Æthiopes & Madianitæ appellati sunt, 536. g
SARAM non fuisse pollutam concubitu regis Ægypti, mens Hieronymi, 385. e
SATRAPÆ nomen honoris, 601. a
Satrapiæ, quasi parva regna, 601. a
SATURNUS triginta annis circulum signiferum peragit, 134. f. 104. b. tardus est quia vicinior aquis frigidis quæ supra cælum sunt, *ibid.* b. Quare est frigidissimus, 134. f. Φαίνων græcè dicitur, 107. c. Saturni annus est triginta annorum, 107. c
Scientia omnis fidei spei & caritati militat, 18. c. Scientia tertius gradus ad sapientiam, 22. c. Quid producit in studioso Scripturarum, *ibid.* d. Scientiæ quædam non sunt hominum instituta, 35. g. duplex genus harum scientiarum, 36. a. Scientia approbationis in Deo, 467. a
SCYTHÆ universam penè Asiam aliquando tenuerunt, 598. a
Scythopolis, quæ olim Bethsan dicebatur, 597. g
Scripturæ sacræ cum profana comparatio, 44. c. Scriptura verax est, etiamsi non monstretur, 189. c. Titubat fides, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas, 18. c. Omnis Scriptura in duo Testamenta vetus & novum bipertita est, 117. a. Canon librorum veteris & novi Testamenti, 23. c. Ex Scripturis canonicis quænam sunt potioris auctoritatis, 23. c. d. Quosnam Scripturæ libros Judæi non recipiunt, 733. d. Scripturæ legitimæ id est Legem continentes, 681. a. Non omnia scripta sunt quæ Deus

TERTII TOMI.

locutus est auctoribus sacris, 504. e
In Scriptura quid considerandum, 17. a. In Scripturis quædam ad fidem & doctrinam tantùm pertinent, quædam ad mores componendos, 681. a. Quæ apertè in Scriptura sunt posita, continent fidem moresque vivendi, 24. d. Quomodo Scriptura informat mores hominum, 49. g. Non præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem, 19. a. 49. f. 50. a. Scripturæ plenitudo finisque, amor Dei & proximi, 17. d. 22. c. Scriptura non asserit nisi catholicam fidem rebus præteritis & futuris & præsentibus, 49. g. Fides, spes, caritas ædificantur per Scripturas sacras, 18. f. Homo fide, spe & caritate subnixus non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos, *ibid.* e. Per Scripturam divinam humanarum voluntatum morbis subvenitur, 21. b
Scriptura quomodo verè legitur, 67. a. Quid appetunt qui sacram Scripturam legunt, 21. b. 24. c. Scripturam qui non potest intelligere, Scripturæ Dei det honorem, sibi timorem, 130. d. Scriptura sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate adtentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat, 184. b. Errant qui à Scriptura sacra propter stili asperitatem abhorrent, 130. e. Scripturæ intelligentia à Deo in oratione petenda, 64. d. Modo inusitato non est exspectanda, 3. c. d. Eumdem Scripturæ locum variè intelligi nihil prohibet, 56. d. Scriptura quæ duplicem sensum parere potest, non præcipiti affirmatione interpretanda, 129. c In iis quæ Scriptura narrat, quædam secundùm intellectum figurarum, quædam secundùm fidem rerum gestarum accipi possunt, 117. b. Genera rerum gestarum distributa sunt per libros Scripturæ, non temporum ordo contextus, 540. g. Præteritum pro futuro sæpè ponitur in Scriptura, rarò autem futurum pro præterito, 533. f. Scriptura summâ solidâ utitur ad computanda tempora, 436. f. Quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina vel prophetica persona magnæ cujusdam rei signum est, 51. a. c. Non perniciosè fallitur nec mentitur, quisquis sensum Scripturæ ad geminam caritatem detorquet, 17. c. Corrigendus ille qui in interpretatione Scripturarum piè fallitur, 18. a. Locus incertus tutiùs per alios Scripturæ locos quàm per rationem manifestatur, 56. f. Scripturam contingit non intelligi ob signa ignota vel ambigua, 24. c. Ambiguitas Scripturæ aut in verbis propriis est, aut in translatis, 45. a. In ambiguitate verborum sacræ Scripturæ quid agendum, 26. b. 45. a. b. Idem verbum in Scripturis non semper idem significat, 55. d. Quomodo tollenda ambiguitas ex pronuntiatione, 46. a. & ambiguitates dictionis, 47. a. Illud ex Johan. *Quod factum est, in illo vita* &c. quomodo distinguendum, 191. d. Ignoti verbi aut ignotæ locutionis unde eruenda cognitio, 27. d. Cognitio fiderum non multùm ac propè nihil adjuvat tractationem Scripturarum, 37. d. Ad intelligentiam Scripturarum conducit cognitio animalium, herbarum, lignorum, &c. 37. a. 42. a. Artium cognitio, 37. f. & Dialectica, 38. a
Scripturarum tractandarum præcepta quædam tradi possunt, 1. a. 4. d. Hæc à tribus hominum generibus reprehenduntur, 1. b. Eorum rationibus satisfit, 2. b. Scripturarum tractatio duabus rebus nititur, 5. b. magnum opus & arduum, *ibid.* Cum auxilio Dei suscipienda, *ibid.* Quandonam temerarium non sit tractare de Scripturis, *ibid.* S. Augustinus in exponendis Scripturis ad litteram succumbit, 91. e. Quis fructus esse possit ex interpretatione Scripturæ illa quæ fit quærendo, non asserendo, 130. g. Figuræ & tropi in Scriptura sacra, delectant, 21. f. g. Figuratum est & mysticum quod in Scriptura non potest exponi secundùm litteram, 251. b. 276. a. nec ad fidei veritatem aut morum honestatem referri, 49. e. Figuratas locutiones Scripturæ ad litteram accipere miserabilis servitus, 47. d. animæ mors est cùm intelligentia carni subjicitur sequendo litteram, 47. d
Scripturæ obscuritas non inutilis, 21. c. f. In obscuris Scripturæ locis quid agere debeat pius lector, 132. a. Obscuri Scripturæ loci ex apertioribus explicandi, 56. b. aut per recapitulationem, 62. c. Quomodo interpretandi Scripturæ loci qui sævitiam aut flagitium redolent, & tamen ex persona Dei vel Sanctorum referuntur, 50. c. f. & illi in quibus facta quædam laudantur bonorum hodie moribus contraria, 55. a. aut peccata magnorum virorum referuntur, *ibid.* b. Quæ Scriptura retiet, quatenus conjectando proferre juvat, 189. a. b. Quod de natura rerum veracibus documentis demonstrari potest Scripturæ non est contrarium, 131. a. Dum Scriptura testimonium aliquod ex auctore sumit, non propterea cetera illius auctoris Scripta confirmat, 547. a. b. De rebus naturalibus quasi secundùm Christianas litteras loquendo, nihil temere affirmandum coram infidelibus, 129. g 132. e
Scriptura unde in diversas linguas traducta est, 11. b. Multi Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam, innumeri verò in Latinam verterunt, 25. c. Nomina Hebræa, Syra, Ægyptia &c. quæ in Scriptura sacra sunt, tempore Augustini erant interpretata, 41. f. Scripturas sanctas cum interpretatione LXX. contulit Aug. 379. a. Obelisci aut Asterisci in codicibus Græcis quid significabant, 416. f
Scripturæ sacræ studium à Deo datur, 64. e. Requirit humilem & mitem animum, 43. b. 44. c. Qua ratione vacandum studio Scripturæ sacræ, 24. c. Scripturas divinas Antonius monachus & memoriter audiendo tenuit, & prudenter cogitando intellexit, 3. b. Idem de servo barbaro Christiano narratur, 3. b
Scutum diversa significat in Scriptura sacra, 56. b
Seir interpretatur pilosus, 579. a
Senarii numeri perfectio, 161. a. 162. c. 164. g. 197. f. Unde nascitur, 165. c
Senatus à senio dictus, 501. a
Senior & senex qui differunt, 374. b. Seniorum ætas minor est quàm senum, 387. c. 395. d. Omnis senex etiam presbyter, non omnis presbyter etiam senex, 395. d
Sensationes quomodo fiunt, 217. f
Sensus corporis unde, 308. a. Quinque sensus ad quatuor elementa quidam referunt, 147. *& seq.* Motus in omnibus sensibus inchoatur à subtilitate ignis, 148. b. Non judicandum de ordine rerum ex sensibus, 196. a. Homines sensibus addicti res spirituales cum formis & coloribus in cordibus suis pingunt, 272. f
Sentire est animatæ viventisque carnis indicium, 218. c. Sentire non est corporis, sed animæ per corpus, 148. b
Septenarius numerus ad Spiritum-sanctum pertinet, 187. a. 455. c. est numerus perfectus, 455. f. universitatem significat, 571. c
Septuaginta interpretes auctoritate prophetica ex consensione mirabili interpretati sunt Scripturas, 588. a. Non solùm interpretationis, sed & prophetiæ munere illustres, 420. e. g. Ore uno in suis interpretationibus consonuerunt, 420. e. An singuli cellis singulis interpretati sint, an contulerint invicem non constat, 28. a. b. Eorum auctoritas quanta, 421. a. Interpretatio LXX. potioris inter Græcos auctoritatis, 28. a
Sepulturæ remissionem peccatorum significat, 418. b. Sepeliendorum corporum curam tantam non frustra gesserunt Patriarchæ, 418. c. Quadraginta dies sepulturæ, aliquid pœnitentiæ significant, 420. c
Serpens & in bono & in malo est in Scriptura, 55. f. Quare per serpentem diabolus permissus est tentare, 280. f. Serpentis sapientia qualis & unde, 276. d. 288. d. Quomodo serpens homini locutus est, *ibid.* a *& seq.* Adam non credidit serpenti, 295. d. 296. c. Maledictio serpentis est figurata, 293. b. Refertur ad Diabolum qui per serpentem operatus est, *ibid.* b. Dæmonibus potestas datur ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ad primi facti memoriam commendandam, 288. c. Serpentes magis moventur carminibus hominum, quàm ullum aliud genus animantium, 288. c. Verba Marsorum non audiunt nec intelligunt nisi diabolica vi operante, *ibid.* b
Servitus justa & justa dominatio cùm pecora homini serviunt, 416. b. Servitus qua homines hominibus servi sunt, de pœna peccati exorta est, 293. f. Justitia est ut infirmior ratio serviat fortiori, 416. c
Servus appellatus est qui ex bello servatus est, 416. c. Servum hominem homini vel iniquitas vel adversitas fecit, 416. b. Servos Christianos libertatem à dominis flagitare vetat Apostolus, 446. c
Sexus nullus est quibusdam quæ ex aquis vel terra nascuntur, 152. f
Sidera unde facta, 133. c. An æqualiter fulgeant, 143. f. Singula sidera vaga singulos suos vel globos vel circulos habent, 107. a. An sidera per quosdam spiritus regantur & ab eis animentur, 146. b. Siderum cognitio non multùm ac propè nihil adjuvat tractationem Scripturarum, 37. d. commodè honestéque contemnitur, *ibid.* Nihil ex ea in nostra facta trahere possumus, *ibid.*
Siderum observatio ad cognoscendam vitæ seriem vana, 32. f. Inquisitioni de intervallis & magnitudine siderum tempus impendere non expedit, nec congruit, 144. d. Siderum nomine intelliguntur ii qui conversationem habent in cælis, 671. c
Sina interpretatur tentatio, 579. a
Signorum definitio, 5 f. 19. b. & divisio, *ibid.* Inter signa principatum obtinent verba, 20. d. Signa vel propria sunt vel translata, 24. e. Utrorumque definitio, *ibid.* Quomodo tollitur ignorantia signorum propriorum, *ibid.* g. & translatorum, 28. e. Signis servire quid, 49. a. *& seq.* Antiqui Patriarchæ ac Prophetæ servitute signorum non premebantur, 49. a. Aliter Judæi à signorum servitute liberati, aliter Gentiles, 48. f. Signum à Deo petere an liceat, 394. a. Inter signa licita & augurationes illicitas discrimen, 393. f. Signa rerum earum quas significant nomine appellata, 334. g. 516. c
Silentium metaphoricè quid significat, 680. a
Similitudinem inter & imaginem quodnam discrimen, 556. d. Similitudinem aliquid amplius esse quàm imaginem quidam existimant, 557. a. Similitudo Dei, proprie similitudo dicitur, 113. a. Per similitudinem Dei omnia condita sunt, sola anima ad similitudinem Dei facta est, 114. a. Res quæliber intantum est, & pulcrior est, inquantum partes similes habet, 113. e. f
Simul stare potest cum priùs & posteriùs, 180. d
Sinistra adversitatem significat, 331. c. & temporalia, *ibid.* d
Sinus Abrahæ, 321. b
Societatis connexio quanta, 582. f
Sodomorum iniquitas quanta, 389. a. Terra Sodomorum & Gomorrhæ paradisio Dei comparata, 385. f
Sol Φαίων Græcis dicitur, 107. e. Ut quid Sol creatus est, si lux prima sufficiebat diei faciendo, 124. c. Solem se mari immergere atque inde totum ex alia parte manè surgere figmentum est poëticum, 123. f. Generibliaci & fatorum assertores præcipuam partem Soli tribuunt, 144. e. Sol divinitas non parva ab Ægyptiis æstimabatur, 411. d. Solis sacerdotium magna dignitas apud eos, *ibid.*
Solœcismus quid, 26. c
Somnia veneréa fine peccato contingere possunt, 307. d. Propter affectionem animæ bonam etiam in somnis quædam ejus merita clarent, 307. g
Sophistæ Latinarum litterarum eloquentissimi auctores, 342. d
Sophismata Scriptura detestatur, 38. b
Sophisticus dicitur sermo consectans verborum ornamenta abundantiùs quàm decet, 38. c
Spes sua cuique est in conscientia propria, 49. c. Nisi gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas & superba præsumtio, 676. c. Spei symbolum ligum cedrinum, 543 d
Spinæ & tribuli lignaque infructuosa cur, & quando creata, 155. c. Spinæ post peccatum natæ sunt homini ad laborem, 156. a
Spiritûs Dei nomine quid intelligitur, 98. f. Spiritus Dei mundo faciendo superferebatur, & facto superfertur excellentiâ potestatis, 206. a. Spiritus Dei super aquas quomodo, 98. d. & quare, 120. f. 121. c
Spiritus-sanctus secundùm linguæ Syræ intellectum non superferebatur super aquas, sed eas fovebat, 129. a. Spiritus-sanctus in aliquot locis veteris Scripturæ insinuatus, 410. g. 438. c. Non tamen vocatur Spiritus-sanctus, sed Spiritus Dei, 411. a. Spiritum-sanctum, Deum esse monstravit Petrus, 439. c. Patri atque Filio æqualem esse demonstrat Ambrosius, 84. a. Spiritus-sanctus digitus Dei, 429. b. 443. c. Flatus quem Dominus in Apostolos sufflavit non erat substantia Spiritus-sancti, sed figura, 260. a. Figura Spiritus-sancti dandi quinquagesimo die ab immolatione Christi, 443. c. Spiritus-sanctus quomodo contristatur, 166. b. Non solùm ad beneficia, verùm etiam ad vindictam commemoratur, 438. d. In Spiritu-sancto benevolentia dilectioque Dei intelligitur, 121 d. Cùm sit unus & idem, propter diversas operationes dissimiliter appellatur, 438. c. Spiritus Dei qui est in nobis, etiam noster dicitur, 535. c. Per gratiam Dei, Spiritus hominis sit particeps Spiritûs Dei, 535. d. Spiritus Domini agit per bonos & malos scientes & nescientes, quod agendum novit & statuit, 614. c. 615. c
Spiritum malignum immitti à Deo non absurdum est, 609. b

INDEX IN PRIMAM PARTEM

Spiritus vitæ non tantùm in hominibus sed & in pecoribus , 381. f
Spititum inter & mentem discrimen, 302. c. 315. c
Spiritale pluribus modis dicitur , 302. a
Spiritales seu qui spiritaliter interiùs vivunt possunt cadere in tentatione , 212. b. Spirituales per Jacob, carnales per Esaü significantur, 396. d
Stirpes cur non benedixit Deus, 111. a
Spithamis , 457. d
Stoïci non omnem perturbationem ab animo sapientis excludebant, 386. f
Struthio tardos ingenio significat, 675. a. Ansulæ de ossibus Struthionum in digitis , genus superstitionis, 31. f
Studium. Quibus disciplinis, scientiis , artibus, & quo modo vacandum , 41. d. Tractandis curiosis quæstionibus tempus esse non debet iis qui suæ saluti & Ecclesiæ utilitati studere debent, 139. b. 144. d. In studiis omnium scientiarum tenendum , Ne quid nimis, 41. f
Substantia quid, 434. c
Super caput nostrum esse aliquid dicitur cujus maximam curam gerimus , 333. d
Superbia est amor excellentiæ propriæ, 281. c. Fons est malorum , 281. f. Unde vult eminere superbia , inde in angustias contruditur, 281. g. Animæ extollenti se, demonstrandum fuit quàm non bene se habuerit facta natura , si à faciente recesserit, 277. f. Primum & maximum vitium tumoris , ad ruinam sua potestate velle uti , 230. d. Superbiam monoceros significat , 674. d
Superbi tenebræ sunt , 668. f. Leonibus comparantur , 216. c. More nivis congelascunt & cadunt , 669. d. Infirmantur ut perficiantur , 261. f
Superstitionum varia genera , 31. f
Superstitiosum quid , 31. d. Lepidum Catonis responsum superstitioso , 31. a
Syllogismi conversione exposuit risui Diogenes cum qui sophisma proposuerat , 38. b
SYMMACHUS , 550. g
Synecdoches varia exempla , 406. b
Syra lingua vicina Hebrææ , 129. a

T

TABERNACULI constructio, 475. b. & seq.
Tabulæ primæ Legis quare dicuntur scriptæ digito Dei , secundæ verò à Moyse scriptæ , 471. d. & seq. 561. f. 562. f. 563. a. Tabulæ priores Gratiam Dei significabant ; posteriores verò , eos qui de suis operibus gloriantur , 471. f. Priores tabulæ vetus Testamentum significabant, 472. b. 561. f. 562. f. 563. a. Fractio tabularum Testimonii quid significet, 464. d. Tabularum contritio Legem ad condemnationem valere significat, 563. b
Tabulæ XII. quid de furum occisione præcipiant , 449. d
Talares & manicatas tunicas habere flagitium erat apud veteres Romanos ; jam è contra, 51. d
Talionis lex , 448. e. demonstrat quæ vindicta debeatur , ut sciatur quid venia relaxet , 448. f.
Tangendi sensus per totum corpus est . 217. f. unde nascitur , 218. f. Dirigitur à cerebro per medullam cervicis , 217. f
Templi ædificatio per XLVI. annos ad secretioremin structionem humani corporis referenda, 36. c
Tempus quasi vestigium æternitatis, 107. d. Creatura est , 96. a. 186. a. Quando incœpit , 95. d. Ante creaturam frustra requiruntur tempora , 185. f. An tempus possit esse in motu incorporeæ creaturæ , 95. f
Temporale non satiat animam cui vera est & certa sedes æternitas, 18. c. Plus diligitur antequam habeatur , vilescit autem cùm advenerit , ibid. d
Tenebras non fecit Deus , 101. d. Ordinem suum habent à Deo , 101. c. Tenebrarum nomine nihilum accipi potest , 111. c
Tentatio Dei probatio est , non ad peccatum seductio , 392. d. 439. c. Non tentat Deus ut sciat , sed ut scire faciat , ibid. & 446. a
Tentatio tamquam stadium certaminis, 631. a. ostendit homini quis sit , 154. f. 665. c. Tres tentationes vitæ spiritalis , 619. c. 670. a. & seq. Dæmones non tentarent, si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, 309. a. In conflictu spiritali sperandum & petendum est adjutorium Dei , non ut nos nihil faciamus, sed ut adjuti cooperemur , 567. c. Tentatio hominis quare permissa , 277. c. 278. b. Tentatione probatur & exercetur virtus, 153. d. 278. b. Est palma gloriosior non consensisse tentatum quàm non potuisse tentari , ibid. Tentatio duplex suspici ab hominibus & despici , 54. a. Neutra defuit Apostolis , 54. a
Tentare Deum non licet , 402. d
Terebinthus lacrymam medicinalem exsudat , 594. c
Terra cæli inferioris nomine intelligitur , 195. d. Altior est quàm aqua , 410. f. 557. d. An super aquam fundata , 132. f. Quando creata , 125. c. Quomodo divisa in diebus Phalech , 383. a. Ponitur pro aqua , 438. b. 557. c
Terræ nomine homines significantur , 328. a. 335. d. 338. c. 342. f. 519. d. & carnales in Ecclesia , 132. f. & pars infima mundi , 438. b. In comparatione invisibilis creaturæ omne visibile terra dicitur, 96. b. Terra fidem parvulorum significat , 132. f
Terræ promissio facta Abrahæ quàm ampla , 386. b. Terræ promissionis fines , 590. a. & seq.
Terra Thob , id est terra optima , 617. c
TERTULLIANUS, vir acutus, 273. a. Ejus error de anima , ibid.
Testamenti nomine pactum appellat Scriptura , 330. c. 331. f. 372. c. Testamentum novum in vetere latet , & vetus in novo patet , 445. g. 454. c. Veteris & novi Testamenti promissa ac sacramenta diversa sunt , 541. g. Vetus Testamentum in prioribus Tabulis significatum est , 472. b. 561. f. 562. f. 563. a. Lex in veteri Testamento data est in tabulis lapideis; in novo autem datur in cordibus, 560. d. Novi Testamenti signum vacca rufa , 541. c. & Legis repetitio , 472. a. Duo Testamenta in Sara & Agar, Isaac & Ismaël figurata , 395. c. f. in sancto & in sancto sanctorum , 456. c. & in duobus Cherubim arcæ , 455. b. Duo Testamenta misericordiam Dei commendant, 455. b
Tiberis priùs Albula , 230. g
TICHONIUS cùm fuerit Donatista , contra Donatistas scripsit , 57. c. Quare absurdissimi cordis dicitur , ibid. Fecit librum 7. regularum, ibid. Hæ regulæ expenduntur , ibid. f. &c. 59. f. 435. c. Nimium illis regulis seu clavibus tribuit Tichonius , 57. f. 58. b. Cautè legendus liber ille regularum , 58. d. Tichonii mens de annis servitutis Israëlitarum in Ægypto , 435. b Tichonius opera nobis à Deo dari merito fidei , ipsam verò fidem sic à nobis esse ut nobis non sit à Deo dixit , 59. c
Tigris , 230. f. 231. a
Timor Dei , primus ad sapientiam gradus , 22. a. Timoris effectus , 22. a. Pœnam timere non hoc est Deum timere , 432. c. Timor non est in caritate , 474. a. Ad vetus Testamentum pertinet , 445. g. 446. b. 472. b. Timor ex infirmitate animi veniens non imputatur, 594. c
Tintinnabula vestis sacerdotalis conversationem sacerdotis significant , 458. d. Titulos constituebant Israëlitæ non ut eos pro diis colerent, sed ut eis aliquid significarent , 401. f
Tonitrua, voces Dei appellantur, 343. f
Torrentes dicuntur hyemales fluvii , 353. g
Tragelaphus , hircocervus, 673. c
Transgressio undenario numero significatur, 455. g
Trecentenarius numerus , crucis signum insinuat , 605. g
Tribulatio vocatur fornax ferrea , 365. d
Tribus. Feminæ de aliis tribubus in alias tribus solebant nubere , 610. a
Trinitatis natura immutabilis , 240. g. Nomen quod Trinitati conveniat facilè inveniri non potest , 6. f. Trinitatis explicatio , ibid. Trinitati aliquid cœternum esse non potest , 240. g. Trinitatis unitati non convenit ut Filius quasi jussus mundum fecisse intelligatur, 135. f. An persona Patris & persona Filii distinguatur in creatione firmamenti , 135. c. d. Natura Dei in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, 212. f. Dicere Patrem posse facere aliquid sine Filio , & è contrà , contra catholicam fidem est , 135. d. Trinitas mundum creavit, 104. d. Quod Filius loquitur, Pater loquitur, 120. c
Tristitia ea laudabilis est quæ venit ex dilectione quam Spiritus-sanctus infundit , 166. c
Tritici adeps vel renes id est farina , 370. c
Tropus synecdoche magnæ utilitatis ad intelligendum Scripturam , 61. c. Tropis usi sunt auctores sacri, 56. g. Troporum quorumdam nomina, ut allegoria, ænigma, parabola, in Scripturis reperiuntur , 57. b. Troporum cognitio necessaria, 57. a
Tunicæ pellicæ , 294. b. Tunicas talares & manicatas gestare aliquando non licuit Romanis, 51. d
Turba , multitudo inordinata , 338. f

V

VACCA rufa signum novi Testamenti , 541. c. & figura Passionis Christi, 542. b. & seq.
Vas generale nomen omnium utensilium , 513. b. Vasis confractio propter aëris compressionem, 133. c
Vela undecim tabernaculi , peccatorum symbola, 456. a
Ventriloqua femina , 33. f
Ventus est aër motus & fluctuans , 97. f
VERBUM Dei Deus apud Deum , 119. c. Sine inchoatione natum Patri coæternum est , 99. c. Non habet vitam informem , 120. c. Quidquid in Verbo est , vita est , 135. g. In Verbo vita ita est , ut ipse sit vita , 136. a. Verbo divino non solùm hoc est esse quod vivere , sed etiam hoc est vivere quod sapienter ac beatè vivere , 120. c. Verbum caro factum, non commutatum est. similiudo, 9. b. Est prima via ad Deum, 17. c. Verbum Dei incommutabile lumen sapientiæ , 120. d. lux vera mentis humanæ , 191. b. Non alia visio Verbi & Patris , sed una , 192. a. Verbum Dei dicitur manus ejus , 205. c. Per Verbum suum Deus fecit quidquid fecit , 119. c. Verbum quo Deus omnia creavit est æternum , 119. c. Deus in uno Verbo quod genuit, dixit omnia priùs quàm facta sunt singula , 136 b. c. In Verbo Dei sunt omnia quæ creantur etiam antequam creentur, 115. g. 136. a. Aliter in Verbo sunt ea quæ per illud facta sunt , aliter ea quæ ipse est , 135. g. In Verbo Dei non est quando & aliquando, 119. c. Ratio creandi quamliber creaturam in Dei Verbo Patri coæterno , coæternâ vitâ vivebat, 136. a. Quomodo sit creatura temporalis , cùm Verbum Dei sit æternum, 119. c
Verbum Dei similes securi concidenti petras , 76. b. Verba Dei sagittæ, 629. d. Verba Dei priùs facienda, ut intelligantur, 452. f
Verborum usus omnis in significando est , 5. c. Verba non sunt necessaria nisi ad exprimendam voluntatem , 336. e. In verbis verum amare non verba , insignis est indoles , 74. c. Verbum pro facto positum , 340. d. 602. a
Veritas similitudo & imago Patris dicitur & sapientia , 114. b. Veritate nihil firmius & serenius , 109. c. Veritatis regulam homines vident incommutabilem , 8. b c. Mens humana nulli cohæret nisi ipsi veritati , 114. b. Veritas ubicumque inveniatur Domini est , 31. b. Omne verum ab illo est qui ait, *Ego sum veritas* , 4. c. Per quemliber hominem detur consilium veritatis , non debet contemni , 441. a. Veritas & misericordia passim in Scripturis commendatur , 394. e. 417. f. Ut possit homo complacere in veritate , necesse est ut facta fuerit erga ipsum misericordia , 428. f. Veritas disputatione requiritur , non disputatio veritate , 379. c. Corporea creatura quæ à summitate cæli usque ad nubes est , figuram habet veritatis, 109. c
Verisio Irala ceteris Scripturæ interpretationibus Latinis præferenda , 27. g
Veruclata , 602. d
Vespera quomodo intelligenda in historia creationis , 176. a. Vespera & manè quomodo intelligantur ante creationem solis , 142. a. Vespera materiam informem significat, 111. c. creaturarum privationem , 106. f. & peccatum rationalis creaturæ, 128. a. *Vide* Dies Manè.
Vestimenta scindere lugentium erat antiquorum, 522. f
Vestis summi sacerdotis , Ecclesiæ sacramenta significat , 461. b
Victimare , 751. b
Vidua vera dicitur, quæ non habet à quibus sustentetur, 371. c. Viduarum fuerunt certa vestimenta temporibus Patriarcharum , 410. c
Vigiliæ ternarum horarum in castris , 529. d
Vindicta non quærenda , 520. g
Virata mulier, 748. d
Virga in arca inclusa symbolum potestatis , 455. a
Virgo nomen integritatis , non ætatis , 330. g. Nomen ætatis est secundùm Hebræum eloquium , 403. f. Virgines aliquando mulieres appellatæ, 363. c. Exhortatio ad virgines , 84. f. g. Quales esse debeant virgines quæ jam votæ sunt ostendit Ambrosius , 85. d. Ambrosius virgines ad suscipiendum virginitatis propositum magno accendit eloquio , 85. c. Martyr Cyprianus de habitu virginum, non de suscipiendo virginitatis proposito scripsit , 85. c
Virginitatis encomium , 84. c. Fidelis & pia virginitas magnum magnique honoris meritum apud Deum habet , unde, 247. c

TERTII TOMI.

Vires. Nihil sibi tribuendum ex viribus suis, 428. f
Videre pro generali sensu non solùm corporis , verùm etiam animi , 425. d. Lux quæ est in sensu videntis , non sufficit ad videndum , 127. c
Visio per emissionem radiorum ex oculis , 127. c
Visionum genera tria , 301. a. Corporale , spiritale & intellectuale , 301. c. Hæc erunt in Beatis , 323. a. Quomodo , 323. c. In eadem anima fiunt visiones corporales, spiritales & intellectuales , 315. b In genere spiritalis visionis alia visa quasi divina , alia humana , 319. a. Spiritale visionum genus unde dicitur , 302. c. hoc ceteris præstat , 301. a. Intellectuale genus visionis , 303. b. In visione intellectuali , alia sunt quæ videntur in anima , aliud lumen quo ipsa illustratur , 319. c. Cùm anima intellectuali visione Deum videt , etiam supra se videt illum , 319. e. Visio intellectualis spiritali, spiritalis corporali præstat , 315. a. c. An in spiritali & intellectuali visione plures gradus , 318. f. Visio corporalis sine spiritali esse non potest , 315. c. spiritalis potest esse sine corporali , 315. d. Visio corporalis & spiritalis fallit , sola intellectualis non fallit , 315. g. In aliis falli non semper est perniciosum , 396. g. Visio corporalis ad spiritalem , spiritalis ad intellectualem refertur , 304. a. 305. a. Visionum caussæ , 310. c. Visiones aliquando à corpore , aliquando à spiritu oriuntur , 311. b. Visiones quarum caussa est in corpore non semper significant , 313. b. Non assumitur spiritus hominis à bono spiritu ad videndas visiones , nisi aliquid significent, 313. b. Cæci magis inter dormiendum , quàm inter vigilandum visiones habent , 311. f. Visiones quædam miræ , 309. a. b. Visiones miræ cujusdam puerei ægrotantis , 309. c
Visa corporalibus similia in quæ anima inter vigilandum rapitur , non sunt diversæ naturæ, 312. f. Quomodo contingant visa illa , ex quibus divinationes occulto instinctu aut casu factæ , operosissimum est explicare , 313. g. Visa quæ à corpore caussam habent , à corpore non exhibentur , 311. c. Duplici modo fiunt , 312. b. Visa per Angelorum obedientiam ad animalia vel minima perveniunt , 252. c. d. Omnis anima viva sive rationalis sive irrationalis , visis movetur , 252. b. Non in potestate ullius animæ est , quæ illi visa veniant , 252. c. Anima rationalis consentit visis vel non consentit , irrationalis autem visio aliquo tacta propellitur, 252. b
Videre Deum cupiebat Moyses in ea substantia qua Deus est , 317. a. Ita eum vidisse verisimile est , ibid. c. Nemo videt Deum in illa specie qua Deus est, nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur , 317. f. Homini non potest ita nota esse divina substantia sicut ipsa sibi , 164. g. Nec eam videre potest hominis mens, sicut Angeli sancti vident, 322. f
Vita præsens mare appellatur , 177. b. Peregrinationis habitatio , 417. a. Tantò toleratiliùs peregrinationem nostram sustinemus, & ardentiùs finire cupimus , quantò fruimur Deo , vel per speculum vel in ænigmate, 14. f. Vita sæcularis , abyssus , 668. c. Vita non potest esse bona aut mala ante nativitatem , 202. f. 203. a. Spiritalis & corporalis vita informis quænam, 117. d. 118. b. Vita intellectualis nisi ad Creatorem illuminanda convertereturr , fluitaret informiter, 122. f. Vita fidelium quæ in hac carne ducitur , in comparatione vitæ infidelis atque impiæ lux & dies appellari potest , 174 g. In comparatione autem vitæ beatæ nox est , 175. a. Illa est vita hominum , ubi est lumen verum, 636. c. Vita æterna & caritas munus hereditatis filiorum promissionis, 395. g. pellibus hyacinthinis significatur , 456. b. Propter vitam æternam non toleratur quod propter idolum tolerarunt Israëlitæ , 464. b. Vita beata , *Vide* Beatitudo.
Vitiorum nostrorum Deus non est auctor , bene tamen ordinator, 101. f. Vitiorum origo est à voluntate hominis , 410. b. Pravorum morum flatibus homines à patria repercutiuntur , 8. d.
Vlammatis , Bethel & Luza , eadem civitas , 404. g
Umbra quid sit, 124. f
Undenario numero transgressio significatur, 455. g
Unigenitus Dei ante sæcula , 194. b. Quomodo Verbum est Patris , 99. c
Unitas. Summè unum est principium omnis formæ , 105. d
Universitas rebus inter se similibus constat, 114. a
Vocatio ad gloriam non pro meritis hominum , sed pro misericordia Dei , 467. f
Volatile pennatum quid, 110. f. Volatilia non immeritò dicuntur ex aquis creata , 148. f. In prima caussalium rationum conditione ex aquis producta , 244. d. Quod Adam volatilibus & non piscibus nomina imposuerit, propter aliquam significationem factum est , 250. & seq.
Voluntas Dei in libris S. Scripturæ quærenda, 21. b. 24. c Deus ita certas temporum leges generibus qualitatibusque rerum adtribuit, ut ejus voluntas sit super omnia , 205. g. Necessariò futurum est quod Deus vult , 207. d
Voluntas sufficit ubi opus externum non potest fieri, 577. d. In voluntatibus nulla bona est , cui non præsit Deus : nulla mala est , qua bene uti non possit , 240. g. Voluntas propria dum superioris voluntati præponitur , in grandem ruinam trahit , 236. c
Voluptas. Qui gaudent in mortiferis voluptatibus, esse sine dolorum timore non possunt, 277. g. Voluptatis immunda sectatores suibus comparati, 216. c. Omnis voluptas pecorum ex terra est , 205. e
Voti obligatio , 552. c. Ad votum continentiæ vir & mulier parem auctoritatem habent , 553. g. 554. a. Vota reddere femina non debet prohibente viro , etiamsi ipse antea permiserit, 553. e. Vovere potest femina vidua aut libera , non verò sub patre aut viro constituta , nisi hi permittant, 553. a. & seq. Vovere adversùs animam suam , id est in aliqua rerum licitarum & concessarum abstinentia, 552. f. 553. a
Vox materia est verborum , verba formatam vocem indicant , 126. c
Utilitas beneficentiam præcedit , 50. b
Uti quid sit, 6. c. Deus utitur creaturâ, non fruitur , 15. f. g. Quomodo Deus homine utatur, 16. a. Non usus rerum , sed libido utentis in culpa est , 50. g. 51. d. Usus rerum legitimus, quis, 93. d. Usus illicitus , abusus potiùs nominandus est , 6. c
Vultur Christus appellatur , pulli vulturis filii sponsi , 628. c
Uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis erat consuetudo , quare , 51. c. Veteres sancti non ex libidine multis uxoribus utebantur , 53. d. 54. a. Unam feminam maritos habere plurimos , inhonestum erat , 51. c. Magis probatur homo multarum uxorum fecunditate utens propter aliud , quàm unius carne fruens propter seipsam , 53. c. Intemperantia potest esse major in una uxore habenda quàm in multis , 53. b. Omnis concubina uxor , non autem omnis uxor concubina , 400. a

SCRIPTURÆ TESTIMONIA

QUÆ EXPLICANTUR IN PEREGRINIS LOCIS.

GENES. I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* , 556. f
VIII. 11. *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ* , 29. c
XI. 1. *Et erat omnis terra labium unum* &c. 63. a
XIV. 14. *Numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo* . 606. a
XXII. 12. *Nunc cognovi quoniam times Deum*, 166. a
XLIV. 29. *Deducetis senectam meam cum tristitia ad inferos* , 321. c
EXOD. XII. 36. *Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis , & spoliaverunt Ægyptios* , 43. a
XXI. 7. &c. *Si quis autem vendiderit filiam suam famulam* &c. 446. f
XXIII. 19. *Non coques agnum in lacte matris suæ*, 450. f. & seq.
XXXIII. 18. *Ostende mihi gloriam tuam* &c. 468. c. & seq.
20. *Non enim videbit homo faciem meam , & vivet* , 317. c
21. *Ecce locus penes me, & stabis super petram* &c. 317. d
IV. REG. II. 15. *Spiritus Eliæ requievit super Eliseum* , 535. c
JOB. XL. 14. sec. LXX. *Hoc est initium figmenti Domini quod fecit* &c. 284. d. 285. a
PSAL. XIII. 3. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* , 26. a
XXI. 2. *Deus Deus meus* &c. *longè à salute mea verba delictorum* , 268. c
XXXI. 4. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua* , 469. b. c
XXXII. 15. *Qui finxit singillatim corda eorum*, 260. d. e
XXXV. 6. *Et veritas tua usque ad nubes* , 109. b
L. 9. *Adsperges me hyssopo* , 29. d. 44. b
II. *Averte faciem tuam à peccatis meis*, 466. d
LIV. 18. *Vespere & manè & meridie narrabo*, 177. c
LXXIV. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto* , 55. g
LXXX. 11. *Dilata os tuum , & adimplebo illud*, 424. a
LXXXVI. 1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis* , 425. b
XCV. 2. *Bene nuntiate diem ex die salutare ejus*, 453. c
CIII. 29. *Auferes spiritum eorum , & deficient & in pulverem suum convertentur. Emitte spiritum tuum* &c. 261. d. e. f
CIV. 18. *Ferrum pertransiit animam ejus*, 365 d
CIX. 3. *Ante lucifferum genui te* , 671. b
CXVII. 24. *Hæc dies quam fecit Dominus*, 175. f
CXVIII. 164. *Septies in die laudabo te* , 62. a
CXXXV. 6. *Fundavit terram super aquam*, 132. c
5. *Qui fecit cælos in intelligentia* , 132. f
PROV. II. 19. *Omnes qui ambulant in ea non revertentur* , 255. c
IV. 27. *Non declines in dextra aut in sinistra* , 574. b
VIII. 22. *Dominus creavit me in principio viarum suarum* , 17. a
ECCLE. XII. 7. *Et convertatur pulvis in terram sicut fuit , & spiritus revertatur* &c. 261. d
CANT. I. 5. *Fusca sum & speciosa* &c. 59. a
II. 7. *Adjuro vos , filiæ Ierusalem , per capreas* &c. 715. a
IV. 2. *Dentes tui sicut greg detonsarum adscendens de lavacro quæ omnes geminos creant & non est sterilis in eis* , 21. c
12. *Hortus conclusus* &c. 286. c
SAP. IV. 3. *Adulterina vitulamina non dabunt radices altas* , 26. c
VII. 24. *Omnibus motibus mobilior est sapientia* 167. g
VIII. 1. *Adtingit à fine usque ad finem* &c. 167. f
19. *Sortitus sum animam bonam* , 261. d
XI. 21. *Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti* , 163. b
ECCLI. X. 9. *Quid superbit terra & cinis* , 96. c
XII. 4. *Da misericordi & ne suscipias peccatorem* , 51. c
XVIII. 1. *Qui manet in æternum creavit omnia simul* , 103. d. 179. g
ISAI. VII. 9. sec. LXX. *Nisi credideritis , non intelligetis*, 25. f
15. *Butyrum & mel comedet* , 644. b
16. *Priusquam sciat puer bonum aut malum* &c. 237. a sec. LXX.
XIV. 12. *Quomodo cecidit de cælo Lucifer*, 286. a

INDEX IN PRIMAM PARTEM TERTII TOMI.

XLII. 16. *Ducam caecos in viam &c.* 59. a
LII. 3 *Gratis venditi estis, & non cum argento redimemini,* 599. f
LVII. 16. *Spiritus enim à me procedet, & flatum omnem ego feci,* 213. c. 260. d. secund. LXX.
LVIII. 7. *Et carnem tuam ne despexeris,* 25. d
JEREM. XXIII. 30. *Furantur verba ejus unusquisque à proximo suo,* 91. b. c
XXV. 11. *Et servient omnes gentes istæ regi Babylonis* LXX. *annis,* 62. b
EZECH. XXVIII. 12. &c. *Tu es signaculum &c.* 286. c. 287. a
XXXVI. 17. &c. *Domus Israël habitavit in terra &c.* 60. c
26. *Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum &c.* 61. a
XXXVII. 9. &c. *Et dixit mihi Dominus, Propheta super spiritum &c.* 259. g. 260. a. c
AMOS. VI. 1. &c. *Væ qui opulenti estis in Sion &c.* 71. a
MATTH. VI. 9. *Sanctificetur nomen tuum,* 356. d
25. *Nonne anima plus est quàm esca,* 368. f
X. 16. *Estote ergo prudentes sicut serpentes,* 29. a
XIII. 12. *Qui habet, dabitur ei,* 5. c
XVI. 19. *Quod solveris super terram &c.* 10. d
XXII. 37. *Diliges Dominum Deum tuum &c.* 13. c
MARC. XVI. 2. *Et valde manè..... orto jam sole,* 609. c
LUC. III. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei,* 264. c
XIII. 11. *Mulier decem & octo annis habens spiritum infirmitatis,* 606. b
XV. 22. *Citò proferte stolam primam,* 208. g. 211. c
XVII. 29. *Die quo exiit Lot à Sodomis &c. secundùm hæc erit dies filii hominis &c.* 63. b
XXIV. 1. *Vna sabbati valdè diluculo,* 609. c
JOH. I. 4. *Quod factum est in illo vita est &c.* 191. c
15. *Qui post me venit ante me factus est,* 550. c
27. *Ante me factus est,* 374. d
VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* 52. c
VIII. 25. *Principium quia & loquor vobis,* 120. c
XII. 25. *Qui amat animam suam perdet eam,* 52. c
XIV. 6. *Ego sum via & veritas & vita,* 17. b
ACT. XVII. 28. *In illo vivimus, & movemur, & sumus,* 168. a
XX. 24. *Non enim facio animam meam pretiosiorem quàm me,* 516. a
ROM. VI. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore &c.* 264. c
VIII. 10. *Corpus quidem mortuum est,* 210. c. g
15. *Non enim accepistis spiritum servitutis &c.* 438. c
X. 3. *Ignorantes Dei justitiam & suam volentes constituere,* 441. d
XI. 5. *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt,* 414. c
14. *Si quo modo ad æmulationem adducere potuero carnem meam &c.* 25. c
XII. 20. *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus,* 51. d
I. COR. IX. 9. *Bovem triturantem non infrenabis,* 24. f
X. 4. *Petra autem erat Christus,* 335. a
XII. 31. *Supereminentem viam vobis demonstro,* 121. d
XIII. 12. *Tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum,* 558. f
XIV. 14. *Si oravero linguâ, spiritus meus orat.* 302. c
16. *Si benedixeris spiritu &c.* 302. g
II. COR. III. 6. *Littera occidit &c.* 438. g
V. 21. *Eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit,* 532. b
GALAT. IV. 9. *Nunc autem cognoscentes Deum, immo cogniti à Deo,* 166. d
V. 17. *Caro concupiscit adversùs spiritum &c.* 12. c. 263. f
EPHES. III. 19. *Supereminentem scientiæ caritatem Christi,* 121. d
IV. 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ,* 211. a. 212. a
30. *Nolite contristare Spiritum-sanctum Dei &c.* 166. b
COLOSS. II. 9. *Quia in ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter,* 301. g
II. TIM. II. 14. *Noli verbis contendere &c.* 90. c
IV. 14. *Alexander æræarius multa mala mihi ostendit,* 340. b
PHILEM. 20. *Egote fruar in Domino,* 16. c
APOC. VII. 4. *Et audivi numerum signatorum, centum-quadraginta-quatuor millia signati,* 62. b

FINIS.